22

REMBERTI

DODONAEI

MECHLINIENSIS

MEDICI CÆSAREI *Authoris damnati, et operis permissi*

STIRPIVM HISTORIAE PEMPTADES SEX.

SIVE

LIBRI XXX.

Expurgose este libro por comision de los SS.res inquisidores por el indice del año de 1640 y 1707. fr. Ant.o Blanca

ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini.
M. D. LXXXIII.

AMPLISSIMIS AC PRVDENTISSIMIS AVGVSTISSIMÆ VRBIS ANTVERPIENSIS CONSVLIBVS, SENATORIBVS, QVÆSTORIBUS, Tribunis, Præfectis, Decanis, reliquoque Magistratui, Remb. Dodonæus S. Autor damnatus =

DE STIRPIVM HISTORIA Commentarios nostros, quos in publicum damus, vobis, VIRI AMPLISSIMI ET MAGNIFICI, offerimus & dedicamus. Quod non repentina aliqua voluntate, aut fortuito ductu, sed ex singularis obseruantiæ vetere affectu à me factum, vt persuasum habeatis maximè opto. Neque etenim iam pridem, sed dudum & à multo tempore obsequium vobis, & vestræ huic, cui præsidetis, vrbi, præstare aliquo posse modo desideraui. Verùm hoc cùm nullo officio hactenus declarare potuerim, huius nostri operis dedicatione nunc ostendere, aliqua decreuimus ratione. In describendis autem hisce de stirpibus Commẽtariis quid præstitum sit, licet fortassis plerique à nobis prolixa oratione narrandum existiment: maluimus tamen id aliorum ac æqui Lectoris iudicio deferre, quàm de nostris lucubrationibus multa prædicare. Affirmare tamen ac profiteri nihilominus (& quidem, vt speramus, citra arrogantiæ notam) audemus, nos laborasse, & omni studio annisos esse, vt clarè, dilucidè, & quàm commodè fieri potuit, breuiter (succisis superfluis) singularum stirpium historiæ siue descriptiones proponerentur: deinde in certas classes ordine quàm licuit commodissimo atque expeditissimo digererentur. Hæc autẽ quo labore, vel cuiusmodi cura ac industria à nobis sint præstita, facilè is cognouerit, qui stirpium multitudinem in hisce Commentariis descriptarum, ac varietatem earum obseruare, & cur in sex Pemptades siue Lib. xxx. hi à nobis sint digesti, attentius expendere volet. De huius verò Augustissimæ Vrbis eximiis, raris, & præclaris dotibus fieri quoque potest, vt & multa à nobis expectentur, veluti operis nostri, hæc ad vos huius vrbis Præsides, amplissimi viri, nuncupatoria epistola postulare videtur: sed adeò multa, adeò magna, adeò eximia & præclara sunt, quæ hanc exornant, illustrant, ac commendant, vt breui præfatione enumerari nequeant, & pluribus omninò verbis, prolixaque oratione describi

oporteant. Siue enim antiquitas vrbis, aut limitis eius, siue situs, siue maxima commoditas, siue elegantia, vel alia eiuscemodi haud pauca expendantur, vel etiam Principes, qui huic dominati sunt, proponantur, nusquam non amplissima locupletissimaque ad dicendum & scribendum sese offert materia: maior certè & copiosior, quàm à nobis angusto tempore ac pro dignitate sua tractari ac expoliri queat. Antiquitate enim in primis hæc vrbs nulli cedit, si limes eius consideretur. Est autem hic appellatotum olim Ambiuaritarum, quorum Iulius Cæsar in Commentariis suis de bello Gallico meminit. Si etenim hui us verba diligenter expendantur, non alij poterunt esse Ambiuaritæ, quàm qui limitem Antuerpiensem incolunt ac habitant. Refert siquidem Iulius Cæsar, Vsipetes & Tenchteros Germanos, occupatis Menapiorum sedibus, magnam sui equitatus partem ad Ambiuaritas trans Mosam prædandi frumentandique causa misisse, atque eos aliquot diebus abfuisse, cùm ad ipsum horum legati mitterentur: qui responso accepto, post tres dies se, re deliberata, reuersuros dixerunt. Tantam temporis motam interponi cupientes, vt interea equites, (prout verisimile) qui expectabantur, adesse possent. Ex quibus sanè Ambiuaritas vltra Mosam etiam remotiora loca occupasse, & haud angustis finibus comprehensos fuisse, satis apparet. Alioqui siquidem opus non fuisset, longioris temporis moram, ad equitum reditum desiderari. Nam ex proximis & vicinis redire citò integrum fuisset. Iam & magna equitatus pars, non nisi ad amplè patentia loca mitti potuit. Confederant autem Vsipetes & Tenchteri illo tempore haud procul à confluente Mosæ ac Rheni, hoc est, in eo nostra hac ætate nuncupatæ Geldriæ tractu, qui infra Neomagum ciuitatem, inter Mosam ac Vahalim Rheni partem à Mosa receptam, situs est. Ab hoc Geldriæ agro vltra Mosam latè patentia & remotiora loca ad Ambiuaritas pertinent. nempe ab appellata Buscoducis ciuitate ad ripam Scaldis vsque: tota nempe illa regio, quam aliquando salo subfuisse non obscura indicia ac vestigia ostendunt; prius videlicet quàm aggeribus erectis maris littora, & fluuiorum ripæ coarctarentur: quæ idcircò & Antwarpten (Latinè alluuio aut adiectio dixeris) nuncupata fuit. Vocem Cæsar, quoad potuit, proximè exprimere conatus, huius incolas Ambiuaritas dixit. Et populotum hoc fuisse, non oppidi, præterquàm quòd ex Iulij Cæsaris Commentariis satis patet, testatur quoque & Audoënus in vita D. Eligij, quem scribit in Flandris laborasse, ac in Andouerpis iugi instantia pugnasse: circa annum à Christo nato vi^c xl. Ex his autem manifestum ac euidens, antiquissimam esse Ambiuaritarum siue Andouerporum gentem, ac nullis Galliæ Belgicæ, siue inferioris Germaniæ regionibus aut populis ætate posthabendam.

bendam. Referuntur autem Ambiuaritæ ad eos, quos Ptolomæus Geographiæ lib. II. Tongros appellat, quorum ciuitatem Aduacutum esse tradit: Ab hac ciuitate Iulius Cæsar ipsos populos Aduaticos pro Tongris nominasse videtur, qui & ipsos Belgis annumerat: Galliæ Belgicæ terminum Rhenum constituens. Plinio verò Naturalis historiæ lib. IIII. Tongri siue Aduatici, Germani sunt. Toto hoc, inquit, mari (Germanico videlicet) ad Scaldim vsque fluuium Germaniæ accolunt gentes haud explicabili mensura. Et sanè si linguæ & morum ratio habeatur, olim Tongri siue Aduatici dicti, atq. cum his Ambiuaritæ, quorum maxima pars Brabantiæ agro continetur, Germanis citiùs, quàm Gallis erunt annumerandi. In hoc autem Ambiuaritarum latè patente territorio olim ædificatum extat oppidum, quod ab ipsa ditione nomen accepit, & modò retinet, Antwerpen dictum: reliqua, vel saltem maxima agri parte, à Campano quodam Campaniæ nomine (vt creditur) mutuato. Quo autem tempore ædificatum istud fuerit, licet historiæ apertè non referant, peruetustum tamen & ipsum esse satis constat. fuit enim circa annum Domini VIII^c XXXVII. à Nortmannis occupatum, direptum, & igne deuastatum, & ante illum annum multò antè haud dubiò constructum ac habitatum. Felicissimis autem auspiciis, hoc oppidum construi ac habitari cœptum est; id quod sæpius aucta, amplificata, nunc amplissima & celeberrima vrbs manifestè ostendit. Initio quidem exiguum fuisse oppidum, non modò porta, sed & veteres aliquot restantes muri plenissimè docent. Accepit verò deinde istud haud exigua incrementa, & non semel quidem, sed sæpiùs accessionibus nouis insigniter creuit ac amplificatum est. Prioris incrementi testes sunt viæ ac vici publici à mœnibus nomen retinentes, tum & portæ quædam non ita dudum dirutæ. Et tametsi cùm istis terminis ac muris contineretur, non exigua foret ciuitas, accedente tamen populi multitudine, & ciuium numero multipliciter adaucto, citò etiam in maiorem ciuitatem creuit, eam amplitudinem magnitudinemque consequuta, quam visa est habere anno XV^c. XLII. cùm à Martino Rossemio aliisque coniuratis, aliquot diebus obsideretur. A quo rursus tempore non solùm compluribus vicis, & magnificis ædificiis exornata est, sed & haud mediocre auctuarium à Septentrionis parte, mœnibus latè extensis, accepit: veluti & à paucissimis annis ad Meridiem huic quoque amplissima accessio facta est: occasione videlicet castri, à Duce Albano erecti, quod nunc ex parte dirutum ad vrbis amplificationem, & murorum extensionem, opportunissimam occasionem præbuit. Si verò & de situ huius vrbis quædam adducenda: Notissimus quidem hic est, & quidem non ad maris littus positus, sed ad dextram Scaldis ripam, XVII. aut XVIII.

 (plus

(plus minus) horarum, si pedibus metiri liceret, itinere ab Oceano distans; loco videlicet periculis & tempestatibus minùs exposito, & ab exorbitantis maris fluctibus ac inundationibus satis tuto; nec ita tamen longè à mari, quin commodè altissimo æstu, quo Scaldis Oceani vndis ac ventis obluctans attollitur, retrorsumque fluit, magnæ ac onerariæ naues in portum appellere queant. Quem adeò habet oportunum, vt quæuis onera & merces, facilè & haud magno negocio eximantur. Facit verò & ad huius Vrbis celebritatem non parùm, quòd in huius portum, ex omni orbis terrarum parte, omnis generis merces aduehantur: sic vt tametsi in extremis Galliæ Belgicæ finibus Antuerpia sita sit, in medio tamen orbis posita, ac vniuersi orbis forum esse videatur, & verè meritoque ad hanc applicari debeat, quod de Morinis haud inelegans nostri temporis Poëta his verbis scriptum reliquit:

Extremi, fateor, sunt Morini, tamen
Si merces videas, si populos, si opes,
Concursusq., ratesq., in medio situm
Orbe, Orbis referes forum.

De elegantia verò tantæ vrbis, vicorum, & viarum splendore, vel nitore, ædificiorum magnificentia, commoditate, ornatu, suburbiorum laxitate, hortorum amœnitate, atque in his nascentium herbarum ac florum varietate, non pauca etiam scribenda occurrerent, nisi de his tacendum, quàm scribendum potius videretur. adeò enim omnium oculis exposita hæc sunt, vt pluribus verbis celebrari non referat. Quod si verò ad huius vrbis dignitatem, auctoritatem, & gloriam non parum conferant, qui primi extiterunt limitis Antuerpiensis ad Scaldim Sacri Romani Imperij Marchiones, & vnde isti & quando initium sumpserint, non poterit non maximum dignitatis incrementum huic, vel hinc quoque accedere. Nam qui olim huius Marchionatus principatum obtinuerũt, vel ipsi magni & potentes Principes fuere, vel maximorum, fortissimorum, ac potentissimorum Ducum, Regum, ac Imperatorum progenitores. Primus autem huius Marchionatus Princeps extitit Ansbertus siue Anselbertus, Vauberti & Lucillæ Zenonis Romanorum Imperatoris sororis filius: Vaubertus verò patrem habuit Alberonem Clodionis Comati Franciæ Regis filium, à Merouco ipsius tutore regno orbatum: qui occupata Arduenna sylua, complura cum Merouco ac eius filio Childerico bella fortiter gessit. Vaubertus autem inter Principes in honore habitus, & eximia virtute commendatus fuit. Ex Argotta autem Theodemiri Gotthorum Regis filia, & Theodorici Gotthorum in Italia Regis sorore natus: horum amicitia & affinitate fretus, Meroueum atque eius successores haud magni facie-

bat. Bellum verò gerente Clodoueo Francorum Rege, qui postea Ludouici magni nomen obtinuit, cum Alarico Visegotthorum Rege, Tolosæ regni sedem habente, & Alberonis liberos omnesque Clodionis Comari nepotes ac affines seuerissimè persequente, Vaubertus liberos suos ad Zenonem Imperatorem misit, à quo senatorio honore donati sunt. Anselbertus verò, etiam senior, perpetuam ac hęreditariam Sacri Romani Imperij ad Scaldim Marchionatum deinde à Iustiniano Imperatore obtinuit. Huic vxor contigit Blitildis Clotarij Francorum Regis filia: Ludouici Magni filius hic erat, & Suessionum primùm, deinde mortuis fratribus, Franciæ quoque totius Rex, qui Anselbetto genero suo Mosellanicam prouinciam à ciuitate Metensi ad Coloniam Agrippinam vsque Ducatus titulo permisit. Ab hoc autem Anselberto, primo illo Sacri Romani Imperij Marchione, originem habet nobilissima ac omnium historiis celebrata Carolinorum stirps. Anselberto siquidem fuit filius Arnoaldus; huic verò Arnulphus, cuius filius Ansigisus Beggam vxorem habuit Pipini Landensis filiam, ex qua natus Pipinus, cognomento Crassus, Caroli illius Martelli pater, qui rebus valdè fortiter gestis, multisque victoriis celebris, maximam sibi apud Francos auctoritatem & potentiam conciliauit. Carolo Martello progenitus est Pipinus Breuis dictus: Chilperico Regis filio submoto, Regni Franciæ gubernationem & diadema hic accepit, annuente Zacharia Romano Pontifice. Pipino huic successit Carolus, qui propter res domi forisque fortiter gestas, frequentesque de hostibus partas victorias, Magni cognomen assecutus est, & tandem Romanorum Imperator ac Augustus salutatus, ad Germanos Imperij dignitatem transtulit. Numerantur verò & inter huius vrbis, & Sacri Imperij Marchiones & alij rerum gestarum magnitudine illustres celebresque Principes, vt Gozelo siue Gothelo, tum & ex hoc natus Gothefridus, item & huius tertius filius Gothefridus, præstantis ingenij vir, sed gibbo deformis, Lotharingiæ inferioris Duces, Henrico II. III. & IIII. Romanorum Imperatoribus AAA. gratissimi ac amicitia coniunctissimi. Horum temporibus Marchionatum Antuerpiensem in nonnullis veteribus monumentis reperitur, prętet alia loca, vniuersam quoq; Vauriensem syluam (vulgò Wauerwald tunc dictam) complexam fuisse, quæ illa ætate ab Heyst, non incelebri Brabanticæ Campaniæ pago, adusque Bafrodium, infra Tenetamundam ad Scaldim situm, & supra vtrumque Nitham, rum & Diliam extendebatur, Rumestam ac Mechliniam comprehendens. Ab istis autem Principibus originem ac vitæ incunabula sumpsit Gothefridus ille Magnus, Bullonij Comes, ex Itta nempe Gothefridi Gibbosi sorore natus, qui profectionem ad Hierosolymam suscipiens, feliciter etiam perfecit, &

Vrbe potitus, Rex eius coronatus; quam deinde firmauit, & sequacibus suis aliquot annis possidendam reliquit. Debent verò & Duces, Reges, & Imperatores alij non pauci generis sui primordia Sacri Imperij & huius vrbis Marchionibus, nempe ex Gothefrido Barbato Brabantiæ Duce maternum genus agnoscentes: veluti Ioannes Burgundiæ Dux, ex Ludouici Flandriæ Comitis filia procreatus, quæ auum habuit Ioannem Brabantię Ducem, ex Gothefrido illo, intermediis tamen aliquot, progenitum. Ioannis filius Philippus fuit Bonus; nepos verò ex Philippo Carolus Audax, filiam cuius vnicam Maximilianus primus Romanorum Imperator vxorem habuit. Ex qua deinde multi Duces, Reges, Imperatoresque potentissimi prodierunt, quos nostra vidit & agnouit ætas.

Cùm igitur tanti Principes, Duces, Reges, ac Imperatores Sacri Imperij ac huius Vrbis Marchionibus vitæ suæ initia ac primordia accepta referant, non poterit non iste Marchionatus & Vrbs hæc reliquis & nobilitate & dignitate potior haberi, quæ alioqui magnificentia, mercatu, opulentia, splendore, alias ciuitates superat ac longè antecellit. Hæc autem qualiacunque breuiter de huius Vrbis præstantia à nobis prolata, non in hoc scripta existimari debent, vt huic tantæ Vrbi gloriæ aliquid hinc accessurum speremus, sed ne vel studio vel officio defuisse videremur, & quorundam, si non plenè, aliquatenus tamen expectationi satisfieret.

Vestrarum nunc erit partium, AMPLISSIMI VIRI, nõ modò hęc, sed & Commentarios nostros de stirpibus, vobis inscriptos, grato benignoque animo suscipere, quos optamus tantam studiosis vtilitatem conferre posse, quantam hæc Vrbs rerum venalium copia ac varietate vniuerso orbi commoditatem præbet. Quam, Deum Optimum Maximum rogamus, vt feliciter florentem ac incolumem quàm diutissimè conseruet, ac simul, vt & consilia vestra ad sui nominis gloriam & honorem dirigat.

Antuerpiæ An. M. D. LXXXII.

IOHAN.

tt 2 REM-

REMB. DODONAEVS

LECTORI S.

INGENVVM ac liberale ſemper habitum fuit, amice Lector, agnoſcere quorum vel ſcriptis vel opera quis adiutus fuerit ac promouerit. Quam ob cauſam cùm nos in deſcribendis Stirpium hiſtoriæ Pemptadibus iſtis non modò plurimorum veterum, ſed & recentiorum noſtrique temporis ſcriptorum teſtimoniis vſi ſumus, nomina quoque omnium aſſcribenda putauimus, ex quorum videlicet monumentis ac poſteritati relictis ſcriptis nos profeciſſe & adiutos inficiari haud poſſumus. Adiecimus verò & horum ſimiliter nomina, (ſed tamen ſeorſim) ex quorum hortis nobis copioſa locupleſque ſubinde præſtita eſt ſtirpium multitudo, & coràm videndarum cognoſcendarumque copia & poteſtas facta: tum & eorum, qui etiam vel aridas & alia quædam ad nos, ſiue ex Italia, aut ex Germania, vel aliunde miſerunt. Vtriſque autem nos plurimum debere vti agnoſcimus, ita & non paucis locis teſtatum etiam eſſe voluimus. Icones autem plurimas quidem noſtra opera & cura iam olim delineatas fuiſſe facilè agnouerit, qui frumentorum, florum, & coronariarum, purgantiumque hiſtorias cum appendice prius habuerunt aut viderunt. His acceſſerunt non paucæ (præter nonnullas nouas & antè non editas) & me quidem procurante ſupra aliquot annos expreſſæ, quæ in vernaculis ac Gallicis de ſtirpium hiſtoria commentariis à Ioanne Loëo quondam editis extant: reliquæ partim ex Caroli Cluſij, ſed plures ex M. Lobelij obſeruationibus acceſſerunt. Quod quidem nobis ea de cauſa licuit, quòd omnes noſtras in ſuis obſeruationibus ipſe Lobelius inſeruerit: ſed tamen haud præter conſenſum & voluntatem noſtram, & ſub conditione, vt viciſſim ſua cura delineatas, mihi liceret, in meas Pemptades, quibus opus haberem, transferre. Non exiſtimauimus enim eaſdem (niſi fortè non ſatis rectè expreſſas) iterum depingendas, ac duplici ſumptu Chriſtophorum Plantinum typographum diligentiſſimum grauandum, qui olim noſtras de floribus, purgantibus, frumentiſque hiſtorias, ac deinde Caroli Cluſij & M. Lobelij obſeruationes ſuis typis in publicum dedit. Vale.

AVCTORES QVI IN ISTIS STIRPIVM PEMPTADIBVS CITANTVR.

ABSYRTVS *Hippiater.*
Actuarius.
Adamus Lonicerus.
Aetius.
Agrippa apud Aetium.
Alexander Benedictus.
Alexander Trallianus.
Aloisius Anguillara.
Anacreon Teius.
Andreas Lacuna.
Andreas Theuetus.
Angelus Palea.
Antonius Guanerius Papiensis
Antonius Mizaldus.
Antonius Musa Brasauolus.
Apollodorus apud Plinium.
Apuleius.
Archigenes apud Aetium.
apud Galenum.
Aristobulus apud Strab.
Aristomachus Atheniensis apud Plin.
Aristophanes.
Aristoteles.
Arnoldus Villanouanus.
Asaranius.
Asclepiades apud Gal.
Athenaus.
Auicenna.
Augerius Busbequius.
Aurelius Nemesianus.
Aelianus.
Aemilianus apud Athenaum.

BAPTISTA *Sardus.*
Bartholomeus ab vrbe veterum.
Benedictus Arias Montanus.
Benedictus Curtius Symphorianus
Bernardus Gordonius.
Berytius.
Bion Smyrneus.

CAROLVS *Clusius.*
Cassius Dionysius Vticensis.
Cato.
Catullus.
Chereas Atheniensis apud Plin.
Cicero.
Claudianus.
Clearchus Peripateticus apud Athenaum.
Codex Caesareus manuscriptus.
Conradus Gesnerus.
Cornelius Celsus.
Crateuas.
Crito apud Gal.

DAMOCRATES *apud Gal.*
Dauid Kyberus.
Demetrius Ixion.
Democritus in Geopon.
Didymus in Geopon.
Diocles apud Gal.
Diodorus Siculus.
Dionysius Halicarnassaeus.
Dionysius Iunior
Dioscorides
Diphilus Siphnius apud Athenaum.
Donatus.

ERASMVS *Roterodamus.*
Eratosthenes apud Strabonem.
Eros Iuliae.
Eumelus Hippiater.
Euricius Cordus.

FESTVS *Pompeius.*
Florentinus.

GALENVS.
Garcias ab Horta.
Garcias Lopius.
Glaucias apud Plin.
Guido de Cauliaco.
Guilhelmus Placentinus à Saliceta.
Guilhelmus Quacelbenus.
Guilhelmus Rondeletius.
Guilhelmus Turnerus.

HALI *Abbas.*
Hecataeus } *apud Athenaũ*
Hegesander } *apud Athenaũ*
Hellanicus } *apud Athenaũ*
Henricus Stephanus.
Hermolaus Barbarus.
Herodotus.
Hesychius.
Hesiodus.
Hierocles Hippiater.
Hieronymus Cardanus.
Hieronymus Fracastorius.
Hieronymus Heroldus.
Hieronymus Tragus.
Hippocrates Cous.
Hippocrates Hippiater.
Homerus.
Horatius.
Hugo Solerius.
Hyginus apud Plin.

IACOBVS *à Manliis.*
Iacobus Siluius.
Ianus Cornarius.
Ioannes Baptista Montanus.
Ioannes de Choul.
Ioannes Gorraeus.
Ioannes Guinterius Andernacus.
Ioannes Leo.
Ioannes Manardus.
Ioannes Mesues.
Ioannes Ruellius.
Ioannes Spiringus.
Iodocus VVillichius.
Iosephus belli Iudaici scriptor
Iosephus Scaliger.
Iuba Rex apud Plinium.
Iulius Pollux.
Iulius Solinus Polyhistor.
Iuuenalis.

LEONHARTVS *Fuchsius.*
Leontius in Geopon.
Lucas Chynus.
Lucianus.

MACER.
Mago apud Plin.
Marcellus Empiricus.
Marcellus Vergilius.
Martialis.
Mussurius apud Plinium.
Mathias Lobelius.
Matthaeus Syluaticus.
Matron Parodus apud Athenaum.
Melchior Guilandinus.
Menander.
Mnesitheus apud Gal.

NICANDER.
Nicandri interpres.

Nicander Colophonius.
Nicolaus Leonicenus
Nicolaus Monardis.
Nicolaus Myrepsus.
Nicolaus Nicolus.

OCTAVIVS *Horatianus.*
Olaus Magnus.
Onesicritus apud Strab.
Oribasius.
Orpheus apud Plin.
Ouidius.

PALLADIVS.
Pandecta Iuris.
Paulus Aegineta.
Pausanias.
Pelagonius.
Petrus Andreas Matthiolus.
Petrus Bellonius.
Petrus Crescentius.
Petri Hispani thesaurus pauperum.
Petrus Pena.
Philostratus.
Philotimus.
Platearius.

Plato.
Plautus.
Plinius Secundus.
Plinius Valerianus.
Plutarchus.
Posidonius
Prudentius.
Psalmorum interpres.
Pseusippus apud Athenaum.
Ptolomaus.
Pythagoras.

Q. *Serenus Sammonicus.*
Quintily in Geopon.

RHASIS.

SCRIBONIVS *Largus.*
Seleucus apud Athenaum.
Serapio.
Seruius Virgily interpres.
Simeon Zethy
Simon Ianuensis.
Sophocles.
Soranus apud Gal.
Sotion in Geopon.
Strabo.

Strabus Gallus.
Sura Manilius.

TARENTINVS *in Geopon.*
Terentius.
Theocritus Syracusius.
Theodorus Gaza.
Theophrastus.
Theophrastus Paracelsus.
Thomas Iordanus.
Tibullus.
Timachidas apud Athenaum.
Titus Calphurnius.

VALERIVS *Cordus.*
Varro.
Vegetius Renatus.
Verrius.
Vitruuius.
Vlysses Aldrouandus.

XENOCRATES.
Xenophon.

YSAAC.

ZOROASTER.

NOMI-

NOMINA EORVM EX QVORVM HORTIS STIRPIVM COPIA FACTA EST, ET A QVIBVS aliunde quædam accesserunt.

IOANNES Branchion vir generosus, ex cuius ditissimo horto locuples stirpium suppeditata est varietas.
Ioannes Dilfius vir similiter generosus, stirpium D. Branchion hæres.
Ioannes Boisotus, vir non minus doctus quàm generosus, stirpium herbarumque studiosissimus.
Christina Bertolsia vidua ampliss. ac clariss. I. C. Ioachimi Hopperi.
Ioannes Vreccomius Bruxellensis, herbarum suo tempore cultor diligentiss.
Martinus Tulemannus Traiectensis, in quęrẽdis stirpibus sedulus ac diligens.
Petrus Coldenbergius, Gulielmus Andreas } diligentes Pharmacopœi Antuerpienses.
Georgius Rhetius, Raphaël Coxia } ciues Mechlinienses.

IACOBVS Antonius Cortusus patritius Patauinus.
Alphonsus Pancius Ill.^mi Ferrariensis Ducis Medicus.
Seuerinus Gobelius Regis Daniæ Medicus.
Georgius Marius Ill.^mi Principis Electoris Palatini Medicus.
Ioannes Ayckholtzius Medicinæ professor Viennensis.
Gaspar Hoffmannus in Academia Francofordiana ad Oderam Medicus.
Adamus à Zaschsslauw ciuis Glasensis.
Achilles Cromerus Nissensis.

REM-

REMBERTI DODONAEI STIRPIVM HISTORIÆ

PEMPTADIS PRIMÆ

LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.

INTER *Medicinæ partes, quæ haud paucæ existunt, stirpium ac simplicis Medicinæ notitia, vt nec minima nec postrema, sic præcipua semper habita fuit: vtpote antiquissima, quæq; ipsi artis originem contulit, ac exordium præbuit. Cùm enim adhuc nulla ars Medica esset, à notitia nonnullarum stirpium initium sumpsit. quas veteres illi Heroes, quibus artis inuentio asscribitur, vel casu aliquo monstrante, vel alio modo cognouerunt, & deinde frequentibus experimentis ad curationes variorum morborum adhibuerunt, ac vtiles obseruarunt. Reliquæ artis partes pòst natæ sunt. quæ tametsi Medicum aptiorem & perfectiorem reddant, à nonnullis tamen quædam neglectæ, vel etiam contemptæ sunt.*

Physiologicen siquidem plerig; non necessariam existimant, qui videlicet, ex solis vsu & experientia obseruatis, artem constitui iudicant: quos ἐμπειρικοὺς nominant. Nonnulli tametsi Physiologicen in totum non reiiciant, non omnes tamen eius partes recipiunt. Anatomicen enim plerig; tam paruì faciunt, vt veluti crudelem & fœdam damnent. Pulsuum doctrinam multi veterum neglexerunt, neque de hac Hippocrates nisi paucissima memoriæ prodidisse legitur.

Nullorum autem extat memoria, qui non stirpium herbarumq; notitiam plurimi fecerint. quam nec barbarissimæ gentes contemnunt, herbas aliaq; similia simplicia quædam in auxilium vulnerum & morborum cognoscentes.

Tanti verò semper apud veteres stirpium herbarumq; cognitio æstimata, vt vel Diis immortalibus inuentionem earum asscripserint, vel mortales, qui aliquas adinuenerunt ac monstrarunt, diuinis honoribus dignos iudicauerint.

Molyos herbæ cognitio Mercurio asscribitur, quam Vlyssi aduersus Circes venefìcia ostendisse Homerus refert. Huius & Mercurialis herba inuentum, nomen ab ipso retinens. Apollo multas quoque mortalibus communicasse dicitur: atque idcirco huic Medicinæ inuentionem Ouidius tribuit. Panaces appellatæ Aesculapio ac Herculi acceptæ habentur. Nymphæa à Nympha, quæ prima hanc ostendit, nomen habere fertur. Chiron autem Centaurus & Achilles, quibus diuini honores tribuerentur, digni æstimati sunt: propter eas quas variis modis vtiles, ab ipsis appellationem sortitas herbas, primi adinuenerunt: vt sunt Panaces Chironium, ac Centaurium vtrumque, tum & Achillea, quâ sanitati Telephum restituisse Achilles ab Homero canitur.

Coluerunt verò harum notitiam non modo Heroes isti, aut soli post eos Medici, verùm & Regibus ac Principibus herbas cognoscere curæ fuit veluti Gentio Illyriorum, Lysimacho Macedonum, Attalo Pergami, Iubæ Mauritaniæ Regibus; Artemisiæ Mausoli Cariæ Regis coniugi, item & Mithridati Ponti ac Bithyniæ Regi, à quo non modo Scordium repertum, sed & ab ipso nomen habens celeberrima Antidotus, apud veteres omnes Medicos Græcos, Latinos, Arabes semper in pretio habita, & apud posteritatem vbig; frequentissimi vsus.

Medicorum autem veterum nemo fuit, qui non & stirpium ac simplicis medicinæ notitiam sibi comparare studuerit, si non omnium, earum saltem, quas ad medicationes adhibuerunt.

Neque opus est vniuersam illam veterum Medicorum turbam huc testes aduocare, quorum subinde Galenus meminit. Abundè siquidem constat, hos, vt nulla Pharmacopœorum opera vsos, sic & suis ac discipulorum manibus medicamenta parasse, commiscuisse, ac ægrotis propinasse. quæ citra cognitionem stirpium simpliciumq; præstare non potuerunt. Hippocratem verò Medicinæ principem similiter quoque fecisse, vel vna ad Crateuam epistola satis manifestè ostendit.

Atque hinc est, quòd Galenus omnes Medicos artisq; studiosos ad stirpium cognitionem adhortetur. Medicus, inquit lib. I. *de Antidotis, omnium stirpium, si fieri potest, peritiam habeat, consulo, sin minus, plurium saltem, quibus frequenter vtimur.*

Rationes autem, cur Medicos ad stirpium notitiam comparandam admoneat, præcipuas quidem duas habet, locis tamen separatis. Vna lib. VII. *cap.* II *de Pharmacorum compositione secundum locos reperitur: altera lib.* III *de medicamentis secundum genera.*

Prior ratio est, vt compositi alicuius facultatem, & ex quo ordine medicamentorum sit, cogno-

scere Medicus queat, quod citra simplicium exactam cognitionem impossibile affirmat. Quod enim, ut, circa simplicium pharmacorum tractatum esse praeexercitatum oporteat eum, qui dicenda assequi velit, sæpè à me dictum est. Citra enim singulorum simplicium exquisitam ac certam notitiam, impossibile est cognoscere, ex quo ordine eiusdem generis medicamentorum compositum sit, Num ex mollissimo, an vehementissimo, aut medio, aut alio aliquo inter hunc & alios intermedio.

Altera vero ratio est, ne per ignorantiam patiantur sibi medici a Rhopopolis imponi. vos ergo, inquit, amici admoneo, ut in hoc quoque me sequamini, si artis opera pulchrè obire velitis. Nouistis etenim quomodo ex omni natione præstantissima quotannis medicamenta mihi adferantur, eò quod perditi illi omnigenarum rerum coemptores (Græci ῥωποπώλας vocãt) varijs modis ea contaminant. Præstiterat autem non solùm hos, sed multo magis etiam mercatores, qui illa aduehunt, incusare: atque his multo magis ipsos herbarios: item nihilominus eos, qui radicum liquores, succos, fructus, flores, & germina ex montibus in vrbes conferunt. Hi siquidem primi dolum in eis exercent. Quisquis igitur auxiliorum vndique copiam habere volet, omnis materiæ stirpium, animalium, & metallorum, tum & aliorum terrestrium corporum, quæ ad Medicinæ vsus ducimus, expertus esto, vt ex eis & exacta & nota cognoscat.

Et tales quidem Galeni rationes si vnquam, nostro certè seculo vel maximè locum habent: quo adeo neglecta hæc Medicinæ pars iacuit, vt ad imperitos homines & mulieres, herbarum collectores, relegata fuerit, nec ad Medicos pertinere existimata. Quod non absque magno Medicorum dedecore, & ægrotantium summa accidit iniuria. Qua ratione enim, quis se artificem profiteri poterit, si artis suæ instrumenta haud cognouerit? Medicina ex artium est numero: verus Medicus artifex quoque est. Absque instrumentis nulla absoluitur aut consistit ars.

Artis medicæ instrumenta, plurima parte sunt simplicia medicamenta à stirpibus sumpta, eius videlicet quæ Pharmaceutice dicitur. Chirurgices siquidem manus & machinæ quædam instrumenta sunt; nec tamen à medicamentis aliena hæc est. Medicamenta autem simplicia sunt, aut ex simplicibus componuntur. Si igitur simplicia medicamenta & stirpes non nouerit Medicus, qua ratione ægrotantibus rectè poterit consulere? At Pharmacopæos (respondent) hæc ætas habet, quibus veteres caruerunt. An ergo vniuersa ægrotantis salus Pharmacopæo credenda? Quid si imperitus, nec ei cura sit, vel simplicia cognoscere, vel ex optimis & genuinis rectè componere, Medicus cõniuebitne? patietur pro salutaribus noxia, pro calidis frigida, & econuersò pro frigidis calida, pro recentibus exoleta, & situ corrupta assumi? Conniuere eum oportebit, qui cognitionis simplicis materiæ medicæ rudis ac imperitus, errores & imposturas deprehendere nequiuerit. Quid interim misero ægroto? Medicus salutem promittit: experientiam suam commendat: ægrotus sperat: dicto audiens est pharmacopæus, vel imperitus, vel infidus omnia perturbat.

Sit pro exemplo Electarium Diamargariton calidum ab Auicenna descriptum Canonis tertij, fen XXI tract. II cap. II vterum gestantibus conueniens, in cuius compositionem Seitaragi Arabibus dictum, venit admiscendum. Huius autem loco indocti Pharmacopæi Turbith appellatum accipiunt radicem valdè purgantem, & corpus insigniter commouentem. ita salutare medicamentum in noxium commutant. Quis hic venit culpandus? cui imputandus error? Pharmacopæone an Medico? Pharmocopæus fortassis se alicuius Medici auctoritate tuebitur: culpa idcirco in Medicum recidit imperitum, & simplicis materiæ medicæ ignarum. Si etenim sciret Seitaragi lignosum quoddam esse, tenue, garyophyllis simile (qualia sunt lignosa sarmenta quæ cum garyophyllis inferuntur) vt Auicenna testatur. nec Hali Abbas repugnat, haudquaquam Turbith eius loco substitui permisisset.

Similis error in Lycio. Præscribuntur à Medicis glandes ex Lycio factæ (Lycinia appellant) imponendæ ano si quando Tinesmus vehemẽtius vrget. ab his vero contingit non rarò amplius irritari malum, quod pro Lycio succo adstringente, Pharmacopæi substituant Periclymeni (Caprifolium vulgò vocant) fructuum succum acrem & mordacem. Si medicis curæ fuisset Caprifolij facultates vel gustu cognoscere, citò errorem deprehendissent. sed tanta fuit supinitas, tanta negligentia, tantus notitiæ simplicis materiæ medicæ ac stirpium contemptus, vt omnis Pharmacopæo cura relicta sit.

Memini me in Officinis videre formulas quasdam vnguentorum, quibus addendus erat Cyclamini succus. quo cùm scirem Pharmacopæos carere, percontanti vbi hunc nacti essent, mox Pyrolam ostenderunt, quam pro Cyclamino habebant. Et tales quidem in nonnullis Officinis frequenter errores occurrunt.

Non lubet autem hic referre, quàm multis modis imposturas ac fraudes moliantur: vel dum compositiones ex vetustate exoletis aut situ corruptis parant: aut easdem deprauãt, quædam omittentes, alia addentes. vel cùm spuria, factitia, adulterataq́ pro legitimis exquisitisq́ venum exponunt. veluti pro Aloe, aes Zoi succum cum sordibus aloes decoctum: pro Rha, radicem quandam croco tinctam. acerbi cuiusdam fructus expressum & liquidum succum, Anchusæ radice coloratum,

tum, pro vino siue succo Granatorum acidorum: & alia plura, quæ non tantum Pharmacopœi, sed & Rhopopolæ, tum vitiare, corrumpere, contaminare, tum & comminisci, ac fingere didicerunt: adulterina & factitia pro legitimis, imprudentibus ac imperitis obtrudentes.

Proinde Medicum vel maximè sollicitum esse decet, vt simplicis materiæ medicæ ac stirpiũ notitiam sibi paret, ne videlicet à Rhopopolis aut Pharmacopœis ipsi imponatur. Deinde, vt, si fieri poterit, ab externis abstineat, domi vero natis vtatur, quæ & paratu facilia sunt, & adulterari aut contaminari facile nequeunt. Hæc siquidem ex illorũ exacta cognitione & notitia cõsequetur.

Laudandus idcirco omniũ est conatus ac studium, quotquot, in illustranda, ac in lucẽ, veluti ab inferis, reuocanda, hac Medicinæ parte, operã suam ac diligentiã contulerunt, & modò conferunt. Quòd si veritatẽ aliquando minus assecuti fuerint, nõ acriter insectandi aut reprehendendi sunt (vt pleriq. contentiosi solent) sed dissimulato illorũ, quantũ licet, errore, veritas ostẽdenda ac docenda, quæ ad errores redarguendos sola sufficit. Quòd si verò talis sit error, vt dissimulari omnino nequeat, modestè corripiendus est. nã errare & hallucinari si alicubi contingit, in hoc certè stirpium cognitionis studio maximè procliue est, tum propter neglectam & multo tempore cõsopitam hanc doctrinã: tum propter veterũ breuitatẽ, qui multarum stirpium (vtpote tũc vulgò notissimarum) formas nõ expresserunt, vel ita obiter descripserunt, vt neglexisse videantur. Quam ob causam haud mirũ, si, qui primi simplicis medicinæ stirpiumq́; peritiam in lucem reuocare laborãrũt, nõ mox, statim, & vbiq. veritatẽ attigerint, & alicubi hæsitarint, vel iudicio lapsi fuerint. Neq. illorum idcirco conatus reprobandi, nec laude sua, vt diximus, ipsi frustrari debent. Multa certè his gratia debetur, quòd multorũ excitarint ingenia, qui antecessorum opera & inuentis adiuti, certius & verius aliquid definire potuerunt.

Exercuimus autẽ & nos in hoc studij genere, quando iuuenilis ferebat ætas, & per artis medicæ exercitium licuit. non tamen eo animo, vt de scripti alicuius editione cogitaremus, sed cognoscendæ tãtummodo simplicis medicinæ studio prouocati. Neq. ad scribendũ vnquam animum appulissem, nisi Iohannes Loeus Antuerpiensis typographus, quo familiari vtebar amico, à me impetrasset, vt vernacula dialecta stirpiũ carũ historiã prosequerer, quæ in cognitionẽ meã venissent. Hæc verò postea aucta & recognita, secũdo edita est. Prodierũt eodẽ ferè tẽpore icones additis nominibus & breuibus annotationibus. Atq. sic studiosis satisfactum speraueram: sed nõ defuerũt interpellatores, qui crebrius admonerent, vt vulgò scripta studiosis non inuiderem, ac Latinè publicarem.

Optaui autem sæpè ocium concedi, sed illud quàm exiguum contigerit in artis exercitio versanti, facilè agnoscit, qui quantum curarum, molestiarum, ac laborum Praxis secum ducat, expendit: Omitto patriæ domesticas & miseras calamitates, quæ tamen & studia nostra interturbare potuerunt. His de causis ad operis editionem serius accessi, & non nisi partes quasdam hactenus edidi, quæ in hoc opere aucta, recognita, & locupletata extant.

Stirpium autẽ historiã meditanti, de ordine non exigua accessit sollicitudo. Nam quẽadmodum artes omnes ac sciẽtiæ, si methodico aliquo ordine describãtur, non exiguũ ornatus ac lucis inde referunt. Sic & stirpium historia ab hoc plurimum gratiæ ac decoris accedere posse haud dubium.

Cùm autem veteres, qui de stirpibus scripserunt, non eandem methodum obseruent, nobis ea maximè placuit, quam Dioscorides instituit.

Theophrastus siquidẽ dum differẽtias caudicum, lignorum, corticum, radicum, medullarum, foliorum, florum, siliquarum, fructuum, seminum, succorum, & similiũ expendit, membra ita separat ac seiungit, vt vnius alicuius stirpis forma, non nisi è pluribus, & subinde separatis locis, colligi ac haberi queat: Quod stirpium studiosis non parum tædij ac molestiæ adfert.

Galeni autem ordo, quem Oribasius, Aetius, Paulus Aegineta, Græci, & Auicenna Arabs imitantur, facilior ac expeditior apparet stirpibus scilicet elementorum ordine digestis. sed dum hoc modo congeneres separantur, ac ab inuicem diuelluntur; differentes verò non modo forma, sed & viribus dissimiles coniunguntur, haud exquisitus esse potest.

Dioscorides verò stirpes membratim non diuidit, & consimiles coniungere laborauit. Huius exemplum & nos imitari studuimus, instituto quidem, sed non ordine vbique eius obseruato. Multæ siquidem cùm à nobis describantur, quas Dioscoridis ætas ignorauit, plures nobis classes constituendæ occurrerunt, & subinde aliæ, quam sint illius.

Dedimus autem operam, vt quæ, vel facultate, vel parte aliqua præcipui vsus similes sunt, coniungerentur, tum & ne forma figuraq́; respondentes, quantum foret possibile, ab inuicem diuellerentur: vt in ipsius historiæ progressu satis manifestum.

Sed priusquam ad ipsarum stirpium historias, id est, descriptiones, nomina, facultates, & quæ reliqua sunt, veniamus, operæpretium fuerit, primùm in genera quædam stirpes ipsas distinguere: partes deinde singularum explicare: facultatum postea differentias proponere, & quibus modis hæ cognosci queant docere. Quibus rectè præmissis & explicatis, singularum historias minus difficile erit prosequi.

Capvt I.

Arbor. PRIMA autem ac summa stirpium genera quatuor sunt: Δένδρον, θαμνὸς, φρύγανον, καὶ πόα Arbor, Frutex, Suffrutex, & herba.

Arbor siue Δένδρον dicitur, quicquid mox à radice, crasso, lignoso, vnico caudice siue trunco (μονοστέλεχες vocant) assurgit, ramisque compluribus brachiorum instar diffunditur, vt sunt Pinus, Picea, Abies, Quercus, Fagus, Betula, Alnus, Fraxinus, Platanus, Populus vtraque, & ex vrbanis Pomus, Pyrus, Castanea, Amygdalus, Cerasus, Olea, Nux iuglans, & aliæ similes.

Frutex. Θαμνὸς siue frutex ad iustam arborum altitudinem non attollitur, nec crassitudinem harum aut amplitudinem assequitur, lignoso tamen caudice ac durabili quoque perennat. Hic verò haud perpetuò μονοστέλεχες, sed frequenter cõplures à radice caudices promit, in ramos quoque sparsos ac diuisos. vt sunt Corylus, Rhamnus, Oxyacantha, Ligustrum, virga sanguinea, Cornus syluestris, Sambucus palustris. Plinius lib. XIIII. cap. XVI. è fruticum genere esse refert Laurum, Cupressum, Cedrum, Iuniperum, Terebinthum, Lentiscum.

φρύγανον. Φρύγανον, à radicibus πολυστέλεχες ac multis exiguis caudicibus, vel potius cauliculis exit, sed in altum haud assurgit: πολύκλαδον quoque ac ramosum est: mediam inter herbam ac fruticem naturam & consistentiam habet: quia lignosis cauliculis ad fruticum naturam accedit, quatenus verò humile, herbas imitatur, vt sunt Spartum, Rubus, Rosmarinus coronaria, lauandula, hedera, & quicquid lignoso caudice vel caule, aut humile serpit, aut non admodum attollitur. Gaza Latinè Suffruticem appellat. Cremium Sunt qui Cremium dici affirment, sed Columella lib. XII. cap. IX rusticos Cremia dicit, nominare surculos aridos & minutos. Pro arido aliquo etiam interpres Psal. hac voce vtitur: Et ossa mea sicut cremium aruerunt: Psalmo CI. vbi tamen in Græcis legitur φρύγιον, non φρύγανον. Φρύγιον autem dicitur siccum & aridum.

πόα herba. πόα, apud Latinos herba. caules aut culmi huic sunt molles, haudquaquam lignosi: gignitur vero & absque caule, pediculos promens, in quibus flores semenque, à radice autem magna ex parte foliata; vt sunt Plantago, Borrago, Brassica, Beta, Triticum, secale, Faselus, Eruilia, Cicer & olera, frumenta, & legumina alia, ac plures & infinitæ herbæ.

Atque his quatuor veluti summis generum fastigiis, omnes comprehendi posse stirpes videntur. Contingit autem quãdoque ex his nonnullas vel culturæ mangonio vel negligentia & incuria colentium: vel alias suapte natura ac spontè, à figura sua desciscere, & ad aliud genus quodammodo transire. Inter Maluas siquidem, quædam senis septenisve mensibus tanta longitudine ac crassitudine proficit, vt instar hastæ cuiusdam grandescat, arborescensque baculorum vsum præbeat. Similiter & Betam subinde ampliorem magnitudinem accipere Theophrastus lib. I. refert. vbi eiusmodi olera δενδρολάχανα, Gaza Olerarbores, vocat. sic & malua grandior facta δενδρομαλάχη dicitur. Transit etiam in arborem in quibusdam regionibus Ricinus, alibi annua stirps. Eodem modo & Frutices nonnulli in acbores transeunt: vt Vitex & Paliurus, actore Theophrasto. Et vice versa, arbores nisi purgentur & cultu reuocentur, à natura & forma sua recedunt, & ex arboribus in frutices degenerant: id fruticate acbores appellant.

Nonnullæ quandoque etiam herbæ ad fruticum vel φρυγανῶν similitudinem accedunt, quas subinde θάμνους, θαμνίσκους, θαμνοειδῆς θάμνια, καὶ φρυγανοειδῆς Dioscorides appellat: quæ videlicet vel vnicaules, vel alias duriusculis cauliculis assurgunt. Saluia, Androsæmon, Polygonaton, Hyoscyamus, Dorycnion, Rhododendron &c. θάμνοι dicuntur. Botrys herba θαμνοειδὴς, & similiter Crithamum. Melanthium verò, Chamædrys, Ambrosia, Periclymenum, Tragus, Paronychia, Solanum hortense, Astragalus, θαμνίσκοι nominantur. Polygonon femina θαμνίον. Polycnemon θάμνος φρυγανοειδὴς. Clinopodium θαμνίον φρυγανοειδὲς. Eupatorium πόα φρυγανοειδὴς. Alysson autem φρυγάνιον.

De Partibus stirpium. Cap. II.

DIFFERENTIAS stirpium superiore capite ostendimus, nunc ad partium explicationem conuertimur. Sunt autem arboribus & fruticibus partes quidem plurimæ: pauciores φρυγάνοις: nonnullis verò herbis paucissimæ.

Harum autem quædam perpetuò suis adsunt stirpibus: aliæ non semper adhærent, sed subinde pereunt ac decidunt: quas idcirco nõnulli partes esse pernegãt: alij annuas appellant.

Perpe-

Perpetuæ partes sunt, radices, caudices, rami, cortices, ligni materies, matrix, medulla, &c. Annuę verò & nec perpetuò præsentes, flores, calyces, iuli, fructus, semina, capitula, siliquę, valuulæ, inuolucra, vmbellæ, pappi, & multis folia etiam, sed non omnibus tamen.

Folia siquidem arbores multæ, & non pauci frutices, deponunt, non desunt verò etiam perpetua fronde virentes vt omnes coniferæ (excepta Larice) Terebinthus, Lentiscus, Taxus, Cupressus, Malus medica, Laurus, Tinus, Agrifolium, Rosmarinus, Nerion, Myrti genera, &c.

Radix. Radix siue ῥίζα, tam in arbore quàm in alia quauis stirpe appellatur inferior pars, qua terrę inseritur, atque ei cohæret, & per quam alimentum allicitur. Omnibus autem stirpibus hæc communis est, exceptis paucissimis, quæ absque radicibus viuunt, & augentur: veluti Cassytha, Viscum, & quod Hypheat dicitur, fungi arborum, muscorum & fucorum genera, quæ inter φυτὰ numerari tamen contingit.

Caudex. Caulis. Caudex in arboribus quidem ac fruticibus, quod à radice supra terram assurgit, & per quem alimentum sursum defertur, qui in herbis Caulis & Cauliculus dicitur. herbarum siquidem caulis proprius est, caudex verò ad arbores & frutices duntaxat pertinet.

Stolones. Stolones appellantur, qui iuxta arborum & fruticum caudices erumpunt, luxuriantes videlicet soboles, & inutiles e radicibus fruticationes, quæ tamen euulsæ & plantatæ subinde adolescunt.

Truncus. Truncus caudicis pars inferior est radici vicinior, siue quæ truncatis ramis superest.

Rami. Rami, qui à caudice aut caule fissi multiplices sparguntur: suntque ipsarum arborum quædam veluti brachia, quibus sese latè diffundunt, & in omnem partem expandunt. Vnde & Virgilius: *Tum fortes latè ramos, & brachia tendens.* Constant autem caudices, trunci, rami, ac radices arborum, cortice, ligno, & medulla, quæ & matrix dicitur.

Cortex. Cortex pars extima est & vltima, à subiecto corpore separabilis, quo caudices, caules, arborum rami, & radices conuestiuntur, ac veluti membrana, operculo, ac crusta integuntur.

Est autem hic subinde vnicus nonnullis duplex.

Vnicus qui crassior, ex dissimilaribus partibus frequenter componitur. exterior pars aspera, inæqualis & non rarò rimosa: altera læuis & æqualis. Hæc tunica à tuendo, & propriè liber dicitur: quibus scribimus libris, nomen hic dedit.

Duplici cortice conteguntur Sambucus, Frangula, & pleræque aliæ.

Lignum. Alburnum. Lignum, interior pars, cortice circundata, fissilis, ac dura; veluti corpus aut caro arborum & fruticum. Huius exterior & cortici vicinior pars, mollior, ac albidior, Alburnum à quibusdam dicitur: facile hæc putrescit, & teredinibus crebrò obnoxia est.

Pectines. Pectines siue κτηδόνες, lineæ sunt secundum longitudinem in arborum materia, per quas & findi & vnitas dissolui potest, quæ Interualla etiam dicuntur.

Matrix. Matrix quod in medio ligni est, à nonnullis Cor & medulla dicitur.

Medulla. Medulla quoque est, quod in medio ligni fungosum, veluti sambuci medulla.

Cauliculi. Coliculi. Caules herbarum, si exigui, Cauliculi aut Coliculi dicuntur, quandoque & Scapi aut Culmi, vt fabarum scapus, frumentorum & arundinum culmi.

Folium. Folium in quauis stirpe, quod ipsam vestit atque exornat. Græci φύλλον dicunt, quo spoliatæ arbores aut reliquæ stirpes quodammodo nudę apparent.

Flos. Flos, ἄνθος, arborum & herbarum gaudium dicitur, futurique fructus spes est. vnaquęque etenim stirps pro natura sua, post florẽ, partus ac fructus gignit. Floribus autẽ suę sunt partes.

Calyx. Calyx est, quo primum flos continetur, deinde mox fœtus clauditur.

Stamina. Stamina, quæ veluti filamenta ab intimo floris sinu e calyce erumpunt.

Apices. Apices, crassiuscula quædam in summo staminum dependentia.

Vngues. Vngues, veluti in rosis & aliis foliatis floribus, intelliguntur imæ foliorum partes, quibus calyci cohærent, decolores magna ex parte, idcirco medicinæ damnatæ.

Iulus. Iulus, quod rotunda & oblonga specie dependens floris loco est; veluti in Iuglande, Corylo, Moro, Fago, & aliis.

Fructus. Fructus, siue καρπὸς, in quo semen progignitur: non rarò verò & ipsum semen, vbi videlicet nulli alteri inclusum, nudum nascitur.

Caput. Caput, κεφαλὴ, quicquid in globum extuberat, aut in orbem glomeratur.

Capitulum. Capitulum, κεφάλιον, quod minus, & magnitudine cedit, vt papaueris κώδεια siue capitula, in quibus semen gignitur.

Siliqua. Siliqua, κεράτιον, tegumentum oblongum, quo vel leguminum grana, vel herbarum semina continentur. huc pertinent, folliculus, cuiuslibet rei theca, valuuli siue valuulę, vascula, loculamenta, à loculis nomen habentia, quæ si spinarum agmine marinum echinũ referant, Echini & Echinata dicuntur,

Vmbella. Vmbella, σκιάδιον, quæ in cauliculorum fastigiis exorta in plures pediculos digeritur. qui simul in latitudinem expansi, in orbem circumaguntur, & flores seminaque proferunt.

Muscariū. Muscarium hæc eadem dicitur à flabri similitudine, cuius ventilatu muscæ à conuiuiis arcentur ac abiguntur.

Pappus. Pappus lanosus villus, qui deflorescentibus aliquot herbis remanet, quibus semen subest.

De facultatibus stirpium. Cap. III.

FACVLTATES stirpium, de quibus nobis institutus sermo, non illæ sunt, quibus viuunt, virent, vegetantur, & in omnem dimensionem crescunt, flores, fructus, seminaque perficiunt: sed illæ, quibus actiones suas, & quidem in humano corpore, exercent.

Sunt autem hæ duplices. Quædam enim humanum corpus, aut vnam eius aliquam partem alterant ac permutant: aliæ verò alimentum præbent, ad nutricationem faciunt, & substantiam corporis augent. Huiuscemodi facultatibus stirpes, vel earum partes præditæ, tum & alia quęcunque, alimenta sunt & dicuntur. Sed quæ corpus alterant, ac victoriæ aliquo modo superant, ad medicamentorum materiam pertinent.

Harum auté facultatú, quędá actu siue ἐνεργείᾳ aliæ potentia siue δυνάμει, id est, potestate.

Actu. Actu quidem, quod in præsens tale est, quale dicitur, nec tempore indiget vt tale fiat: vt, aqua humida: ignis calidus.

Potestate. Potestate verò dicitur, quod tale nondum est, sed tale esse potest.

Perfectum namque, vt Galenus ait, quod ἐνεργείᾳ siue actu: quod verò potestate imperfectum & adhuc futurum, atq. vt fiat id quod dicitur ve[illegible] habile, non tamé adhuc est. quemadmodú cú hominé recens natú rationalé dicimus & catellum nondum videntē venaticum.

Dicútur autéquę potestate, quędá quidé propriè siue propriissime: alia verò minus propriè.

Maximè verò propriè siue propriissime sola ea potestate dicuntur, in quibus natura suopte impetu ad absolutionem peruenit, si quidem nihil ei extrinsecus impedimento sit. Sic hominem modò natum, vt diximus, rationalem, & canem recens editum, venaticum appellamus, cùm tamen infans rationalis non sit, sed talis aliquando futurus: & canis venator, qui adhuc non videt, sed quod venari poterit, vbi adoleuerit.

Minus verò propriè potentia siue potestate sunt, quæ materiæ existunt conuenientes, vt id fiant vel tale, quod potestate esse feruntur.

Quarum quædam materiæ sunt admodum propinquæ, quas Galenus προσεχεῖς, id est, continentes siue continuas appellat, vt id fiant quod potestate sunt: Sic fumida exhalatio vicina flammæ, potentia flamma, & sanguis in animantium corporibus potestate caro, quòd non magnam mutationem, vt id fiat, requirat. Cibus verò qui in ventriculo concoctus habetur, carnis quidem materia est, sed non προσεχὴς siue continua, prius etenim vt id fiat, sanguis sit oportet. Longius verò etiam absunt Maza, panis, triticum, hordeum, & similia, quæ, vt caro fiant, plures mutationes requirunt. Sed tamen hæc quoque omnia potestate caro (vt Galenus testatur) dicuntur. Et talia quidem alimenta.

Quæ verò medicamenti vim obtinent, simili quoque quadam ratione, qua alimenta, potestate talia esse dicuntur: Neque enim suapte natura, aut sponte ad ἐνεργείαν, siue actum, perueniunt, sed mutatione opus habent, verùm non tanta, quanta quæ futura alimenta. Non enim eousque mutantur, vt in alimentum conuertantur, sed vt ad actum solummodò deducantur, & talia, qualia dicuntur, fiant, vt calida videlicet calfaciant, frigida refrigerent, caustica exulcerent, narcotica stupefaciant, & ita cętera, quæ à corpore humano, calidoque naturali præstantur.

Nec enim animantium corpora à medicamentis afficiuntur, nisi illa prius ab ipso sint mutata. Quòd enim talia actu sunt, à nobis accipiunt: veluti sicci calami, quòd accenduntur, ab igne. Itaque nec calfacere, nec refrigerare nos valent, priusquam actu talia fuerint. veluti nec ignis augetur, antequam ab eo ligna aut calami sint mutati. Sic nec mirum, si quæ excalfaciunt, calfieri prius à corpore nostro postulent.

Si etenim, exempli gratia, perfrigerato corpori calidum aliquod, quantumuis diligenter cōminutum, inspergatur, prorsus non calfacit. Proinde, inquit, Galenus, quæ refrigeratæ sunt partes, eiusmodi medicamentis perfricamus, calorem perfricando excitantes, & vnà, quod frigore fuit densum, rarum reddentes, quò scilicet introrsum pharmacum penetret, & cum naturali animantis calore coniunctum, mutetur ac calfiat.

Comminuenda autem in parua & tenuia medicamenta sunt, vt ad actum deducantur: Nam & ligna sicca quæ tenuiora, tum & quæcunque gracilia, faciliùs quàm crassiora ignem concipiunt. Idcirco & de facultatibus alicuius gustatu iudicium facturi, idipsum prius comminuunt aut dentibus atterunt.

De

De facultatum differentiis, & earum primis, harúmque ordinibus ac gradibus. CAP. IIII.

MEDICAMENTORVM autem facultates complures sunt. Quædam primæ sunt & dicuntur. aliæ secundæ, quæ ad has sequuntur: quibus iterum succedunt tertiæ: posteriores quartæ, quæ à prioribus non pendent, sed solis experimentis cognoscuntur.

Primæ facultates ab ipsis elementis nullius interuentu proueniunt, reliquarum idcirco facultatum veluti basis & fundamentum existunt; exceptis tamen quartis, quæ nō qualitatem aliquam manifestam, sed substantiæ potius formam consequuntur.

Primæ sunt, vt calfaciendi, refrigerandi, humectandi, resiccandi, & quæ per horum coniugationem nascuntur: calfaciendi & humectandi: calfaciendi & resiccandi: refrigerandi & humectandi. refrigerandi & resiccandi.

In harum medio facultas est temperata ac moderata, quæ ei, cui admouetur, temperatura respondet, sic vt nec excalfaciat, nec refrigeret, nec humectet, nec resiccet. Reliquæ ab excedente & præpollente qualitate appellantur, in quibus ratio maioris ac minoris excessus consideratur: Neque enim omnium eorum, quæ ad medicamentorum materiam referuntur, æquè intensæ sunt qualitates, Quædam enim mitius calfaciunt, refrigerant, humectant, aut resiccant: ista paulò amplius: alia multum: nonnulla plurimum.

Continentur autem istorum recessus certis quibusdam limitibus, quos ordines, τάξεις καὶ ἀποστάσεις Galenus etiam ἀριθμοὺς siue numeros: recentiores verò gradus appellant, qui omnino quatuor habentur.

Ad primum ordinem referuntur quæcunque à medio ac moderato tam exiguum declinant, vt non euidenter alterent, sed rationali quadam demonstratione indigent, qua alterare ostendantur: veluti Oleum rosaceum, quod eos, qui adustione tentantur, refrigerat, refrigeratos etiam offendit. vnde & magis refrigerare quam excalfacere apparet, sed tamen valida ab eo refrigeratio non percipitur, sed quæ proxima temperiei mediæ. Atque eodem iudicandum modo, de iis quæ à moderata temperie ad calidum, humidū, aut siccū declinarūt. 1.

Quæ verò manifestè ac euidenter siccare, humectare, calfacere, aut refrigerare possunt, nec demonstratione opus habent, ea secundo ordine censentur. 2.

Tertio autem annumerantur his potentiora, quæ vehementius, tamen non summè, qualitatem suam exercent. 3.

Ad quartum ordinem pertinent, calida quidem vehementer acria ac vrentia, qualia quæ exulcerant, & vesicas excitant, & crustas faciunt: frigida verò quæ stupefaciunt, ac sensu priuant, quæ maxime & longissimè à medio ac moderato recedunt. 4.

Siccum autem quarti ordinis nullum est inuenire, inquit Paulus Ægineta, medicamentum, si non vrat: Nam quod summè exsiccat, id planè vrit, vt Calchitis, Mysi, calx. Tertij verò ordinis siccantium potest aliquod esse etiam non vrens, quemadmodum quæ vehementer adstringunt omnia.

De Medicamentorum partium ac substantia essentia.

CAP. V.

DE partium ipsorum medicamentorum essentia operæpretium fuerit paucis agere, priusquam ad reliquarum facultatum explicationem pergamus. Citra enim huius cognitionem, secundæ ac tertiæ facultates definiri ac explicari nequeunt. Siquidem hæ non solas primas facultates, sed & partium essentiam consequuntur.

Partium autem essentia nonnullis tenuis contigit: aliis verò crassior. Hæc crassarum partium & παχυμερῆ: illa verò tenuis essentię, tenuium partium & λεπτομερῆ, appellantur.

Tenuium autem partium sunt, quæ facile in tenues ac minutulas partes diducuntur, sique celeriter in tenuia soluuntur.

Crassarum verò partium sunt, quæ facilè in tenuia solui non possunt, vt dura, solida, lenta, viscida; quarum substantia haud friabilis.

Galenus tenuissimarum partium aquam & aërem esse ostendit. Promptissimè siquidem, vt de simp. med. facul. lib. 1. cap. XIIII. refert, aqua per pilos & vestimenta profluit, partes habens diuisibiles, & quæ facilè in minutissimas distrahi possunt. Aer similiter, eodem auctore lib. 1. cap. XXIII. in tenuissimas partes cōminuitur, per corpora densissima exquisite penetrās.

Atque idcirco quæ tenuium sunt partium, aereæ essentiæ ac substantiæ participant. cuiusmodi odorata, quæ quatenus odorata, tenuis sunt substantiæ, vt Paulus Ægineta testatur: sed quæ crassarum partium, hæc terrestria sunt.

Quæcunque autem tenuium sunt partium, ea & facultatem suam liquori alicui, veluti

vino aut aquæ, facilè ac citò communicant: è contra, quæ crassarum partium difficulter admodum facultatem in liquorem deponunt.

Exempli gratia, piper, quod quidem crassarum est partium, exiguum aut nihil odoratum, facultatem suam penes se retinet, neque liquori communicat, ea propter & eius virtus circa ventriculum hæret, ad hepar vix aut non pertingit, vt Gal. lib. 1. de sanit. tuend. testatur.

Casia verò, quam vulgò Canellam & Cinamomum, tenuiorum est partium, multũ habẽs aëreæ essentiæ, odoratissima, vires facilè communicat, & in liquorem transfundit.

De secundis facultatibus. CAP. VI.

SECVNDÆ facultates primas nullius alterius interuentu consequuntur. Ad has autem referuntur, quę emolliunt, indurant: rarefaciunt, condensant: aperiunt, constipant: attrahunt, repellunt: abstergunt, expurgant, attenuant, illinunt, obstruunt, incrassant, dolorem sedant atque excitant.

Emollientia. Emollientia, μαλακτικὰ, sunt & dicuntur, quæ duros tumores & scirros molliunt.

His affinia sunt διαπυητικὰ siue ἐκπυητικὰ, quæ pus mouent: vtraque enim æqualem ac symmetrum calorem possident, atq; illi respondẽtem siccitatem, diuerso tamẽ vtraq. modo.

Pus mouentia. Pus mouentia simillimum corpori calidum producunt absque vlla humiditatis aut consumptione, aut adiectione.

Emollientia paulò maiorem, quàm pro natura, calorem accendunt, & nonnihil humiditatis contrahunt, quocirca illa quantitate quidem magis, quàm qualitate caloris agunt, quæ verò indurata emolliunt, qualitate potius. Emplasticum idcirco medicamentum est, quod exactè suppuratorium. Nam si substantiam caloris innati augere, non intendere qualitatem conueniat, poros corporis obstructos esse expedit.

Sunt vero & alia emollientia quę humiditatem consequuntur, omnia enim humida mollia sunt, si cum calore modico humida perseuerent. ob id sanguis mollis, quia consistentia liquidus. Fit autem humectatio, & ab ea mollitio, vel penitissimè in totam partem, veluti per nutritionem, quæ vera humectatio est: vel superficierenus, non per intimum, sed per spatia *Balneo.* rerum inania, qualis fit à balneo, vel fotu aquæ dulcis.

Indurantia. Indurantia, σκληρυντικὰ, propriè ea sunt, quæ citra caloris aut frigoris excessum resiccant: Nam & frigus quidem indurat, & calor nimius. Adipes & alia frigore condensantur: lutum vi caloris ignei in lapides conuertitur, sed hæc alio modo quàm resiccatione sola fiunt. Redditur autem durius sola resiccatione, quod aduentitio humore emollitum est: veluti in vlceribus humidior ac laxior caro, ad quam duriorem reddendam, exsiccantia conueniunt, à mordacitate, erosione, & alienis vehementibus qualitatibus aliena. Omne siquidem quod siccum, durum. Siccum autem bifariam siccat & indurat, alterando scilicet & sicciorem reddendo partium essentiam, quod propriè durum: aut humorem in poris ac spatiis contentum consumendo.

Est verò & durum repletione, veluti cùm vter aliquis nimium repletus distenditur, sed quod renitens & ἀντίτυπον, non durum Galenus appellat. Inter Indurantia idem lib. v. De simp. med. facult. etiam refert, quæ postea πυκνωτικὰ, id est, Condensantia appellat.

Durum. Durum autem dicitur, cui caro nostra temperata cedit.

Molle. Molle, quod eidem carni ac cuti cedit, si quidem corpus simplex fuerit: Quod enim ex pluribus constat, aut sese contingentibus, sicut tritici aceruus: aut inuicem implicatis, vt lana, pili, simul & cedere potest, nec tamen esse molle.

Rarefacientia. Rarefacientia, ἀραιωτικὰ, siue διαφορητικὰ, resoluentia, dicuntur, quæ cutis poros dilatant, & partium substantiam tenuiorem rarioremque reddunt. Modicè calida hæc natura sunt, & tenuium partium, ac quàm minimum resiccant, vt Chamæmelum, Althæa. Caliditas siquidem excedens non rarefacit, sed adurit, & per adustionem condensat & resiccat: Moderata caliditas vias aperit, & in profundum per substantiæ tenuitatem penetrat, ac dolores lenit.

Rarum. Rarum autẽ dicitur, cuius partes spatiis inanibus interceptæ sunt, vt spongia, pumex, &c.

Densum. E contrà verò densum est, cui nulla inania sunt spatia aut patentes pori, sed partes cõpactę.

Condensantia. Condensantia, πυκνωτικὰ, rarefacientibus contraria sunt, poros contrahunt, & rara humidaque incrassant, solidioraque reddunt. Talia existunt quæ refrigerant, non terrena tamen, nec aërea, sed aquea, & nihil aut exiguum omninò adstringunt. Debiliter enim hæc contrahunt & constringunt, nimirum propter mollitiem, vt Semperuiuum, portulaca, &c.

Aperientia. Aperientia, ἀναστομωτικὰ, vasorum oscula reserant, & aperiunt, crassiorum sunt partium, calida, acria, & mordacia, vt, Cyclaminus, allia, cæpe.

Constipantia. Constipantia, στεγνωτικὰ, quæ & Contrahentia, Occludentia, ac Constringentia dicuntur,

tur, oscula concludunt, & sensibiles excretiones cohibent, frigida sunt, crassatumque partium, & quidem citra acrimoniam: vt, bolus armenia, & terrenorum corporum complura. Quæ etenim valenter constipare & constringere debent, robur quoddam renitens ac durius habeant oportet, quod crassa & terrestris substantia confert.

Attrahentia, ἑλκτικὰ, ἐπισπαστικὰ, ex alto succos euocant & extrahunt, calida sunt & tenuium partium. *Attrahentia.* Attrahit siquidem calidum, & quidem quod coniunctam habet partium tenuem essentiam vehementius. Moderate autem attrahunt calida & sicca secundo ordine: potentius quæ tertij sunt ordinis: maximè verò quæ quarto ordine calida, pro ratione enim caloris fit attractio. Est autem attrahentium duplex materia, auctore Galeno, vna αὐτοφυὴς, hoc est, spontè nata, siue quæ talis ex seipsa est, altera verò ex putredine arescente generationem sortita. Sponte nata, vt Dictamni essentia, Thapsiæ, Sagapeni, &c. Ex putrefactione, qualis est fermenti & nonnullorum fimorum essentia, vt fimi columbini, non tamen omnium. Sunt verò & attrahentia quædam, quæ à totius essentiæ similitudine, non a qualitate manifesta: talia sunt omnia purgantia medicamenta, & quædam alexiteria, quæ ad medicamenta pertinent, ad quartas facultates relata.

Repercutientia, ἀποκρουστικὰ, in altum sibi occurrentes succos repellunt: frigida sunt, & crassarum partium. *Repercutientia.* Frigidum siquidem repellit. quod, cum vnà coniunctam crassitudinem partium obtinet, etiam violentius propellit, qualia sunt acerba & austera: vt omphacium, balaustium, malicorium, &c. Repellunt verò & Adstringentia, præsertim, quæ a partium tenuitate adiuuantur, vt è nucum iuglandium corticibus expressus succus, maximè valideque adstringens, qui tenuissimæ esse substantiæ ostenditur: Adstrictionem siquidem tenuitas substantiæ adiuuat quàm maximè. alia etenim adstringentia, ob substantiæ crassitiem, facilè in altum penetrare non possunt. dum viam sibi ad interiora etiam præcludunt.

Abstergentia, ῥυπτικὰ, siue detergentia, lentos, glutinosos humores in superficie, cutis poris, vel etiam vlceribus adhærescentes, eluunt atque extergunt. *Abstergentia.* vim habent exsiccandi cum tenuitate substantiæ, nec refert calida sint an frigida, neutra enim qualitas actionem impedit, nisi excesserit. Nam abstergunt frigida, veluti hordeum, limonum succus, Telephium: item & calida, vt mel, saccharum, & alia.

Expurgantia, ἐκκαθαρτικὰ, quæ & Galeno ἐκφρακτικὰ, id est, ab infarctu liberantia, obstructiones tollentia, siue, vt vulgò, deopilantia, non tam poros cutis, quàm interiorum viscerum meatus expurgant: vt iocinoris, lienis, venarum: qualia sunt, Nitrum, abrotonum, lupini, & cætera nitrosa, & amara, etiamsi exiguum adstringant. *Expurgantia.* Sunt hæc substantiæ ratione ab abstergentibus minime diuersa, sed ratione maioris & minoris differunt: Nam quæ poros & meatus internos expurgant, tenuiorum magis sunt partium, ac moderatè calida, vt nitrosa & amara. Iam & quæ cuti externus imposita, sordes siue in cute siue in vlceribus extergunt, adstringendi facultate destituuntur: intrinsecus verò assumpta, etiam si adiuncta quædam adstrictio, possunt tamen sic nihilominus quoque magnos purgare abstergereque meatus, cuiusmodi in visceribus & vasis sunt. Nam foris meatus exigui prius ab adstrictione occluduntur, quàm probè queant expurgari. At quæ circa ventrem partes omnes, quæque in iocinore, liene, aliisque visceribus, cum maximos in se meatus habeant, maius accipiunt commodum ex vasorum corroboratione (quod per adstrictionem fit) quam propter osculorum exiguitatem aut angustiam lædantur. Proinde interius absinthium expurgare potest: foris verò extergere nequit. Attenuantia, λεπτυντικὰ, siue extenuantia, huiuscemodi omnia sunt expurgantia, calida quidem etiam ac tenuiorum partium. *Attenuantia.* Protinus etenim expurgantibus & obstructiones expedientibus inest, vt crassos humores ac lentos extenuandi vim habeant: auctore Galeno. Illinentia, ἐμπλαστικὰ, abstergentibus omninò contraria sunt. *Emplastica.* cutis enim poris illita tenaciter inhærent, eosdemque opplent ac obstruunt, veluti pinguia, glutinosa, & terrestria acrimonia & asperitate carentia, vt adipes, oleum, resina, butyrum, lytargyrium, bolus, creta, farinæ addito liquore: item & aloë, quod foris admotum, emplasticam & substantiam & facultatem obtinet, intrò verò assumptum amaritudine sua expurgat & aperit: Non desideratur in his calor aut siccitas, sed substantiæ, qualem diximus, essentia.

Obstruentia, siue ἐμφρακτικὰ, hæc eadem sunt, & παχυντικὰ, incrassantia. *Obstruentia.* Nam veluti detergentia atque expurgantia poros ac meatus ab obstructione liberant, sic hæc eosdem obstruunt atque infarciunt, & crassos lentosque corporis succos reddunt. *Incrassantia.*

Dolores sopientia ac sedantia duo sunt: quædam enim reuera talia, vt ἀνώδυνα & παρηγορικὰ vocata: *Dolores sopientia.* alia tantùm, sed impropriè, dicuntur, Ναρκωτικὰ videlicet, veluti si quis hominem mortuum anodynon dicat, quia dolore vacet.

Quæ autem reuera ἀνώδυνα aut παρηγορικὰ, partium sunt tenuium, ac moderatè admodum calida, non multò quàm temperata calidiora; ex primo nempe ordine excalfacientium, *Anodyna.*

tium, ac ἀραιωτικὰ, siue rarefacientia. Hæc enim quicquid in partibus dolore vexatis, siue acrium, siue lentorum, aut crassorum tenuibus poris infarctorum humorum inhæret: vel etiam quicquid vaporosi, crassi, aut frigidi spiritus exitum non inuenientis inclusum est, euacuant, digerunt, rarefaciunt, extenuant, concoquunt, & æquabile reddunt, vt flos Chamæmeli, lac tepidum, & oleum anethinum, Galeno teste.

Narcotica. Narcotica Ναρκωτικὰ, haud propriè dolores mitigant, nec dolorum causas auferunt, sed partes frigore suo stupefaciunt. Est autem stupor paulò minus quàm insensibilitas aut sensus priuatio. Hæc eadem verò & ὑπνωτικὰ, id est, somnum conciliantia siue somnifica, ac καταφορικὰ, siue grauem soporem epora adferunt. Refrigerant autem hæc omnia vehementer, ac quarto quidem ordine, Galeno veteribusque aliis testibus, sic vt non modò sensum obstupefaciant, sed & si paulò liberalius ebibantur assumantúrve, mortem adferant: qualia sunt opium, hyoscyamus, mandragoras. Videntur tamen non tam sola qualitate extreme & quarto ordine frigida hæc efficere, sed & à substantiæ quadam proprietate ac essentia concurrente præstare. Nam frigidorum multorum qualitates sæpenumero calidorum adiectione cōtemperatæ obtunduntur, sic vt nulla aut exigua refrigeratio ab his sentiatur. Opij autem & nonnullorum similium stupefaciendi facultas vehementer etiam calidorum permixtione exiguum admodum reprimitur. Philonis Antidotus omnem dolorem Opij ac seminis Hyoscyami facultate stupefaciendo lenit, tametsi Euphorbium, piper, pyrethrum, aliaque calida admittat, adeò vt & gustu acris & feruida sentiatur: nec verò & ætate aut temporis diuturnitate Opij ac Hyoscyami vis in hac compositione superatur. quæ inuincibilem ferè horum stupefacientium facultatem ostendere videntur, & haud à sola qualitate frigida, sed & à substantiæ essentia stupefaciendi potentiam his adesse: frigida siquidem qualitas ætate & lapsu temporis calidorum mixtura superari potest: quæ verò à tota substantia, non ita facile edomari. Iam & Opium amaritudinis nonnullæ particeps est, quæ ipsum ex differentibus natura partibus cōstare ostēdit, nec omnes extreme frigidas esse. relinquitur ab essentia substātiæ, stupefaciēdi quoq. vim cōmunicari, nec à sola extremè frigida qualitate proficisci.

Rubefacientia. Contraria autem Anodynis sunt, quæcunque dolores excitant, qualia sunt quæ calefaciūt ac vnitatem dissoluunt, veluti cutim rubefacientia, ac vesicas excitantia; vt sunt nasturtium, sinapi, stercus columbinum, præsertim syluestrium; euphorbium, cantharides, ranunculi, allij nuclei, ex quibus φοινιγμοὶ & σιναπισμοὶ dicti conficiuntur. quæ ἐρευθητικὰ & φλυκταινωτικὰ quoque appellantur.

φοινιγμοί. σιναπισμοί. Escharotica. Huius generis, sed calidiora, ἐσχαρωτικὰ, quæ caustica siue vrentia sunt, & ἐσχάρας, hoc est, crustas cauterij ritu cum dolore efficiunt. Sunt autem Escharotica non modò ordine quarto calida ac sicca, sed etiam consistentia crassa, & idcirco cuicunque inhærent parti, stipitis modo infixa ipsam excruciant: vt calx viua.

Septica. His similia essent σηπτικὰ, vehementer quoq. calida ac sicca, nisi partium essent tenuium, omninoque tenuem haberent consistentiam; quæ & idcirco, cum exiguo tum dolore tum morsu, aut etiam citra doloris sensum partem eliquant. Vocantur autem hæc Septica, hoc est, putrefacientia, appellatione haud propria. verè enim Septica calefaciunt & humectant. efficit autem symptomatis similitudo vt sic quoque appellentur.

Multis autem modis corrumpi quid potest: siquidem quæ nimiò plus refrigerata sunt, aut excalfacta, tum exsiccata aut humectata, ea omnia corrumpuntur. Non tamen quicquid corrumpitur, σήπεσθαι, hoc est, putrescere dicitur, sed quibus id cum fœtore accidit.

Medicamina autem, quæ Septica dicuntur, sunt Auripigmentum, Sandaraca, Chrysocolla, Pityocampe, Aconitum, &c. Et de secundis facultatibus quidem huc vsque; ad Tertiarum explicationem accedere ordo postulat.

De Tertiis facultatibus. CAP. VII.

TERTIÆ facultates non ex primis modò consistunt. sed & vlterius progrediendo, ex iis quoque, quas ad secundas referre contingit, sic vt ex vtrarumque mixtura consequi videantur. veluti sarcotica absque morsu desiccant & adstringunt. siccare quidem ad primas: adstringere verò ad secundas refertur. Sunt autem ex tertij generis facultatibus quęcunq. maturant, suppurant, carnem ingenerant, conglutinant, cicatricem inducunt, callum gignunt, vrinam mouent, menses euocant, secundas & fœtus excutiunt, tussim sedant, lac generant, genituram gignunt ac extinguunt.

Pus mouentia. Pus mouentia, διαπυητικὰ, siue ἐκπυητικὰ, suppurantia, humorem in tumoribus consistentem, carnemque contusam in pus conuertunt. moderatè calida sunt, & emollientibus (vt suprà ostendimus) proxima, sed tamen hoc differunt, quòd emplasticam vnà facultatem habeant poros obstruentem; caloris substantiam augent, qualitatem non intendunt. Appellamus verò hæc eadem & Maturantia siue πεπτικά.

Σαρκωτικὰ, quæ in vlcere cauo carnem gignunt, & sinus implent, sicca sunt primo ordine, modicè & absque morsu detergunt, citraque adstrictionem: vt hordei farina, thus. *Σαρκωτικά.*

Conglutinantia, siue κολλητικὰ, siccant ordine secundo fere, & medio modo se habent ad ea quæ carnem ingenerant, ac cicatricem inducunt, non abstergunt, sed adstringunt, prohibentque ne quid humoris labris vulnerum (quibus peculiariter adhibentur) obueniat. Non solùm autē ad conglutinãda cruēta vulnera, sed ad fistulas, sinus, vetustaq. vlcera vsurpãtur. Συμφυτικὰ autem & hæc dicuntur, tum & τραυματικὰ, ac subinde ἔναιμα, quòd recentibus & adhuc cruentis vulneribus adhibeantur. *Conglutinantia*

Ἐπουλωτικὰ, cicatricem inducentia, validè citra morsum resiccant & adstringunt, quod in carne humidum absorbent, ipsamque contrahunt, & tenui callo cuti persimili contegunt. quamobrem magis siccare hæc, quam quæ carnem gignunt, aut vulnera conglutinant, necessum, carnem siquidem constringant, contrahant, constipent, & calli instar indurent oportet, alioqui cicatricem non inductura. *Cicatricem inducentia.*

Est verò & aliud ἐπουλωτικῶν genus, quod excrescentē carnem adimit, natura acre ac mordax: hoc καθαιρετικὸν id est, detractorium propriè dicitur Galeno, huiusque vsus ad inducendã vlceribus excrescētibus cicatricē additur a nõnullis & Tertiũ citra adstrictionē resiccans.

Πωρωτικὰ, callum gignentia, ossa fracta ferruminant, ac vniunt. vniuntur autem intermedio callo. Callus autem neque os, neque caro est, sed inter vtrumque ambigit: corpus durum, siccum, album, ossa coniungens. Nam cùm ossis fracti partes inter se propter siccitatem coalescere nequeant, natura eas callo, circa oras fracturæ cõsistente, quasi vinculo colligat. *Callum gignentia.*

Adiuuant autem ad huius generationem & victus ratio conueniens, tum & medicamenta foris admota, quæ emplastica sunt & modicè calida.

Διουρητικὰ appellantur medicamenta, quæ vrinas promouent ac prouocant. Sunt autem hæc non vniusmodi: Quædam enim per accidens: alia propriè: tertia medio quodam inter vtraque modo, & per accidens videlicet & propriè vrinam ciunt. *Diuretica.*

1\. Per accidens diuretica, humida, liquida, & consistentiæ tenuis, facilè penetrantia sunt: quamobrem cùm facile ac citò per vias vrinæ deserãtur descēdantque, Diuretica appellãtur: vt sunt aquæ purissimæ, ac leuissimæ, vinum album, tenue, & pauciferum, hordei tenuius ac dilutius decoctum, &c. quæ quidem vrinæ copiam adaugent, sed nec meatus aperiunt, nec crassa, (quod propriè diuretica) attenuant: quandoque tamen si quæ in viis vrinæ hæerent, vel quæ propter vrinæ paucitatem, vel defectum descendere nequeunt, expellunt atq. educunt.

2\. Proxima sunt, quæ & propriè & per accidens simul vrinam mouent: mediocrem hæc expurgandi atque attenuandi vim habent, & meatus aperiendo liberum vrinæ transitum ad descensum procurant. Talia autem nonnulla etiam frigida, sed tenuium partium sunt, veluti Solani vesicarij fructus, melonum, peponum, aliorumque cucumerariorum semina, graminis radices, quæ vrinas clementer prouocãt, & in viis hærentia non rarò expellunt. quamobrem & propriè diuretica dici queunt, tametsi & quandoque per accidens hoc præstent: Quando etenim calor aliquis nimius atque excedens venas occupat, serosam humiditatem resoluens, aut aliò abducens, tum frigida huiusce modi, cùm calorem contemperant, efficiunt, vt facilius humores à renibus attrahantur, perque vesicam descendant.

3\. Quæ autem propriè διουρητικὰ, meatus expurgant, vias aperiunt, crassos humores, atque ipsum sanguinem extenuant ac diffundunt, quodque extenuatum est, à crassioribus partibus secernunt, quod facilè deinde renes attrahunt, & per vrinarios meatus demittunt.

Huius autem generis Diuretica intensè calida sunt ac sicca, ordine nempe tertio, acria, & tenuis admodum substantiæ. vt sunt semina apij, petroselini, fœniculi, dauci, agrioselini, seseleos, saxifragiæ, non modo semina, sed & radices, & alia similia, à quibus humores & sanguis non extenuatur duntaxat, sed & funditur, siue vt Græce χεῖσθαι, ac secernitur, non secus quàm à coagulo, quod serosum ac tenue in lacte seorsum segregatur, crasso in se coacto ac exactè vnito. Horum itaque natura excalfactoria, exsiccatoria, tum & διακριτικὴ siue secretoria, & συγκριτικὴ, id est, coactoria est. Existimantur hæc eadem & λιθῶν θρυπτικὰ, siue calculum comminuentia & frangentia. nulla tamen reuera calculum comminuentia reperiuntur, nisi quæ cohærentes arenulas lentis viscidisque humoribus, veluti glutino vnitas, dissoluunt, separant, ac expellunt. Nec enim durus calculus vllis medicamentis comminui potest, qui renibus inhæret; multò verò etiam minus is qui vesicam occupat, vtcunque multa circumferantur, quæ tale aliquid promittunt: Quæ si acria sunt, & ex propriè appellatis diureticis, non modò calculum non comminuunt, sed e conuerso ad eius generationem faciunt. Tenue etenim segregantes, crassum cogunt, & excedente calore excoctum in calculum conuertunt. Quod si verò ex temperatis aut frigidis ac mediis diureticis sint, nec hæc eum comminuere queunt: Siquidem quod ex materia terrea lento viscidoque humore permixta *λιθῶν θρυπτικά.*

mixta intenso calore induratum, veluti calculus est, id nec calido nec frigido dissolui potest: attritura tantummodò comminui ac atteri potest. Dura namque corpora ab inuicem, & ab asperis atteruntur. Nullum autem est, quod intra corpus assumptum, asperitate sua calculum atterere aut comminuere queat. Tametsi enim lapis spongiæ, & similia alia aspera, hunc in scopum à nonnullis exhibeantur, nullatenus tamen ad renes aut vesicam perueniunt, cùm eò liquida tantum deferantur. Lithontryptica idcirco ac calculum comminuentia ea tantum vere sunt, quæ cohærentes arenulas dissoluere ac expellere queunt: & talia quidem sunt diuretica quædam calida ac sicca tenuiumque partium, acria quoque, sed remissius & simul amaritudinis nonnihil obtinentia, vt Virga aurea, quæ crudos lentosque humores, vrinarios meatus obstruentes, expurgat, & arenulas cohærentes dissoluit.

Menses euocantia. Quę menses euocant, siue ἐμμηνῶν ἀγωγὰ, calida sint, ac tenuium partium oportet, vt crudos humores concoquant, crassos verò ac lentos attenuare ac incidere valeant, & meatus expurgando ab obstructione liberare: qualia sunt omnia propne diuretica quæ mensium expurgationem etiam promouent. Quòd si verò eadem graueolentia aut amara, hoc præstantiora & efficaciora futura. Graueolentia siquidem vterum deorsum deprimunt: veluti suauè odorata sursum trahunt. At sursum trahentia ad mensium remoram faciunt: deorsum verò depriměntia eosdem cient, veluti Ruta, parthenium, chalbanum, succus medicus, castorium, & alia similia. Amara verò etiam valentius quàm alia menses euocant, quia magis expurgăt, si quidem cum tenuitate substantiæ & acrimonia coniunctis, talia fuerint. veluti sabina, aristolochiæ omnes, Myrrha, & similia, talia enim crassa attenuant atque diffundunt, vias ac orificia venarum potenter expurgant. Sunt verò & alia, quæ menses, sed per accidens, promouent veluti quæ corpus longo morbo aut aliàs extenuatum reficiunt: aut quæ idipsum nimio calore resiccatum refrigerant ac humectant. Cùm enim ob sanguinis inopiá aut paucitatem, menses prodire nequeant, corpus ali & optimis alimentis sanguinis copia augeri debet. vbi verò caliditas adurés ac resiccăs sanguiné absumit, frigidis ac humidis caliditas siccitasq́ tépcrăda, & ad tempcrié sanguis reuocădus, vt tenuior, aptiorq́. ad fluxiones reddatur.

Secundas expellentia. Quæ verò χόρια, siue δεύτερα, id est, secundas à partu relictas expellunt, nec non & fœtus mortuos, eadem sunt cum iis quæ mensium purgationes procurant. potissimùm quæ potentiora, calida nempè, tenuium partium, graueolentia, ac cum acrimonia amara, præsertim si in maiore quantitate & frequentius propinentur.

Βηχικά. Βηχικὰ Galenus diureticis ac menses mouentibus annumerat. Sunt autem hæc, eodem auctore, duorum generum, quædam tussim sedant, alia prouocant: Quæ etenim ad crassos humores è thorace excreandos faciunt, tussim vnà excitant: econtrà, quæ tenues humores incrassant, eandem sedant. Nam quæ excernuntur, ea cum tussi & excussi aëris impetu expelluntur. Calida autem & tenuium partium, ac extenuandi naturam habent, quæ ad crassorum excrementorum thoracis expurgationem adiuuant, vt hyssopus, scabiosa, marrubium, Iridis ac helenij radices. Sunt tameo & alia quædam mediocriter thoracem expurgantia, non multum calida, nec impensè sicca, sed nonnihil humectantia, vel saltem, quæ exasperata sunt, lenientia, vt sunt glycyrrhiza, vuæ passæ, caricæ & similia dulcia, quæ resiccantibus subinde præstant: longe siquidem commodius è thorace exereměta humidis quàm siccis educuntur. Conueniunt etiam thoraci ac pulmonibus medij generis diuretica, quæ si frigida sunt, tenues humores incrassant, & tussim sedant, vt sunt Cucumerariorum semina, nuclei nucum pineatum, & similia. Præcipuè tamen tenues humores incrassant, ac tussim sedant, narcoticam vim obtinentia, veluti Papaueris codia, ex quibus vanæ compositiones apud Galenum lib. VII. de med. secundum loca. tussim sedantes.

Lac generantia. Lactis ac seminis effectrices facultates partim in alimentis, partim in medicamentis, Galeno teste, sunt. Lactis quidem generationem promouet cibus pletuor & εὔχυμος, siue boni succi, & paulò quidem calidior ac siccior, si pituitosus sanguis ac frigidior sit: humidior verò ac minus calidus, si bilis infesta. Medicamenta autem lac prouocantia tenuium quoque partium, ac calida, & iis, quæ vrinas propriè mouent, affinia atque vicina, sed tamen mitissima, vt anisi & anethi semina, fœniculi verò non modò semen, sed & succus. Vehementiora, & quæ menses euocant, lactis generationem impediunt. Nam quibus menses feruntur, his in mamillis lac nullum aut exiguum admodum colligitur.

Semen generantia. Semen autem generăt, præter alimenta optimi succi, & quæcunque sanguinis copiam augent, etiam calida non admodum sicca, sed flatuosa: vt, bulbi, legumina pleraque, orchies, eruca. Et hactenus quidem de his, quæ ad tertij generis facultates referri contingit.

De Quartis facultatibus. CAP. VIII.

DIFFERENTES ac valde dissimiles quartæ dictæ facultates à superioribus sunt: Non etenim ex primarum qualitatum aliqua dependent: neque secundis aut tertiis succedŭt, sed

ſed ſubſtantiæ ſiue eſſentiæ proprietatem conſequuntur. Sola autem experientia tales deprehenduntur, neque alia ratione cognoſci queunt. veluti quòd magnes ferrum ad ſe pertrahat, attractumq́ue retineat, & quòd vires eius allio debilitentur, nulla adinuenit ratio, ſed ſola obſeruatio oſtendit. Eodem modo & quod ſuccino attritu calfacto, paleæ adducantur, nec ratione vlla cognitum: ſic & nec multorum aliorum, quæ à ſubſtantiæ ac eſſentiæ ſuæ ſingulari proprietate vires ſuas exercent. Atque idcirco occultæ, ſpecificæ, & latentes appellantur facultates. Ac tales quidem omnium ſunt ferarum, & ἰοβόλων ζώων, ſiue venenum eiaculantium animalium. tum & eorum quæ δηλητήρια, ſiue venena appellantur & ſunt, Quæ non manifeſtis, aut ratione naturali perceptibilibus qualitatibus, ſed latente & occulta vi mortifera ſunt. Animalia quidem venenata morſu, ictu, punctura, vel etiam attactu; Venena verò ſi intra corpus aſſumantur. Quorum ſingula vti diuerſas obtinent proprietates, ſic & diuerſimode homini pernuciem adferunt. Et ferarum numero, Aſpis lethalem ſoporem adfert, & citò hominem tollit. Viperæ ictum dolores, rigores, bilioſi vomitus, ſitis, & alia grauiſſima ſequuntur ſymptomata. ſic & amphisbęnæ, ceraſtis, dipſadis, σηπεδόνος, Dryini, & aliorum. Ab hæmorrhoo demorſis ſanguis ab omni parte profluit. Scorpij, ſcolopendræ, lacertæ, phalangia, & reliqua eius generis, ſuis quoque modis nocent. Rabidi canis morſum Hydrophobia conſequitur. Inter venena ſiue deleteria quæ aſſumuntur, Cantharides veſicæ maxime incommodant: Lepus marinus pulmonem exulcerat. Cerebrum catti ſiue felis homines furentes efficit. Metallica, vt Ceruſſa, argẽti ſpuma, ſtibium ſiue antimonium, argentum viuum quocunque tandem modo apparatum. & pleraque alia, mortifera etiam, ſed diuerſis modis: quædam quoque citius, alia tardius interimunt. Similiter quoque & lethiferæ ſtirpes, quæ non eodem omnes modo homini pernicioſæ.

Animalia virus eiaculantia. *Venena.*

Quæcunq. verò venenis & venenatis ictibus medentur, ſubſtãtiæ ſpecificę proprietati hoc quoque acceptum debent. Sunt autem genere duplicia, Theriaca ſcilicet & Alexipharmaca.

Theriaca propriè dicuntur, quæcunque venenatis animalibus, eorumq́ue malignitati reſiſtunt. Nomen à feris ἰοβόλοις habent, quæ θηρία Græcis dicuntur, quo nomine omnia animalia venenum eiaculantia comprehenduntur. Ab his medicamenta quæcunque, ſiue ſimplicia, ſiue compoſita, quæ ferarum venenum eiaculantium morſibus, ictibus, & plagis medentur, θηριακὰ appellantur. Horum autem quædam feras malignas & ſerpentes venenatos ſuffitu, inſtratu, aut illitu fugant: alia ab his male habentes ſanitati reſtituunt, & vt ictus, morſus, aut punctura innocua euadant, præſtant. *Theriaca.*

Ex illorum genere ſunt περιάμματα ac Ἀποτρόπαια, quæ appenſa aut alligata venenatorum inſidias arcent, & non modò venena, ſed & incantamenta magica inefficacia reddunt. Exempla apud multos auctores complurima extant. Succinum pro amuleto infantibus alligari: Corallium in domo inuidiam omnem amoliri: areſcentem ſcyllam in limine veſtibuli ſuſpenſam maleficiorũ introitũ depellere, Plinius præter alia multa refert. Galenus lib. 11. de medic. ſecundũ loca pleraque recenſet, quæ coronæ modo capiti impoſita dolores leniunt. *περιάμματα. Ἀποτρόπαια.*

Dicuntur hæc Latinis Amuleta ab amoliendo, quòd ſcilicet venena & maleficia arceant: Appellantur verò & Ἀλεξιτήρια, quandoque & amuleta. *Amuleta.*

Alexipharmaca nominantur, quæ aduerſus venena & deleteria pharmaca adhibẽtur; non quidem extrinſecus corpori appoſita aut admota, ſed intrò aſſumpta. Eadem exiſtimãtur & Ἀλεξιτήρια dici: ſed Hippocrati Ἀλεξιτήρια ſunt contra ferarum morſus remedia. *Ἀλεξιφάρμακα.* *Ἀλεξιτήρια.*

Cum venenis affinitatem habent multã Cathartica, propriè quidem ita nuncupata, nam ſi in iis propinandis modus aut menſura excedatur, non modò vehementer nocent, ſed & è vita hominem ſubinde tollunt. Dicuntur autem Cathartica dupliciter:

Generaliter quidem ea omnia, quæ quouis excrementa expurgant modo, vt ſunt diure- 1.
tica, expectorantia, menſes mouentia, & cætera quæ craſſos humores attenuant, meatus obſtructione liberant, & vias aperiunt; de quibus, vbi de tertiis facultatibus.

Minus verò generaliter κατ' ἐξοχὴν, id eſt, per excellentiam Cathartica vocantur, per infe- 2.
riorem ventrem & vomitum purgantia, quæ propriè καθαρτικὰ, & non qualitatum, quæ ipſis inſunt, vt aut potentia, ſed totius ſuæ ſubſtantiæ proprietate ac ſimilitudine familiarem ſibi humorem attrahunt & educunt. *καθαρτικὰ.*

Succedunt Catharticis, quæ inter ſe vel maximè conueniunt, vel admodum diſſentiunt. Nam quæ in multis rebus diſcordia aut concordia repentur, haud aliunde quàm ex ſubſtantiæ eſſentia prouenit. Græci diſcordiam Ἀντιπάθειαν, id eſt, diſſenſionem: Concordiam συμπάθειαν, id eſt, conſenſum vocant Plinius odium & amicitiam nominat. Hæc autem non modò in animantibus, ſed & in ſtirpibus aliiſque ſenſu carentibus obſeruantur. Apud varios ſcriptores exempla non pauca reperiuntur, quæ moleſtum foret huc referre: ſatis viſum fuit nonnulla attuliſſe, quæ amicitiæ & odij in ſtirpibus teſtimonium exhibeant. *Quæ inuicem conſentiunt, aut diſſentiunt.* *Ἀντιπάθεια.* *συμπάθεια.*

Pernicialia brassicæ cum vite odia: si etenim contigerit brassicam iuxta vitem plantari, sarmentum vitis augescens, ac brassicæ appropinquans, non amplius rectè procedit, sed retrò vertitur. Sic & brassicæ, dum coquitur, si vinum instilletur, de cætero non coquitur, & color eius corrumpitur. Ex multo vino etiam non inebriatur, qui crudam brassicam præsumpserit.

Amica viti vlmus est, cuius amplexu viuit & feliciter adolescit.

Quercus & Olea tam pertinaci odio dissidét, vt altera in alteri' scrobe depacta moriatur.

Filix non renascitur harundine secta, aut exarata vomeri harundine imposita. similiter & harundo intercidit, si exaretur filice vomeri alligata. Inter harundinem verò & Asparagos amicitia, nusquam enim quàm in harundinetis lætiores Asparagi.

Amica quoque sunt Myrtus & Olea: item Ficus, & Olea.

Quæ parti alicui prosunt aut nocent. Referuntur verò ad quartas facultates, tum etiã ad superiores consentientes aut dissentientes, omnes, quæ vni alicui humani corporis parti vel nocent vel prosunt. Siquidem propter singularem & specificam à substantiæ essentia proprietatem, & dissensionem aut cõsensum, vni parti magis quàm reliquis noxam inferunt vel benefaciunt. Quod Galenus lib. 1. de med. secundum genera, exemplo Cantharidum & leporis marini ostendit. Cãtharides enim intrà assumptæ, reliquis partibus per quas transeunt illęsis, vesicam præcipuè exulcerant. Lepus marinus pulmoni tantummodò infestus, quamuis per alia membra mollia transeat. Sic & Betonica, Stœcas, Maiorana, & quædam aliæ capiti vtiles. Tussilago, scabiosa, hyssopus pectori & pulmoni. Eupatorium tum & hepatorium iocinori: lieni asplenion: renibus glycyrrhiza, virga aurea, vtem pulegium, & arthemisia, & aliæ tum his, tum aliis partibus.

Et sufficiant hæc de facultatibus, nunc quo modo ac ratione ad cognitionem facultatum perueniri queat, occurrit docendum.

Quibus modis cognoscendæ facultates stirpium, & primùm per odorem. CAP. IX.

COGNOSCVNTVR simplicium medicamentorum & stirpium facultates experientia quidem, tum & gustu, ac sapore. Ex odore quoque de his iudicari posse apparet. Recentiorum nonnulli ex signaturis siue signaculis, aut χαρακτηρισμοῖς, quæ subinde stirpibus à natura ĩdita sunt, de facultatibus, maximè quartis, iudicium rectè fieri autumant.

Odor. Sensibilium autem gratia, odoris sensum Deus Opt. Max. creauit, sed tamen de temperatura coniecturam aut iudicium facere, non perinde tutum per odorem, ac ex gustu, vt Galenus ait. Sunt tamen quædam, quæ vt sapores nos afficiant. siquidem acida omnia, & præsertim acetum, odoratum mouet: item & acria, vt allium, & cepe, quæ non gustum modò, sed & odoratum offendunt ac mordicant. Sic in nonnullis propemodum similis odoris sensus, sensui gustus, verùm hoc in admodum paucis contingit. Quandoque etiam citra gustum ex solo odore quarundam rerum qualitates cognoscuntur, veluti fimi & aliorum fœtidorum, quæ gustare nemo aggreditur. sic & edulia putrilagine corrupta, odore solo offendunt; & ne gustare quidem quicquam ea dignatur, sed protinus abiicit, odoratui soli fidem habens. Non tamen idcirco per odorem qualitates multorum aliorum deprehenduntur.

Maxima autem potissimaque caussa, quamobrem ex odore nihil euidens iudicari queat, substantiæ est inæqualitas, corpora enim pleraque dissimili sunt consistentia, de quarum singularum partium temperamento odor non iudicat, veluti Gal. lib. IIII. de simp. med. facultatibus, exemplo Rosæ latius ostendit. Cæterùm rerum odorabilium vaporosa est substantia, rectà ergo ratione, quæcunque odorata eadem & calida, vaporum enim copia à calore prouenit. Auicenna autem odores non modò à caliditate, sed & frigiditate prouenire ait, & bene olentes, & à quibus sentitur mordicatio, calidos esse, illos verò qui acetum redolent, frigidos. Odorum autem quidam grati, εὐώδεις, ac suaueolentes, qui cerebri spiritui familiares: alij graueolentes, siue δυσώδεις, cerebri spiritui non familiares. Dissident hi multis inter se differentiis, sed ipsis non sunt, vt saporibus, nomina imposita. Quæcunque autem odorata, eadem & tenuium partium, sed nonnulla amplius, nonnulla minus. Quæ autem odore destituuntur, crassæ sunt essentiæ, vt salsa & austera, à quibus si quid defluit, paucum est & crassum, & mole sua veluti terreum, ac proinde per inspirationem in cerebrum non incidens.

De Saporibus. CAP. X.

SAPORES ex quibus de stirpium, tum & aliorum simplicium temperamento ac facultatibus iudicari, & certius quàm ex odoribus, potest, nouem sunt: Tres calidi, acris, amarus, & salsus: tres frigidi, acerbus, austerus, & acidus: tres medij temperamenti, dulcis, vnctuosus, & insipidus.

Acris sapor. Acris, δριμὺς, sapor acutus est, linguam & os mordicat, pungit, ac insigniter excalfacit: interdum etiam fauces ferit, & quasi vrit, qualis est piperis, pyrethri, euphorbij,

bij, item nasturtij, sinapios, allij, ac cepę. Eorum autem quæ acria, quædam esui apta: alia minimè. Horum verò nonnulla simpliciter medicamenta: alia nociua si assumantur aut mortifera. Eduntur autem quæ humiditaté admixtam habent, vt nasturtiũ, allium, cepe. *Acria edulia.*

Quæ verò citra humiditatem, cum tenuitate substantiæ infra tertium excalfaciendi consistunt gradum, medicamentosa sunt vt διουρητικὰ, id est, vrinam prouocantia: quæ sudores mouent ac ciunt: ac quæcunque incidendi ac per halitum digerendi vim habent. *Acria medicamentosa.*

Ex horum genere quoque, sputi è thorace ac pulmone excreationem adiuuantia, mensesque promouentia. Sed tertium caloris ordinem excedentia, acria & vnà crassioris essentiæ, caustica sunt, & aut vesicas excitant, aut crustas moliuntur, vt Cantharis, Ranunculus, Chamælea, &c. & si tota substantia animanti aduersentur, σηπτικὰ, id est, putrefacientia ac δηλητήρια sunt. *Acria caustica ac deleteria.* Amarus, πικρὸς, sapor, minus quam acris calidus est, insuauis ac tristis, gustum diuellit, veluti qui in Aloe, absinthio, colocynthide, gratiola, & id genus aliis sentitur. Crassa autem huius est materia & terrena. *Amarus sapor.*

Amara omnia idcirco calida sicca ac terrestria: resiccandi, extergendi, meatusque expurgandi vim habent, ac quia desiccando superuacuos humores absorbent, putredinibus resistunt, ac dulcedini aduersantur, quæ fouendo humores, putredinis parens est. *Amara.*

Salsus, ἁλμυρὸς, sapor, calidam quoque facultatem habet, sed mitiorem: siccitatem verò satis intensam, cineri, vt Galenus ait, assimilem: Non admodum linguam calfacit, sed siccando abstergit, expurgatque validè siccando. Hic à sale nomen accepit, in quo elucet. in mediocri materia consistit. Salsa hinc moderatè penetrant, incidunt, abstergunt, expurgant, valde siccando tenues ichores & humores absorbent. Adest his obscura quoque quædam adstringendi vis, non tamen linguam contrahens, qua carnes, pisces, & alia sale condita, constringuntur, densantur ac conseruantur. Quidam tamen sal, altero minus adstringit; atque idcirco vnus melius condita conseruat, quam alius. *Salsus.*

Acerbus sapor, Græcis στρυφνὸς, Arabum interpretibus Ponticus, linguam valdè contrahit, & inæqualiter exiccando exasperat, omnino terrenus frigidusque. Huius saporis sunt pyra immatura, vuæ acerbæ, corni fructus. &c. *Acerbus.* Austerus, αὐστηρὸς, quem Arabum interpretes Stypticum vocant, acerbo finitimus est, sed mitior, minus quoque frigidus aut siccus. hic in Rhoë, galla, & malicorio sentitur, ac in aliis plurimis. *Austerus.* Tanta autem huius cum acerbo affinitas, vt plerique inter hos distinctionem nullam fecerint. Vterque refrigerans, resiccans, adstringens, & externam superficiem condensans est. Maioris autem minorisque ratione inter se differunt, Nam Austerus minus siccus, linguam non exasperat, Acerbus verò siccior, humidas linguæ partes valde exasperat. Deponunt autem vtraque, tam acerba quàm austera, suam qualitatem sensim, semper enim quæ veterascunt, vel acredinem quandam, vel dulcedinem asciscunt, abiecta etiam adstrictione. Acerbum autem, auctore Galeno, trifariam exoluitur; aut incalescens, aut humescens, aut vtrumque simul perferens.

Si calescat duntaxat, nec sit humidius, nec mollius, sed durum, solùm acquiret dulcedinem, veluti castaneæ. Si autem humescat, & humiditas crassarum sit partium & aquea, austerum euadet: si verò humiditas tenuium partium & aërea, acescet. At si pariter humescat & calefiat, humiditas quidem aquea in dulcedinem: aërea verò trãsibit in pinguedinem.

Acidus, ὀξὺς, gustum ferit ac penetrat: citra sensum caloris mordicat ac rodit: pollet tenuitate substantiæ, idcirco penetrat. in aceto & omnibus acidis manifestus. Refrigerant autem acida omnia, & tenuitate substantiæ citò ac facilè penetrant. penetrando ac incidendo acribus, medicamentosis, quæ infra tertium ordinem, haud sunt infirmiora, non tamen dissoluunt ac dissipant, sed fluxiones alte subeuntis frigoris beneficio repellunt, & siccitate admodum valida, sanguinis eruptiones cohibent ac sistunt. *Acidus.*

Dulcis sapor, γλυκὺς, suauis ac iucundus oblectat, nulla qualitatis exuperantia molestus, vt in melle & sachato euidens est. Relaxant autem omnia dulcia, sed minus tamen quàm pinguia; aspera leniunt, concoctionem promouent: maturant. Materiæ verò mediocritatem obtinent, & humidam qualitatem nobis familiarem & affinem, temperatè quoque calida sunt. Nullum enim eorum quæ valde dulcia frigidum est: Potest tamen modicè dulce aliquod frigidum esse, cuius aquosa videlicet est substantia. Omnium autem quæ nutriunt communis dulcedo. quicquid enim nutrit, aut plus, aut minus dulce. *Dulcis.*

Pinguis siue vnctuosus, λιπαρὸς, sapor, linguam, orisque partes lentore quodam oblinit, euidentis caloris expers, obscuræ dulcedinis subinde particeps. in substantia consistit inter tenuem & crassam mediocri, & humida quidem, non aquea tamen, sed aërea, in calore frigoreque temperata. Pinguem saporem referunt non modò adipes & olea quædam, sed & malua, althæa, lacryma tragacanthæ, & similia. Pinguia autem omnia relaxant, emolliunt, humectant, exasperata leniunt, oblinunt, ac in suum statum reducunt, & melius quàm *Pinguis.*

Ἄποιος sapor. dulcia. ad quorum remissisimum gradum pertinent. Ἄποιος, id est, qualitatis expers, insipidus, ac (vt nonnullis placet) exqualis, non tam sapor, quam saporis omnis priuatio, nulla qualitate gustum afficit inuenitur in nonnullis fructibus, vt peponibus & cucurbitis; item & in farris ac Tritici generibus. Materia huius crassa, non tamen terrena, aut sicca adstringens, sed humore quodam perfusa, quæ quoniam emplastica est, meatus omnes infarcit ac obstruit, exasperata lenit, & dissoluta vnit ac conglutinat. Sunt verò & ἄποια dulcibus affinia, sed materia ipsorum paulo crassior & crudior est

Et totidem quidem simplices sapores, ex quibus de stirpis aut alterius medicamenti temperatura ac substantiæ essentia iudicatur, atque ex his deinde, quibus id secundis ac subinde tertiis facultatibus sit præditum, cognoscitur: quòd, vbi vnicam tantum qualitatem gustabilem possidet, haud difficile. Quòd si plures sapores sentiantur, ex omnibus roistaro medicamentum facultatem & actionem edet: veluti Absinthium, quod præter amaritudinem, & adstrictionem habet, vnde & diuersæ substantiæ & facultates ei insunt: ab amaritudine extergendi, ab altera adstringendi ac corroborandi. Sunt autem differentes sapores, quandoque ita inter se confusi, vt nequeant certò medicamenti viro ac facultatem exprimere. Atqui tunc quidem experientia succurrit, qua sola etiam, citra saporum dignotionem, medicamenti cuiusuis facultas reperiri potest. Quam etiam semper adhibere conuenit, etiamsi gustu aut ratione facultas cognita videatur aut perspecta. Quandoque siquidem, quæ ratio probauit, experientia redarguit.

De Characterismis siue signaturis.
CAP. XI.

EX characteribus siue signis quæ in stirpibus, aut earum partibus obseruari contingit, ipsarum cognosci facultates posse, à probatis inter veteres auctoribus traditum non reperitur: Nonnullorum posterioris ætatis, & nostri sęculi recentiorum hæc inuenta, aut verius commenta sunt. Qui naturam quodlibet à se procreatum suis peculiaribus signaturis manifestissime notasse existimant ac docent, per quas vires & facultates, præsertim occultæ & latentes, certò cognoscantur. haud aliter (vt aiunt) quàm ex inspectione vultus & nonnullarum corporis partium φυσιογνωμία mores & affectus hominum percipit: Sed Physiognomia ab Aristotele ac aliis veteribus Philosophis probatur: Doctrina verò de signaturis stirpium, à nullo alicuius æstimationis veterum testimonium accepit: deinde tam fluxa & incerta est, vt pro scientia aut doctrina nullatenus habenda videatur.

Signaturę autem vel in forma, figurave stirpis aut alicuius eius partis, reperiuntur· vel ex coloribus, aut succis deprehenduntur. aut ex aliis proprietatibus accipiuntur.

Scrofulariæ herbæ nodosæ radices extuberantia tubercula habent· Idcirco aduersus scrofulas, id est, glandularum duros tumores, qui quandoque in collo, alis, aut inguinibus sentiuntur, Græcis χοιράδες, tam vtiles & efficaces affirmantur, vt etiam vel gestatæ solùm (quod vanissimum) prodesse queant. Nec solùm ad scrofulas, sed ad hæmorrhoidum dolores easdem commendant. Et quidem aduersus χοιράδας & hæmorrhoides, si imponantur, bene faciunt, quia calidi & sicci temperamenti, ac digerendi vim habent, non quia nodosæ scrofulas referant. Si enim propterea conferrent, quòd nodosæ & inæquales, consequens foret, & alias similis figuræ similiter scrofulis & hæmorrhoidibus mederi: vt sunt Telephij radices nodos quoque adnatos habentes: item & Polygonati, quæ tuberculis nodosis scrofulas referre possunt. neutra tamen istarum herbarum vel ad scrofulas, vel ad hæmorrhoides commendatur vel confert.

Chelidonij minoris radicibus veluti oblonga grana adhærent, instar hæmorrhoidum foras prominentium, & resiccat ipsa cum radicibus herba hæmorrhoides. An idcirco Ranunculum Illyricum radicibus similem, hæmorrhoidibus quisquam adhibere audebit?

Nucum nucleus contegitur lignoso cortice, veluti cerebrum osseo craneo: ergo omnes nuces cerebro similitudine substantiæ, ac essentiæ prodesse, malè consequitur. Nuces tamen myristicæ cerebro & capiti conferunt; sed nuces iuglandes aut auellanæ nullam capiti vtilitatem præbent, imò non rarò offendunt, præcipuè dum ventriculum grauant.

In folliculis vesicas referentibus gignitur Halicacabi fructus, vesicæ commodus, & vrinas ciens. Alcea vesicaria, Solanum somniferum, Colutea, Nux vesicaria, quorum vel fructus vel semina in folliculis instar vesicarum gignuntur, nihil tale præstant.

Maioris Heliotropij coma, & semen Scorpioidis reflectuntur vt scorpionum cauda, perhibentur à veteribus remedio esse aduersus scorpiones. Calendulæ semen recuruum est, Ornithopodij siliquæ exiguæ caudam scorpionis referunt. quis autem tandem hinc affirmare volet has scorpionibus quoque aduersari?

Lutea

Lutea aduersus morbum Regium facere, ex coloris similitudine persuasum sibi habent, qui signaculis addicti sunt. Et sunt quædam quæ prosunt: multa verò etiam quorum nullus vel non tutus vsus. Rhabarbarum quidem luteum est, & regium morbum, vitiosos humores per aluum expurgando, curat. idem verò potest & Agaricus totus candidus, qui & subinde vilior, pituitosos videlicet crassos humores expurgans, meatus fellis obstruentes. Curant verò & multa alia vacuando hunc morbum, quæ nequaquam lutea sunt. Aduersus vero & istum Chelidonij maioris luteæ radices valent, verum non purgando, sed meatus aperiendo. Commendantur & Conyza, Chrysanthemum, & Buphthalmum, quorum lutei flores. Sunt autem & aliæ multæ, quarum flores lutei, quæ tamen ad Regij morbi curationem non expetuntur, vt Calendula, Verbascum, Virga aurea, Pentaphyllon, Tormentilla, Lysimachion, Elichrysum, Chrysocome, Ageratum, Asteris Attici species, flore toto luteo, Santolina, Balsamita, & ipsa Lutum herba, tota lutea. Nonnullarum verò haud tutus videtur vsus, Ranunculum siquidem, cuius flores auri luteo relucent colore, nemo facile ictenco propinauerit: nec Armeniaca lutea mala, aut cerea pruna admiserit; multò verò etiam minus Mandragoræ luteos fructus.

Simile est de rubente colore, qui & inter signationes non postremo loco habetur: superioribus temporibus persuasum nonnulli habuerunt, omnia rubra calida esse, propterea quòd colorem viderentur referre ignis, qui rubens apparet· verùm horum errorem redarguit Galenus de simp. med. facult. lib. II. Nostra ætate existimantur quæcunque rubra sunt adstringere, & sanguinis fluores vndequaque reprimere: nec desunt quidem tales plurimæ vt Rosa rubra, Balaustium, Oxyacanthæ acidæ, vulgò Berberis, rubens fructus: item & Coma, Sandali rubentes, Sanguis draconis, Bistortæ & Tormentillæ radices, & pleræque aliæ huius coloris, quæ adstringendi ac reprimendi sanguinis fluoris vi pollent. Veruntamen & alia reperiuntur rubra aut rubro succo prædita dissimilis facultatis. Hyperici, Ascyri, Rutæque hypericoidis succus, qui è folijs attritu exprimitur, sanguinis instar ruber, sanguinem tamen hæ herbæ non supprimunt, sed econtrà eundem per menstrua pellunt. Agrifolij verò, ex cuius cortice Viscum paratur, fructus rubentes, non modò non adstringunt, sed per aluum valenter deiectionem moliuntur.

Eufrasia herba oculis assumpta prodest, & videndi aciem intendit. huius facultatis signaturam in flore reperiri aiunt, qui varietate colorum, oculi colorem referat. haud dissimilis coloris varietas in tricolore viola, illa nempe quæ plurima parte candida (nam in floris colore diuersitas) reperitur, non tamen ad oculorum morbos à quoquam commendata.

Roris Solis herbæ signatura fertur esse humor, qui ipsa meridie, & etiam serius foliolis adhærere comperitur. adeo enim tenax humoris hæc herba apparet, vt etiam sub feruentissimo Solis ardore hunc non dimittat· vnde & humidum quoque homini ingenitum ac naturale conseruare ac augere posse, infertur quidem, sed non rectè. Nam quòd rore madida æstuante & vigente Sole, non ex ipsius herbæ humoris tenace proprietate euenit, sed à loci natura, in quo nascitur, accedit: in musco etenim prouenit, cui aqua subest. Cùm autem ex hac assiduè vapores efferantur, non modò huic exiguæ herbæ, sed & ipsi musco humor adhæret eodem siquidem tempore, quo rorem Ros Solis retinet, & Muscus humidus est.

Præter verò hanc & aliam in Rore Solis signaturam esse aiunt, qui Theophrastum Paracelsum præceptorem agnoscunt, colorem videlicet liquoris per organa, quæ Alembica vulgo dicuntur, extillati; qui ex luteo pallet, cùm aliarum herbarum stillatitij liquores, aquæ colorem referant: Et colorem quidem hunc ex eo adesse affirmant, quòd salem (vt ipsi loquuntur) volatilem liquor iste contineat: ac propterea conseruandi genitalis humoris habere facultatem, ac phthisicis in primis vtilissimum.

Rationem addunt, quòd sale condita diutissimè conseruari queant. Sale sanè mortuorum corpora & carnes conseruantur, sed minimè viuorum. viuentibus exiguus & moderatus vsus vtilis est, sed nimius valdè nocet: phthisicis verò vel maximè Sal omnia corpora extenuat, & validissimè humores absorbendo desiccat: Phthisi autem laborantes, non resiccari, sed refici ac nutriri citius opus habent. Iam & salsæ ex capite destillationes, pulmonem non conseruant, sed exulcerant ac corrumpunt.

Nec igitur quòd vel rore, æstuante Sole, madens reperiatur, vel quòd salem (vt illorum verbis vtamur) volatilem contineat, ingenitum ac naturale humidum conseruat vel auget, aut phthisicis vtilis Ros solis est: sed alia ex caussa hoc ei inesse necessum est, si modò conferat, quod haud verisimile. Nã cùm acris & exulcerans sit, nulla subest ratio, quare vel humidum

conseruare, vel phthisicis prodesse queat. Atque his & similibus de causis quàm dubium & incertum sit de facultatibus stirpium ex χαρακτηρισμοῖς, siue signationibus aut signaturis, vt appellant, iudicium, abunde manifestum. Non desunt tamen qui veteres harum etiam rationem habuisse opinentur. atque idcirco Orchies omnes ad venerem excitandam commendatos, quia radicum fibris duo globuli instar testiculorum adhæreant: Mercurialem & Phyllon mares, ad masculorum: feminas, ad feminarum procreationem conferentes haberi, quòd hi sexus in seminibus ac floribus euidenter apparere videantur.

Et fieri haud dubiò potuit, vt veterum nonnulli quandoque signationum rationem ac considerationem habuerint, sed præcipue illi, qui Ægyptiorum ac aliorum præstigiatorum fuerunt sectatores, quales mendaciis ac nugis medicam materiam contaminasse testatur Galenus. Et hanc ob causam illis parum quoque, aut nihil deferendum. Quòd si verò & fortuito casu vires quandoque signaturis respondeant, non tamen idcirco tutò, certò, aut perperuò ex iis, quæ pro signaturis habentur, facultates cognosci, aut manifestas fieri consequens est: Sæpenumerò facultates multum differentes, signaturis repugnant, vt superioribus exemplis satis dilucidè ostensum. Atque idcirco quoque signaturis nullatenus fidendum est, nisi experientia adstipuletur. per quam de facultatibus medicamentorum iudicium certius depromitur; vt superiore capite quoque scripsimus.

Qualiter per experientiam medicamentorum simplicium facultates cognoscendæ. CAP. XII.

DE experientia verò superest vt paucis agatur. Hæc autem de nonnullis facultatibus sola & certissimum quidem iudicium facit: de aliarum verò virtute decernit. Theriacorum siquidem, Alexipharmacorum, & Catharticorum siue purgantium vis, per solam experientiam cognita est. Experientia autem dicitur, eius quod frequenter eodem modo visum est, comprehensio atque memoria. Siue, Notio quæ ex crebra similium euentuum obseruatione habetur. Non etenim quod semel duntaxat, sed quod frequenter ac similiter, eadem rerum omnium concursione, sæpius euenerit, experientiam gignit. Vt etenim ex multis experimentis ars conflatur, & Theoremata comparantur. ita singula experimenta, ex multis obseruationibus constant. Illud autem de quo experimentum faciendum simplex esse debere, non mistum, Galenus docet. & in iis periculum faciendum, qui inculpata sanitate fruuntur, aut in iis, qui, quoad fieri licet, quàm maxime simplicibus tenentur morbis. Aliorum siquidem admixtione, vnius alicuius vis atque potentia facilè ita retunditur, vt cognosci nequeat. Vbi autem affectus complures vnum ægrotum torquent, ac male habent, cui malo medicamentum profuerit iudicare, difficile est.

Iam & hoc ipsum medicamentum, cuius periculum faciendum, & quod experimento examinandum, omnis alienæ qualitatis expers sit necesse est. Aliena siquidem imbutum, non ita facile aut cito vim suam exerit: veluti enim (exempli gratia) si Mandragora, Hyoscyamus, aut Cicuta vehementer calefacta corpori admoueantur, ipsum non refrigerare, sed excalfacere ac propemodum vrere sentientur. quæ alioqui refrigerant & stupefaciunt.

Distinguendum verò est & illud, quod ex accidente, ab eo quod primariò ac per se efficitur. Nam aqua, quæ natura sua refrigerans est, nonnunquam calorem reuocando, ipsum intendit. Si enim in medio æstatis tempore iuuenis bene carnosus ex distentione neruorum male habens, multa aqua frigida perfundatur, calore reuocato naturali, sanitatem consequitur, vt Hipp. Aph. XXI. lib. V. testatur. Verùm hoc frigida non sua vi præstat aqua, sed ex accidente tantummodo, calorem videlicet reuocando & intendendo.

Simili modo & calidorum nimius vsus quandoque refrigerat, excalfacientem videlicet humorem digerendo. quo resoluto, corpus refrigeratum, effeminatur, aliaque consequuntur, quæ Hipp. Aph. XVI. eiusdem lib. refert. Et hæc quidem de ratione, qua experimento vis ac facultas cuiusque medicamenti inquirenda ac inuenienda. Quòd si verò ratio etiam adstipuletur, tanto experientia certior habenda. Nam sicut experientia de ratione inuentorum virtute decernit: Ita experientia à consentiente ratione non exiguum ornamentum ac firmum stabilimentum accipit si modò accedere queat. Sed sæpe talis est facultas, vt rationis examen non admittat, veluti substantiæ essentiam consequentes, quæ solo experimento (vt prius dictum) cognoscuntur, nec rationem admittunt.

De facultatibus alimentorum. CAP. XIII.

POSTEAQVAM de facultatibus medicamentorum egimus, consentaneum est alimentorum vires explicari, vt videlicet enumeratis corpus nostrum alterantibus, eæ quoq. describan-

scribantur, quæ ad alimenti materiam faciunt, quas ex stirpium facultatibus alteras esse cap. 111. ostendimus. Est autem alimentum quod corporis substantiam alit & auget, hoc videlicet, quod defluxit, restaurando: In perpetuo enim fluxu nostra, tum & viuentium omnium, corpora sunt: semper ipsis aliquid decedit, quod cibo potuque refici restaurarique debet. id nisi fiat, vniuersum corpus tandem extenuari dissiparique; vt videre est in tabescentibus.

Simile autem quodamodo alimentum nostri corporis substantiæ, in quam conuertendum est. Hoc autem si tale fuerit, vt nulla aliena qualitate insigniter afficiat, propriè, simpliciter, & absolutè alimentum est. At si exuperante qualitate corpus immutet, alimentum est medicamentosum, non simplex vt sunt quæ vnà cum dulcedine acidam, acerbam, amarã, aut acrem qualitatem adiunctã habent: sed tamen & hæc alimenta generaliter appellantur. Atq. hinc alimentorum differentiæ assignantur, quædam enim sunt quæ in bonum ac laudabilem succum conuertuntur: in prauum alia. Iam & crassum nonnulla succum præbent. tenuem verò pleraque. Sunt item quæ citò ac facilè concoquantur, & econtrà, quæ difficiliter ac tardè.

Boni succi alimenta Græcis εὔχυμα, sapore dulcia, ori grata, odore haud iniucunda: item & pinguia, & quædam ex ἀπτηνῶν generibus. Referuntur in hunc ordinem, lac, oua, præsertim gallinarum, carnes volucrium & animalium quadrupedum, præsertim quæ nõ in cloacis aut locis sordibus infectis victitant, pisces saxatiles, qui in alto mari capiuntur; panis ex optimo tritico; vinum odoratum, boni suauisque gustus, & potissimum dulce. *Εὔχυμα.*

Cacochyma, siue praui succi sunt, quæcunque præter dulcedinem aliam aliquam qualitatem permixtã habẽt, veluti acredinem, amaritudinem, salsedinem, acerbitatem, aciditatem nimiam: fœtida item omnia, odoreque ingrata, ac quæcunque corrupta sunt. *Cacochyma.*

Mali succi olera, præsertim agrestia, omnia habentur, excepta tamen Lactuca & Intybo, quæ inter boni succi edulia admittuntur: item fructus horei & cucumerarij, frumentũ corruptum, animalium in luto & cœno viuentium (præter porcorum) carnes, piscium magna ex parte omnium, vina crassa, austera, acida, ceruisia e malis frugibus cocta, & id genus similia.

Quædam autem horum frigidum, pituitosum, crudumque ingenerant succum, vt fructus horei, cucumeraria, olera frigida: alia verò calidum ac biliosum, vt quæcunque acrimoniam habent, allium, cepe, porrum, arum, nasturtium, sinapi, eruca: nonnulla verò etiam melãcholicum, veluti Legumina, & præsertim Lens, & ex oleribus Brassica, tum & carnes ceruorum, hircorum, boum, præsertim sale conditorum, aut fumo resiccatorum.

Crassum autem ingenerant succum, valentem ac duram habentia substantiam, vt panes subcineritij, vel absque fermẽto omnia ex farinis apparata, faseli, faseoli, præsertim fricti, carnes bubulæ, ceruinæ, caprinæ, hircinæ; animalium istorum, tum & aliorum iocinora, renes, glandulosæ partes, &c. loligines, sepiæ, polypodes: omnia testacea, vt ostrea, pectines, pinnæ, mituli, cancri, caseus omnis, castaneæ, glandes, tubera, fungi; vina crassa, dulcia & nigra, & ceruisiæ: Iam & quæcunque viscida ac glutinosa etiam inter crassi succi alimenta numerantur, qualia sunt animalium pedes, aures, extremæque partes: Quæ tamen si à ventriculo bene fuerint concocta, boni succi sanguinem producunt, sed lienem & iecur facilè obstruunt. Vitandus autem omnibus, cibus crassi succi, in ocio viuentibus, & iis qui ante cibum exerceri nequeunt. Laudatissimi autem omnes cibi sunt, inter incrassantes & attenuantes medij. *Crassi succi alimenta.* *Viscida.*

Tenuem succum subministrant ac ingenerant, non lenta, non viscida, nec valentem substantiam obtinentia, sed tenuem ac friabilem, præsertim si acrimonia aliqua coniuncta sit, vt Allium, cepe, porrum, hyssopus, origanum, satureia, radicula, & alia eiusmodi. triticei panes bene fermentati, ac præcipuè biscocti: amygdala amara, pistacia: animantes calidioris siccioris que naturæ, vt perdices, attagenes, phasiani, sturni, turdi, merulę, & quæcunque in montanis degunt. vina alba tenuia, paucifera, serum lactis. Aperiunt autem hæc meatus, viscosa extergunt, crassa incidunt, & extenuant. Vitari debent ab his, quibus biliosum est temperamentum, diutino siquidem vsu biliosa ab his & serosa in corpore excrementa colliguntur. Conueniunt omnibus, quibus crudus, pituitosus, aut crassus melancholicus succus in corpore ac venis redundat. Differt attenuans victus ratio à tenui, Tenuis modum in quantitate præfigit. Attenuans à tenuis succi alimento appellationem accepit. *Tenuis succi alimenta.*

Concoctu facilia substantiam non solidam nec firmam obtinent, sed vel raram, vel citò resolubilem, vt sunt magna ex parte olera omnia, (paucis exceptis) fructus plurimi: animalium iuuenum ac tenellorum carnes, vt vitulorum, agnorum, porcellorum, pullorum gallinaceorum, ac aliarum volucrium exiguæ ætatis: pisces saxatiles. Hæc autem vt citò & facilè concoquuntur, ita quoque facilè alterantur ac corrumpuntur. Nam si in ventriculum incidant, cui calor adsit acris, mordax, ac febriculosus, vel in quem biliosus humor influit, non in alimentum, sed in prauum conuertuntur humorem. Quæ autem concoctu difficilia, non facilè vel alterantur vel corrumpuntur. *Concoctu facilia.*

 Con-

Concoctu difficilia

Concoctu difficilia omnia existunt, quibus dura solidaque est substantia, & omnia quæ crassi sunt succi, vt panes azymi, brassica, palmulę, glandes, castaneæ, sorba ante maturitatem, carnes boum, ceruorum, aliorum similium quadrupedum, tum & omnium quæ ætate consenuerunt: omnia sale condita, vento aut fumo durata. cochleæ, cancri, paguri, locustæ, squillæ. ac testacea omnia: vina acerba, aut acida. Hæc si in ventriculum inciderint calidum concoquuntur citius, quàm si in mediocrem: in debili ac frigido concoctionem non, aut tarde admodum admittunt.

Experimentum autem facultatum, de quibus iam scripsimus, per externam in aqua simplici decoctionem fieri posse apparet. Nam quorum decoctorum succus, siue ius suaue, boni odoris & palato gratum est, omnia boni sunt succi: Econtrà verò quæ ingratum saporem aut fœtorem iuri communicant, mali sunt succi, veluti omnium piscium salsamenta. Sic & quorum ius refrigeratum crassescit, & soliditatem instar glutinis, siue (vt vulgò) gelatinæ, contrahit, crassi sunt succi, & si bene concoquantur copiosum præbent alimentum: & econuersò quorum ius tenue permanet, tenue & exiguum alimentum conferunt.

Quæ item in aqua difficulter ac tarde percoquuntur, ægrè in ventriculo alterantur: & vice versa, quæ facilem in decoquendo mutationem subeunt, citò quoque ac citra negotium in ventriculo non omninò frigido conficiuntur.

Cæterùm præter has facultates, quæ præcipuè in alimentorum materia considerantur, restant & aliæ quædam haud negligendæ: Siquidem flatulenta quædam sunt: alia minimè: Tarde descendunt nonnulla, cito ista.

Flatus gignentia.

Flatus autem gignunt, ac flatulenta sunt, quæ multam continent humiditatem frigidam non percoctam, vt sunt fructus omnes horei, præsertim si crudi edantur: ex leguminibus Cicer, Lupini, Ochri: Item quæcunque dulcia simul sunt & austera, quæ cùm citò distribui nequeant, in ventriculo diutius hærentia, flatus inducunt, vt mustum, ceruisia nondum defecata, & alia plura.

Expertia flatus.

Expertes autem flatus sunt cibi probè ad ignem cocti, non ex oleribus, aut leguminibus, sed ex carnibus auium montanarum, vel etiam quadrupedum quæ boni sunt succi: panis ex optimo tritico fermentatus, & probe coctus: vinum generosum maturum, ac vetus potius quàm nouum.

Citò transeuntia.

Citò transeunt ac per aluum descendunt, quæ humiditate abundant, non acerbitatis, sed salsuginis, aut alicuius acrimoniæ participe, vel etiam insipida, vt Malua, Atriplex, Mercurialis, Calendula, & plures aliæ similes.

Facilè etiam descendunt, quæ in ventre copiosum excrementum colligi faciunt, vt sunt panes furfuracei, & quæcunque multum furfuris admixtum habent.

Transeunt quoque celeriter omnia iurulenta, præsertim pinguium carnium, & gallinarum, vel etiam caponum, aliorumque haud dissimilium iuscula, quæ lentorem intestina lubricantem obtinent.

Tardè descendentia.

Hærent autem in ventre & tardè descendunt exiguum humidi habentia, vt sunt edulia sicca, carnes assæ, oua frixa, panes puri siliginei à furfuribus repurgati, tum & quibus, etiam exigua, adstringendi vis adest: vt pyra, sorba, vinum nigrum aut rubens minime dulce, sed citius austerum. Et de alimentis hæc satis.

LIBRI PRIMI PEMPTADIS PRIMÆ
FINIS.

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTADIS PRIMÆ

LIBER SECVNDVS.

PRÆFATIO.

*A*BSOLVTIS *iis quæ in stirpium historiam præfanda videbantur, ad singularum historias conuertimur. Vt autem in certas classes hæ distinguerentur, à nobis laboratum esse superiore præfatione ostendimus. cùm autem pro voto id non succederet, necesse habuimus nonnullas extra classes, & elementorum quidem ordine describere. quas in hanc priorem Pemptadem digessimus.*

Veluti enim elementa omnium prima sunt, sic stirpes elementorum ordine digestæ reliquas præcedant, vel maximè decet. quod tamen ita præstitum est, vt congeneres ac affines ab inuicem haudquaquam sint diuulsæ. Plus enim affinitati vel similitudini tribuendum duximus, quàm ordini ab elementis petito.

Sunt autem huius Pemptadis stirpes non Græcorum, sed Latinorum elementorum ordine descriptæ. Vulgares verò & vt plurimum nomenclaturas apprehendimus. Malutmus enim stirpes vulgò cognitis nominibus describere, quàm veteres appellationes ipsis temerè tribuere.

DE ABROTONO.

CAPVT PRIMVM.

Abrotonum femina arborescens.



Abrotonum mas.



ABROTONVM, Diosc. inquit, duûm est generum: femina, & mas. quæ Maioris & Minoris appellatione passim cognita sunt. Præter hæc verò & Tertium est, reliquis odoratius ac minus.


Maius Abrotonum fruticis non rarò in modum, cultura accedente, adolescit, ad hominis altitudinem tunc attollitur, & caudices profert pollicis crassitudine, aut ampliores: ramulos 1.

verò

verò ex his complurimos, foliis circumuestitos multipliciter ac minutim incisis, subalbicantibus, cum grauitate quadam odoratis. pro floribus corymbi à medio ad fastigium vsque è virgulis dependent, colore lutei, tandem in semen abeuntes. radix fibrosa est.

2. Minus Abrotonum humile est, virgulis tenuibus, lignosis tamen assurgit. Folia magis quàm superioris incisa, minus inalbicant. corymbos in Belgio non profert. radix fibris multis cohæret.

3. Abrotonum odoratum humile.



Tertium genus humilius etiam est. Folia huius maioris Abrotoni similitudine dissecta, sed minus candida, & odoratiora, quo Santolinam referunt. Istud genus seminis admodum fœcundum est, copiosi è ramulis corymbi ad summum vsque luteo splendent colore. radix vt aliorum.

Loca, inquit Theophrastus, aprica amat: Dioscorides in Cappadocia, & Asiæ Galatia, atque in Syriæ Hierapoli gigni refert. Apud Germanos ac Belgas in hortis seritur. Siculum & Galaticum à Plinio commendantur.

Augusto mense Abrotoni vigent corymbi, ac subinde Septembri.

Ἀβρότονον Græci appellant: Latini & Officinæ nomen retinent: Italis *Abrotano*, ac Hispanorum nonnullis alìis *yerua lombriguera*. Germanis Stabwurtz/ Gertwurtz/ Garthagle/ Schoßwurtz/ Affrusch: Belgis Aueroone, & Aueruijt. Gallis *Aurone, & Auroesne*. Anglis Sothernwod. Bohemis Brotan. Extant huius apud Dioscoridem & aliquot spuria nomina, vt Ἀβύτονον, ἡράκλειον, χολοποιόν, θηλυφθόριον, ἀψινθιόμικτον, σφηκάμπελον, κυναγχίτις, θηλύθαμνον, & Absinthium Ponticum. quorum nonnulla Abrotono feminæ propria sunt, vt Thelyphthorion, ac Thelythamnon.

1. Maius genus Dioscoridi femina: Plinio Montanum. Abrotonum, inquit lib. XXI. cap. XXI. duûm traditur generum: Campestre & Montanum. hoc feminam, illud marem intelligi volumus.

Sunt tamen nonnulli in ea sententia, vt Santolinam Abrotonum feminam esse velint. occasionem ex eo accipiunt, quòd in summo virgularum instar corymborum luteos proferat flores. Sed si Dioscoridis verba hi diligentius expendissent, in hanc sententiã neutiquam venissent: Dioscorides siquidem multos feminę Abrotono flosculos circa ramulos esse ait, qui (scilicet flosculi) ἐπ' ἄκρου, id est, parte superiore corymbi similitudinem habeant, & auri colore lutei. Santolina autem in singulis virgulis vnicum tantùm flosculum gignit. Verba Dioscoridis hæc sunt: περὶ τὰ κλωνία πλήρης ἄνθους, ἐπ' ἄκρου ἔχει κορυμβοειδὲς χρυσοειδές. Et multos quidem, ac tales, Abrotonum maius, tum & Tertium odoratum, flores gignit. Vtrumque idcirco Abrotonum femina.

2. Minus Abrotonum Mas est, & Plinio Campestre dicitur.

3. Tertium, vt diximus, & femina quoq; est, Odoratum vulgò ex eo appellant, quòd cæteris odore pręstet. Dioscorides Siculum cognominari videtur. Cæterùm Abrotonum calidum & siccum ordine tertio satis intenso, digerendi quoque ac rarefaciendi vim habet.

Abrotoni coma, flores, aut semina decocta, aut cruda trita cum aqua & pota, non nisi recta ceruice spirantibus, conuulsis, ischiadicis, vrinę difficultati, & mensibus suppressis auxiliatur: lumbricos interimit ac pellit: Cum vino exitialium venenorum antidotum est. aduersus scorpionum quoque ac phalangiorum morsus prodest. aduersatur autem ventriculo.

Cum oleo tritum aut permixtum, rigores per circuitum recurrentes tollit, corpusq́ue calfacit, si ante inuasionem eo confricetur. Cum farina hordeacea tritum & impositum phymata discutit. Oculorum inflammationibus cum cocto cotoneo malo, aut pane impositum subuenit. Vsti Abrotoni cinis cum oleo tenuium partium, vt Cicino, Raphanino, Sycionio, alopeciam curat, & barbam segnius enascentem elicit.

Serpentes, lecto instratum, & suffitu abigit. Ramo eius, si subiciatur puluino, Venerem stimulari tradunt: Plinius.

DE

DE ABSINTHIIS, AC PRIMVM DE LATIFOLIO. CAP. II.

Absinthium Latifolium.



ABSINTHII plura occurrunt genera, Vnum latioris folij, quod cæteris præstat: alia duo tenuioris sunt folij: reliqua spuria. Dios. tria Absinthij recenset genera: Ponticum, Seriphium, ac Santonicum, quæ ad superiora genera referéda veniút.

Latifolium Absinthium caule assurgit ramoso, cubito altiore: folia promit ampla, multiplicatis sectionibus laciniosa, mollia, e virore canescentia, inferiore parte candidiora: flosculi parui, rotúdi cauliculos superiores conuestiunt, colore sublutei, in exigua semina staminea abeuntes. radix subest dura, lignosa, in diuersa tendens, restibilis & in plures annos sufficiens.

Amat Latifolium Absinthium saxosa, montósa, & inculta loca: prouenit non rarò circa aggeres. Vbique & omnibus regionibus vulgare. Præstantius, inquit Dioscorides, in Ponto, Cappadocia, & in Tauro monte nascitur. Plinius Ponticum Italico amarius esse ait. Valde amarum Absinthiú Ponticum esse & his verbis Ouidius ostendit:

Turpia deformes gignunt Absinthia campi,
Terraq; de fructu quàm sit amara docet.

Nasci verò in Ponti regionibus & Latifolium nostro simile, ac in vsu Constantinopoli medicantium tale esse, Bellonius in primo singularium suorum libro, cap. 76. refert.

Reperitur & in quibusdam frigidis Heluetiorum montibus, quod præ cæli rigore non attollitur, sed per terram serpit, vnde supinum à nónullis dicitur.

Iulio ac Augusto flosculi seminaque perficiuntur, colligi ac in vsum reponi tunc absinthium vtiliter potest. Græci ἀψίνθιον appellant Comicorum nonnulli etiam ἀπίνθιον, (siue vt plerique ἄποτον) quasi non potabile, quod propter insignem eius amaritudiné in potionem non videatur admittendum. Dicitur & βαθύπικρον, aut (vti alij legunt) βαρύπικρον. Ab Apuleio Absinthium Rusticum: Nos Latifolium cognominauimus ad aliorú differentiam.

Arabum interpretes præstantius, quod videlicet Ponticum Dioscoridi, Romanum cognominant, & post hos posterioris ætatis Medici barbaram sectantes medicinam. Itali Absinthium *Assenso* nominant, Hispani *Axenxios*, *Assensios*, plerique *Donzell*. Lusitani *Alosna*. Germani Weronmút/wermút: Galli *Aluyne*. Belgæ Alsene Britanni, siue Angli, Common wormewood. Bohemi Pelmek. Facultate autem ac temperie calidum ac siccum est Absinthium, & calidum quidem secundo ordine, siccum verò etiam tertio. Amarum est & expurgans, & vnà quoque potentiæ astringendi vim obtinet.

Vtilissimum idcirco debili ventriculo, quem bilis infestat, nam amaritudine sua hanc expurgat, & per infernam egestionem expellit, perque vrinam euacuat, astringédi verò sua potentia ventriculum roborat, ac confirmat. Sed ad contentam in ventriculo pituitam nihil (addit Galenus) iuuat.

Crapulam idem præsumptum arcere & fastidia discutere Dios. ait; iuuat verò non modò ante sumptum, sed & à crapula ac largiore potatione ventriculum ac stomachum malè habentem breui reficit.

Aduersus diuturnas & prorogatas febres, præsertim tertianas, magno sæpenumerò præsidio est, neque enim ventriculum tantummodò confirmat, aut cibi appetentiam excitat, sed & iocinori robur conciliat, ac ipsum ab obstructionibus expedit, vitiosos humores per vrinam expurgans.

Confert deinde absinthium plurimum etiam his, qui ex liene sanguinem profusum vomunt. Quod quidem accidit, cùm lien sanguine crasso distentum, ac turgidum seipsum exonerat. Tunc autem magno impetu sanguis sæpe plurimus vomitu eiicitur, nonnullum verò & cum excrementis permixtum per inferiorem ventrem nigrum & corruptum descendere *Sanguinis vomitus.*
contingit;

contingit, fit autem non rarò, vt in ipsa violentia, copiosioreque vomitione æger deficiat, aut viribus resumptis, in difficilem, ac penè incurabilem Ascitem paulo pòst delabatur, præsertim sæpius malo recurrente. Ab his periculis ægrum absinthium vindicare potest, si à vomitu refectis, & vtcunque reparatis viribus, multo tempore, quocunque libuerit modo hoc vtatur.

Pellit præterea absinthium & interaneorum vermes, non modò intrò assumptum, sed & foris admotum, aduersatur omnibus putredinibus, oris graueolentiam emendat: vestes etiam à tineis conseruat, culices cum oleo corpori illitum abigit. Item in cataplasmatis ac fomentis, ad astringendum & resiccandum plurimum potest.

Dioscorides præterea & ad inflationes vtile esse refert, & ad ventris ac stomachi dolores cum seseli & nardo Celtica, Morbum item regium sanare decoctum, aut dilutum eius quotidie cyathorum trium mensura potum.

Commodum verò & ad strangulationes ex fungis cum aceto; cum vino verò potum aduersus Ixiam, Cicutam, muris aranei morsum, & draconem marinum. Imponitur anginis cum melle & nitro: pustulis nocturnis, ἐπινυκτίδας vocant, cum aqua suggillatis cum melle: ad caligantes oculos, & sanie manantes aures eodem adhibetur modo.

De Tenuifolio Absinthio, quod Romanum appellatur. CAP. III.

Absinthium tenuifolium.



TENVIFOLIVM absinthium cauliculos promit complures, tenues, dodrante aut pede altiores, foliis circumuestitos, multò quàm superioris minoribus ac tenerioribus, minutissimè ac tenuissimè dissectis: flosculi vti prioris secundum cauliculos ac virgulas dependent. radiculæ tenues per obliquum proserpentes germina complura hinc inde promunt: Subcandidum quoque istud absinthium est, multò minùs quam Latifolium amaricans; & odore haud perinde graui aut iniucundo, sed potius grato.

In Mysia, Thracia, Pannonia, aliisque vicinis regionibus frequens: Reperitur ac in Bohemia, ac non paucis Germaniæ incultis locis: In Belgio & Britannia hortense est.

Autumno flores, semenque profert, paulò pòst, hyeme aduentante, herba marcescit, vegeta interim radice, à qua vere folia caulesq. rursus exeũt.

Vulgò Romanum Absinthium, & Roomsche Alsene appellant, quo nomine compluribus medicinam facientibus, ac Pharmacopœis innotuit, qui hoc Absinthio Pontici loco vtuntur. Videtur verò Ponticum illud esse, quod à Galeno XI. Methodi his verbis describitur: Ponticum ad iocinoris & ventris phlegmonas eligi præstat. Porrò id tum folio, tum flore longè quam cætera absinthia minore, odor quoque huic non modò non insuauis, verùm etiam aromaticum quid præferens reliquis omnibus planè est fœdus. Differens verò istud Ponticum est, ab eo, quod à Dioscoride commendatur. Nam Dioscoridis Ponticum, ex primi generis, siue Latifolij absinthij est numero: Quod & Galenus lib. VI. de simplic. medic facult. cap. de Abrotono affirmat: Absinthij, inquit, tres sunt species, quarum vnã eodem cum genere ipso nomine appellitant, cuiusmodi potissimum est Ponticum. &c. Ex quibus manifestum, Galenum hoc loco Ponticum non alio quàm ad primum absinthium retulisse. Proinde non temerè plerique admirantur Galenum in lib. de med. methodo Ponticum & flore & folio minus esse scripsisse. Excusatur à nonnullis, qui occasionem in deprauatum conijciunt codicem, & XI. Methodi pro μικροτέροις, i. minoribus, restituẽdum volunt μακροτέροις siue longioribus. Tenuifolium ergo istud absinthium haudquaquam legitimum Ponticum est. Neque etiam Arabum Romanum quibus non aliud est Romanum, quàm Græcorum Ponticum.

Creditur verò & à nonnullis istud esse appellatum Santonicum, verùm hoc non in Mysia,

Thracia,

Thracia, aut aliis Orientem versus regionibus requirendum, sed vltra Alpes in Galliis, si fides Diosc. exemplaribus. Sunt tamen qui velint non vltra Italiæ Alpes, sed in Galatia Asiatica nasci & in Sardorum regione quæ & in Asia minore. vnde illi Σαρδόνιον Græcè nomen, quod in Santonicum commutatum transscribentium errore. Retinent Diosc. exemplaria Sardonij vocem. Galeni vero Santonici, ex quo ad posteritatem, vt videtur, peruenit.

Facultate autem Tenuifolium istud Absinthium calidum quidem est ac siccum, amaritudinis quoque, sed multò minoris, quam Latifolium, particeps, astringendi autem vis in eo superat.

De *Seriphio, siue Marino absinthio.*

Cap. IIII.

Absinthium Seriphium.



Absinthium Ægyptium.



SERIPHIVM Absinthium tenuitate, ac multiplici foliorum sectione Tenuifolio haudquaquam cedit. in tenues & minutulas particulas complures similiter dissecta sunt foliola, mollia, item & candida, cauliculi in multos ramulos diuiduntur, circa quos flosculi & semina vti aliorum. radix dura & lignosa.

Amat aggeres, incultaq; quæuis haud procul à mari loca; frequens Hollandiæ, Zelandiæ, Flandriæ littoribus, ac vicinis locis: Reperitur & in Gallia, Italia, aliisq; regionibus maritimis, sed non rarò odore, quandoque & colore differens. Quod enim circa littora exit maris mediterranei in plerisq; Europę prouinciis, veluti in Narbonēsi Gallia graueolentius est, ac minus candicat. Cādidius vero ac minus graueolet ad Oceani littora natum. In Africa & Ægypto odore etiam potentius est: quale olim ad me Magnificus vir Iacobus Antonius Cortusus Patritius Patauinus misit.

Tempore florendi, seminisque perficiendi cum prioribus conuenit.

Nomen à Græcis σερίφιον & ἀψίνθιον θαλάσσιον habet; Latini Seriphium, & absinthium marinum appellant, vulgò Zee alsene Angli Sea wormwode. Dicitur & à nonnullis Santonicum, vt Diosc. testatur Sed & aliud tamen Santonicum à Seriphio differens.

Est autem Seriphium, siue marinum absinthium calidum quoque ac siccum natura. Stomacho, vti Plinius, inimicum. Dioscorides per se, vel cum oriza decoctum, ait, & cum melle sumptum, ascaridas, & rotundos lumbricos necare: aluumq; simul leuiter subducere: Quod & Plinius affirmat, Aluum, inquit, mollit, pellitque animalia interaneorum.

De Externis & Spuriis Absinthiis. CAP. V.

Absinthium inodorum, & insipidum.



Absinthium angustifolium.



Absinthij angustifolij ramulus foliis fissis.

1.

2.

3.



SPVRIORVM absinthiorum, quæ non absre Externa appellari possunt, aliquot supersunt genera.

Herba alba ab Heluetiis appellata, vel prima occurrit; Tota hæc mollis, veluti lanuginosa atque albida est, & Seriphio siue Marino absinthio assimilis, sed cádidior, odore & sapore quoque satis refert, sed tamen aliquanto suauior, ad Caphuræ odorem accedens.

In Valesia prope Sedunum in collibus nasci apricis, Gesnerus scribit, ac Autumno demum, & sub Æstatis finem florere.

Proximum genus, foliis, caulibus, floreq; vulgare Latifolium refert, sed odore ac sapore destituitur, vnde & Insipidum appellatur. Quibus locis, aut qua in regione huiusmodi nascatur, nondum cognouimus, in studiosorum hortis à nobis repertum.

Tertium ex Lauandula & Absinthio miscellanea quædã stirps apparet. Cauliculi eius complures, tenues, teretes, & lignosi in multas alas sperguntur: circa quos flosculi absinthij, ac Artemisiæ similes, folia oblonga, incana, veluti Lauandulæ, subinde tamen in partes quasdam fissa. odore autem hæc stirps haud ingrato, Lauandulam tenuiter refert.

In maritimis fertur, præsertim Adriatici sinus,

nus, sponte nasci; in hortis facilè comprehendit, & mediocriter hyemem fert.

Spuria autem hæc sunt nec legitima Absinthia.

Primum Conradus Gesnerus Seriphium feminam nominauit, & vulgò Herbam Albam dici refert, alius Santonicum appellare maluit. Nam, vt Dioscorides, Santonicum in Gallia vltra Alpes reperitur, & à regione, in qua nascitur, nomẽ sortitum. Heluetiorum autem ager Romanis est vltra Alpes, ad Gallias pertinens, sed longè ab his abest Santonum prouincia; Hæc enim Aquitaniæ pars est, sita ad Oceani oram maritimam, infra Garumnam flumen, versus Septentriones. Santonicum idcirco Absinthium, si à Santonibus nomen habet, procul ab Alpibus nascitur: Quòd si verò iuxta Alpes, à Santonibus nomen non accepit. 1.

Alterum Inodorum, Insipidum ac Fatuum absinthium rectè appellatur. 2.

Tertium Angustifoliũ absinthium dicitur à pler.sq; tamen Lauandula flore Absinthij: ab alijs Artemisia marina. flore tamen Absinthio, quàm Artemisiæ (his ipsis testibus) similior. A vero recedũt, qui Santonicum esse censent, lõgius verò etiam, qui Seriphium esse existimant. 3.

Facultate Herba quidem Alba caloris & siccitatis cuiusdam exiguæ particeps est. 1.

Alterum Absinthium, vt sapore ac odore destituitur, ita vix vllius qualitatis calidæ, multò minus expurgatricis facultatis aliquid possidet. Summoperè cauendum, ne tale aliquod (si alicubi occurrerit) pro legitimo colligatur. Odor perpetuò consulendus, atque vnà sapor. 2.

Angustifolium absinthium calidum ac siccum est, sed tamen haud intensè, multò certè minus, quàm vel Absinthium, vel Lauandula. 3.

De Sementina. CAP. VI.

Sementina.



AD Absinthij genus contingit & referri, vulgò Semẽtinam dictam, non tamen primis tribus comparandam, sed vel inter Spuria absinthia, vel aliò referendam. Caule hæc assurgit, mox in multas alas ac ramos distributo, circa quos folia minuta, copiosiora verò semina, exigua quidem illa, sed adeò frequentia, vt stirps cum ramis vniuersis semine tota turgida appareat.

Peregrina est stirps, semen in calidarum regionum hortis satum, non infeliciter prouenit.

Galli *Barbotine* appellant. Italis *SemenZena* est; vnde & Latinis Sementina. Semen, passim Semen Sanctum, & Semen cõtra Lumbricos appellatur; à quibusdam semen Zedoariæ.

Amarum autem admodum hoc semen est, calidum & siccum ea de causa facultate. Aduersus ventris lumbricos, & interaneorum vermes quocunque modo sumptum vtile. Vtilius verò & futurum, si Rhabarbari nonnihil ei addatur: ita enim non modò vermes interficiuntur, sed & per aluum motum expelluntur, quod fieri omnino expedit.

De Agrimonia siue Eupatorio. CAP. VII.

FOLIA Agrimonia profert oblonga, in plures vtrinq. partes diuisa, quarum singularia Cannabis particularibus quadamtenus similia, sed latiora, molliora, minusque saturato colore virentia, hirsuta, & secundum margines crenata. Caulis tenuis, rectus, cubito altior, duriusculus, subnigricans, & ipse pilosus, à cuius medio sursum versus flosculi exeunt parui, lutei, deinde semina fastigio latiora, quæ deorsum inclinantur, & propè inambulantium laneo ac pelliceo vestitui inhærent. Radix oblonga, mediocris crassitudinis, subnigricat.

Locis parum cultis secus vias, sepimẽta pratorum, ac aruorum, ac quandoq. in syluis exit. Iunio mense, ac serius flores: semen deinde in multam æstatem facit.

Græcis est εὐπατόριον; Latinis quoq. Eupatorium. Plinio Eupatoria. Inter nothas appellationes ἡπατόριον, ac ἡπατῖτις etiam appellata reperitur. Est tamen & aliud Eupatorium Apu-

Agrimonia siue Eupatorium.



leio, ipsum nempe Martubium: Aliud item Hepatorium Officinis, vulgaris videlicet vsus, quod & Hepatorium adulterinum appellatur. Officinæ Eupatorium Agrimoniam nominant: à nonnullis Ferraria minor dicitur. ab aliis Concordia, aut Marmorella. In vetere versione Oribasij de simplicibus lib. IIII. Agrimonia Lappa inuersa nominatur, & Lappa quidem inuersa, quòd semina lapparũ instar aspera deorsum dependeant: Italis quoque *Agrimonia*: Hispanis *Agramonia*: Germanis Odermeng/ Bruckwurtz: Belgis, Gallis, & Anglis, Agrimonie. Bohemis Starcek. Differt autem Agrimonia ab Argemone.

Eupatorium autem ab Eupatore inuentore nomen, & Regiam, inquit Plinius, auctoritatem habet. Citra autem manifestam caliditatem, adstringẽdi mediocrem vim Agrimonia obtinet, & vnà temperiem siccam. Galenus Eupatorium tenuium esse partium refert, & incidendi expurgandiq; facultate præditum, quocirca & iocinoris obstructiones expurgare, & simul visceri robur adstringẽdi sua facultate addere. Decoctum foliorum hepaticis, & nephriticis sanguinẽ mingentibus confert. Semen, Plinio auctore, dysentericis in vino potum auxiliatur: addit Dioscorides, iocinerosis, & à serpentibus commorsis.

Contrita folia ac cum vetere suillo adipe imposita, vlceribus difficilem cicatricem contrahentibus, medentur: Dioscoride quoq; auctore.

De vulgari siue Adulterino Hepatorio. CAP. VIII.

Vulgare Hepatorium.



VVLGARE Hepatorium teretibus ac subrubentibus caulibus ad duos cubitos, vel altius interdum assurgit: foliis hi conuestiuntur oblongis, virentibus, per marginem serratis, quinis seprenisve ab vno dependentibus pediculo, instar cannabinorum, sed tamen mollioribus: flosculi exigui, muscosi, dilutè rubentes, in mollibus rotundis vmbellis, & quidem in alarum fastigiis apparẽt, qui tandem in pappos euanescunt. Radix subest fibrosa, mediocris magnitudinis.

Circa scrobium, riuulorum, ac stagnantium aquarum margines, fluuiorum ripas, aliisq; vliginosis locis, subinde & in veteribus ac humentibus muris nascitur: Amat aquosa & vicina aquis loca, non tamen rigari omnino postulat.

Proxima huic videtur, quæ Hepatorij aquatilis nomine, inter eas quæ aquosis gaudent describitur.

Iulio & Augusto floret ac viget, radix restibilis est, sed caules foliaque hyeme intercidunt.

Vulgò Hepatorium, nonnulli etiam Eupatorium: Leonhartus Fuchsius Eupatorium adulterinum nominat. Plerique Cannabinam, à similitudine foliorum Cannabis: Existimatur & ea quam Baptista Sardus Terzolam vocat: Germanis est S. Kunigund kraut. i. Sanctæ Kunigundis herba, & Wasserdost: Belgis Boelkenskruyt.

Hepa-

Hepatorium autem ab ea, qua hepati siue iocinori prodest, facultate nomen inuenit: ad Eupatorem inuentorem referri non potest.

Amara autem sunt herbæ & folia & radix, calida & sicca ordine secundo. Vim obtinent expurgatricem, & aperitiuam, crassos humores attenuant, & per vrinas expellunt, sanguinem puriorem reddunt. Datur vtiliter decoctum huius scabie, aut alia quauis cutis fœditate laborantibus, tum & iis, quibus vel lien, vel iecur obstructum aut tumidum: vtriusque enim visceris infarctus expedit, tum & fellis. Proinde & ictericis, præsertim post principia, vtilis: diuturniores ac productas tertianas febres citò curat ac tollit, aduersus quartanas etiam prodest.

Succus herbæ ac foliorum eadem potest, qui & ventris lumbricos assumptus potenter necat. Fugantur venenatæ feræ ac animalia aridæ herbæ suffitu. Ceruos telis vulneratos, pastu huius herbæ proculdubio sanari, quidam affirmant.

De Alsine. CAP. IX.

Alsine maior.



Alsine minor.




INTER Alsines vna maior ac procerior est: aliæ minores, & humiles. sunt & quas spurias, non abs re nominare licet.

Maior Alsine cubitalibus, subinde etiam altioribus assurgit coliculis, à radice compluribus, teretibus, tenuibus, geniculatis folijs è singulis articulis binis, digito latioribus, longioribus quàm Parietariæ: quibus satis forma respondent, sed læuia, pilis, lanugineve carentia, dilutiusque virentia. Cauliculi aliquo modo transparentes apparent, ac circa genicula dilute admodum quandoque subrubent, veluti Parietariæ. flosculi in alarum summo candiduli, veluti graminis Leucanthemi, sed tamen minores, oblongis succedentibus haud magnis capitulis, in quibus semen. Radix ex tenuibus capillamentis confibrata. 1.

Altera Alsine humi vt plurimum procumbit, cauliculi eius tenues, teretes, ac geniculati, à quibus ramuli. folia veluti prioris, sed minora multò, veluti & tota est herba, quæ ad prioris magnitudinem nullatenus accedit, omnibus partibus minor: flosculi similiter albidi, capitula veluti prioris. Radix perinde fibrosa. 2.

Alsine minima.



Alsine marina.



3. Tertia similis secundæ, sed longè minor, coliculi tenerrimi sunt, foliola admodum minuta; flosculi exigui, radiculæ tenuissimæ.

4. Quarta vero & quædam est, sed maritima, hæc secundam referret, nisi caules crassiores, breuiores, crebrius geniculati. folia similiter crassiora capitula non in rotunditate oblonga, sed latiuscula, in quibus semina terna, quaternave.

1. Prima Alsine inter vepres, in dumeris, sub rubis, locis opacis & alsiosis, prope fontes vel defluentes aquas exit.

2. 3. Secunda & Tertia lucos, & humentia etiam amant, sed tamen in hortis inter olera, ac in vitibus enascuntur.

Quartam frustrà fuerit alibi, quàm in maritimis requirere.

Virent Alsines etiam hyeme, vere florent, ac semen perficiunt.

Alsinem Græci ἀλσινὴν quoque appellant: Dicitur verò & μυὸς ὦτα. i. muris auricula, est tamen & alia Muris auricula, à Diosc. alio descripta loco: Discrimen harum notum, & Galeno quidem qui de vtraque seorsum scripsit. Distinguit & Plinius inter Alsinem & Myosotidem Paulus autem Ægineta Alsinem à Myosotide non putauit differentem, vt in litera M. vbi de Myosotide, apparet Nominatur verò & Alsine spuriis quibusdam vocibus, Myorthocos, & Myortosplenon.

1. Priorem plerique Hippiam maiorem appellant; incognita tamen multis est, ac etiam (quod admiramur) diligentibus de stirpium materia scriptoribus.

2. 3. Secundam & Tertiam Morsum gallinæ vulgò vocitant, plerique Hippiam minorem. Ruellius ab Italis *Passerinam* dici refert, Gallicè verò *du Mouron*, vnde Belgis Muur, Germanis Hünerbiss. Anglis Chickenwede.

4. Quartam Alsinem Marinam appellandam natales requirunt.

Est autem Alsine frigida quidem & humida, ac aqueæ essentiæ, quare & citra adstrictionem refrigerans, vt Galenus. Oculorum inflammationibus cum polenta, auctore Dioscoride, imponitur. Succus aurium doloribus, (ex caussa videlicet calida) infunditur.

Minore, auiculæ caueis inclusæ, cùm escam fastidiunt, recreantur.

De Spuriis Alsinis. CAP. X.

Alsine spuria prior, siue Morsus Gallinæ



Alsine spuria altera.



DIFFERVNT à superioribus Spuriæ Alsines, quòd pilosæ ac hirsutæ appareát: foliorum etiam forma, ac flosculorum color quarundam non respondet.

Prima harum tenuibus cauliculis humi, veluti minores Alsines, procumbit: foliola lasciuscula incisuras fere duas habent. flosculi è cæruleo purpurei. Radix tenuis, longa, adnatis fibris capillatur. 1.

Alterius folia oblongioris formæ, ambitu serrata sunt: flosculi similiter cærulei: valuulæ planæ, quales Veronicæ, Radix similiter fibrosa. 2.

Tertia ex minoribus Alsinis priorem omninò refertet, nisi tota hirsuta, ac è virore amplius nigricaret. Caules & folia sunt minoris Alsines: flosculi quoque albidi; capitula cum seminibus respondent; nec radices fibrosæ deficiunt. 3.

Huic caule, foliis, flosculis candidis, capitulisque similis est Quarta, sed assurgens, haud procumbens, candidior & lento quodam ac glutinoso veluti succo aut rore occupata, tangentium manus inficiente. 4.

Reperiuntur passim, etiam in agris demessa segete; quarta tamen non vsque adeò frequens occurrit.

Vigent ac virent quo tempore aliæ Alsines.


Priorem & alteram, plerique Morsum Gallinæ quoque appellant: Germanicè Hünerbiß. Gallicè *Morsgelin*.

Tertia à nonnullis μυὸς ὦτα, & Auricula muris appellatur: non est tamen legitima Diosc. μυὸς ὦτα. Desunt flores cærulei, & radix digitalis crassitudinis (si legitima lectio.) Potest ideirco non modò pro Spuria Alsine, sed & pro notha Auricula muris haberi, veluti & quarta à tertia exiguum, vti diximus, differens.

Videntur autem hæ frigidæ quoque, ac humidæ, ac aliis Alsinis potentia ac viribus assimiles.

De Anagallide. CAP. XI.

Anagallis mas.



Anagallis femina.



ANAGALLIS Alsines similitudinem refert, eius præsertim, quæ inter minores prior est: Cauliculi eius quadrangulares non attolluntur, sed per terram sparsi iacent; pauca paruulaque folia, non toto ambitu rotunda, superna parte virent, auersa verò exiguis nigricantibus punctulis notantur: Flores in tenuibus pediculis iuxta folia, aut cærulei, aut phœniceo colore rubentes. fructus rotundus instar seminis Coriandri, in quo semen minutum: Radix tenuibus fibris constat.

In aruis, iuxta semitas, & in hortis, ac vineis non rarò prodit.

Tota æstate, potissimum tamen Augusto mense, florem facit.

Anagallis Græcis similiter ἀναγάλλις, à nonnullis, Plinio auctore, Corchorus. Marcellus vetus scriptor Maciam appellat, quæ vox & inter spurias apud Diosc. extat: Germanis Gauchheyl, Belgis Guychelheyl, Anglis Pimpernell.

Quæ phœnicei est floris, mas habetur, eadem Phœnicion & Corallion dicitur. Ex hac paratur compositio Diacorallion aduersus articulares morbos, de qua Paulus Ægineta lib. VII. Appellatur verò & hęc ipsa, vt inter nothas appellationes scribitur, Aëritis, ęgitis, sauritis.

Altera, cærulei floris, femina vocatur, quæ & Zelaurus, & Nycteritis nominibus spuriis dicta reperitur.

Habet autem vtraque Anagallis desiccandi vim citra mordacitatem, nonnihil quoque caloris, & quandam trahendi facultatem, adeò vt & infixa corpori extrahat, auctor Galenus.

Diosc. vtramque mitigandi vim habere, inflammationes arcere, adactos corpori aculeos extrahere, & nomas cohibere tradit: Succum item caput gargarisatum purgare. naribus infusum dolorem dentium lenire, si in aduersam narem inuciatur, rerusæ oculorum acici auxiliari, & argema cum melle expurgare. contra viperarum morsus, iocinoris, ac renum vitia, si ex vino bibatur, prodesse: addit dici eam, quæ cæruleum florem profert, procidaum sedem reprimere, quæ verò phœniceum, impositione euocare.

De Artemisia. CAP. XII.

ARTEMISIÆ genera Posteriores complura statuunt, Matricariam & Tanacetum eò quoque referentes. Fuchsius florem Aphricanum huc quoque adducere conatus fuit, de quo Pemptadis alterius lib. III. Nobis de propriè Artemisia dicta primùm: deinde de aliis congeneribus agendum.

Artemisia latioris folij.



Artemisia tenuifolia.



Huius autem Artemisiæ genera duo, vnum latioris folij, alterum tenuioris.

Prioris Artemisiæ folia lata sunt, laciniosa, ac variè dissecta, per margines incisa, Absinthij latifolij minora, nec perinde albida, superius enim herbido colore virent, inferius tantummodo inalbicant: caules recti, sesquicubitales, rotundi, striati, ac in paruulos multos distributi, subinde rubent, folia circa quos sensim attenuantur: flosculi perexigui, Absinthij æmuli, sursum versus digeruntur. radix multis firmatur fibris. 1.

Alterius minutissime dissecta folia Abrotoni maris æmulantur, paulò tamen maiora, & longiora: cauliculi tenues, in tenuiores alas diuiduntur, quibus præter exigua inferius folio-la, & parui corymbi copiosi superius adhęrēt, minores quàm prioris. radix crassa altè descēdit. 2.

Prior Artemisia secus vias, agrorum, & aruorum margines, multis locis frequens est, & non modò in locis mari vicinis, sed & longissimè ab eo dissitis exit; & nonnullis locis altior amplius luxuriat, alibi humilior, pro soli videlicet, ac regionis conditione, quæ ad stirpium murationem plurimum facit. 1.

Altera longius a maritimis recedit, in Germania, Bohemia, Austria, alijs regionibus, secus scrobes, aquarum riuulos, quandoque etiam in apricis occurrit. 2.

Florent ambæ, & semen perficiunt æstiuis mensibus, inarescunt inde, sed restant hyeme radices.

Quæ Græcis Ἀρτεμισία apud Latinos nomen retinet, quòd ab Artemisia Mausoli Cariæ Regis vxore, hanc sibi adoptante, accepit, antea παρθένις dicta: vti Plinius refert: Apuleius παρθένιον etiam dici affirmat, apud quem & complures appellationes huius occurrunt, quarum multæ inter nothas apud Dioscoridem. Harum pleræque legitimæ Artemisiæ: nonnullæ alijs conueniunt, quas subinde Artemisijs annumerari contingit. Potest hæc πολύκλωνος, & fortassis non abs re ἱερίας, χαιριτολοχία, λευκῶπις, & Valentina dici.

Priorem Artemisiam nonnulli Matrem herbarum nominant: Germani Beifůß, & Sant Johanns gůrtell: Hispani *Artemisa*: Itali *Artemisia*: Galli *Armoise*: Belgæ Byuoet, Sint Jans kruyt: Angli Mugwurte: Bohemi Czernobyl.

Altera Artemisia λεπτόφυλλος cognominatur, siue Tenuifolia. Huius & in legitimo de Artemisia apud Diosc. cap. tum & altero inter notha reiecto, nomen, & qualiscunque descriptio

scriptio occurrit. Videtur autem hanc Matthiolus pro Ambrosia altera depinxisse.

Est autem Artemisia vtraque, auctore Galeno, excalfaciens, ac modicè desiccans, calida autem secundo excessu, sicca primo aut secundo remisso, & vnà modicè tenuium partium. Plinius priuatim feminarum malis mederi ait. Dios. ad ducendos menses, secundas, & fœtus. item ad præclusiones, & inflammationem vteri, ad insessus muliebres aduci, atque ipsis incoqui. Item cum myrrha subditam, eadem quæ insessu posse: bibi & comam decoctam eorundem gratia: iam & pubi instar cataplasmatis impositam menses ducere.

Ciet vero & eadem remoratam vrinam, ac calculos comminuit, eodem auctore.

Plinius, viatorem, ait, qui alligatam herbam habeat, lassitudinem non sentire: & secum habentem negari nocere mala medicamenta, bestiamve vllam: & ne solem quidem. Bibi verò & ex vino aduersus opium.

De Botry. CAP. XIII.

Botrys.



EXIGVA herba Botrys est; dodrãte vix altior, fruticis modo rectè, & vnico caule assurgens, in nonnullos tamen ramulos effuso, ac distributo, quos folia vtrimque laciniata, atq. profundius incisa, instar foliorum Erigeri, exornant: semen in racemulos collectum, circa totos exit ramulos. radix in fibras abit. Tota herba per maturitatem in viridi luteo languescit colore, odorata est, & tota quoque gummoso lentore prædita, quo colligentiũ manus inficit antè verò quàm adolescerit, ac quum primùm prodit, folia inferiore parte rubent.

Nascitur in Italia & Gallia circa profluentes aquas, & fontes: reperitur verò, & in sabulosis, ac aridis, in oliuetis quibusdam; facillimè in hortis adolescit. annua est.

Augusto ac Septembri mense ad perfectionem venit.

Græci βότρυν appellant. Latini eadem appellatione vtũtur. Itali *Botri*: Germani Traubenkraut, & Krottenkraut, Galli *Pymen*. Belgæ Pimment/ Druyvenkruyt. Angli Oke/ of Ierusalem Hispani *Bien granada*.

Dicitur verò & Artemisia, vt non modò Dioscorides, sed & Plinius testatur: apparet autem Artemisiæ illa species, que μονόκλωνος appellatur.

Præter enim duas illas Artemisias, de quibus cap. præcedente, & tertiam superesse Dios. & Plinius testantur: Quam Dioscor μονόκλωνον, siue vnicaulem: Plinius lib. 25. cap 7. etiã Botrym ac Ambrosiam vocari refert. Tenuis autem hæc describitur herba, simplici caule, & minutis floribus scatente, flauo colore, quæ iucundiorem quàm præcedentes Artemisię odorem fundat: qualis vtique Botrys est. Facit huc quòd Botrys, Dios. auctore, etiam Artemisia ac Ambrosia dicatur.

Cæterùm Botrys calida ac sicca est secundo excessu, vim habet attenuandi, ac incidendi. In vino pota, vt quidem Dioscor. & Paulus, ὀρθοπνοικοῖς. i. non nisi recta ceruice spirantibus prodest. Idem possunt cum saccharo condita folia, Conseruam vulgò appellant. Addita carnibus, quæ cum iure coctæ eduntur, gratum adducit saporem.

Interponitur arida vestimentis non modò vt suauitatem odoris contrahant; verùm vt & à tineis ac blattis conseruentur, quod ipsa quoque præstat.

De Ambrosia. CAP. XIIII.

AMBROSIA vnico similiter caule, eoque nonnihil striato, fruticis exigui modo assurgit, duos aut tres palmos alto, qui in ramulos, ac alas complures quoque diffunditur: folia haud magna, varie fissa, teneriora, tenuioraque, quàm Artemisiæ prioris, quorum minora segmenta tenuia, graueolentis Rutæ foliola quodammodo exprimunt: flores secundum ramulos

Ambrosia.



ramulos sublutei, rotundi, muscosi, absque fructu pereunt: subsunt inferius angulosa, terrestris tribuli instar echinata capitula exigua, nunquam florentia, in quibus semen nigricans radix gracilis, palmaris. Inalbicat e vitore tota herba, & gratum odorem spirat.

In Cappadocia spontè nascitur, alibi sata in hortis feliciter adolescit, vbi fœcunditate læti soli quandoque luxurians altius attollitur.

Sub finem æstatis, & flores, & semen Ambrosiæ in Germaniis perficiuntur.

Græcis est ἀμβροσία, Latinis quoque Ambrosia, nec aliud eius nomen cognitum. Plinius Ambrosiam vagi nominis esse, & circa alias herbas fluctuati ait. Nam & Botrys, vt scripsimus, à nonnullis Ambrosia dicitur.

Matthiolus & alteram quandá describit Ambrosiam, à nobis pro secunda ac tenuifolia Artemisia descriptam. Recentior ætas & Ambrosiam quoque siue Ambrosianam aliam nominat, quam sub Agrestis Saluiæ nomine expressimus.

Vsus autem Ambrosiæ ad ea, quæ repelli & reprimi sit opus: Nam, vt Galenus, imposita vim habet adstringentem ac reprimentem.

De Matricaria siue Parthenio.

CAP. XV.

Matricaria.



MATRICARIA plures subinde cauliculos promit rotundos, in alas ac ramulos quosdá subinde diuisos: folia tenera, variè fissa, ambituq; crenata, Coriandri prima ac terræ proxima æmulantur, sed tamen maiora; flores in fastigiis ramulorum eminent medio orbiculo siue disco lutei, è quo candida foliola per marginem erumpunt, chamæmeli floribus similes. radix durior adnatis multis capillamentis confibratur. Tota herba diluto colore viret, grauiter olet, ac gustu perquàm amara est.

Nascitur in sepibus, in hortis, secus veteres muros. locis gaudet ruderatis. subest sæpenumero radicum fibris aliquis, licet exiguus, carbo, quem inter rudera facilè contingit reperiri, de quo Cardanus nugas nonnullas in libris De subtilitate adfert.

Æstiuis mensibus in vigore ac flore est.

Dioscoridi παρθένιον est, Galeno verò ac eius sectatori Paulo, ἀμάρακος ἢ ἀμάρακον. Testatur ipse Dioscorides, Parthenium à nonnullis Amaracum dici & λευκάνθεμον.

Parthenium Galeno Perdicium siue Parietaria est, & similiter Plinio lib. 22. cap. 17.

Est & tertium Parthenium Linozostis videlicet, siue Mercurialis, quam Diosc. refert aliquos Parthenion nominare, cui accedit & Plinius lib. 25. cap. 5. & similiter Apuleius.

Recentior ætas, Dioscoridis Parthenium Matricariam appellat: Plerique Amarellam:

Itali

Itali *Marellam*: Hiſpani *Matricaria*: Germani Mütterkraut/ Meidtblůmen: Belgæ Mater, & Moederkruyt. Galli *Marone*: Bohemi Rzimbaba: ac Angli Feuerfew, & Fedderfew.

Extant & huius inter ſpurias voces nonnullæ appellationes; vti ἀνθεμίς, χαμαίμηλον, χρυσόκαλλις, μελάνθεμον, ἄνθος πεδινόν, Solis ſæculum, Millefolium. Putatur hæc eſſe ea, quæ ab Apuleio Artemiſia Tragantes vocatur: verùm cum ipſe hanc nullis notis exprimat, difficile eſt affirmare.

Excalfacit autem Matricaria inſigniter, tertio ordine calida, ſicca verò ſecundo, abſtergit, expurgat, aperit, & quæcunque amara poſſunt feliciter præſtat, ad vterinos affectus non parum confert menſes remorantes cit, ſecundas, & mortuos educit fœtus, ſiue eius decocto epoto, vel in balneo incocta, aut etiam cataplaſmatis modo pubi impoſita. Facit & ad ſuffocationes ex vtero hunc in modum, & ad eiuſdem duritics.

Dioſcorides etiam Eryſipelatis, & inflammationibus, cum flore imponi vtiliter, tradit. Idem Parthenium aridum cum Oxymelite, aut vino, aut ſale, non ſecus ac Epithymum, pituitam, ac bilem atram ducere, & aſthmaticis ac melancholicis eodem prodeſſe modo ait. Vtile quoque in potu calculoſis, eodem auctore.

De Tanaceto. CAP. XVI.

Tanacetum



Tanacetum criſpum.



1\. TANACETVM vno aut altero, ſubinde etiam pluribus caulibus conſurgit ſtriatis, in quorum faſtigiis aliquot vmbellæ, quorum flores mediis Anthemidis aut Parthenij orbiculis perſimiles, nullis circumpoſitis aut ambientibus foliolis, aureo luteo reſplendent colore: folia oblonga ſunt, veluti ex pluribus ad vnum congeſtis pediculum compoſita, Agrimoniæ, aut Potentillæ potius ſimilia, filicis maris ſatis æmula, ſed tamen molliora ac minora, quorum particularia vti filicis, vtroque margine ſerrata. radix lignoſa in plures hinc inde diſtribuitur fibras, quibus ſubinde latè ſerpit. Tota amara herba eſt, & cum iucũditate quadã graueolens.

2\. Huius & alia quædam reperitur ſpecies, cuius folia frequentiſſimis inciſuris diſſecta, ac criſpa, denſam aliquam plumam referre videntur, priori & odore, & ſapore, necnon flore planè aſſimilis.

Exit Tanacetum paſſim ſecus agrorum margines, aggeres, hortorum ſepimenta. Criſpi Anglia ferax eſt.

Tertium

Tanacetum inodorum.



Tertium etiam reperiri in Prouincia ac Delphinatu haud procul Valentia Galliæ, Lobelius tradit, quod folijs primum Tanacetum, flore verò Matricariam referat, omni autem odore destitutum sit. 3.

Flores siue potius aurei corymbi Tanaceti, Iunio ac Iulio vigent mense, deperdita inde lutei coloris gratia, succedit semen in ipsis orbiculis, quod Augusto ad perfectionem venit.

Tanacetum nostra ætas appellat: Nonnulli Athanasiam, quasi immortalem, quòd non citò flos marescat, Germani Reinfarn appellãt: Belgæ Reinvaer, & Wormcruyt: Italis *Tanaceto*. Anglis Tansy. Bohemis Wratyc. Non est Artemisia μονόκλωνος, siue vnicaulis, vt à nonnullis creditur.

Facultate autem calidum, & siccum est Tanacetum; vtpote omnibus suis partibus amarum, non tamen secundum vtriusque ordinem longe egrediens.

Semina in vsu sunt vulgi aduersus ventris lumbricos, ac tineas, quas expellunt. Ex tenellis herbæ erumpentis folijs, cum ouis placentæ vere conficiuntur, omnes ingratæ nec iniucundæ, ventriculo verò etiam vtiles. Nam si qui in eo hæreant vitiosi humores, eos partim ad cõcoctionem perducit, partim abstergendo deorsum deducit. Succus herbę cum vino potus, aut eiusdem decoctum, vrinam prouocat, dolores vesicæ lenit, & vrinæ stillicidio medetur: idem succus cum oleo rosaceo spinæ ante accessiones illitus, febrium rigores tollere fertur cum quouis autem oleo, etiam neruorum contractionibus ac doloribus auxiliaris esse.

Tanacetum minus.



Dicitur & de radice, quòd cum melle aut sacharo condita, aduersus podagram plurimum faciat, si ieiuno ventriculo eius aliquantula pars, continuo aliquo tempore sumatur.

De Tanaceto minore siue albo.

CAP. XVII.

ODORE ac sapore proximè hęc herba Tanacetum exprimit, minus tamen odorata aut amara: Caules eius humiliores, ad pedis altitudinem, aut non multò ampliorem attolluntur: folia cùm circa caules, tum prius enata, variè dissecta atque incisa, Coriandrinis maiora, minora tamen ac tenuiora, quàm Matricariæ, ex albido virentia: Vmbellæ in fastigijs cauliculorum, atque in his flosculi candidi, Millefolij similes. radix lignosa, oblonga sensim attenuatur, & subinde in ramulos diuaricatur.

In Germaniæ ac Italiæ agris, plerisque reperitur locis.

Iulio & Augusto, & quandoque Septembri mense floribus ac semine turget.

Odor, saporque, qualis Tanaceto, speciem eius quandam esse ostendunt.

Proinde non abs re Tanacetum minus, vel Tanacetum album nominari potest, præsertim cùm nullum eius aliud nomen cognitum habeamus. Nam quòd pro Sideritide Achillea (si non fallimur) Matthiolus eam exhibuerit, omni ex parte probare non possumus.

Achillea enim Sideritis adstrictione exuperat, & ad sanguinis eruptiones, dysenterias, & muliebria profluuia congruit, at Tanacetum istud citius expurgans ac apetiens esse apparet: maiori Tanaceto vti odore ac sapore, ita & reliquis facultatibus simile, tametsi minus potés.

De Bardana, siue Lappa maiore.

CAP. XVIII.

Bardana, siue Lappa maior.



BARDANA folia initio promit amplissima, & hirsuta, longè quàm Cucurbitæ maiora, ac latiora, crassiora iteru & nigriora, quæ superiore parte saturatius virent, inferiore nonnihil inalbicant. Caulis angulosus, crassus, foliis similibus, sed minoribus longe cingitur, hic in alas & ramulos quamplurimos distributus lappas gignit grandes, globatas, pungentibus exiguis aculeis recuruatis vndique asperas, & transeuntium vestitui inhærentes, è quibus superius flos exit stamineus, colore purpureus: semen intra globosum capitulum perficitur, quod dehiscentibus lappis, vnà cum lanosis pappis, impellente vento, auolat. radix lóga, intus candida, foris nigricat.

Nusquam non obuia Bardana secus vias: locis incultis, desertisque sponte nascitur, nec lapidosa fugit.

Iunio mense caulis assurgit, altero, ex quo nata est, anno, lappæ succedunt vnà cum floribus ac semine.

Græcis est ἀρκεῖον, item & προσώπιον ἢ προσωπὶς; Latinis Personatia, Personata, & Arcium: Officinis Bardana, & Lappa maior: Germanis Groß kletten, Belgis Groote clissen: Italis *Lappola maggiore*. Gallis *Glouteron*, aut *Gletteron*. Hispanis *Bardana*: Anglis Great burre Bohemis Rzepick. Apuleius præter superiores, & alias quasdam Personatiæ appellationes refert, vt Dardana, Bacchion, Elephantosis, Nephelion, Manifolium.

Differt autem Arcion ab Arctio, vt ex vtriusque descriptione, quæ & apud Dioscoridem & Plinium separatis locis extat, manifestum est: tum & ex cap. XXXIII. lib. v. huius Pempt. vbi eius icon & descriptio habentur.

Proinde non parum falluntur, qui nominum vicinitate decepti, Arcium idem cum Arctio esse rentur.

Facultate autem Bardanæ folia moderatè resiccant, ac discutiunt: radix nonnullæ caliditatis particeps est.

Prosunt radices sanguinem, & purulenta exspuentibus cum pineis nucibus, auctore Dioscoride. Apuleius easdem cum modico salis tritas morsui canis rabidi vtiliter imponi, atque sic ægrum statim liberari, ait.

Idem succum foliorum cum melle potui datum, vrinam prouocare, & vesicæ dolores tollere: atque eundem cum vino vetere potum omnes serpentium morsus mirificè sanare. Columella herbam cum sale tritam, & super scarificationem cum ferro factam impositam, venena viperæ pellere; plus verò etiam eiusdem radicem contusam contra serpentes prodesse; strumis item radicem mederi refert. Caulis autem Arcij, priusquam lappæ gignantur, detracto cortice, crudus cum sale & pipere, aut in pinguium carnium iure decoctus non insuauiter editur, sic sumptus semen auget, & ad Venerem inuitat: alimentum præterea haud

malum

malum corpori, præsertim decoctus, confert. additis pineis nucibus amplius conferre potest, & non minus quàm radix tabidis ac hæmoptoicis prodesse.

De Lappa minore siue Xanthio CAP. XIX.

Xanthium.



LAPPÆ minoris folia, quàm superioris, longè minora, dilutius virẽt, ad Atriplicis accedunt, ambitu incisuras habent: caulis cubitalis, angulosus, punctis exiguis nigris notatur, & in alas funditur: flosculi ante lappas verticillatim cauliculos ambiunt, sed exigui & citò collabentes: sequuntur lappæ siue fructus è foliorum sinubus, ac in alarum fastigiis oblongi, Oliuæ aut Corni magnitudine, veluti Platani pilulæ asperi, & contactu vestitui adhærescentes, qui haudquaquam dehiscunt, sed semen conclusi intra se gignunt forma oblongum. radix plurimis fibris firmatur, & haud altè descendit.

Læto & pingui solo, in scrobibus, & lacubus, vbi exaruerunt, facile gignitur.

Iulio & Augusto vigent Xanthij Lappæ.

Græcis est Ξάνθιον, Latini nomen retinent: Officinis Lappa minor, Lappa inuersa, nonnullis Strumaria. Galenus etiam Φασγάνιον appellari ait. Reperitur verò & Φάσγανον inter spurias Ξανθίου appellationes, propriè tamen Φάσγανον, Ξίφιον est. Germanis Bettlerleuse/ & spitz kletten, Belgis Cleine clissen. Italis *Lappula minore*: Hispanis *Lappa menor*: Gallis *petit Glouteron*: Anglis Lowse burre/ & lesser burre.

Ξάνθιον autem ab effectu dictum videtur: fructus siquidem, priusquam totus marescat, collectus, tusus, & in fictili reconditus, ac deinde vsu exigente acetabuli mensura in aqua tepida madefactus, capillos ξανθούς, i. rufos efficit, iisdem illitus, capite tamen prius nitro præparato, vt Dioscorides tradit.

Xanthij semen, auctore Galeno, digerendi vim habet: proinde calidum ac siccum.

Dioscorides fructum commodè tumoribus imponi ait.

De Betonicâ. CAP. XX.

BETONICA foliis exit oblongis, latis, virentibus, aliquantulum asperis, per ambitum serræ modo incisis, quercus cuiusdam similibus, sed tamen minoribus: caulis tenuis, quadrangularis, aliquantulum hirsutus, pedem (plus minus) altus: flores profert spicatos, colore vt plurimùm rubentes, alicubi tamen, sed rarius, albidos: semen succedit oblongum, angulosum. radix ex multis fibris, ab vno dependentibus capite, committitur.

Amat loca opaca; reperitur tamen & in pratis soli expositis, sed humentibus; adolescit & in hortis.

Iulio mense præcipuè floret.

Græcis κέστρον, & ψυχότροφον: Latinis Betonica: à nonnullis Vetonica: Plinius lib. 25. cap 8. in Italia etiam Serratulam dici affirmat: Recentior ætas aliam ostendit Serratulam, de qua mox. Est verò & altera Betonica à Paulo Ægineta descripta. Galenus lib. v. De sanitate tuenda Κέστρον, id est, Betonicam, etiam *Sarxiphagon* vocari tradit: Dios. tamẽ omnino aliam Sarxiphagon describit. Officinæ & Itali Latinum nomen retinent: Hispani *Bretonica*: Germani Braun betonick: Galli *Betoine, & Betoine* appellant: Angli Betony: Bohemi Buckwice.

Calida autem & sicca Betonica est, & ordine quidem secundo. Incidendi, vt Galenus ait, vim habet. Comitiali morbo obnoxiis, necnon & cæteris, capite ex frigida causa male affectis, prodest: Pulmonem & pectus cum melle expurgat: Iocinoris, lienis, nec

Betonica.



non fellis obstructionibus medetur Regio morbo laborantes reficit concoctionem ventriculi promouet: acidum eructantibus subuenit, vrinam cit ad renum & vesicæ dolores vtilis: consistentes in renibus calculos rumpit, & expellit: menses prouocat: veteri strangulatui medetur: tupm, conuulsaque curat aduersus serpentum & ferarum morsus, & epota, & vulneribus imposita confert. Laudatur & aduersus Ischiadicos dolores: Aluum drachmarum quatuor pondo sumpta, vt quidem Dios. tradit, subducit. Ex floribus Conserua fit, ad multa vtilis, ad capitis tamen dolores præcipuè conferens.

Radix Betonicæ resiccata, & cum hydromelite denarij pondo assumpta, vomitum cit, & crassos lentosque humores educit, vt quidem huius ætatis nonnulli referunt.

De Veronica siue Betonica Pauli.

CAP. XXI.

VERONICA caulibus dodrantalibus, aut longioribus serpit, & quidem vt plurimum per terram: folia eius latiuscula, Chamędryos repentis maiora, cādidioraque, secundum margines, vti illius, serrata; exigua lanugine pubescunt. flosculi, in pediculis ordine digesti, dilutè cærulei. semen paruum, rotundum, nigricans, in siliquis planis, exiguum loculum præ se ferenti-

I.

Veronica mas serpens.



Veronica assurgens.



bus

Veronica pratensis.



bus, cōpletur: radix tenuis huc illuc diuaricatur.

Locis apricis, sabulosis, ac arenosis, non rarò iuxta tumulos, ac aggeres, agrorum sepimenta, quandoque & in saxosis reperitur.

Huius autem & alia quędam species non accumbens aut proserpens, sed assurgens atque erecta. priori forma satis similis, sed viribus inferior. 2.

Exit & in pratis quædam, ac humentibus, cuius folia minora, virentia, læuia, lanugine carent, aliâs priori folijs, ramulis serpentibus, dilutè cæruleis flosculis, & theculis similis. Ignaua autem & nullius vsus hæc habetur. 3.

Iunio ac Iulio quidem floret, ac viget, reliquis anni mensibus etiam viret.

Recentior ætas Veronicam appellat: Germani Ehrenpreiß/Grundheill: Belgæ Eerenprijs i. honos & laus: Bohemi Weronyka. Betonica autem quæ à Paulo Ægineta lib. 7. describitur, & alia à κέστρῳ est, conuenire cum hac videtur: Serpit siquidem veluti Pulegium, ramuli eius tenuiores sunt: folia forma & magnitudine respondent; gustabilis qualitas longe quàm Pulegij inferior, ita vt huius comparatione nullam referat. De hac Beronica sic Paulus, Βεττονικὴ λεπτόκλωνος, ἐστὶ πόα παραπλήσια τὰ κλωνία τοῖς τοῦ γλήχωνος ἔχουσα, καὶ λεπτότερα, καὶ σχεδὸν ἄποια γευομένοις, φύεται δὲ μάλιστα ἐν πετρώδεσι τόποις, id est, Betonica herba est ramulis exilibus, Pulegio similibus, sed tenuioribus, & propemodum, si gustes, nullam qualitatem referentibus, nascitur potissimùm locis petrosis. *Betonica Pauli.*

Est autem Veronica, quantum quidem gustu agnosci potest, calida & sicca, sed tamen moderate.

Huius autem ad cruenta vulnera, diuturnas exulcerationes, conferre decoctum recentiores affirmant. tumores item discutere, præsertim colli: Iocinoris ac lienis obstructiones aperire: vrinas mouere: calculos expellere: renes & vesicam expurgare: quorum postremum de Betonica sua quoque Paulus: in renum, inquit, medicinis vtuntur.

Aqua sæpius destillata phthisicis, purulentis, ac tussientibus, vtilis perhibetur. Aridæ puluis drachmæ pondo cum totidem theriaces, aduersus pestilentes febres commendatur.

De Veronica femina dicta, siue Elatine.

CAP. XXII.

CVM Veronica legitima vix vllam hæc similitudinem habet, tota molli, tenuique lanugine contegitur, viticulosis suis cauliculis compluribus humi repit: folia veluti Veronicæ, sed magis acuminata, nec ambitu serrata: flosculi secundum folia lutei, retrò propendens habent corniculum instar florum Linariæ, aut floris Regij: rotunda succedunt veluti Anagallidis capitula, in quibus semen. radix fibrosa.

Riguis ac humidis gaudet locis, inter segetes etiam exit.

Æstiuis mensibus florem, ac deinde semen perficit.

Leonhartus Fuchsius, & post eum Matthiolus Veronicam appellant feminam, quibus superior mas est, potius tamen ad Elatinem referenda videtur, quam Dioscorides & Plinius aiunt, folia habere Helxines minora, rotundiora, pilosa, dodrantales ramulos quinos senósve à radice foliosos, nascique in segetibus ac cultis. Cum qua descriptione hæc herba conuenit: Folia siquidem eius multò, quàm Parietariæ (quæ propriè Helxine) minora ac rotundiora, pilosa quoque, vt iam scripsimus, dodrantales etiam ramuli, foliosi, non pauciores quinque aut sex, nec diffident natales. *Elatine.*

De facultatibus autem huius Veronicæ nihil apud Recentiores extat.

Dioscorides & Plinius oculorum fluxionibus & inflammationibus cum polenta folia

Veronica femina Fuchsij siue Elatine.



Elatines altera.



Elatines trita & imposita auxiliari tradunt, Eadem cocta (cum lini semine Plinius) in sorbitione à dysenteria liberare.

Serratula.



De Serratula. CAP. XXIII.

QVAM Recentior ætas Serratulam vocat à Betonica differt, folia eius prima, ac à radicibus exeuntia lata, oblonga, & per margines serræ modo crenata, maiora quàm Betonicæ: iuxta verò caules laciniosa, profundius altiusque incisa, instar ferè foliorum scabiosæ: Vtraque autem cum cauliculis mediocriter saturato colore virent. caules ramosi complures assurgunt, cubito altiores, in quorum fastigiis e minutis squamosis capitulis, flosculi purpurascentes. radix fibrosa, multis restat, singulis regerminans, annis.

In syluis, locis opacis, ac humentibus, veluti in pratis nascirur, & non modò in Bohemia, Anglia, ant Normannia, verùm & in Belgio.

Sub finem æstatis florem, ac deinde semen perficit.

Recentior ætas Serratulam appellat, differt, vt diximus, à Betonica, quæ & Serratula: Alia eius nomina, si quæ habet, nobis incognita.

Commendatur à nonnullis ad vulnera, & enterocelas, siue intestinorum ramices.

De Chamædry repente.
CAP. XXIIII.

CHAMÆDRYOS Veteres nulla quidem genera statuêre, nobis tamen haud abs re tria, vt minimum, visa sunt, & excepta ea quidem,

Chamædrys maior repens.



Chamædrys repens minor.



dem, quam Fuchsius Chamædryn feminam facit, Chamæpityis annumerandam. Est autem inter Chamædryes vna procumbens siue Repens: altera θαμνίσκου, ac exigui fruticis instar assurgens: Tertia Syluestris ac spuria.

1. Prior Chamędrys complurimis humi (vt plurimum) procumbẽtibus, tenuibus, duriusculis, ac lignosis virgulis, hinc inde sparsis repit, quas foliola conuestiunt exigua, lata, rotundis tamen aliquanto longiora, ambitu serrata, quercus cuiusdam similia, sed longè minora, ad Arietini Ciceris particularia proximè accedentia. Flosculi, & iuxta folia, & in coliculorum fastigiis eminent, purpurei. semen exiguum, nigricans. radix tenuis, & fibrosa serpit, ac subinde noua germina emittit.

In petrosis & asperis nascitur: prouenit verò & quibusdam aliis locis, sed insolatis: In hortis facile comprehendit. Germaniæ vtrique, Italiæ, Galliæ, Bohemiæ, aliisq; prouinciis familiaris. nascitur verò quibusdam locis amplioribus foliis, alibi minoribus.

Iulio & Augusto floret: colligitur verò, resiccatur, & ad medicinæ vsus reponitur, etiam prius quàm floreat.

Chamædryn hanc nostri seculi Medici appellant: Italis *Querciuola*, & *Chalamandrina* dicitur Hispanis *Chamedreos*: Gallis *Germandree ou chesnette*: Germanis kleyn bathengell: Sunt qui Trissaginem minorem, & querculam minorem, aut serratulam minorem vocitent.

A Dioscoride appellata Χαμαίδρυς esse existimatur. Si tamen Chamædryos descriptio diligenter expendatur, ac deinde Teucrij, hæc non Dioscoridis Chamædrys, sed Teucrion esse mox apparebit Χαμαίδρυς ἐστὶ θαμνίσκος σπιθαμιαῖος, id est, Chamædrys exiguus est frutex dodrantalis. frutices autem sponte sua assurgunt, & erecti nascuntur, quòd hæc Chamędrys haud facit. Τεύκριον verò πόα ἐστὶ ῥαβδοειδὴς, hoc est, Teucrion herba est virgulas plures ferẽs: A quo & Plinius haud est alienus lib. 25. cap. 5. Teucrion, scribens, spargere iuncos tenues, *Teucrion.*
quales vtique huius repentis Chamædryos tenues coliculi, qui iuncis exiguis haud dissimiles dici possunt, atque eam ob caussam Teucrij descriptioni magis accedẽs quàm Chamędryos.

Sed tamen non absurdum fuerit Chamædryn etiam hanc appellari. Teste siquidem Dioscoride, Teucrion à nonnullis Chamædrys nominatur: & vice versa Chamędrys ab aliis Teucrion, propter vnius cùm alterius in foliis similitudinem.

Teucrion autem, vt Plinius ait, Teucer inuenit: addit à nonnullis Hemionion, ab aliis Splenion dici: Sed hæc nomina ad Hemionitidem herbam pertinent, non ad Teucrion.

2. Huius verò Chamædryos & alia similis species extat, cuius folia maiora auersa parte inalbicant, coliculi, siue potius virgulæ duriores, cæteris priori similis. Hæc fertur in Allobrogum siue Sabaudiæ ac Delphinatum montibus vitere.

Leucas. Sunt qui velint Leucadem hanc esse, & quidem montanam. λευκὰς duorum siquidem est generum, vna ὀρεινὴ siue montana, altera ἥμερος siue satiua. Montana, vt Dios tradit, latioribus est foliis, semine amariore, acrioreque, & omnino efficacior quàm sit satiua. In tanta autem veterum breuitate, quis potent certi aliquid statuere?

At Chamædrys repens tenuium est partium, ac incidendi facultatem habet; calida & sicca ordine propemodum tertio, veluti de Teucrio Galenus scribit, quamobrem & lienosis confert: Recens siquidem cum oxycrato, vt Dios. aut aridæ decoctum, potenter lienem absumit. Imponitur verò lienosis cum aceto & ficubus: serpentum verò morsibus cum aceto solo. Potest autem omnia & quæ assurgens siue fruticans Chamędrys, proinde & citra errorem pro Chamædry accipi & vsurpari potest.

De Chamædry altera, siue Assurgente.
CAP. XXV.

Chamædrys assurgens.



CHAMÆDRYS altera recto, dodrantali, aut subinde altiore, lignoso, duroque cauliculo assurgit, θαμνίσκου siue exigui fruticis speciem referens, qui inde in ramulos complures diffusus, folia adfert ambitu incisa ac serrata, minora quàm quercus, alas eorundem æmula. repentis verò Chamædryos maiora: flosculi similiter secundum folia, & ad cauliculorum fastigia eminent subpurpurei. radix multis fibris variè spargitur.

Nascitur petrosis & asperis: montes, loca arida, & aprica amat, nec hortos refugit.

Eodem, quo superior, tempore & flores & semen perficit: Legendam cum semine Dioscorides refert.

Græcis est Χαμαίδρυς; à nonnullis Χαμαίδρωψ ἢ λινόδρυς: Latinis Trixago, aut Trissago, nec desunt qui Τεύκριον vocitent, Dios. & Plinio auctoribus. Fuchsius & Matthiolus pro Teucrio depinxere. Germanis Groß Bathengell/Groß Gamanderlin. Potest hæc Trixago maior, Serratula maior, Quercula maior dici.

Ex tertio autem ordine est excalfacientium ac desiccantium, Chamædrys, Galeno iudice, cum amaritudine acrimoniæ cuiusdam particeps est: Lienes, eodem auctore, colliquat cum aceto, addit Plinius. Vrinas ac mẽses euocat: crassos incĩdit humores, viscera ab obstructionibus expedit, incipientibus hydropicis auxiliaris vt Plinius: aduersus serpentium morsus cum vino & pota & imposita efficax.

Trita ad suprà dicta, inquit Dios. digeritur in catapotia, siue, vt Plinius, in pastillas. Purgat vetera vlcera & sordida cum melle, caliginem etiã oculorũ discutit cum oleo, addit Plinius.

De Chamædry sylvestri. CAP. XXVI.

SYLVESTRIS Chamædrys ramulos promit tenues, angulosos, veluti geniculis distinctos, pedem aut subinde cubitum longos, circa quos per interualla folia latiuscula, margine serrata, quàm repentis siue prioris Chamædryos paulò maiora, molliora que, quernis multò minora: flosculi elegantes ex quatuor foliolis circa fastigia coliculorum ordine digesti, cæruleo arrident colore, quibus valuulæ succedunt latiores; in quibus semina parua. radix tenuis, fibris non destituitur. Huius coliculi non in altum rectè assurgunt, nec semper procumbentes

Chamædrys syluestris.



cumbentes serpunt, sæpè in latus inclinantur, veluti ea quæ πλαγιόκαυλα Theophrastus appellat, & tenuibus pilis vnà cum foliolis leuiter hirsuta.

Nascitur pluribus locis in pratis iuxta flumina, riuulos, scrobes, ac fontes, subinde & in nemorosis: Et quibusdam locis rarioribus foliis, paucioribusque ramis, alibi ramosior.

Iunio, Iulio, ac Augusto cum floribus viget.

Ante notam Chamædryn vel etiam Teucrion, huic Chamædryos in officinis nomen accesserat, ac pro Chamædry in medicamentorum compositionibus admittebatur, superioribus deinde in notitiam perductis, Syluestris ac Spuria Chamædrys appellari cœpit, à nonnullis verò etiam Teucrion Palustre: Germani Erdtweyrauch.

Non esse autem Teucrion, nec legitimam Chamædryn notius est quàm refelli opus habeat. Veteribus cognitam fuisse non perinde manifestum.

Videretur ea esse posse, vel omninò proxima ei, quam Diosc ἱερὰν βοτάνην, id est, sacram herbam appellat, si modò Herba sacra, & Verbenaca, quę Gręcis περιστερεὼν, differentes sunt facit quidem differẽtes Dioscorides, vnam post alteram seorsim describens: verùm alij Auctores, Galenus videlicet, Paulus, Aetius, & Oribasius, dum Herbæ sacræ nullam faciunt mentionem, sed περιστερεῶνος tantummodo; atque hæc ipsa ἱερὰ βοτάνη etiam nuncupata reperiatur, vnam eandemque esse variis appellationibus dictam apparet. Quæ si ita se habent, Chamædrys hæc syluestris ἱερὰ βοτάνη nequaquã est.

Cæterùm particeps & hæc herba caloris est ac siccitatis, aperiendi atque expurgandi vi non integrè destituitur: Potest inter ea, quæ Iecur ac Lienem aperiunt, admitti.

De Chamæpityis. CAP. XXVII.

CHAMÆPITYES tres, auctore sunt Dioscoride.

Prima multis per terram cauliculis quasi repit. folia è singulis geniculis promit oblonga, angusta, in tres particulas fissa. flosculi ex alis foliorum lutei. Tota herba nonnihil hirsuta, odore resinam piceam, aut larignam refert. 1.

Dioscorides hanc foliis esse ait Semperuiui minoris, tenuioribus, hirsutis, ac pinguioribus: Atque huius quidem foliis, non exactè intuenti, mox esse apparet: Nam singula foliorum segmenta, ipsa Semperuiui minoris folia satis referunt, eius videlicet, quod inter minora Semperuiua primum.

Altera species cauliculis est crassioribus, quadrangularibus, ac geniculatis: ramis recuruis, foliis latis, & multipliciter diuisis, dilutè purpureis: flosculis, è calycibus veluti Hyoscyami, sed longè minoribus: tenui ac longa radice, adhærentibus aliquot fibris. Et hæc hirsuta, subcandicans, & odore piceæ aut pineæ Resinę, qui Chamæpityos hanc esse speciem ostendit, A vero idcirco recesserunt, qui Chamædryn feminam nuncuparunt. 2.

Ramis hanc Dioscorides esse ait ancoræ in modum recuruatis. Mirum videtur cur Ancoræ comparauerit, sed indicare voluit, repandas sibi inuicem oppositas alas, ancoræ qualemcunque speciem exhibere.

Tertia Chamæpitys tenues omnino promit cauliculos, palmares: foliola perquàm exigua. flosculos paruos, è luteo pallentes, ad fastigia cauliculorum: radiculas similiter minutas, & tenuissimas: canescunt foliola cum ramulis; odor adest, qualis resinæ pitynę aut pineæ. 3.


Loca ruderata, saxosa, sabulosa, vineta, & non rarò oliueta Chamæpityes amant: In hortis satæ luxuriant.

Iulio ac Augusto cum floribus; succedente mox semine vigent.


Χαμαιπίτυς Græcis, Latinis Ibiga, Aiuga, & quandoque Abiga nominatur. In Officinis Iua,

Iua

Chamæpitys prima.



Chamæpitys altera.



Chamæpitys tertia.



Iua Arthetica, Iua moschata: Italis *Iua*, *Chamepitto*: Hispanis & Lusitanis *Pinitho*. Apud Germanos Vergiß mich nicht: In Belgio, Veelt cypres. A Gallis *Iue moschate*.

Est autem Chamępitys, vt ait Galenus, in siccando ordinis tertij, in calfaciendo verò secundi. expurgat interna viscera: Iocinoris ac renum vitiis vtilis aurigìnosis in vino pota prodest: menses cùm epota, tum cum melle apposita ducit: vrinam mouet. Ex hydromelite decocta quadraginta diebus Ischiadicos, vt fertur, sanat. apud Heracleam Ponti, perinde ac Antidoto, aduersus Aconitum ea vtuntur.

Puluis huius cum fico in pillulis sumptus aluum emollit, mammarum duritias discutit: vulnera glutinat: vlcera putrescentia sanat cum melle apposita: Et hæc quidem præcipuè prior præstat, reliquæ duæ prioris vim obtinent, sed non adeò efficacem, Diosc auctore.

De Spuriis Chamæpityos generibus & Anthyllide altera. CAP. XXVIII.

SVPERSVNT præter legitimas Chamæpityes & aliæ duæ ipsis similes, sed Spuriæ ac nothæ. vna maior, altera minor est.

1. Maior humi serpit instar prioris Chamæpityos, quam tenuibus, sed tamen durioribus cauliculis, & foliis satis refert, nisi quòd huius subinde extremo margine nonnihil serræ modo incisa conspiciantur: flos similis, sed colore purpureus. semina in singulis calycibus quaterna.

radix

Chamæpitys ſpuria prior, ſiue Anthyllis altera.



Chamæpitys ſpuria altera.



Chamæpityos ſpuriæ alterius altera icon.



radix lignoſa, craſſa, ſubalbida, guſtu amara, Cichorij radici haud multum diſſimilis. Tota hæc herba admodum hirſuta eſt, & odore graui prædita, haudquaquam grato, aut ad Chamæpityos accedente.

Altera minor procumbentibus ac tenuibus pediculis, foliiſque interlegrimas primę quoque ſatis ſimilis, ſed floſculi differunt, qui candidi ſunt, & inuerſos Lamij referunt; ipſis tamen longiores & patentiores. quaterna inde cohærent etiam ſemina. radicula mediocris craſſitudinis. 2.

In nonnullis Hiſpaniæ regnis, tum & in Narbonenſi Gallia, in oliuetis, ac ſubinde ſecus agrorum margines maior occurrit, Minor quoque ex Hiſpaniis ad Belgas peruenit, vbi locis incultis prouenire eam Carolus Cluſius refert.

Æſtate ac Autumno vtraque floret.

Prior

1. Prior à Lusitanis *Teruacrina* dicitur: plerique Iuam moschatam nominant & similis quidem Iuæ moschatæ siue Aiugæ, quam diximus *Χαμαιπίτυν* appellari, sed tamen haudquaquam Chamæpitys, vel odore solo (qui ingratus & grauis est) repugnante. Sed Anthyllis est altera, quam Dioscorides Aiugæ foliis ramulisque similem refert, sed hirsutioribus, breuioribus ac asperioribus, flore purpureo, odore admodum graui, qualem hanc esse scripsimus. Haud perperam idcirco à nonnullis Anthyllis Chamæpityides nominatur, ad differentiam prioris Anthyllidis.

Anthyllis altera.

Duæ etenim apud Dioscoridem Anthyllides: vna Lenti similia habet folia: altera Aiugæ similis, qualis est modò à nobis descripta. Nó est autem hæc, nec Kali, nec eius aliqua species. Omnes enim Kali species salso humore redundant; ista verò salsugine omnino caret.

2. Altera ad Anthyllidem alteram fortassis & referri poterit: Sed tamen spuriam ac Pseudochamæpityn quoque dici quid vetat? est etenim Aiugæ similis, non tamen legitima.

Anthyllidem autem alteram Chamæpityos similitudinem referentem, præter alia, Diosc. ait, cum aceto mulso comitiales sanare.

De Chelidonio maiore. CAP. XXIX.

Chelidonium maius.



CHELIDONII duo ex veterum sententia genera, forma figuraque multum differentia. Vnum maius: alterum minus.

Maioris Chelidonij cubitales, graciles, teretes, geniculati, ac nonnihil hirsuti cauliculi in nonnullas alas distribuuntur: folia ex pluribus ambitu crenatis cohærent, Ranunculi hortensis foliorum æmula, sed tamen maiora, teneriora, ac læuiora, eque cæsio siue dilutè cæruleo colore virescentia. flosculi Leucoij similes, lutei; succedunt siliquæ paruæ, angustę, multò quàm Leucoij breuiores: semina in his exigua, sublutea. radix breuis, intus forisque croci colore fibras concolores dimittit. Tota herba graueolens est, & quacunq. parte læsa aut vulnerata, lutei coloris succum acrem mordacemque, ac nonnihil amaricantem fundit.

Locis gignitur incultis, secus vias, in vepribus, circa veteres muros, in vmbrosis citius quàm in apricis.

Toto anno viret, ab Aprili mense in multam æstatem floret: siliquæ interea perficiuntur.

Χελιδόνιον μέγα Græcis; Latinis Chelidonium maius, ac Hirundinaria maior: Officinis Chelidonia dicitur, à quibusdam perperam Celidonium: Italis *Celidonia*: Hispanis *Celiduenha, yerua de las golondrinhas*: Germanis Groß Schölwurtz/Schelkraut/Schwalbenkraut/Goldtwurtz: Gallis *Esclere ou esclayre*: Belgis Gouwe, Stinckende gouwe, Gouwortele: Anglis Celondine: Bohemis Celidon. Inter nothas voces & *πωιονία, χεγεπτεά, ἀούβιος, γλαύκιος, πάνδιος ῥίζα, φιλομήδειον, ὀθόνιον*, & Fabium dici reperitur Oribasius Synopseos lib. III. Othonnam etiã dici ait Dioscorides quosdam Othonnam Chelidonij esse succum opinatos fuisse refert. Aliam tamen Othonnam à Chelidonio differentem describit, foliis Erucæ foraminosis, de qua Pemptade altera in floris Africani descriptione. Athenæus & à quibusdam Anemonem dici auctor est, multum tamen vera Anemone à Chelidonio differens.

Auicenna cap. 199. Chelidonium appellat Canchuri, & à nonnullis quoque Memiran dici testatur; addit plerisque minus Chelidonium, Memiran, Maius verò, Aluardachule siue Alxardahune appellare: Cap. verò 486. Memiren lignũ esse ait, veluti nodos ad nigredinem declinans, acutius quàm sint venæ tinctorum, satis ostẽdens Memiren à Chelidonio differre.

Μαμίρα. Meminit Mamiræ & Paulus Ægineta, & Mamiran ceu radiculam quandam esse ait cuiusdam herbæ veluti nodos frequentes habentem; & quidem alio quàm de Chelidonio loco: quod & Chelidonij ac Mamiræ discrimen ostendit.

Dictum

Dictum autem χελιδόνιον istud, non quòd aduentu χελιδόνων, id est, hirundinum demum proueniat, aut abeuntibus illis pereat, nam, vti diximus, toto anno reperiri potest, sed quia excæcatis pullis hæc herba matres restituere visum in opinione sit, sed tamen vana, & à veritate aliena. Læsam siquidem extrinsecus pullorum nonnullorum auium oculorum aciem, interposito tempore spontè restitui, & creberrimè hirundinis, testatur Cornel. Celsus lib. 6. cap. 6. Vnde (vt idem inquit) locus fabulæ per parentes id restitui herba, quod per se sanescit. Affirmat idem Aristoteles De historia animalium lib. 6. Pullorum hirundinis, ait, adhuc recentiú oculi, si quis stimulo eos vexauerit, renascútur, & cernédi vim postea planè recipiunt.

Chelidonium autem maius euidenter calefacit, desiccat, & ordine quidem tertio, atque vnà valide extergit.

Succus herbæ ad visum acuendum vtilis est, abstergit enim & discutit crassa, quæ circa oculi pupillam hærent aciem obtundentia: Et quidem, vt Dios. ait, in æreo vase cum melle decoctus.

Radix regio morbo medetur, & præsertim citra febrim, ex fellis obstructione nato: aperit enim, & ab infarctu fel & iecur liberat. Manducata eadem radix dentium dolores sedare fertur: prodest & vlceribus serpentibus cum vino.

Succus ineunte æstate, inquit Dios. extrahendus, atque in sole siccandus.

De Chelidonio minore. CAP. XXX.

Chelidonium minus.



MINVS Chelidonium folijs viret subrotundis, læuibus, glabris, ac resplendétibus, quàm hederæ minoribus. tenues, breues, humique plurima parte procumbentes cauliculi flosculos promunt luteos, quales Ranunculi, quibus & veluti huius exiguum ex seminibus congestum capitulum succedit, verùm mutis. radix è tenuibus fibris constat, quibus adhærent aliquot protuberantia veluti grana, triticeis magnitudine similia.

Nascitur in pratis, secus vias, ac scrobes, fossasq́; locis riguis ac humentibus passim vulgare.

Circa Martij Calendas exit, paulò pòst floret; Aprili deficere incipit, Maio integrè perit, pòst difficile fuerit, vel radiculam eius reperire.

Χελιδόνιον μικρὸν, Latinis Chelidonium minus, & Hirundinaria minor appellatur. In Officinis, ac à nónullis Scrophularia minor, ficaria minor. Serapioni Memiren: Italis *Fauoscello*: Germanis Feigwurtzen kraut/ Blaterkraut/ kleyn schwalbenkraut/ Pfaffenhoetlin/ Meyenkraut: Gallis *Esclere, petit baßinet*: Belgis Speenkruyt/ cleyn Gouwe.

Potest istud ab Hirundinibus nomen inuenisse suum, nam circa ipsarum hirundinum aduentum apparere incipit, sed tamen prius quàm ipsæ recedant, iam diu euanuit.

Calidam quoque ac siccã facultatem & istud Chelidonium obtinet, ipso etiam maiore acrius ac calidius, Ranunculis potentia proximum.

Cutem celeriter, vt Gal. ac Dios. aiunt, exulcerat: Scabros vngues eijcit. Succus radicum per nares attractus, aut ipsis impositus, caput per ipsas nares expurgat.

Posterior ætas ad hęmorrhoides radicibus vnà cum adhærentibus granulis vtitur, quę huius succo, cum vino, aut laborantis vrina permixto sæpius ablutæ contrahuntur, ac dolore sopito resiccantur. Sunt etiam qui existiment vel gestatam solummodò herbam prodesse aduersus earundem dolores posse.

De Scrophularia. CAP. XXXI.

SCROPHVLARIA, quæ maior cognominatur, quadrãgularibus, ac subinde cubito altioribus assurgit caulibus, colore ex obscuriore purpura nigricantibus, interius vacuis. fo- 1.

Scrophularia.



Betonica aquatilis.



lia ab vno veluti geniculo semper bina, contra se posita, lata, acuminata, per margines crenata, vrticæ maioris similia, sed maiora, nigriora, & haudquaquam attactu vrentia, siue pungentia: flosculi in summo alarum paruuli, colore obscure purpurei, forma exiguas cassides satis exprimentes, in rotundis, sed tamen acuminatis capitulis semen succedit exiguum. radix albida, veluti nodos ac tubercula multa profert, & obliqua vt plurimum nascitur, quandoque idcirco & progerminans.

Secus agrorum margines, in scrobibus siccis non rarò prouenit, ac in syluis.

2. Huic verò & alia caule, foliis, floribus, capitulisque simillima est. caules quandoque paulò crassiores: folia etiam subinde exiguum maiora: radices autem huius nequaquam nodosæ, aut tubercula eminentia habentes, sed ex multis tenuibus fibris commissæ, quibus à superiore potissimum differens est.

Hæc iuxta aquas profluentes emicat, ac secus scrobium, riuulorumque margines, ac fluuiorum ripas: in aridis vix reperitur.

Vtraque Iulio ac Augusto cum flore viget, semen inde maturescit.

1. Priorem passim Scrophulariam vocant, Maioris cognomen adiciunt ad differentiã Chelidonij minoris, quod diximus Scrophulariam minorem dici. Appellatur verò & Millemorbia, Ferraria, Castrangula: ac Germanis Braunwurtz/Sauwurtz/Groß feigwurtzenkraut: Italis *Scrofolaria*: Gallis *Scrophulaire*: Belgis Groot speenkruyt. Non est Galeopsis, siue Galeobdolon, desideratur enim præter alia odor grauis, quo Galeopsis prædita est.

2. Alteram Betonicam aquatilem nonnulli nominant, parum tamen cum κέστρον, siue Betonica conuenientem: Clymenon alij affirmant, quod à Dioscoride foliis describitur Plantaginis, cum cuius haud huius respondent: semen quoque non hederæ, quale Clymeni Plinius esse tradit.

Belgæ hanc Beeckschuym, & Sancti Antonij herbam subinde nominant. Ruellius (si non fallimur) Segeiam vulgò Gallorum appellari refert.

1. Vtraque autem facultate calida ac sicca est. Prior ad duros glandularum tumores, quos Græci χοιράδας Latini strumas: vulgò scrufulas appellant, & hæmorrhoidum cum dolore tumores prodesse fertur. Nonnulli vel collo appensam, vel aliàs gestatam ad sanitatem conferre temerè

re temerè prædicant: alij radicem cum butyro insulso tusam, loco haud insolato, sed humēti ad dies xv. reponunt, mox lento igne decoquunt, percolatum asseruant, quo strumas & hæmorrhoides illinunt non absque successu.

Alterius folia abstersoria vi prædita, ad praua, ac fœtida vlcera plurimùm prodesse feruntur & cum melle succus horum decoctus. 2.

De Conyza. CAP. XXXII.

Conyza maior.



Conyza maior altera.



CONYZÆ duo genera Theophrastus refert: marem, & feminam. Dioscorides tertium addit medium quoddam inter vtraque. Posterior ætas circa harum notitiam nonnihil laborat, plerisque has, nonnullis alias pro Conyzis ostendentibus.

Quæ pro prima legitima Conyza habetur, complures à radice subinde caules promit teretes, lignosos, sesquicubitales, interdum altiores. folia ex virore pallent frequentia, oblonga, veluti Oliuæ, sed amplіora, duploque vt plurimum maiora. Flosculi ad alarum fastigia alterni, pediculis tenuibus insident, lutei, Erigeri similes, qui in pappos vanescunt, quibus subest semen exiguum, vt Hieracij. radix crassa non absque fibris perennat. 1.

Tota planta cum suauitate quadam graueolens est, hirsuta, pinguis, & lento glutine occupata.

Solo maritimo, & austrino cælo gaudet, circa Adriatici sinus littora, tum & circa Romam, & Florentiam reperitur. In Narbonensi quoque Gallia, haud procul Monspelio, secus vias, ac vinearum margines. Nec non in agro Valentino & Murciano Hispaniæ, & supra Olyssiponem, teste Carolo Clusio.

Altera Conyza maior, ab aliis pro prima specie iudicata, folia habet, quam superioris, latiora, instar Verbasculi siue Primulæ Veris, sed tamen minora, nigriora, & lanuginosiora, siue molliora. caules rotundi, sesquicubitales quoque vel altiores, & ipsi lanugine quadam asperi, in ramulos diuiduntur, quorum fastigiis aliquot flosculi adsunt oblongi, staminei, coloris lutei, aut ex luteo nonnihil purpurascétes, qui & in pappos soluuntur. radix ramulos hinc inde in obliquum spargit. Et hæc stirps grauі quoque, non admodum tamen ingrato odore, prædita est, sed haudquaquam glutinosa. B.

Conyza media.



Conyza minima.



Locis apricis ac aridis frequens, petrosa & veteres etiam muros non refugit.

2. Medium Conyzæ genus candida quoque lanugine pubescit, ac grauis odoris virosum quiddam spirat: folia eius oblonga, digitum lata: caules teretes, ac recti, cubito altiores. Flores in fastigiis ramulorum Chamæmeli similes, sed non medio orbiculo, siue disco tantummodo, verùm & ambitu lutei, & paulò maiores, qui & in papposam lanuginem abeunt. radix fibras dimittit complures.

Locis gaudet humidis, secus profluentes, vel etiam resides aquas nusquam ferè nō obuia.

3. Minor Conyza exigua est herba, palmum, aut dodrantem alta, incana quoque ac lanuginosa, odoreque cæteris referens: folia exigua sunt: flores Chamęmeli mediis orbiculis, ac Tanaceti similes, e colore luteo subnigricant, qui vti aliorum, in lanuginosos ac molles pappos pereunt. radix tenuis est.

Humidis ac riguis locis creberrima exit.

B. Præter hanc verò & alia ostenditur minor, caule cubitali, vel altiore assurgens, eoque gracili, ramoso, hirsuto, atq. glutinoso: foliola angusta veluti linariæ, sed lanuginosa, ac pinguia: flosculi, secundum ramulos tenues, lutei in lanuginem abeunt. radix tenuis. hæc, quàm priores, odoratior est.

Apud Hispanos in agro Toletano, & in Narbonensi Gallia plerisq. locis reperta scribitur.

Florent Conyzæ plurima æstatis parte, sed tamen prior maior, & altera parua sub Autumni tempus potissimùm.

Κονύζα, Latinis Conyza, Plinio Cunilago. Gaza Policariam & Pulicariam appellat; differt tamen à Psyllio, quod & Pulicaria dicitur. Officinis incognitæ sunt Conyzæ.

1. Priorem nonnulli apud Hispanos *yeruam pulgeram* appellant; alteram maiorem ad Baccharim Dioscoridis sunt qui referre studeant, cum qua similitudinis tam exiguum obtinet, vt pro ea haberi nequeat. Extant maioris Conyzæ inter spurias voces multæ appellationes, vt, *κυνοζήματῖνς, δαναΐς, πενάχιον, φύκος, ἰχύς, δἐϊοσμος, βρεφοκτόνος, ἀτουβίας, ἠλίμιας*, Intybum, Militaris, Deliarium, Febrifuga, Phragmosa, Musteros, Pissa; hanc autem marem Theophrastus appellat.

2. Mediam Conyzam Germanorum plerique Dürrwurtz / & Donderwurtz vocitant: Bohemi Zlaty trauk.

Minor

Minor Theophrasto femina est: alijs Panion, vel Libanotis; vt inter nothas appellatio- 3.
nes reperitur.


Cæterùm Conyzæ omnes calidæ sunt ac siccæ; media tamen, & minorum prior, cæteris infirmiores.

Folia earum, quæ viribus præstant, cum vino ad menses ducendos, & fœtus eiiciendos, & contra vrinæ stillicidia, regium morbum, dysenteriam bibi, Dioscorides refert, & Comitiales ex aceto pota adiuuare. Decoctum horum in insessu vuluæ medetur: Succus ex oleo efficaciter horroribus oblinitur; capitis dolores hoc modo illitus etiam sanat.

Suffitu ac substratu herba serpentes fugat; culices abigit: pulices necat. folia serpentium plagis, & tuberculis conuenienter imponuntur, Idem auctor: Consentit Galenus.

De Cynoglosso. CAP. XXXIII.

Cynoglossum absque flore.



Cynoglossum cum flore.



CYNOGLOSSO folia sunt oblonga, lata, exigua, molli tenuique admodum lanugine pubescentia, attactu læuia: caulis cubitalis, rotundus, & ipse aliquatenus incanescens, in alas diuisus; circa quas ordine digesti flosculi punico colore purpurascentes: succedunt singulis quaterna simul cohærentia semina aspera, & lapparum modo vestitui inhærentia, medius inter quæ stilus exiguus, non raró durus ac pungens. radix crassa, recta, altè dimittitur.

Arenosis, incultis, ac desertis locis, subinde etiam nonnihil humentibus gignitur, iuxta semitas, item ac vias. Variat autem non raró huius magnitudo pro regionum, in quibus nascitur, diuersitate, ac cæli mutatione: Quibusdam siquidem in regionibus multò quàm in Germania amplior, maioribusque foliis exit; alibi verò etiam minor, humilior, & angustioris est folij, quale, quod Creticum quidam cognominant.

Viget caulis cum floribus Iunio ac Iulio, qui non primo, sed altero, vel etiam tertio anno demum assurgit, Primo etenim anno folia tantummodo Cynoglossos promit, caule destituitur, atque hoc tempore à Dios. obseruata, caule vidua traditur: Sed non minus in huius *Dioscorides lapsus.*
quàm in Dictamni descriptione lapsus est, quòd nullum florem, semenque ferre contra veritatem scriptum reliquit.

Græcis κυνόγλωσσος ἢ κυνόγλωσσον dicitur, Latinis Lingua canis. Plinio est Cynoglossos, qui *Plinius notatur.*
duas eius species refert, sed quæ de priore scribit, ex cap. de Buglosso apud Dioscoridem

 transla-

translata appatent. alteram ait, lappas minutas ferre; quæ vtique est Cynoglossos modò descripta.

Extant verò & apud Apuleium,& partim inter nothas appellationes, & alia huius spuria nomina, vt Φρυγια, ἐμεσιόνιον, σπλήνιον, siue Splenion, καβάλλιον, siue καβαλλάτιον, σκόλιμος, σπύργης, λεύκριος, Canina Lingua Macedonica, Germanis est Hundszungen: Belgis honts tonghe: Hispanis *Lengua de perro*. Italis *Lingua di cane*: Gallis *Langue de chien*: Anglis howndes tunghe Bohemis Psy yazyk

Limonium. Aetius lib. 1 & Tetrabibli tertij lib. 2. Limonium & Cynoglossum eădem esse stirpem sentire videtur: Ad cuius sententiam stabiliendam non parum faciunt, Galenus in lib. de simp. medic facul. Oribasius, ac Paulus, qui Limonij, siue Lemonij meminerunt, Cynoglossi præterito aut suppresso nomine. Rondeletius Glastum syluestre esse voluit, sed syluestre Glastum à Satiuo perquàm exiguum differens est, vt lib. 3. cap. 27. dictum est.

Cæterùm Cynoglossi radix & folia, cum mediæ temperaturæ proxima quadam frigiditate, emolliendi quoque vim obtinent.

Aluum, inquit Diosc. decoctum herbæ cum vino emollit. alopecijs (quas videlicet acres humores excitant) cum vetere adipe suillo folia permixta, & ambustis medentur. addit Diosc. & canum morsibus. quod forte è totius substantiæ proprietate possunt. Radix sub cineribus cocta, & subdita, internarum, siue cæcarum hæmorrhoidum dolores lenire fertur.

De Eufrasia. CAP. XXXIIII.

Eufrasia.



TENVIS ac exigua est herba Eufrasia, palmum alta, cauliculi tenues subnigricant ramosi: foliola perquàm minuta, ambitu serrata; circa quæ flosculi albicantes apparent, luteis tamen ac purpureis punctis minimis notati. radix tenuis, fibrosa.

Nascitur locis herbosis non omnino aridis, sed incultis, secus agrorum margines, ac vias, non rarò in ipsis vijs. Augusto ac Septembri mense passim floret, tuncq; potissimùm agnosci datur, & colligi optimum est. colligitur tota, ac resiccata deinde reponitur.

Eufrasiam à multis annis Medici appellant: posteriores εὐφροσύνην, Euphrosynen nominant: Est tamē & aliud εὐφρόσυνον, ipsum videlicet Buglossum. à nŭnullis verò Ocularis, & Ophthalmica, ab effectu vocatur. Germanis est Augentrost: Belgis Ooghen troost: Itali, Hispani, ac Galli Latinum nomen seruant. Anglis Eyebright: Bohemis Ambrozka.

Calida autem & sicca hæc herba, sed tamen magis sicca quàm calida.

Ad oculos plurimum commendata. potest & sola & quouis modo assumpta, videndi potentiam conseruare, adaugere, debilem ac deprauatam restituere. Datur autem commodissimè in puluerem trita: additur non rarò fœniculi semen pari pondere, & nonnihilo maceris addito, qui interior est nucis Myristicæ tenuis ac odoratus cortex, quibus sacchari tantum additur, quantum est omnium simul pondus. Huius mixturæ cochlear aut per se, vel cum exiguo vino exhibetur manè corpore ieiuno, & quidem per continuos non modò dies, sed & menses quandoque.

Fit & ex Eufrasia vinum vindemiæ tempore, cuius vsu senum etiam oculi reiuuenescere feruntur, auferrique omne oculorum impedimentum, visusque defectionem, præsertim pituita crudisque humoribus redundantibus, vt auctor est Arnoldus Villanouanus.

De

De Eufrasia altera. CAP. XXXV.

Eufrasia altera.



QVAM Eufrasiam alteram vocari contigit, cum legitima haudquaquam conuenit, nisi quod similiter ac illa vnicaulis, & ramosa sit. Prodit huic à radice vnicus teres cauliculus dodrantalis, nonnunquam etiam pedem superans, in ramulos ac alas complures distributus; quibus folia adhærent parua, oblonga, angusta, acuminata, deorsum vt plurimum reflexa, ac veluti dependentia. flosculi secundum folia exeunt colore rubentes. radix tenues dimittit fibras.

Vliginosis, non aridis prouenit locis, in pratis subinde ac vmbrosis occurrit.

Iulio ac aliquot pòst mensibus cum flore conspicitur.

Eufrasiæ alterius nomen, cur hæc sibi asciuerit, dici nequit. Cratęogonon non esse (quod plærique volunt) caulis à radice vnicus, non plures, atque hic quidem nec geniculatus, nec calamo similis, ostendit.

De temperamento aut facultatibus alius nihil, quod adferatur, occurrit.

LIBRI SECVNDI PEMPTADIS PRIMÆ

FINIS.

PEMPTADIS PRIMÆ

LIBER TERTIVS.

PRÆFATIO.

PRÆCEDENTE *libro, quæ ab elementis* A. B. C. D. E. *incipiunt, cum genere aut similitudine coniunctis, descriptæ sunt. Hoc verò libro succedunt ab* F. G. H. I. K. L. *nominis sui initium habentes vnà cum suis affinibus atque cognatis explicandæ: Quarum prima Filipendula.*


DE FILIPENDVLA.

CAPVT PRIMVM.

Filipendula.



Filipendula montana.



OBLONGA folia Filipendulæ sunt, ex segmentis compluribus, longiusculis, & ambitu serratis composita, veluti Potentillæ, siue Argentinæ, duriora tamen, nigriora, saturatius virentia, minora, tenuiusque diuisa. caules inter hæc assurgunt striati, duri, subinde bipedales, in ramulos fastigio diuisi, quibus insidet densa coma ex flosculis sex foliorum candidis, tenuiter odoratis, instar radiantis stellæ staminibus in medio concoloribus: succedit semen squamosum, veluti in rotundum capitulum coactum. radix nigricans fibras hinc inde spargit, quæ in rotunda capitula, ac nodulos extuberant instar Pæoniæ feminæ, quibus tamen minores.

In asperis, aridis, ac petrosis apud Germanos ac Britannos humilior exit; In hortis luxuriat, ac altius attollitur.

Iunio ac Iulio in flore est, succedente mox semine.

Vulgò Filipendula, ac Philipendula: à Nicolao Myrepso φιλιπένδουλα appellatur: Germanis Root steinbrech. i. Saxifraga rubra; item & Wildgarben. i. Millefolium sylvestre: Italis, ac Hispanis, nec non Gallis Filipendula.

Apparet

Apparet esse à Diosc. Oenanthe appellata herba, quæ differt ab Oenanthe syluestris vitis florente fructu. Describitur autem Oenanthe herba à Dioscoride his quidem verbis: Οἰνάνθη φύλλα ἔχει ὥσπερ σταφυλῖνος ἄνθη δὲ λευκά· καὶ καυλὸν παχὺν σπιθαμιαῖον· καρπὸν δὲ ὥσπερ ἀτραφάξιος ῥίζαν μεγάλην κεφαλὰς ἔχουσαν πλείονας, στρογγύλας· Hoc est Latinis verbis: Oenanthe.

Oenanthe folia habet pastinacæ similia, flores candidos: caulem crassum dodrantalem; fructum vero veluti Atriplicis radicem magnam capitula multa rotunda habentem.

Cum qua descriptione Filipendula satis respondet. Folium siquidem eius Pastinacæ, non tenuifoliæ, quæ Pastinacæ Dauci nomine à Galeno agnoscitur, sed alterius latioris folij, satis (si forma spectetur) simile, apparet, minus interim, durius, ac nigrius: flos albidus conuenit: caulis in aridis ac petrosis dodrantem sæpè non excedit: semen squamosum Atriplicis haud absimile: radix ampla in multas extuberat glandulosas appendices.

Præter hanc vero & aliam quandam Filipendulam in altorum montium iugis reperiri Lobelius refert, caule dodrantali, rotundo, nonnihil striato; floribus in cacumine albicantibus, cuculli aut galericuli forma, folijs filipendulæ minoribus: cuius radices oblongæ, glandulosæ, quæ non ex fibris, sed cauli proxime adhærcant. 2.

Matthiolus & alias pingit, quas appellat Oenanthes, quarum vna vel Bulbocastanon, vel ei proxima, reliquæ ad Sij genus referendæ, quod Iuncum odoratum scripsimus appellari, & pro loci ratione non exiguam formam commutare.

Cæterùm Filipendula, ac præcipuè eius radix, manifestè calida ac sicca est, aperiens, & abstergens, cum nonnulla tamen adstrictione.

Decoctum radicis vrinam, & calculos pellit: dysuria ac vrinæ stillicidio laborantibus prodest. Simile de Oenanthe Dioscorides scriptum reliquit: Radix e vino vrinæ, inquit, stillicidio conuenit.

Matthæus Syluaticus, ac Simon Ianuensis puluerem radicis aduersus morbum comitialem commendant, atque cibis frequenter permixtum valde vtilem & efficacem referunt, & contra tormina, intestinorumque flatus conuenire, præsertim addito fœniculi semine quoque affirmant.

De Regina Prati. CAP. II.

Regina prati.



CVM Filipendula similitudinem nonnullam hęc habet. Folia eius ex pluribus quoque collecta, sed Agrimoniæ similiora, dura, per oras crenata, inferiore parte inalbicant, superiore rugosa apparent veluti vlmi. caulis ad tres aut quatuor pedes, vel altius subinde attollitur angulosus, inanis, colore è rubicundo purpurascens, in cuius fastigio complures flosculi racematim cohærentes candidi, suaue olentes instar Filipendulæ: semina parua, recurua, tria quatuórve simul implicantur, exiguum capitulum efformantia. radix subest odorata, in diuersa tendens, foris nigricans, interius obscurè subrubens.

Secus scrobes, & fossas aquas habentes, nec non fluuiorum ripas, tum & in ipsis pratis gignitur; gaudet aquosis ac humidis.

Iulio ac Augusto cum flore potissimùm viget; est tamen & subinde Iunio reperiri.

Recentior ætas Reginam Prati nominat, & non rarò Capri barbam: Vlmariam quoque à similitudine foliorum cum Vlmi: Germanis Geißbart. Est autem alia ab Hirci barba Gręcis τραγοπώγων dicta. Belgæ vulgo Reynette appellant. Galli *Barbe de cheure*. Cum Rhodora Plinij similitudinis aliquid obtinet, sed tamen eandem esse affirmari non potest. Quam Galli, inquit, lib. XXIIII. cap. XIX. Rhodoram vocant, caulem habet virgæ ficulneæ modo geniculatum; Rhodora.

cularum : folia vrticæ, in medio exalbida, eodem procedente tempore tota rubentia, florem argenteum. Et est quidem caulis huius virgę oblongę similis, & circa exortus foliorum quasi geniculatus: folia singularia (segmenta videlicet totius) ambitu, vti Vrticæ, serrata, sed non in medio, verum subtus albicantia, quæ circa Autumni tempus, vnà cum rubentibus cauliculis, etiam ruborem cito peritura contrahunt.

Cæterum Barba Capri facultate frigida ac sicca coniunctam adstringendi potentiam manifestam habet.

Radix decocta, aut in puluerem contrita vtilis dysentericis, alui & sanguinis vndequaque fluores comprimit.

Flores in vino cocti quartanos tollere circuitus feruntur.

De Thalietro. CAP. III.

Thalietrum magnum.



Thalietrum minus.



EIVS, quod ad Dios. Thalietrum referendum putatur, duo occurrunt genera: Maius, ac Minus. Maius non vnius est modi, sed aliquot nonnihil differentes species complectitur.

1. Inter maiora primum, caulem attollit bipedalem, aut altiorem, ramosum, striatum, quasi angulosum, articulis geniculatum, intrinsecus cauum, subinde è punico colore purpurascentem, non tarò herbacei coloris: folia ampla in multas particulas latas, sed tamen oblongiores, diuisa, quarum plurimæ anterius duabus ad minus incisuris denticulatæ. color foliorum saturatior superius, inferius dilutior. flores in fastigiis racemosi, exigui, quorum muscosa stamina è pallido candicant, incanescentem veluti lanuginem ostentantes. sequuntur valuulæ triangulares exiguæ, in quibus semen teres. obliqua & lutea radix est, lateque serpens, & plerisque locis germina emittens, stirpem ita multiplicans.

2. Huic simile alterum, sed folio saturatius virente, & minore: cauliculo rotundiore, nullasque strias habente.

3. Tertium Thalietrum caules promit altiores, crassiores, punico non tarò colore purpurascentes: folia maiora, latiora, cæruleo colore virentia: lutea flosculorum stamina. radix, vt aliorum, serpens. Grauioris istud odoris, quàm reliqua.

4. Quarti, flosculi dilutam Violæ nigræ purpuram reddunt, luteis tamen supereminentibus apicibus, reliquis primum satis refert.

5. Minus Thalietrum, ordine quintum, cauliculos edit tenellos, dodrátales: foliola paruula: flosculos

flosculos raros; è luteo languescunt quorum stamina. radix tenuis nigricat, ac dura est. Odor huius grauis quoque, vti priorum.

Primum in vtraque Germania, subinde in pratis secus scrobes, & riuulos occurrit, quandoque etiam ad margines agrorum locis vliginosis.

Tertium ex Hispaniis in Belgium venit.

Quintum in campestribus maritimis locis apud Belgas reperitur: alibi etiam in montosis, vti in Baldo Italiæ monte, in quo prodire fertur.

Iulio ac Augusto præcipue florent, non raro tamen vel prius, vel serius. sub hyemem herba perit, radice restibili: Vere noua prodeunt germina ac folia.

Inter Recentiores nonnulli Pigamum appellant, quasi πήγανον, id est, Rutam, Vnde & à plerisque Ruta palustris: alij Pseudo-Rhabarbarum, ac Rhabarbarum Monachorum vocitant, propter radicis luteum colorem: Sed neutrorum videtur sententia admodum probanda. Verisimilior eorum apparet, qui Thalietrum esse iudicant: Quod Dioscor. folia tradit habere Coriandri pinguiora paulò, & caulem Rutæ, in quo folia. Θαλίκτρον, inquit Dioscorides, φύλλα παραπλήσια κορίῳ ἔχει λιπαρώτερα δὲ, καὶ καυλὸν πηγάνῳ πάχος, ἐφ' οὗ τὰ φύλλα, id est, Thalietrum folia habet Coriandro similia, pinguiora tamen; caulem rutæ crassitudine, in quo folia.

Folium autem horum à nobis descriptorum maiorum quidem Coriandri primis foliis non ineptè comparari potest, & iisdem paulò pinguius ac crassius: caulis crassitudine Rutæ graueolentis respondet.


Dicitur verò θαλίκτρον etiam θάλικτρον, facili lapsu ex η in κ. Latini nomen seruant.

Cæterùm à nobis descripta Thalietra maiora, temperatè calida, ac vnà resiccantia apparet.

Folia eorum oleribus admixta aluum nonnihil commouent. Radicis decoctum idem potentius præstat. Dios. Thalietri folia trita vetera vlcera ad cicatricem perducere refert: Galenus addit, citra morsum exsiccatoria esse.

De Fumaria. CAP. IIII.

Fumaria.



VALDE tenera herbula est Fumaria. cauliculi eius tenues, veluti genicula habentes, ramosi, vix sursum, nisi adminiculo fulciantur, attolluntur, sed in latus vt plurimum declinant. folia circumquaque exigua sunt, per margines diuisa, veluti Coriandri, quę simul cum cauliculo subcandido colore virent. flores spicatim digesti exigui circa fastigia ramulorum ex purpura rubent: valuulæ succedunt rotundæ, minutulæ, in quibus semen paruum. radix tenuis rectè dimittitur.

In agris frumentariis inter hordea, & post messem in vineis ac hortis, aliisque perinde cultis nascitur.

A Maij initio in multam sæpè æstatem cum flore reperitur, atque tunc colligi, resiccari, ac reponi maximè conuenit.

Καπνὸς καὶ κάπνιον, quandoque etiam καπνίτης: Latinis fumaria. Plinio Capnos. In Officinis fumus terræ. Appellatur verò & κορυδάλιον, κόριον, μαρμαρίτης, κάνδακες, sed vocibus inter nothas reiectis: Germanis Erdtrauch / Taubenkropff / Katzenkörffel. Italis *fumoterra*. Belgis Grysecom & Duyuenkeruel. Hispanis *Palomilha*. Gallis ac Anglis *Fumeterre*: Bohemis Polnyrutka.

Facultate autem Fumaria haud calida (vt creditum fuit) sed refrigerans est, & aliquantulum sicca, aperit, & per vrinas expurgat.

Confert omnibus quibus vel scabies, vel alia quæuis cutis fœditas molesta est; tum & lue venerea laborantibus: hepar & lienem ab infarctu liberat. sanguinem puriorem reddit: non raro & quartana laborantibus conducit.

Datur

Datur decoctum herbæ, vel quod ex eius succo Serapium conficitur: vtilis est & aqua destillata. Decoquitur subinde cum lactis sero, hoc modo sub finem Veris ac æstiuis mensibus scabiosis prodest.

Paulus Ægineta vrinas biliosas liberaliter promouere ait: Iocinoris obstructioni languorique mederi, stomachum confirmare, & aluum emollire.

Dioscorides succum Fumariæ (eius quæ in hordeis nascitur, Ægineta addit) cum gummi ξιχίασιν curare, ait, pilis qui pungunt prius euulsis, alios enim renasci prohibet.

De Fumaria altera. CAP. V.

Fumaria altera.



ET hæc admodum tenella est herbula, sed altior quàm prior Fumaria, cauliculos profert perquàm tenues, & circa eos folia exigua, ambitu haud incisa, & clauiculas paruas ac tenuissimas, quibus propè adsistentibus adhæret, ac sese affigit: flosculi circa fastigia albidi, nonnihil, sed dilute admodum, rubescentes; succedentibus exiguis valuulis, in quibus semen. radix tenuis vti prioris altius descendit. Tota herba è virore quoque inalbicat veluti fumaria prior, cuius nō modò colorem, sed & saporem refert.

Circa sepes, senticeta, agrorū margines, quandoque & prope veteres muros exit.

Prouenit, floret, vigetque eodem, quo prior, anni tempore.

Ex Recentioribus nonnulli hanc Splith vocitant, ac Corydalem herbam esse existimant, cuius mentionem facit Galenus lib. XI. de simp. med. facul. vbi Corydalis auis facultatem refert: At Corydalis herba fumaria apparet superior, quæ inter nothas voces, vt scripsimus, Corydaliō nuncupata reperitur. Plinij prior Capnos citius hæc esse videtur, quam Pedes gallinaceos vocari refert, nam superior, Capnos altera huic est. Plinius siquidem duas Capnos describit, lib. XXV. ca. XIII.

Prima, ait, quam Pedes gallinaceos vocāt, nascens in parietinis ac sepibus, ramis tenuissimis, sparsisque, flore purpureo, viridis. Similis & nomine & effectu, sed alia est Capnos, fruticosa, prętenera, folijs Coriandri, cinericij coloris, flore purpureo: Nascitur in hortis, & segetibus hordeaceis.

Facultate autem priori vulgati fumariæ similis hæc existimatur. Plinius vtrique similes tribuit vires. De prima sic scribit: Succus caliginem discutit: itaque in medicamenta oculorum additur: De altera verò; claritatem facit inunctis oculis. Matthiolus præstare Splith ait, aduersus colicos dolores, siue virens assumatur, aut arida in puluerem trita cum vino bibatur, pluribus continuis diebus.

De Geranijs, ac primùm de Geranio tuberoso. CAP. VI.

GERANIORVM complures reperiuntur species: Ex his duæ Dios. notæ, Tuberosæ radicis vna; altera maluæ folio.

Primum Geranium, Tuberosum cognominatum, multis luxuriat cauliculis tenuibus, teretibus, & aliquantulum ramosis: folia, vt Ranunculi vnius, in multas fissa sunt lacinias, ad Anemones cuiusdā accedentia, maiora tamen: flores in summis ramulorum alis eleganter, sed dilutè rubentes, exiguis rosis persimiles, oblongum, tenuem, acuminatumque, instar gruis rostri, post se stylum relinquunt, vnde nomen. radix crassa, rotunda, tuberosa, non absque nonnullis fibris.

In Dalmatia, Illyrico, nonnullisque alijs Orientem versus Prouincijs locis incultis, nullo serente, exit: apud Germanos, tum & alibi hortense est.

Geranium tuberosum.



Tota propemodum æstate florifetum.

Γεράνιον Græcis, Latinis Gruinalis, vulgò Rostrum gruis, aut Rostrum Ciconiæ, à similitudine rostri gruis ac Ciconiæ: à nonnullis quoq. Acus moschata, aut Acus pastoris: Italis *Gerano, & rostro di grua*: Hispanis *Pico de ciguena, Pico del grou* Germanis Storckenschnabel Gallis *Bec de Cigogne*: Belgis Oyevaers beck. Anglis storkes bill Bohemis Czapynůsek.

Appellatur autem istud primum, vulgò Geranium Tuberosum: à nonnullis quoque Geranium Bulbosum, ab extuberantibus in rotunditatem radicibus. Dioscoridis etiam est primum, quod spuriis vocibus πελαργῖτις, τρίχα, Γερανογέρον, ouclunastrum, aut echinastrum nuncupatum reperitur.

At temperie Geranij Tuberosi radices exiguæ cuiusdam caliditatis participes videntur: Edules esse Dioscorides refert, & drachmæ pondere in vino potas, vteri inflationes dissoluere. Plinius præterea reficientibus se ab imbecillitate huius radicem vtilissimam ait: bibique contra Phthisim drachmam eius in vini cyathis tribus in die.

De Pede Columbino altera Geranij specie.

CAP. VII.

Pes Columbinus.



ALTERÆ Geranij speciei, cui Pedi Columbino nomen, folia sunt rotundiuscula, mollia, exiguæ, ac minoris Maluæ foliorum æmula, minora interim, candidiora, minus glabra, ambituque serrata: cauliculi dodrantales, subinde duorum dodrantum, tenues, nonnihil pilosi, humi repentes, similibus folijs conuestiuntur, quorum alarum fastigijs flosculi insident paruuli, subpurpurei, ac postea capitella minuta, gruim capitis modo rostrata. radix tenuis & fibrosa.

Secus vias, locis desertis, & non rarò incultis quoque reperitur, non modò in Germania, sed & alibi.

Floret cum alijs plurima æstatis parte.

Pedem Columbinum vulgò appellant: Germani Taubenfuess/ Scarter kraut Belgis Duyuen voet Gallice *Pied de pigeon*; Geranium hinc dici potest Columbinum. Dioscoridis alterum esse Geranium satis apparet, cuius aliquot spuriæ extant voces, quarum tamen pleræque ad subsequentium aliquod, vel ad alias herbas magis referendæ videntur, vt sunt ὀξύφυλλον, μερφυξ, μυῤῥίς, χρυσάνθεμον, ὀρίγανον, Pulmonia, Cicutaria, & Gruina.

Ad hoc genus videtur verò & referendum Geranium illud, quod à Calceolario sibi missum Matthiolus refert. Caules huius geniculati, molliter hirsuti, ac in plures diuisi ramulos, humi repunt vti Maluæ, cuius folia, aut citius Altheæ, huius quoque referunt, aliquanto tamen longiora. Flosculi in summis ramulorum

fastigiis è purpura, & quandoque quidem dilutiore rubent, exigui, oblongioris formæ, quibus succedunt gruum rostris similia, oblonga, & acuminata. radix tenuis & oblonga est

Iuxta Monspelium nonnullis locis sponte nascitur.

Cæterum Geranium alterum Dioscorides quidem nullius ait in medicina esse vsus: Recentiorum tamen pleri que Pedem Columbinum ad intestinorum tormina vtilem referunt, & balneis percommodum.

De Geranio Robertiano. CAP. VIII.

Geranium Robertianum.



GERANIVM Robertianum cauliculos profert, cubito sæpenumerò altius assurgentes, teretes, genicularim articulatos, vt plurimum rubentes, nonnullisque pilis obsitos. Folia ex interuallis fissa, Cicutæ aut Myrrhidis similia, sed minora, ad Chærephylli magis accedentia, nonnihil hirsuta, colore quoque sæpenumerò rubicunda. Flosculi in cacuminibus emicant purpurei, ex quinque compositi foliolis, quorum singulos mucronatus & acuminatus sequitur gruum rostri modo eminens apiculus. radices subsunt fibrosæ. Tota herba odore est graui satis, atque haud iucundo.

Exit Geranium istud non rarò iuxta veteres parietes, ac maceries, in ruderibus, ac arborum excisarum caudicibus, locis humentibus, ac vmbrosis, & frequenter assiosis.

Floret ab Aprili in multam æstatis partem; hyeme etiam viret herba, a frigoris iniuria nec facilè offenditur.

Germani Ruprechts kraut / subinde Schartenkraut / aut klein scholwurtz · Belgæ Robrechts kruyt appellant, atque inde Ruberta, ac Roberti herba nuncupata est. Ruellius Robertianam dixit herbam· Nos Geranium Robertianum.

Conferenti autem Geranium istud cum tertia Dioscoridis Sideritide, conuenire satis apparet, atque ipsa tertia esse Sideritis. Dioscorides siquidem tres adfert Sideritides, Vnam Marrubij; Proximam Filicis folio, Tertiam verò in parietibus ac vineis nascentem.

Respondent Geranij Robertiani natales· folia quæ scripsimus ad Chærephylli accedere, Coriandri non repugnant in ramulis siue cauliculis ac floribus exigua remora.

Sideritis tertia. Describitur autem Sideritis tertia à Dioscoride his quidem verbis· ἔχει φύλλα πολλὰ ἀπὸ μιᾶς ῥίζης ὅμοια κοριάννῳ περὶ καυλίοις σπιθαμιαίοις λείοις, ἁπαλοῖς, ὑπολεύκοις, ὑπερύθροις. ἄνθη δὲ φοινικᾶ, μικρά, γευομένῳ πικρὰ καὶ γλίσχρα, id est Folia à radice habet numerola, similia Coriádri, circa cauliculos dodrantales, læues, teneros, subalbidos, ac subrubentes: flores phœniceos, gustu amaros & viscosos. Hanc autem & à Crateua Heraclean appellari ait, ac in parietinis & vinetis nasci.

Facultate autem Robertianum Geranium aliquantulum quidem refrigerans; sed tamen & abstergens cum adstrictione quadam. ad mamillarum, pudendorumque vulnera ac vlcera conducit, sanguinem etiam profluentem supprimere posse putatur. Quod & de Tertia Sideritide Dioscorides Huius, inquit, imposita vis est, vt cruenta & recentia vulnera glutinet.

De Geranio supino, siue quarto. CAP. IX.

QVARTI Geranij oblonga sunt folia, tenuibus, multiplicibusque sectionibus diuisa, veluti ex pluribus minoribus, Coriandri similibus, ad vnum pediculum composita· cauliculi viticulosi, oblongi, modicè hirsuti, non rarò dilute rubentes, in quorum fastigiis veluti laxæ paruæ vmbellæ, e quibus flosculi, in reflexis, recuruis aliquantulum pediculis seni aut septeni apparent, exigui, quinquefolij, rubentes, ac deinde parua capitula acuminatis ac mucronatis apicibus rostrata, ad basim quorum conceptacula quædam, in quibus semina minuta

Geranium supinum.



nura & oblonga. radix gracilis & candida, altè dimittitur. Sternuntur humi non modò folia, sed & cauliculi latè subinde proserpentes.

Iuxta vias, ac semitas, marginesque agrorum, ac non rarò in ipsis arvis, locis aridis, ac arenosis sponte natum frequenter reperitur: rigua ac herbosa non amat.

Tota æstate floriferum est: hyemis tempore herba ipsa viret.

Germani hoc Geranij genus propriè Storckenschnabel appellant Belgę Ooyevaers beck, id est, Rostrum Ciconiæ. Dicitur etiam à nonnullis Acus pastoris: A Valerio Cordo Geraniū supinum, est tamen non modò istud supinum ac repens, sed & alterum genus, quod Pedē Columbinū diximus vocitari. Habetur verò istud & à quibusdam pro Plinij Geranio: Quod ab ipso primo describitur loco lib. XXVI. cap. XI. his verbis. Geranion aliqui Myrrhin, alij Merthryda appellant. Simile est Cicutæ, folijs minutioribus, & caule breviore, rotūdo, saporis & odoris iucundi: Sed quod pro Geranio hoc loco à Plinio refertur, Græcorum est Myrrhis, quam cum Geranio confundit. *Plinius notatur.*

Facultatem autem istud Geranium cognitam aut exploratam nullam habet; videtur autem refrigerans, & aliquantulum esse resiccans, cū nonnulla adstrictione: ac recentibus, cruentisque vulneribus commodum. & adversus inflammationes incipientes utile.

De Geranio Batrachioide. Cap. X.

Geranium Batrachioides.



Geranium Batrachioides alterum.



 GERANIUM

GERANIVM istud Ranunculum hortensem, ac præcipue Sylvestrium alterum, foliis suis refert, quæ profundis incisuris dissecta, ambituque sunt serrata: cauliculi assurgunt complures, teretes, aliquâtulum lanuginosi, mox a radice rubentes: in quorum fastigiis flores quales fere Ranunculi, at colore cærulei. succedunt seminum exigua conceptacula, è medio quorum tenuis prodit stylus gruini rostri æmulus. radix crassior multis citris confibratur.

2. Huius verò & alia quædam species est priori similis, foliis paulò minoribus, cuius flosculi eleganti colore rubent, & quandoque odorati quodammodo moschum referunt. radix huius proserpens, pluribus etiam fibris capillatur.

Sunt hæc Gerania natura sua quoque sylvestria, ac locis exeunt parum cultis, ac planis potius quâm montanis. Vtrumque ad hortos non rarò transfertur.


Flores æstatis plurima parte vigent.

Geranium Batrachioides, γεράνιον βατραχοειδὲς à Ranunculi similitudine nomẽ inuenit. Primum genus vulgò Ranunculum Cæruleum appellant. Fuchsius Gottes gnad, id est, Gratiam Dei vocitat. Quod rubentis est floris Acus moschata à non paucis dicitur, quo nomine & Geraniũ Tuberosum appellatur, cuius flores cũ huius satis & colore & forma cõueniunt.

Ad Medicinæ vsum neutrum recipitur: Fuchsius tamen quod cærulei est floris, insigni, ait, in sanandis vulneribus effectu præditum.

De Reliquis duobus Geraniis. CAP. XI.

Geranium septimum, siue Geranium gruinum.



Geranium montanum.



PRÆTER hactenus memorata, ac tradita Gerania, & alia duo L. Fuchsio describuntur.

1. Vnum foliis admodum laciniatis: cauliculis lanuginosis, & vti aliorum à radice statim rubentibus, flosculis purpureis, ex quibus capitella gruini capitis instar rostrata nascuntur. radix intus candida, foris sublutea est.

2. Alterum priori simile quodammodò, sed foliis, floribus, radicibusque maius, ac amplius: ramuli eius tenues lanuginem quandam quoque habent: folia tenuia in lacinias diuisa. Flores in fastigiis purpurei, quibus similia capitella, gruini quoque capitis formam referentia, subnascuntur. radix interius exteriusque rufo colore rubet.

In agrorum limitibus, ac iuxta sepimenta, ac scrobes, quod prius est: alterum verò & in montanis ac saxosis in Germania gignitur.

Æsta-

Æstate flores vtriusque apparent.

Nomen Fuchsius priori Franichalß/ id est, collum gruis dedit, secundum Blůtwurtz, hoc est, sanguinariam radicem appellat, à mirifica in sistendo sanguinis profluuio facultate. Montanum Geranium verò & istud dicitur.

Nullam autem, vt idem refert, ad sanguinem vndequaque emanantem compescendum præstantius hoc Geranio est, quod vnicum de eius potentia ac viribus referendum occurrit.

De *Gnaphalio*. CAP. XII.

Gnaphalium marinum.



CAVLICVLI ac ramuli Gnaphalio tenues, palmum alti, circa quos foliola parua, oblonga, vnà cum cauliculis ac ramulis densa, candida, mollique lanugine pubescentia, quorum pro tomento vsus esse potest: capitula in fastigiis emicant Abrotoni corymborum æmula. flosculi lutei ex his prodeunt, aut aurei fulgoris. radix in diuersa tendit, dura ac lignosa.

Haud procul à mari inculta amat. In Narbonensi Gallia plerisque locis copiosum.

Flores vigent mense Iulio, semen inde perficitur.

Græci γναφάλιον appellant. Dictum autem Gnaphalion, quòd foliis ipsius teneris loco γναφάλου, id est, tomenti vtantur, vt Paulus Ægineta scribit. Plinius etiam Chamæzelon dici auctor est, lib. 27. cap. 10. rectius fortassis Chamæxylon, quasi humile Gossipion: Tomentosa siquidem sua lanugine molli candidaque Gossipij lanuginem refert: vnde & à nonnullis Tomentitia & Cotonaria nominatur: Ab aliis Centunculus, & Centuncularis dicitur, quæ vox inter spurias ac nothas occurrit. Plinius autem Centunculū lib. XXIIII. cap. XV. ait Græcos Clematidem vocare.

Extant verò huius & hæc inter nothas appellationes vocabula, ἰρές, ἀμωτέτικος, ἀναφαλίς, ἀνάξηνος, γελασό, Centuncularis, & Albinum, quæ posterior appellatio propter albicantem colorem huic haud perperam conuenit.

Porrò Gnaphalion cum modica quadam adstrictione resiccat.

Bibuntur, inquit Dioscorides, efficaciter folia cum vino austero ad dysenteriam.

De *Goßypio siue Xylo*. CAP. XIII.

GOSSIPIVM cubiti altitudine fruticat: ramulis brachiatur: latiuscula, & quasi triangula Vitis aut Alceæ instar ferè incisa sunt folia, sed minora, molliora, incana, ad tomenta etiam vtilia. flores lutei in medio nonnullo purpureo, qui post se nuculas veluti parua mala relinquunt, Aristolochiæ rotundæ vnius fructui haud absimiles, qui & maturescētes spontè finduntur, in his autem vnà cum semine, mollissima, candidissima lanugo ex ipsis hiantibus fructus rimis non rarò dependens, quæ, ad vestes ex ea conficiendas, netur: semen oblongum est gustu haud insuaue. radix exigua, fibrosa.

Non modò in Asia, Africa, aut in Tylo Arabici sinus Insula, de qua Theophrastus, verùm & in non paucis ad Europam pertinentibus locis diligenter, ac studiosè colitur, veluti in Melita & Cādia insulis maris mediterranei, tū & alibi in calidis Austrum versus sitis regionibus.

Græcis est ξύλον καὶ γοσσύπιον: Latini voces seruant. Officinis Lanugo, Bombax, & Cotum: Italis *Bombagia* & *Cotone*: Hispanis *Algodon*. Germanis Baumwoll: Gallis, Belgis, & Anglis Cotton.

Meminit huius Theophrastus lib. 4. cap. 9. sed absque nomine, & arborem ait esse Lanigeram Tyli Insulæ: Nec mirum videri debet, si stirpem incognitam, & in remotis regionibus nascentem arborem esse putauerit, cùm & hac ætate, qua plurima in cognitionem venerunt, lanugo huius Baumwoll, id est, arborea lana à Germanis, vt diximus, appelletur.

Goſſipium ſiue Xylon.



Theophra ſti locus e mendatus

De hoc autem Theophraſtus ita ſcribit; Proferre vero eandem inſulam, Tylon ſcilicet, & arbores lanigeras multas proditum eſt; has autem folium habere ſimile viti, ſed minus; fructum verò in quo lana magnitudine mali, quem cum tempeſtiuæ maturitatis ſit aperiri, ac lanam excipi, ex qua telas contexunt.

In Græco exemplari, vbi legitur Καρπὸν δὲ οὐδὲν, &c. ſuperflua dictio οὐδὲν. ſi enim fructum fert magnitudine mali, in quo lana, quo tandem modo nullum ferre affirmari poterit?

Plinius de eodē lib. xix. cap. 1. Superior (ait) pars Ægypti in Arabiā vergens gignit fruticem, quem aliqui Goſſipion vocant, plures Xylon, & ideò lina inde facta Xylina Patuus eſt, ſimiléque barbatæ nucis defert fructum, cuius ex interiore bombyce lanugo netur. Nec vlla ſunt eis candore mollitiave præferenda. Veſtes inde ſacerdotibus Ægypti gratiſſimæ

Lana huius fruticis, quàm multis vſibus ſeruiat, non eſt huius inſtituti referre.

Combuſtus cinis non minus quàm papyri, ſanguinem profluentem è vulneribus ſiſtit.

Seminis medulla tuſſientibus, difficulterque reſpirantibus auxiliatur, & adaucto genitali ſemine ad Venerem inuitat.

Oleum ex ſemine expreſſum lentigines tollit, aliaſque cutis infectiones delet.

De Filagine ſiue Impia. CAP. XIIII.

Filago ſiue Impia.



Filago minor.



Mol-

MOLLIS quoque ac tomentosa herba Filago est, cauliculos promit tres aut quatuor dodrantales, quandoque altiores, circa quos foliola oblonga, angusta, vtraque autem molli ac araneosa lanugine pubescentia: flosculi in fastigiis cauliculorum eminent e luteo pallentes, in pappos tandem euanescentes, quorum posterius nati, longioribus insidentes pediculis, priores superant. radix tenuibus cirris confibrata. 1.

Huius & alia species cauliculis foliisq; incanis, mollibus, ac lanuginosis, priori similis, verum flores non in cacuminibus, sed secundum coliculos ordine dispositi ponè folia exeunt, priori similes, qui & in pappos soluuntur. 2.

Tertia etiam est quędam Filago, lanuginosis coliculis, foliis, floribusque in cacumine priori similis, sed humilior ac multò minor. 3.

Reperiuntur Filagines locis sterilibus, arenosis, subinde circa aridos scrobes, in syluis, & in neglectis agris.

A Maio in Augustum vsq. cum flore vigent, atque his mensibus oportunũ eas colligere.

Recentior ætas Filaginem appellat nonnulli quoque Pilosellam, sunt tamen & aliæ Pilosellæ. Gnaphalij autem species existimatur, quam ob caussam & à nonnullis Gnaphalion dicitur. Germani Ruhrkraut vocant. Plinij Impia esse apparet, de quo lib. XXIIII. cap. XIX. his verbis: Herba Impia vocatur incana, rorismarini aspectu, thyrsi modo vestita, atque capitata: inde alij ramuli exurgunt sua capitella gerentes: ob id Impiam appellauere, quoniam liberi super parentem excellant. *Impia.*

Resiccantem ac nonnihil astringentem facultatem hæc herba habet.

Aqua ab hac destillata ad Cancrum, præcipuè mammillarum, magni est vsus: Continet enim occultos cancros ne exulcerentur, cum linteolis semel in die imposita. Sunt verò & qui Asari foliis, huius aqua madefactis, non infeliciter ad Cancros reprimendos vtantur.

De Pilosella, ac primùm de Maiore. CAP. XV.

Pilosella maior.



DVÆ reperiuntur appellatæ Pilosellæ, forma differentes, quarũ vna Maior, altera Minor.

Maior Pilosella tenuibus ac viticulosis coliculis, asperis, & hirsutis humi serpit, subinde & radiculas dimittens: folia forma oblonga, lata, non tamen magna, & ipsa hirsuta, supernè virentiora, inferius inalbicant. flores in tenuibus pediculis singuli farcti, lutei, Hieracij æmuli, sed minores, qui & in papposam lanuginem resoluuntur, cui subest semen. radix digitalis longitudinis fibris multis capillatur.

In colliculis terrenis, & aggeribus, circum agros frequens per Germaniam vtramque reperitur.

A primo quoque tempore in multam æstatem floret.

Pilosellam recentior ætas appellat, & ad differentiam sequentis Pilosellam maiorem. Nõnulli Auriculam muris nominant, differens tamen est à vera muris Auricula. Germanis Nagelkraut: Italis verò, Gallis, & Hispanis *Piloselle*: Belgis etiam Nagelcruyt & Muysoor.

Facultate autem hæc aliquantulum calida, & reficcans, abstergens quoque, & vnà simul adstringens. Alui fluores reprimit, dysentericis, & cœliacis ea propter vtilis. ad vulnerũ curationem eadem plurimùm potest, cum foris admota, tum & potionibus admixta, ad horum curationem institutis. Laudatur & decoctum eius ad enterocelas, quas recenter natas curare posse, aliquot diebus epotum, speratur. Succus dolentibus auribus immissus, dolores lenit.

Baptista Sardus hepaticis admodum vtilem scribit, omnes siquidem Iocinoris obstructiones aquam ab hac destillatam aperire, eandem quoque ad vlcera tibiarum commendat, præsertim Rhodomelitis, Lithargyri & Myrrhæ singulorum vnc. ij. ad libram vnam aquæ additis, cum quibus vbi triduo insolata fuerit, colanda, & ad vsum reseruanda est.

De Pilosella minore. CAP XVI.

Pilosella minor



Pilosella minor altera.



1.

2.

1.

2.



MINOR hæc, quàm superior, mollior, & candidior: foliola eius tenui lanugine incandicant, inter quæ cauliculus exit, cuius fastigio flosculi insident paruuli quatuor, quinque, pluresve simul coniuncti, staminei, non rarò albidi, quandoque e rubro purpurei, subinde e purpura nigricantes, aliâs variè colorati. radix tenuis adnatis fibris descendit.

Aliam huic similem Lobelius refert, foliis oblongis, angustis, hirsutis, ac incanis, duorum pollicum longitudine, in cuius caulis hispidi, tres quatuórve digitos alti, cacumine capitula eminent lata, vnà cum floribus violę purpureę, colore saturato nigricantes, in quibus quædam foraminula impressa apparent. radix vti alterius.

Prior Germaniæ vtrique satis familiaris, andis locis, in collibus, ac montium iugis.

Alteram in Alpibus, ac Baldo Veronensi monte, similibusque locis reperiri contingit.

Floret apud Germanos prior Maio ac Iunio mensibus.

Vtraque ad Leontopodium refertur, quod à Dioscoride his describitur verbis: *Λεοντοπόδιον ἢ δικτυλάδιον ἐστὶ βοτάνιον, ἔχον φυλλάρια τινά ὡς τεσσάρων δακτύλων ἢ καὶ τριῶν τὸ μῆκος δασέα, ... τὰ πρὸς τὴν ῥίζαν καὶ ὑπόλευκα, ... ἄκρων δὲ τῶν καυλῶν κεφάλια ὥσπερ τετριχωμένα ἐν οἷς ἄνθη*

ἄνθη μέλανα. ὁ δὲ καρπὸς αὐτοῦ, δυσθεώρητος διὰ τὸν περικεχυμένον αὐτῷ χνοῦν. ῥίζα δ' ὕπεστι μικρά. Quæ Latine sonant: Leontopodion herbula duorum digitorum, folia fert angusta, longitudine quaternorum triumve digitorum, hirsuta, circa radicem lanuginosiora, & subcandida: capitula in summis cauliculis veluti perforata flores nigros semen adeò spissa lanugine inuolutum, vt sæpe fallat. radix subest exigua.

Cui descriptioni posterior quàm prior similior. Appellatur autem Leontopodium spuriis quidem vocibus ζωόνυχον, λεοντόνυχον, κνηκὸς, διμεταμέβη, ἰδιόφυτον, φυτοβασίλα, κεξόσιον, κεξοσόφθαλμον Romanis Mineruium, aliis Palladium.

Diuersum autem istud à Leontopodio, quod Plinius lib.26.cap 8.describit Nec conuenit cum eo quod ab Apuleio cap 7.refertur, quod haud aliud quàm Leontopetalon est.

Leontopodij autem Galenus & Paulus Ægineta non meminerunt, Oribasius Leontopetalon dici Leontopodium refert. Aëtius Leontopodij radicibus omnes eas ascribit facultates, quas alij Leontopetali, ita ostendens à se appellatum Leontopodium, Dioscoridis, Galeni, & Pauli Leontopetalon esse.

Priorem nostra ætas dicit Pilosellam minorem: sunt qui ad Gnaphalij genus referant, & Gnaphalium montanum appellitent, à quo non admodum differens, veluti neque Filago & à nonnullis appellata Stœchas Citrina, quæ tenui & tomentosa lanugine totæ canescunt.

Pilosella autem minor, tametsi vsum in Medicina nullum habeat, est tamen natura resiccans & adstringens.

De Leontopetalo. CAP. XVII.

Leontopetalon.



LEONTOPETALO folia sunt lata, veluti brassicæ, sed sectionibus diuisa caulis dodrantalis, subinde maior, in ramulos, siue alas non paucas distribuitur, in quarum fastigiis flosculi rubentes deinde siliquæ, in quibus semina, Ciceres referentia. radix magna, strumosa, instar raporum, foris nigra.

Nascitur in aruis, in campis, inter segetes. Reperitur in nonnullis Italiæ locis, veluti in Hetturia & Apulia: item & in Creta, aliisque prouinciis ac insulis, Meridiem ac Orientem versus.

Flores hyeme, teste Petro Bellonio, profert.

Λεοντοπέταλον Græci nominant, id est, Leonis folium, Plinio Leontopetalon quoque: Apuleio Leontopodion, vt superiore capite ostendimus: Italis *Leontopetalo*, Patam Leonis Officinis & Herbariis dici auctor est Ruellius, vulgò tamen alia pro Pata leonis ostenditur, Alchymilla videlicet dicta.

Sunt verò & huius complurima spuria nomina: vt, λεύκηορον, λεόντιον, δωρὶς, δωρικτερὶς, λυχνὶς ἀγρία, παρδάλη, θορύβηθρον, ὀρόβηθρον, μήκων κερατῖτις, ἀνεμώνη, Rapeium, Papauerculum, Semen leoninum, Pes leoninus, Brumaria.

Cæterùm Leontopetalon, auctore Galeno, digerendi, exsiccandi, & excalfaciendi facultatem in tertio ordine possidet. Radix, inquit Dioscorides, in vino sumpta, à serpentibus demorsis auxiliatur, citissime dolorem sopiens: Miscetur enematis ischiadicorum.

De Heliotropio Maiore. CAP. XVIII.

HELIOTROPIA duo sunt: Maius vnum, alterum minus.

Heliotropium maius, siue magnum dictum, cauliculo assurgit rotundo, ramoso, nonnihil hirsuto, & subalbido: folia latiuscula sunt, rotundis tamen longiora, veluti Ocymi, sed albidiora, asperioraque, vtpote aliquantulum quoque pilosa: flosculi candidi, ordinata serie digesti, sensim prodeunt ramulorum, cauliculorumque fastigiis, Scorpionum caudæ instar reflexis. radix tenuis, dura, ac lignosa.

Multis

Heliotropium.



Multis Italiæ & Narbonensis Galliæ locis in aruis, & secus agrorum margines læto solo exit.

Huius generis & alterum est, foliis minoribus, quod non attollitur, sed ramis suis humi sparsis supinum procumbit.

Tale iuxta Monspelium in Narbonensi Gallia reperitur.

Circa æstiuum solstitium potissimùm floret.

Græci ἡλιοτρόπιον μέγα, καὶ σκορπιουρον vocant: Latini voces seruant: ab Herbariis quibusdam, teste Ruellio, herba Cancri. Heliotropium autem ex eo nomen habet, nō quòd ad Solis diurnum motum conuertatur, sed quòd æstiuo Solstitio floreat, quo tempore Sol longissimè ab æquinoctiali circulo digressus, ad ipsum rursus τροπὴν (vnde & circulo nomen) siue conuersionem facit. Scorpiuron verò, à ramulorum fastigiis instar Scorpionis caudæ recuruatis dicitur.

Heliotropium autem calidam, siccam, & abstergentem vim præ se fert, vt Paulus Ægineta tradit. Huius, quantum manu comprehēdi potest, decoctum, potu bilem, pituitamque per aluum extrahit. Contra verò Scorpionum ictus, ex vino Heliotropium epotum, & impositum prodest. Seminis grana quatuor ante accessionē vnà cum vino sumpta, quartanas finire, tria verò tertianas aiunt. Pensiles verrucas, thymos, epinyctidasque applicatum resiccat: auctor Dioscorides.

Heliotropium supinum.



De Heliotropio minore. CAP. XIX.

MINVS Heliotropium foliis maiori apparet proximum, sed tamen iisdem è virore nigrioribus: flosculi lutei sunt, quibus succedunt è tenuibus pediculis dependentes tricocci fructus, instar Tithymallorum. radix aliquot fibras habet.

In vinetis plerisque Italiæ locis, alibi in oliuetis quoque reperitur: Dioscorides in palustribus, & iuxta lacus nasci refert. Germaniæ peregrinum est.

Æstiuis quoque mensibus floriferum. semen Septembri mense perficitur.

Ἡλιο-

Heliotropium minus.



Ἡλιοτρόπιον μικρὸν Græci appellant, id est, Heliotropium paruum. Actius Tetrab. 4. lib. 3 cap. 14. Heliotropium tricoccum nominat: Plinius similiter lib. 22. cap 21. à se Tricoccum appellarum refert, & alio nomine Scorpiuron quoque vocari. Hac ætate a nonnullis Verrucaria dicitur: Gallis est Tornesol, apud quos huius succo lineæ telę imbuuntur, quæ purpurei coloris sunt resiccatæ, quibus deinde sapores, intinctus, & secundæ mensæ bellaria; non modò apud Gallos, sed apud Belgas inferiores Germanos, rubente purpureo inficiuntur colore. Quod tametsi ab aliis veteribus non fuerit obseruatum, Plinio tamen haudquaquam fuit incognitum, qui lib. xxi. cap. viii. vnum ex purpureis coloribus in Heliotropio intelligi scribit.

Cæterum Heliotropium minus cum semine suo ex aqua potum, adiecto nitro, hyssopo, & nasturtio, vermes, tam latos, quàm rotundos pellit. acrochordones cum sale appositum tollit, vt auctor Dioscorides.

De Scorpioide. CAP. XX.

TAMETSI vnius Scorpioidis Diosc. tantummodo meminerit; nostra tamen ætate plures ostenduntur. 2.

Prius parua ac humilis herba est, aliquot teneros ramulos proferens, semipedem aut

Scorpioides prior.



Scorpioides Matthioli.



dodran-

Scorpioides tertia.



dodrantem longos, qui subinde vel in latus declinant, vel humi procumbunt, rarò assurgunt, circa quos folia oblonga, latiuscula, haud multa: flosculi tenuibus pediculis insident lutei, ochri, Lathyri, viciæ, aliorumque leguminum similes, sed minores succedunt hirsuta, articulatim cohærentia, & instar scorpionum caudæ incuruata semina. radix tenuis est.

Plerisque locis aridis & montosis, in oliuetisquoque in Narbonensi Gallia sponte nascitur: alibi hortensis est. Vnà cum Heliotropiis sub æstiuum Solstitium, aut paulò pòst floret: semen interea perficit.

Et hæc quidem ad Scorpioides proximè accedit, ac legitimum apparet, quod Dios. Βοτάνιον esse ait, φύλλα ἔχον ὀλίγα, καὶ σπέρματα ὥσπερ σκορπίου ἐμφερῆ, id est, herbulam paucis foliis, semine scorpionis caudæ effigie. Dicitur σκορπιοειδὲς Plinio, Latinè Scorpius herba. lib XXII. cap. XV. Ex argumento nomen accepit, ait, Scorpius herba: Semen enim habet ad similitudinem caudæ scorpionis, folia pauca. Valet & aduersus animal sui nominis. Est tamen & Scorpius herba alia, quæ à Theophrasto Nepa, de qua suo loco.

2. Alterum Scorpioides Matthiolus exhibet, quod coliculos edit satis numerosos, & foliis abundè multis conuestitur, quorum quæ circa ramulos terna simul cohærent, quorum tamen medium, reliqua duo magnitudine superat, & rotundo longius est, ad Portulacæ accedens: lutei flosculi in summis virgulis eminent: subnascuntur articulatæ ac tenues siliquæ fastigio acuminatæ, ac instar scorpionis caudæ recuruatæ, in quibus semen Galegæ simile. tenuis & paruula radix.

Galliæ nonnullis locis in vinetis comparet.

Floret eodem, quo superior, anni tempore.

Minus hoc Dios. descriptioni, quàm superius respondet, vtpotè non pauca habens folia. Existimatur à nonnullis Telephium, quod nec nobis nec aliis doctis probatur.

3. Tertium Scorpioidis nostræ ætatis genus, cauliculos promit angulosos: hinc inde foliis, sed raris, conuestitos, quæ virentia sunt, oblonga, & semidigitum ferè lata, ac veluti ipsi coliculi exiguis pilis hirsuta apparent: ramulorum ac cauliculorum fastigia vna cum florum rudimentis instar scorpionis caudæ recuruantur, sensim autem his sese explicantibus particulatim flosculi panduntur, qui cærulei sunt ex quinque foliolis, medio luteo, Chamædryos syluestris ferè similes, minores tamen ac dilutiores. radix exiguis fibris constat.

In vineis, in aruis, inter segetes, in locis herbosis, in pratis, iuxta profluentes aquas exit, & quò humidiore loco, eò amplior ac maior gignitur, quò verò aridiore, hoc minor, tenerior, ac quoque hirsutior reperitur.

Ab Aprili in multam æstatem floret.

Scorpioidem nominari contingit, à recuruatis & reflexis ramulorum cacuminibus, quæ veluti Heliotropij maioris contracta apparent.

Non esse Auriculam muris (quod plerisque videtur) ostendunt, non modò folia, haudquaquam geminata, sed & radix nequaquam digitalis crassitudinis.

Cæterum Scorpioides, vt Dioscorides refert, appositum scorpionum ictibus præsentaneo est auxilio.

De Hippuri siue Equiseto. CAP. XXI.


HIPPVRIS ad palustres quidem pertinet, sed tamen extra earum ordinem describenda fuit, propter alias, quas similitudine sua secum trahit.

Duo autem eius passim cognita sunt genera: vna maior Hippuris, altera minor.

Maior caule tereti, ac culmi modo inani assurgit, cubito altiore, subinde subrubente, aspero, & geniculis pyxidatim cohærentibus articulatim, iunceis ac tenuibus ad genicula foliolis,

Hippu-


Hippuris maior, siue Equisetum maius.



Hippuris minor cum flore.



Hippuris minor absque flore.





aut potius geniculatis cirris, sed tamen scabris: reperitur verò & absque his, culmis tantummodo geniculatis, striatis, & asperis pro floribus veluti Iuli aut Asparagi eius, qui myacantha dicitur, cacumina, in similibus eminent cauliculis radix subest geniculata & serpens.

Minor & cauliculis in se farctis, cirrisque iunceis, ac tenuibus priorem satis refert, sed humilior, ac non rarò comosior, minusque scabra. Iuli minus compacti flosculos promunt candidos radix nigricans late serpit, geniculis quoque articulata.

In sentibus ac locis aquas habentibus maior reperitur, subinde in pratis humentibus ac riguis.

Minor in sabulosis ac arenosis exit, sed tamen haud irriguis; in vliginosis non rarò.

Aprili & Maio prodeunt.

Græcis ἱππουρίς, Latinis Equisetum, Equinalis: à Plinio lib. XVIII. cap. XXVIII. Equisetis, à similitudine equinæ setæ: à nonnullis quoque Salix equina: In Officinis Cauda equina: Germanis Schaffthew/Roßzschwantz/Pfertzschwantz: Gallis *Queue de cheual*: Hispanis *Coda de mula*, & *Rabo de mula*: Italis *Coda di cauallo*: Belgis Peertsteert: Anglis Horse taile: Bohemis Presticka. Quæ maior est, Asprella non temerè nominatur à scabritie ac asperitate sua, quæ tanta, vt materiarij fabri multorum minutorum ligneorum operum, veluti pectinum, & manubriorum, scabritiem huius caulibus in nitorem expoliant. Nota est & mulierculis, quæ stanneam suam supellectilem hac elegantissime extergunt, vnde & Germanis Kannenkraut. Dicitur verò ἐφυδρον, quòd videlicet in aquosis proueniat. Differt tamen ab ea, quæ Ephedra & Anabasis etiam Hippuris dicta, vt cap. de Ephedra subsequente ostendetur.

Minus Equisetum ἱππιον, veluti Equirion, à nonnullis nominatur. Describitur istud à Diosc. ac Plinio breuioribus ac mollioribus comis: Et quidem breuius ac mollius est, quàm non Ephedra modò, verùm etiam quam Equisetum, à nobis Maius appellatum.

Possidet autem Equisetum, Galeno auctore, facultatem adstringentem cum amaritudine, ac proinde valenter, simulque citra mordacitatem exiccantem.

Cruenta, inquit Dioscorides, vulnera tritis ac impositis glutinat, etiam si neruos præcisos esse contigerit, addit Galenus. Tanta autem in his solidandis generosa facultas, vt & vesicæ ac intestinorum vulnera & ramices hac coalescere posse credantur ac ferantur.

Ad sanguinem è naribus erumpentem, ac alias eius profusiones: ad muliebria profluuia, & dysenterias, reliquasque ventris fluxiones, strenuum est remedium herba, aut ex aqua, aut ex vino pota. eadem potest, & efficacius, ipsius herbæ succus, eodem modo assumptus.

De Ephedra siue Anabasi. Cap. XXII.

AD Equiseti similitudinem accedit & alia quædam stirps, verùm maior ac altior, caudice subinde assurgit brachij crassitudine, in alas distributo, à quibus tenues, deinde oblongæ, plurimis geniculis articulatæ virgulę proueniunt, Equiseti cirris similes. Flosculi circa genicula muscosi, minuti, pallentes, veluti Corni, quos fructus excipiunt rubentes, acidi succi pleni, exiguis moris haud absimiles, in quibus semen. radix dura est & lignosa. Assurgit hæc in magnam subinde altitudinem, quandoque breuior ac humilior consistit: rarissimè solitaria, pone arborē vel fruticem ferè semper nascitur, quarum etiam altitudinē assequitur.

Visam hanc Bellonius in singularibus suis refert Platani altitudinem attigisse. Humilius iuxta breuiores ac minores arbores aut frutices adolescit. Nullis autem clauiculis sese arboribus, aut earum ramis innectit, multò minus se iis circumuoluit: iuxtà ac pone consistere gaudet.

In conuallibus nonnullis Olympi montis, & haud procul Rhagusio in Illyrico repertum sibi, scribit Bellonius.

Maio mense floret, Augusto fructus maturi apparent.

A Plinio ἐφέδρα siue ἔφεδρον & Caucon appellatur. ab aliis ἀνάβασις, quòd scilicet in altum conscendat. Describitur à Plinio lib. XXVI. cap. VII. his verbis: Caucon, quæ & Ephedra, ab aliis Anabasis vocata, nascitur ventoso ferè tractu, scandens arbores, & ex ramis eius propendens folio nullo, cirris numerosis, qui sunt iunci geniculati radice pallida.

Meminit huius & eiusdem lib. cap. XIII. vbi de Hippuri, circa quam varias ait Græcorum esse opiniones. Alij Hippurin (inquit) alij Ephedron, alij Anabasin vocant, traduntque iuxta arbores nasci, & scandentem eas dependere comis iunceis multis, nigris, vt est equorum cauda, geniculatis ramulis: folia habere pauca, tenuia, exigua: semen rotundum, simile Coriandri: radice lignosa. Nasci in arbustis maximè.

Duas autem has stirpes, Equisetum maius videlicet & Ephedram, quarum vtraque Hippuris vna descriptione Diosc. complexus, Hippurim ait in riguis ac sentibus nasci, quæ pro-
Dioscorides notatur prium primo Equiseto: deinde addit, in sublime attolli, & vicinos arborum ramos conscendere,

dere, quod Ephedræ conuenit, quæ non in riguis, sed in arbustiuis, Plinio teste, nascitur.

Cæterùm quòd ad Ephedræ temperiem attinet, & hanc frigidam quoque & amplius siccam, facultates eius ostendunt omninò similes Equiseti viribus, cui ipsa tota planta, vt non admodum dissimilis, ita quoque facultate proxima.

De Marina Vua. CAP. XXIII.

Vua Marina.



HAVD absimilis Ephedræ Vua appellatur Marina, verùm minor ac humilior; multos, graciles, tenues ac teretes, iuncorum ferè instar, cauliculos promit, geniculis compluribus discretos, veluti Equiseti, ac in multas alas, ramosque diuisos, quorum omnium apices acuminati, durinsculi, ac spinosi: foliis caret: flores è geniculis in tenuibus pediculis racemosi, exigui, ex herbaceo colore inalbicant: fructus è pluribus minutis acinis congestus, Idæi rubi paruulum, nondumq; completum morum refert, per maturitatem cocci colore ruber, sapore dulcis, ori gratus: semẽ siue vinaceum, durum, triangulare, vtrinq; acuminatum, sapore adstringens. radix geniculata, oblonga, per obliquum proserpit. Ipsa quoque stirps magis humi accumbit, quàm assurgat, cauliculis ac ramulis ampliter late luxuriat.

Amat aggeres, locaque arenosa in maritimis oris. Reperitur in Narbonensi Gallia haud procul Mõspelio, & alibi iuxta mare: In hortis Germaniæ ac Belgij sata subinde prouenit, duratq;, sed sterilis, quæ alioqui natura fœcunda admodum est, fructuque turgens.

Autumno, vbi suæ spontis est, fructus maturatur, herba ipsa hyemis patiens diutinè viret.

Vuam marinam Recentiores appellant: Galli *Raisin de mer*, à fructu acinaceo, ac ipsius mori in Rubo nati æmulo, qui veluti vua aliqua ex pluribus acinis constat. Græcis est Τράγος, aut Τράγανον, siue Τράγανος: à nonnullis, inquit Dioscorides, σκορπίον. Tragus autem & Traganos, non ab hirco, aut ab eius viroso odore, dicitur, sed quia fructum ferat esui aptum, & cibo idoneum, à verbo τρώγω, id est, comedo, vnde & τραγήματα secundæ mensæ bellaria nomen accepêre. Τρωγάλια. Scorpion ex eo dici potest, quòd eius virgulæ in acutum ac pungens fastigium desinant, veluti scorpiorum cauda.

Facultate autem acini, & præsertim, quæ eis insunt semina, adstringendi vim, vt diximus, possident: resiccant verò ordine secundo satis intenso. Diosc. Tragi acinos cœliacis, & mulieribus fluxu nimio obnoxiis auxiliari refert.

De Hyperico. CAP. XXIIII.


HYPERICON pedalis vel amplioris altitudinis surculosa & ramosa stirps est: foliis latiusculis, quàm rotunda longioribus, quæ soli aut lumini opposita foraminosa apparẽt, multisque minimis veluti poris pertusa: lutei ex quinque foliolis in fastigiis cauliculorum flosculi apparent; staminibus in medio concoloribus: siliquæ sequuntur oblongæ, magnitudine & forma grani hordeacij, in quibus semen minutissimum, quod odore resinam confricatum redolet. radix dura, lignosa, hinc inde fibrosis ac tenuibus veluti ramulis spargitur. Huius coma, flores, ac folia attrita, atro sanguini haud absimilem succum fundunt. 1.

Nascitur passim iuxta sepimenta hortorum, & margines agrorum, ac non rarò in locis herbosis, subinde etiam humentioribus, in quibus, quod alibi rotundis, hic quadrangularibus cauliculis assurgit.

Iunio ac Iulio, Augustoque mensibus potissimùm floret.

Similis huic, sed omnino minor quædã ac humilis occurrit herba, quæ ad palmi altitudi- 2.

Hypericon.



Hypericon minus



nem, vel amplius paulò attollitur, cauliculis prætenuibus, foliis minutis: flores & siliquæ quales Hyperici.

In agris frumentariis nonnullis, præsertim quo tempore à serendis frugibus conquiescunt, vel sponte nascitur.

Viget æstate sub Autumnum, subinde subrubentem colorem folia contrahunt.

Hypericon Græci *ὑπερικὸν* nominant: Officinæ Perforatam: nonnulli Fugam dæmonum: Germani Sant Johans kraut: Itali *Hyperico*: Hispani *Caraconzillo*, aut *Carasoncillo*: Angli S. Johans worte: Bohemi S. Jana zwonceк. Dicitur verò idem & Androsæmum, à succo qui pressis coma, foliis, & floribus, sanguini atro similis profluit. Appellantur eadem caussa & Ascyrum & Ruta syluestris Androsæma. Est verò & Androsæmum sui generis herba. Vocatur verò præterea Hypericon: à nonnullis Corion: item & Chamæpitys, à resinaceo nempe seminis odore.

Coris. Minutula herba Hyperico similis creditur esse à Diosc. Coris dicta, quæ & Hypericon à similitudine vocata est: Coris est, inquit Diosc., folio Ericæ rubio, pinguiore, ac minore, non altior dodrante. Ericarum autem multæ sunt species, & vna quidem cum hac herba folio non admodum dissidet. Appellatur verò & vulgò Hypericum minus.

At Hypericum, vt Galenus tradit, calfacit ac desiccat essentia tenui, adeò vt & menses & vrinas prouocet: Ad hæc verò totus sumendus est fructus, non tantùm semen. Cum foliis verò virens appositum ad cicatricem cùm alia, tum etiam ambusta. Siccum verò contusum, ac inspersum, mollia nimis, humidaque, & putredinosa vlcera sanat. Diosc. à tertianis ac quartanis cum vino potum liberare ait, & semen quadraginta diebus haustum Ischiadicis mederi.

De Ruta syluestri Hypericoïde. CAP. XXV.

1. SYLVESTRIS hæc Ruta cauliculis & foliis Hyperico similis, sed virore saturam nigricans, mollior, ac tenui lanugine pubescens: flores lutei, nec differunt siliquæ, in quibus minutum est semen, nisi quòd minutissimis nigris punctulis notatæ appareāt. respódet & radix.

Non vsque adeò frequens hæc est: reperitur quandoque locis aliquantulum opacis, aut vliginosis. vnà cum Hyperico floris huius exitus apparet.

2. Huc verò & referendum illud Hyperici genus, quod à doctissimo Carolo Clusio supinum

Ruta sylueſtris Hypericoides.



num cognominatur, rami eius hirſuti humi ſternuntur folia qualia Hyperici, ſed lanugine quadam molli incaneſcentia. Floſculi ſecundum ramulos lutei. ſiliquæ tenues, vtraque Hyperici ſimilia. radix dura.

In nonnullis Hiſpaniæ cõuallibus, veluti haud procul Salmantica reperitur: tum & in maritimis Regni Valentiæ.

Prius ac citius quàm præcedens floret: ſubinde Martio.

Ruta ſylueſtris & πήγανον ἄγριον à Dioſcoride appellatur: differt tamen & à Graueolente Ruta; tum etiam ab Harmala.

Hyperici ſpecies potius haberi debet, & eam ob cauſſam Hypericoides cognominari non abs te poteſt. Extat verò huius Rutæ deſcriptio, in prius editis Dioſ. exemplaribus poſt cap. de Ruta lib. tertio. In poſterioribus verò inter ſpuria ac notha relata eſt, his verbis. φύλλα ἔχει πηγάνῳ (ἄλλως ὑπερικῷ) παραπλήσια. θαμνίον φρυγανοειδὲς ὑπέρυθρον. ἄνθος ἔχει μήλινον. ὃ διατριβὲν ἐν τοῖς δακτύλοις, αἱματώδη τὸν χυλὸν ἐκκρίνει. ὅθεν καὶ ἀνδρόσαιμον ἐκλήθη κλωνάρια δὲ ὑπόδασυ. περιμήκη ἐν τῷ περιφερεῖ ὅμοιον κριθῇ ἐν ᾧ σπέρμα μέλαν. ῥητίνης ὄζον. φύεται ἐν ἐργαστίμοις καὶ τραχέσι χωρίοις. id eſt, folia habet Rutæ (aliàs Hyperico) ſimilia, fruticulus ſurculoſus, rubeſcens: florem habet melinum, qui digitis tritus ſanguineum ſuccum reddit; vnde & Androſæmon vocatur: ramuli ſubhirſuti: ſiliquæ teretes hordeo ſimiles, in qui-

Hypericum ſupinum.



bus ſemen nigrum, reſinam redolens. naſcitur in cultis & aſperis.

Non videtur autem de hac Ruta caput, veluti ſpurium, reiiciendum. cùm etenim herbarum quarundam folia ad huius à Dioſ. comparentur, omnino retinendum venit; præſertim cùm & ipſa ſtirps deſcriptioni reſpondens oſtendi queat.

Deſcribuntur autem huius Rutæ foliis Hypericum, Anonis, Polemonium, Androſæmum eiuſdem triplo aut quadruplo maioribus, longioribus verò, Centaurium minus.


Appellatur verò non modò ſylueſtris Ruta, ſed & à ſimilitudine, etiam Hyperici appellationes admiſit. Nam, vt in cap. de hac ſylueſtri Ruta, etiam Hypericon, Androſæmum, Corion, aut Coris, & Chamæpitys dicitur. Vnde factum, vt hanc a b Hyperico haud differentem

plerique existimârunt, atque eò magis, quòd facultates vtrobique similes ascribantur. Sed vel vno hoc differunt, quòd huius ramuli subhirsuti vnà cum folijs sint, Hypericũ verò hirsutie careat.

Quòd verò ad facultates attinet, satis ostendit Dios. aut quisquis auctor est, idem quod Hypericum hanc posse, calidam videlicet ac siccam esse, & tenuium partium: vrinam ac menses ciere. Pota cum vino à quartana liberat: folia cum semine imposita ambustis medentur. & diebus quadraginta pota Ischiadicos sanant.

De Ascyro. Cap. XXVI.

Ascyron.



ASCYRVM Hyperico altius assurgit: folia eius maiora, albidiora; foraminosa haud apparent: flos sicut Hyperici, siliquæ forma similes, exiguis punctulis resperguntur. radix durior. Manant & huius folia floresque sanguineo succo si terantur, aut digitis confricentur.

Vmbrosis quibusdam locis, veluti in syluis, quandoque reperitur.

Flores & semina huius vnà cum Hyperici ad perfectionem veniunt.

Græcis est ἄσκυρον: Latinis non aliud nomen. Androsæmon ex eadem, qua Hypericon, occasione quoque appellatur. Galenus Androsæmi etiam ac Hyperici speciem esse ait, & Ascyron ac Ascyroides dici. Germanis Hartshaw/ & Waldthopff. Officinis non notum.

Facultate hæc herba calida quoque ac sicca, eadem ferè, quæ Hypericon, potest. Semen, inquit Diosc. potum in hydromelitis sextario, biliosa recrementa amplissimè detrahit. Vsus eius ad Ischiadicos, sed assiduè dandum, donec sanitati restituantur. Galenus semen purgatorium esse etiam refert.

De Androsæmo. Cap. XXVII.

ANDROSÆMO cauliculi sunt recti, rotundi, striati, duri, ac lignosi circa radicem, præsertim cubitales: folia triplo quadruplóve maiora quàm Hyperico, vel etiam Ascyro, quæ initio virent, postea ac sub finem æstatis obscurè rubent, è quibus non atriori sanguini, sed rubenti ac vermiculo vino similis succus attritu exprimitur, ac, vt Dios. scribit, οἰνώδης. flores lutei, maiores quàm superiorum, quibus orbiculatum ac rotundum succedit capitulum, initio virens, inde rubens, postremò nigricans, in quo semen rufum. dura lignosa ac restibilis est radix.

Dioscorides locus castigatus

Dioscorides capitulum huius simile facit calyci Papaueris nigri, cui haud dissimile operculo, quo tegitur, sublato, sed tamen minus. καρπὸς ἐν κάλυκι, ait, ὁμοίῳ τῷ τῆς μελαίνης μήκωνος. Exemplaria pleraque perperam ὅμοιος habent, & frustrà hæc vox ad fructum applicatur, cùm sit ad calycem referenda.

Quod sequitur, οἱονεὶ κατάγεχθος, non pertinet ad Androsæmi, sed ad Rutæ huius syluestris, & Ascyri descriptiones, quorum siliquæ exiguis nigris punctulis notantur.

Apud Italos, Siculos, ac etiam Britannos in syluis, aut locis nemorosis nascitur.

Iulio ac Augusto mensibus floret, semen interea in capitulis maturescit: Autumno folia ruborem contrahunt, atque tunc quidem οἰνώδης succus dilute rubens ex ipsis facilè nulloque negotio exprimitur. Quam ob caussam non parum falluntur, qui huiuscemodi succum ex folijs exprimi temerè pernegant.

Androſæmum.



Græcis eſt Ἀνδρόσαιμον: Latinis eadem vox manet. Dicitur & Dionyſias, vt Galenus teſtatur, & inter nothas appellationes extat: Officinis incognita ſtirps. A verò tam apertè recedunt, qui Clymenum eſſe exiſtimant, vt reprehenſione horum error opus non habeat.

Calidam quoque ac ſiccam hanc eſſe facultates ſatis, quales Aſcyri, oſtendunt. Semen huius tritum, & denariorum duorum pondo potum biliosa pellere, Dioſ. ſcribit, & Iſchiadicis maxime mederi, ſed à purgatione aquam exſorberi oportere: herbam ambuſtis mederi, & vulneribus impoſitam ſanguinem cohibere.

De Iſatide. CAP. XXVIII.

ISATIDI folia oblonga lataque ſunt, colore ſaturato virentia, plantaginis anguſtifoliç foliis maiora: caulis bicubitalis, aut altior, qui in latam effuſus vmbellam, floſculos exiguos promit luteos, ac deinde dependentes veluti folliculos, per maturitatem nigricantes. radix candida, oblonga ſenſim attenuatur, & in altum deſcendit.

Serítur Iſatis compluribus Narbonẽſis Galliæ, ac nonnullis Belgij locis; ſubinde & in Germania, Italia, ac Hiſpania: Quandoque &

Iſatis ſatiua.



Iſatis ſylueſtris.



citra culturam spontè nata reperitur, quam sylucstrem appellant, ac veluti differentem Dioſ. seorsim describit, folliculorum, & florum formam, & colorem addens, de quibus in Satiuæ descriptione nihil, cùm tamen vtrique non modò hęc, sed reliqua omnia sint similia: proinde nec vllum inter hæc discrimen aliud, quàm quòd vna seratur, altera sua sponte gignatur.

Pingue ac lætum desiderat aruum.

Maio ac Iunio floret semen serius perficitur. Ante florem herba tusa tritaque succo expresso in magnas pilas siue globos ad tincturæ vsum digeritur: Imbuuntur verò his lanei panni, ipsæque lanæ, telæque lineæ, aliaque cæruleo colore.

Ἰσάτις Græcis; Isatis Latinis, ac etiam Glastum. Cæsar lib. v. de bello Gallico, Omnes se Britanni, ait, Glasto inficiunt, quod cæruleum efficit colorem. Quod & Plinius lib. xxii. cap. 1. testatur: Simile, ait, Plantagini Glastum in Gallia vocant, quo Britannorum coniuges, nurusque toto corpore oblitæ quibusdam in sacris & nudæ incedunt.

Sunt tamen qui in vtroque auctore non Glastum, sed Vitrum (quod Germanicè Glaß dicitur) legendum existiment. Nec desunt qui Vitrum in Nitrum commutent; Nitro autem Britannia destituitur: In Gallia verò non modò nostra, verùm & antiquissima Plinij ætate omninò rarissimum: Nihil deinde ad corporum infectionem Nitrum facit, multò minus cæruleo inficit. Qui Vitrum legunt, nituntur fere fide exemplaris Oribasij, ex vetere versione corrupti videlicet ac multis modis deprauati. Rasarij siquidem conuersio ad Eunapium lib. 2. nihil tale habet. Habet verò & Marcellus vetus Empiricus cap. xix. Isatidem Vitrum aut Vtrum (vt in exemplari legitur) dici. Sed cur Marcello plus deferendum, quàm Cæsari aut Plinio?

Verisimilius est Marcellum pro Glasto voce Gallica vitrum perperam scripsisse, quàm Cęsarem aut Plinium pro vitro Germanotū Glaß, aut ab hoc formatū Glastum supposuisse.

Dicitur verò & Isatis à nonnullis Guadum: Ab Italis *Guado*, voce, vt videtur, à Glasto detorta: Hispanis ac Gallis *Pastel*

Extat Pastelli siue Pistelli nomen & qualiscunque descriptio apud Plinium Valerianum lib. 2. cap. 3. Potest autem Isatis Pastillus dici, quòd in pastillos, siue, vt diximus, magnas pilas digeratur. Nostra ætate Germani & Bohemi Isatidem Weyt appellant. Belgæ Weet Angli Wode & wade Ab Auicenna cap. 512. Nil: Est tamen & aliud Arabibus Nil, quod Granum Nil, & Habalnil, de quo Auicenna cap. 306. & Serapio cap. 283. quod Conuoluuli, vt alibi diximus, species est.

Supernatantem autem spumam, quam Isatidis dilutum cum panni lanæúe tinguntur eructat, sunt qui Indicum, & quidem alterum Dioſ. esse existiment, quod tamen non omnino
Indicum. manifestum: Nam ex Isatide effetuescente Indicum efferri Dioscorides non asserit, sed ex æreis vasis attolli tantummodo habet.

De vtroque autem Indico ita Dioſ. lib. v. Vnum sua sponte gignitur, & veluti ἐκβρασμα, siue reiectaneum est arundinum Indicarum: alterum Tinctorium. flosculus est purpureus, qui de æreis attollitur vasis, quem detractum artifices siccant.

Cæterùm Isatis, Galeno auctore, valenter exiccantis est facultatis, amara simul & adstringens. Proinde & magna vulnera durorum corporum glutinat: sanguinis profluuio laborantibus partibus vtiliter imponitur: tumores œdematosos mirificè digerit simul ac reprimit: omnibus vlceribus malignis, & cacoëthis mirabiliter resistit, etiamsi putrescant aut exedantur, erodantúrve. Eadem verò & Dioscorides. Quòd si quando (addit Galenus) valentior quàm pro laborantis natura appareat, foliis eius tritis miscere oportebit, aut panem, aut hordeaceam farinam, triticiamve, aut polentam, pro vincente nimirum in vnoquoque affectu.

De Luto herba. CAP. XXIX.

FOLIA Lutum herba similiter profert oblonga, angusta, læuiaque, inter quæ caulis assurgit solidus, nullis geniculis interseptus, duos cubitos altus, aut procerior, minoribus foliis conuestitus, superius flosculos proferens paruulos, dilutè luteos, quos sequuntur capitula exigua, tribus exiguis foraminibus parentia, in quibus semen minutum, nigricans. radix longa, candidaque. Tota herba vbi maturit flauo siue luteo pallescit colore.

Seritur pingui ac restibili gleba, pluribus in Belgio locis nascitur, & spontè non modò in Belgio, verùm & in Pannonia, Bohemia, tum & alibi.

Maio mense floret: semē deinde adfert: postea collecta herba siccatur in vsum tinctorium.

Plinius lib. xxxiii. cap. v. huius obiter meminit, & Luteam appellat: Vitruuius lib. vii. Luteum: Sed Vergilius in Bucolicis Æcloga iiii. Lutum nominat,

Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera luto.

Lutum herba.



A Luto autem luteus color & lutea dicuntur, veluti à croco crocea, & à purpura purpurea. Belgæ hanc vulgò Woutwe nuncupát: Non esse Struthió, multò minus Ptarmicen, manifestius quàm vt refelli debeat: Folia siquidem huius magnitudine Oleæ folia superant: At Ptarmice à Dioscoride, & Struthion à Theophrasto Oleæ similia habere folia traduntur.

Vsus huius in Medicina quidem nullus est; sed in tinctoria frequentissimus. Inficiuntur hac herba panni lanei, aliaque ex lana opera, & lineæ telæ colore luteo & virenti: Luteo quidem candida, & nullo alio prius imbuta: virenti verò cæruleo ante tincta: Nam Luti herbæ color cęruleo superinductus viridem efficit: Id quod & Vitruuius cognitum habuit lib. 7. de Architectura. cap. 14. Qui non possunt, ait, Chrysocolla propter caritatem vti, herba quæ Luteum (aut potius Lutum) appellatur, cæruleum inficiunt, & vtuntur viridissimo colore.

Marcellus Vergilius Dioscoridis interptes in Commentariis suis hunc locum omnino mutilum adducit, existimans eandem cum Isatide Lutum siue Luteum herbam esse, atque ea cæruleum tingi, in quo à vero recessit: Differt siquidem Lutum herba ab Isatide, & nequaquam cæruleo, sed luteo, aut viridi colore, vti diximus, inficit. *Marcellus notatur.*

De Kali herba. CAP. XXX.

Kali.



Kali album.



KALI herbæ species complures sunt, vt non modò Recentiorum obseruationibus, verùm & Auicennæ, ac Serapionis scriptis euidens.

Prior

Prior species Kali cubitum plus minus assurgit: cauliculos edit numerosos, mediocris crassitudinis: folia angusta, crassa, acuminata, non rarò acumine pungentia, inter quæ capitula Ochri ferè magnitudine, quibus dehiscentibus oblongum ac tenue erumpit semé, exiguum terræ lumbricum aliquatenus referens, spiræ aut cochleæ instar conuolutum. radix e fibris committitur. Tota herba succo turget salso ac mordaci: cauliculi purpureo in natiuo solo colore rubent.

Mari vicinis locis gignitur: Maritimis locis Aquitaniæ ac Galliæ Narbonensis frequens.

Autumno herba collecta, lignisque decussatim digestis imposita, vritur. in subiectas scrobes defluens liquor ac cinis ad vsum seruantur.

2. Proxima species complures quoque cauliculos promit, sed tenuiores, dilutoque colore virentes: foliis pluribus, sed tenuioribus, angustioribusque, quàm superioris conuestitos: semen exiguum splendensque. radix non absque fibris. Referre videtur hæc Kali species angustioris folij Aeizoon, aut Chamæpityn primam. Tota etiam salso ac mordaci succo redundat.

Reperitur & iisdem, quibus superior, locis, tum & ad Oceani littora Septentrionem versus, circa Scaldis & Mosæ ostia in Belgij Zelandia.

Colligitur apud Narbonenses & Aquitanos eodem quo superior, & tempore, & modo.

3. Salicornia.



Tertia species cauliculis assurgit teretibus, cubito altioribus, ramosis, crebris geniculis articulatis absq. foliis: qui &, vti priores Kali, suo tempore rubent. radix fibrosa est. succus huius, vti superioris, salsus quoque ac mordax.

Est verò hanc non tantùm in Mediterranei aut Aquitanici Oceani maris littoribus reperire, verùm & in Belgij maritima ora, præsertim in Zelandiæ Insulis.

Has autem herbas Arabum interpretes vno nomine Kali & Alkali appellant. Ab Auicenna cap 724. describuntur sub nomine Vsnen, quod ab Vsnee differens: Vsnee siquidem Græcorum est βρύον, ac Latinorum Muscus, de quo Auicenna cap. 722 Apud Serapionem etiam cap 247. Vsnen dicitur.

Cinerem harum herbarum Matthæus Syluaticus Sodam appellat: pleriq; Salem Alkali nuncupant: nonnulli Alumen Catinum: alij inter Salem Kali & Alumen Catinum huiuscemodi differentiam statuunt, vt Alumen Catinum sit ipse cinis, ex ipso verò cinere confectum sal, sit sal Alkali.

Dissoluuntur cinere contriti lapides, qui colliquefacti materiam præbent conflandis vitreis vasis, quæ dum in furno liquida ac tractabilis calet, innatantem veluti pinguedinem præbet, quæ refrigerata lapidis instar durescit, facile tamen friabilis: Axungiam vitri hanc vulgò appellant: Galli *Suin de voirre*: Germani ac Belgæ Glasen smaltz: Itali *Fior de Cristallo*, id est, florem Crystalli.

1. Primam huius speciem qui Græcorum Tragum existimant, non parum falluntur. Tragus siquidem alia omninò stirps est, de qua alibi Baptista Montanus Kali Empetron esse quodam loco iudicat: ἔμπετρον autem, Dioscoride auctore, nascitur in montosis locis, & maritimis, salso gustu, Plures autem in maritimis nascuntur, plures etiam salsuginé gustu referunt. *Empetron.*

Aliqui ἔμπετρον, inquit Dioscorides, φακοειδὲς appellant. Galenus πρασοειδὲς legit, neutra vox Kali conuenit, neque enim Lentem, vel etiam Porrum forma refert. Solent autem huiusmodi voces non temerè, sed à similitudine aliqua stirpibus indi.

2. Altera species ad Anthyllidem alterá Diosc. accedere videretur, si quàm Chamæpitys hirsutior ac odoris admodum grauis esset: cùm verò his destituatur, non alió, quàm ad Kali species referendum venit. Appellatur à Gallis *Blanchette*, quasi Kali album, quód cauliculi eius minimè, vt diximus, rubeant, & herba ipsa tota dilutius vireat.

3. Tertiam Salicorniam recentior ætas appellat: est hæc & inter Kali species annumeranda, tametsi minus ad vsum expetatur: Kali articulatum à nonnullis nominatur

Calidum autem & siccum ipsum Kali est: siccior verò etiam ac calidior ipse cinis, qui ad quartum qualitatis vtriusque gradum accedit. Vrendi hic & causticam vim habet: colliquescunt hoc contriti, vt diximus, lapides, & in materiá aptam vitreis vasis conflādis dissoluũtur.

Fit &

Fit & ex hoc cinere lixiuium acerrimum ac mordacissimum, ex quo deinde addito oleo ex oliuis aut alio, sapo decoquitur, cuius, ad abluendas & purgandas telas lineas, & ex his vestes, vsus.

Intra corpus exigua herbæ quantitas assumpta, non modò vrinas, sed & menses potenter euocat: fœtum tam viuum, quam mortuum eiicit: aquosos per aluum humores ducit, & hydropicos purgat. Maior quantitas perniciosa est & exitialis. Fugantur huius herbæ dum vritur & odore & fumo serpentes.

Miscetur cinis verò & iis, quæ ad scabiem & cutis fœditates faciunt, medicamentis: superfluam ac excrescentem in malignis vlceribus carnem facile adimit, vt Auicenna & Serapio referunt. Legitur autem in huius exemplaribus Kali arborem esse, adeò magnam, vt sub vmbra eius stari queat: sed hunc magis Interpretis esse, quàm ipsius Serapionis, errorem, fit verisimile.

Flos Crystalli, siue, vt vulgò, Axungia vitri, insigniter resiccat, scabiem cutisque fœditates facilè tollit, si aqua, in qua decoctus est, partes infectæ crebrius foueantur & lauentur.

De Lithospermo. CAP. XXXI.

Lithospermum maius.



Lithospermum minus.



LITHOSPERMI duo sunt genera: vnum rarius, quod Maius, alterum vulgaris vsus, Minus.

Maiori Lithospermo multi à radice exiliunt graciles, tenues, longi, asperi, & hirsuti surculi, humi plurima parte procumbentes: folia oblonga, acuminata, & ipsa asperiuscula ac hispida, e virore nigricantia: iuxta quæ in breuibus pediculis flores apparent cærulei: semen deinde duritia lapidea, Erui magnitudine, candidum. radix fibrosa restat hyeme. 1.

Nascitur in Italia, inquit Plinius, sed laudatissimum in Creta. Reperitur verò & spontè natum in Narbonensi Gallia: In Germania vtraque hortense est.

Minus Lithospermon caule in multas alas ac ramulos diuiso rectè assurgit, rotundus hic est ac subdurus: folia latiora sunt, sed breuiora quàm superioris, verùm & aspera ac nigricantia. 2.

tia. Flosculi secundum cauliculos è foliorum sinu albidi; succedente semine per maturitatem candido, læui, splendente, duro, Milij grano paulò maiore, exiguis vnionibus assimili. radix altè descendit, crassiuscula, adnatis multis fibris, quæ & hyeme permanet, foliis cauliculisque pereuntibus.

Passim pluribus Italiæ, Galliæ, Germaniæ, ac etiam Britanniæ locis incultis exit.

A Solstitio æstiuo ad Autumnum vsque floret, interea & semen perficit.

A seminis duritia vtrumque λιθόσπερμον dicitur: à nonnullis γοργόνιον, Gorgonium: ab aliis Ægonychon, Leontion, aut Diosporon, aut Diospyron, vt Plinius legit, item & Heracleos. Ab Arabibus Milium Soler: In Officinis ac apud Italos Milium Solis: Hispanis *Mijo del Sol*. Gallis *Gremil, & herbe aux perles*. Quod maius est, Germaniæ ac Belgij Officinis incognitum.

Minus Germanis Meerhirsen· Belgis Steensaet/ & Peerlenkruyt, huius in Officinis vtriusq. nationis vsus: Hispanis *Millbart*· Anglis Gromell.

3. Præter ista duo & tertium quoddam reperitur, quod caule, foliis, & floribus minori respondet, verùm semen eius minus candidum, asperius ac rugosum, haudquaquam læue ac splendens.

Ac tale quidem in Germania, Belgio, ac Bohemia in aruis, tum & incultis ac ruderatis plerisque occurrit locis.

4. Hieronymus Tragus & exigui cuiusdam Lithospermi meminit, cuius coliculi palmum alti: folia angusta veluti Lini, iuxta quæ semina parua, glabra, colore nigricantia, ac dura instar alterius Lithospermi.

Cæterùm Lithospermi vtriusque, maioris videlicet ac minoris, semen calidum ac siccum secundo ordine, vrinas mouet, calculos expellit: Ipsos verò & frangere Dios. refert cum vino albo potum.

De Lysimachiis, & primùm de legitimo.

Cap. XXXII.

Lysimachium legitimum.



LYSIMACHIVM Dioscoridi aliusque veterum vnum tantùm, quod videlicet lutei floris posterior ætas tria adiecit, sed spuria. Duo ex his purpureo sunt, tertium verò cęruleo flore.

Legitimum Lysimachium fruticosum est, & multis cauliculis assurgit rectis, plurima parte rotundis, nonnihil angulosis, geniculatis, duos aut tres pedes altis: foliis è singulis nodulis ternis quaternisve, oblongis, angustis, salicis similibus, ambitu tamẽ haudquaquam incisis: flosculi in summis aliis exeunt lutei, succedunt rotunda, paruula, Coriandri æmula semina. radix tenuis per obliquum serpit, & pluribus locis progerminat.

Palustribus & aquosis locis iuxta riuulos, scrobes, aggeres, ac margines agrorum gignitur.

Iunio Iulioque cum flore reperitur.

λυσιμάχιον, & à nonnullis λύτρον Gręcis appellatur· Latinis Lysimachium: à Plinio Lysimachia: à quibusdam recentiorum Salicaria: Italis *Lysimachia* Hispanis *Lisimacho*: vulgò Germanorum Weiderich A Lysimacho Agathoclis filio inuentore nomen accepit. Inuenit Lysimachus herbam Lysimachiam, inquit Plinius, quæ ab eo nomen retinet, celebrata Erasistrato lib. XXV. cap. VII. Ruellius hanc in Galliis vulgò *Cornelle, Cornetlle*, & *Coroneolam* dici refert, temerè aduersatur Matthiolus existimans pro Lysimachio à Ruellio exprimi Cerettam Italis dictam, quæ Genistæ est species· Non caret tamen

Ruellius

Ruellius errore, cùm Lysimachium iudicat Luteam aut Lutum herbam esse, nam à Lutea Lysimachia multum differens est. Hallucinatur verò & multò magis, dum appellatam Pellibossam, quasi Pestifugam, a rusticis apud Cenomanos sibi demonstratam pro Lysimachio etiam recipit. *Ruellij error.*

Pellibossa siquidem non Lysimachium, sed species est Ranunculi Flammulæ nomine, folio oblongo angusto, & Salicis figura, floreque luteo, quæ in pratis frequens reperitur, & vlcerandi vi prędita, vesicas corpori admota breui procurat, virus pestilentium bubonum aliorsum trahens, vt suo diximus loco. Ad Lysimachium conuertimur. Superantem hoc habet qualitatem adstrictoriam, vti & Galenus ait. Succus, auctore Dioscoride, vtilis est ad sanguinis reiectiones, & dysenterias, tum in potu, tum per clysterem infusus. Fluxum muliebrem sistit in pesso appositus. Herba ipsa vulneraria sanguinem cohibet, sanguinisque è naribus eruptiones sistit naribus indita. Suffita fumo serpentes fugat, & muscas occidit. Quod & Plinius lib. XXV. cap. VIII. refert. Angues, inquit, fugiunt odorem Lysimachiæ. Idem Lysimachium flauum facere capillum scribit lib. XXVI. cap. vltimo, quòd verisimile flores luteos præstare posse. *Pellibossa.*

De Pseudolysimachio Purpureo primo.

Cap. XXXIII.

Pseudolysimachium purpureum I.



Pseudolysimachium purpureum minus.



PVRPVREO huic Pseudolysimachio cauliculi bicubitales, sæpenumerò complures, ramosi, ac teretes. folia angusta, per margines crenata, veluti Salicis: flosculi in summis virgulis, siliquis exiguis anteà enatis, insident, rarò albicantes, frequentissime rubente colore eleganter purpurei, ex quatuor foliolis, quandoque angustioribus, interdum latioribus: in siliquis exigua semina molli, tenui, candidaque lanugine implicantur. pro radicibus tenues fibræ huc illuc repentes. 1.

Huius & alia minor est species, à priore magnitudine sola differens: flosculi verò & minores, & dilutius rubent. 2.

Iuxta scrobium, fossarum, fluuiorum, riuulorumque margines, alijsque locis humidis re-

petitur. quandoque tamen & in ſiccioribus exit, præſertim quod latioris folij florem gignit.

Tota fere æſtate floret.

Lyſimachij ſpecies habetur & à Fuchſio ante nos pro Lyſimachio purpureo deſcripta: non eſt tamen legitimum Lyſimachium, ſed ſpurium ac Pſeudolyſimachium. Qua de cauſa & alijs maluit ipſum nominibus Geſnerus compellare, & Epilobion, aut Chamænerion vocitare, ἐπιλόβιον quidem, quòd flos ſit Leucoio ſimilis ſuper ſiliquam natus. χαμαινήριον verò a ſimilitudine aliqua cum Nerio ſiue Rhododendro, præſertim altius aſſurgẽs, cuiuſq́. flos è latioribus folijs compoſitus exiguam roſam æmulatur. Idem verò & Antonianam dici à nonnullis refert, ſed tamen & aliam ait Antonianam eſſe, quæ dentium dolori medeatur. Nominatur verò & paſſim Filius ante patrem, propterea quod ſiliquæ appareant prius quàm flos. Cenſetur etiam à quibuſdam Onagra veterum, quæ & Oenothera ſiue Onuris. Dioſcorides verò hanc ait eſſe fruticem prægrandem arboris inſtar. Lyſimachium verò iſtud purpureum non niſi herba eſt, hyeme etiam marceſcens, tantùm abeſt, vt frutex ſit, aut arborem æmulari queat.

Onagra.

Cæterùm vſum in Medicina cùm nullum habeat, vires quoque eius ac temperamentum cognoſcere non contigit. Geſnerus tamen calidam & ſiccam ſecundo gradu iudicauit eſſe, atque ex diuerſis conſtare partibus, nonnullis euidenter adſtringentibus, alijs verò modice abſtergentibus.

De Pſeudolyſimachio purpureo altero.

CAP. XXXIIII.

Pſeudolyſimachium purpureum alterum.



PSEVDOLYSIMACHIVM purpureum alterum caules promit rectos, ferè bicubitales, quadrangulares, articulatos: folia è ſingulis geniculis bina, ex aduerſo locata, oblonga & acuminata, ad veræ Lyſimachiæ ſatis accedentia. floſculi ſuperius verticillatim ambientes caulẽ conueſtiunt, colore eleganti rubentes. ſemen haudquaquam in ſiliquis, ſed in loculis, e quibus flores exciderunt, ſequitur exiguum. radix craſſa, dura, foris nigricans, durabilis naturæ.

Locis iſtud exit aquoſis, iuxta ripas fluminum, ac alijs perinde humidis.

Æſtate cum alijs floret.

Recentiores & huic Lyſimachio purpureo nomen dedêre: pingitur & pro altero Lyſimachio à Matthiolo: Eſt verò non minus, quàm prius purpureum, ſpurium quoque ac falſum Lyſimachium, ſiue Pſeudolyſimachium: Apud Belgas plerique partyche appellant. Falluntur qui pro Hepatorio colligunt, ſed multò magis qui ipſum Centaurij ſpeciem eſſe rentur.

De facultatibus huius nihil adferendum, quando neque exploratas, neque compertas habeat.

De Pſeudolyſimachio cæruleo.

CAP. XXXV.

CÆRVLEI Pſeudolyſimachij rotundi ſunt caules, ſeſquicubitales: folia oblonga veluti Lyſimachiæ, ſed ambitu ſerrata, & profundius quidem quàm primi Pſeudolyſima-

chij

Pseudolysimachium cæruleum.



chij purpurei, superna parte virentia, inferiore verò albidiora, quibus caules ramulique conuestiuntur: flores in summis virgulis spicati, cærulei, Lauandulæ quodammodo æmuli, sed inodorati, & alterius figuræ quos exigua sequuntur capitula, in quibus semen minutissimum. radix multis fibris capillata propagines emittit, quibus latè serpens seipsam stirps multiplicat.

Nascitur apud Germanos in fossis aquam recipientibus, vt Gesnerus ait. In hortis apud Belgas facilè luxuriat Soli expositis locis, non omnino aridis: vmbrosis non proficit aut ægrè.

Tota æstate flores gignit.

Lysimachium cæruleum appellant, sed tamen veluti Purpurea & Pseudolysimachium quoddam, quod à florum colore cærulei cognomen accepit: Nonnulli Lauandulam syluestrem, sed parum rectè appellant: Veronicam erectam alij: Gesnerus Anagallidis aquaticæ speciem potius dicendam existimauit, nulla tamen Anagallidi aquaticæ similitudine affinem.

Facultates verò huius explorare, nondum cuiquam curæ fuit.

LIBRI TERTII PEMPTADIS PRIMÆ FINIS.

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTADIS PRIMÆ

LIBER QVARTVS.

PRÆFATIO.

NVNC *ad eas veniendum stirpes, quæ* M. N. O. P. *aut* Q. *initiales habent: inter quas plurimæ occurrunt in frequenti medicantium vsu receptæ, & vtilitatem haud exiguam ad sanandos curandosq́ morbos, non modò vulgares, sed & difficiles, conferentes.*

DE MARRVBIO.

CAPVT PRIMVM.

Marrubium.



Marrubium candidum.



MARRVBII genera Dioscoridi duo: Vnū propriè hoc nomine dicitur, quod & candidum: Alterum Ballote & Marrubium nigrum vocatur: Sunt tamen & alia quæ ad Marrubij genus referri possunt, vt Alysson, & Marrubiū aquatile, de quo Pemptad. 4. lib. 5.

Marrubium propriè dictum, complures edit quadrangulares cauliculos, pedem altos, tenuique lanugine albicantes: folia per interualla bina, subrotunda, rugosa, ambitu incisa, & ipsa candicante lanugine pubescentia. Flosculi in nonnihil pungentibus conceptaculis subcandidi caulem verticillatim per interualla ambiunt. semen subrotundum, asperiusculum. radix fibrosa nigricat. Tota herba suauis & grati est odoris, & nonnihil Moschum redolet, præsertim hybernis mensibus.

Iuxta parietes, vias, semitas, agrorum margines, locis neglectis, pingui, ac læto solo gignitur: Omnibus regionibus familiare, pro quarum tamen situ ac natura mutationem etiam subinde accipit. Creticum siquidem, ac quod apud Marcomannos, & in Pannonia superiore haud infrequens occurrit, multò est eo, quod apud Belgas, & alijs Germaniæ locis prouenit, candidius ac odoratius, folijsque quandoque angustioribus ac minoribus.

Iulio ac Augusto floret, & quidem altero, à quo enatum, anno, hyeme restat.

Græci πράσιον Latini Marrubium. Officinæ Prassium, & quandoque Marrubium: Plerique Marrubium candidum ad differentiam Ballotes appellant. Inter nothas voces & apud Apuleium eius & hæc nomina extant, ἀσπατάγιον, φυλλόφαρες, καμινόσταθμον, κιτονοπράσιον, Melittena, Labeonia, & Vicerana Italis est *Marrobio*: Hispanis *Marruuio, Malrubi*, ac *Marrolbo*: Germanis Weiß andorn, Marobel: Belgis Malrouе/Malrueme/witte andoren: Gallis *Marrubin & Marochemin*: Anglis Horehunde: Bohemis Jablecnyk.

Marrubium autem, auctore Galeno, calidum est ordine secundo, tertio verò siccum, & sicuti gustu amarum est, ita iecur & lienem obstructione liberans, & thoracem pulmonemque expurgans, ac menses promouens.


Dioscorides viridium foliorum succum, aut aridorum cum semine decoctum dari cum melle, scribit suspiriosis, tussientibus, ac tabescentibus, crassamque è pectore pituitam eiicere. Non modò autem crassam viscidamque pituitam, sed & purulenta efficaciter expurgat. Vtilissimũ idcirco omnibus tabidis, ac purulenta expuentibus, si modò absit, præsertim cum tenui destillatione, febris. Apud Paulum Æginetam ex Marrubio Compositio traditur, tabescentibus, ac purulenta expuentibus vnice, singulariter, ac mirificè vtilis.

Iam datur & Marrubium mulieribus à partu non purgatis, vt menses & secundas eiiceat: Vtile & his qui venena hauserunt, aut à serpentibus demorsi sunt. folia cum melle sordidis vlceribus repurgandis admouentur: Pterygia & nomas sistunt.

Succus è foliis expressus, & in sole densatus, ad eadem pollet: cum vino verò & melle illitus oculorum claritatem adiuuat: per nares auriginem purgat, & ad aurium inueteratos dolores instillatur, aut cum rosaceo, Dioscorides.

De Alysso Galeni. CAP. II.

Alysson Galeni.



POSSET istud inter Marrubia numerari, nisi à Galeno non pro Marrubij specie, sed pro Alysso haberetur. Est etenim tota facie Marrubio simile, multicaule quoque, sed folia eius minora, crispiora, amplius incanescũt, & albidiora, odore destituũtur. verticilli cauliculos ambientes pungentibus aculeis horrent, è quibus flosculi quales Marrubij; at colore ex cæruleo purpurascentes. semen veluti Marrubij. radix dura, lignosa, multifida.

In hortis subinde, apud Belgas præsertim, seritur, semine ex Hispania allato; vbi nonnusquã spontè gignitur, ac à diligentiss. C. Clusio repertum est, & quidem Maio mense flore ac semine prægnans.

Græcis est Ἄλυσσος ἢ ἄλυσσον Latinis Alyssum: Nomen autem ex eo habet, quòd mirificè iuuet demorsos à cane rabido, vt Galenus ait, à quo lib. 2. de Antidotis in Compositione Antonini Coi his describitur verbis: Ἄλυσσός ἐστι βοτάνη τῷ πρασίῳ παρεμφερὴς, τραχυτέρα δὲ καὶ μᾶλλον ἀκανθώδης περὶ τὰ σφαίρια, ἄνθος δὲ φέρει κυανίζον. id est, Alyssos herba est Marrubio persimilis, sed asperior & magis spinosa circa orbiculos: florem fert ad cæruleum vergentem.

Hæc rabienti, vt idem vi. de simpl. medic. facult. quoque data, sæpè in totum sanauit. Atque hoc ex totius substantiæ similitudine efficit. Dictum enim est talem facultatem ex sola percipi experientia, & planè nulla constante methodo. Quòd si quis ad multa experiatur, cognoscet facultatem habere mediocriter siccificam, & digerentem, cùm hoc vt abstersorium nonnihil etiam obtineat. Hac ratione & vitiliginem & ephelin expurgat: Galenus.

De Alysso Dioscoridis. CAP. III.

ALIVD à superiore Dioscorides Alyssum describit. Fruticosa, inquit, herba est, vnicaulis, subaspera, rotundis foliis, fructu duplicium scutulorum effigie, in quo semen qua-

Alyſſon Dioſcoridis.



dantenus latú. Atq; cum hac deſcriptione, dudum nobis viſa eſt quædam ſtirps conuenire vnicaulis, pedem (plus minus) alta, cuius folia prima & ante enatum caulem rotunda, circum verò caulem poſterius enata, lata quidem, ſed rotundis longiora, aſpera, & vnà cum caule candicantia floſculi ſurſum ſecundum cauliculos exeuntè luteo palleſcentes, poſt hos ſiliquæ planæ, latæ, ſubrotundæ, albicantes, & non læues, in quibus ſemen planum ac latum, veluti Leucoij. radix tenuis ac fibroſa.

In mõtibus & aſperis locis emicat, Dioſ. inquit.

Cum flore, & quidem in hortis Belgij, viſum eſt quod deſcripſimus, Iulio ac Auguſto mẽſibus: ſiliquis mox ſuccedentibus.

Dioſcorides ἄλυσσον nominat, non ex eo quòd rabiei à cane medeatur, ſed quòd ſingultus ſedet, ac tollat. λυσσὰ ſiquidem non modò rabies, ſed & ſingultus, à verbo λυσσῶ, id eſt, ſingultio. Appellatur verò idem & ſpuriis nominibus ἀσπίδιον, quaſi breue ac paruum ſcutum, à ſiliquis nempe ſcuti exigui formam referentibus, item & ἀπλόφυλλον, ἀκνύστικον, ἀδίσεπον, μονόκαυλον.

Repeniuntur verò præter hæc & alia apud Veteres Alyſſa: Aetius lib. 1. Sideritidem Heracleam Alyſſon eſſe cenſet. Plinius alyſſon Rubiæ congenerem herbam facit. Sed de bis ſuis locis, ad Dioſcoridis Alyſſon reuertimur. Huius decoctũ, eodẽ auctore, ſingultus ſine febri potu diſcutit: Idẽ efficit, ſi quis eam aut teneat aut odoretur: cum melle trita vitia cutis in facie, & lentigines emendat: contuſa in eduho, & exhibita rabiei canis mederi putatur: domibus appenſa ſalutaris eſſe creditur, & hominibus atque animalibus faſcini amuletum: purpureo linteo circumligata, pecorum morbos abigit.

Ballote ſiue Marrubium nigrum.



De Ballote ſiue Marrubio nigro.

CAP. IIII.

ALTERVM Marrubij genus Ballote eſt: hęc Marrubio candido ſimilis appareret, niſi nigricans, non albida, & grauis ac ingrati, haudquaquam verò iucundi odoris eſſet. caules illi aſſurgunt complures hirſuti, anguloſi, foliis circundati, latis, rugoſis, ambitu ſerratis, paulò maioribus & longioribus, quàm candidi Marrubij: floſculi in verticillis ſubinde rubent. radix ex fibris conſtat.

Similibus quibus candidum Marrubium locis repetitur, & non tarò aridioribus ac minus læto ſolo.

Viget ac floret eodem quoque, quo prius Marrubium, tempore.

Græcis βαλλωτὴ, & μέλαν πράσιον, vt teſtatur Plinius lib. XXVII. cap. VIII. à nonnullis Marrubiaſtrum, aut Marrubium ſpurium: In Officinis Praſſium fœtidum: Ab Italis *Marrubiaſtro, Marrobio baſtardo*: Ab Hiſpanis *Marrauio negro*: A Germanis Schwartz andorn: Belgis ſwarte malrouwe/ſtinckende andoren: Gallis *Marrubin noir, Marrubin puant*: Anglis ſtynking horehound.

Calida ac ſicca Ballote: ac, vt Paulus Ægineta tradit, acris & abſterſorię facultatis. Impoſita cum ſale canis morſui medetur, ad quem eius vim efficacem

eacem esse Dioscorides scribit: folia sub cineribus cocta, condylomata reprimunt: purgant & vlcera sordida, eodem auctore.

De Stachy. CAP. V.

Stachys.



Stachys Fuchsij.



MARRVBIO similis & Stachys est. caules huic à radice exeunt complures, altiores, geniculati, atque è singulis articulis folia bina sibi mutuo opposita, duriuscula, longiora paulò quàm Marrubij, atque vnà cum caulibus candidiora, molliter hirsuta, ac suauiter odorata. flores eodem quo Marrubij caules cingunt modo, sed colore lutei sunt, & verticilli angustiores. radix lignosa perennat. 1.

Germaniæ ac Belgio peregrina hæc Stachys est, in calidis regionibus inuenitur. Nascitur, inquit Dioscorides, in montibus & asperis.

Præter hanc & alia à Fuchsio descripta est. caules huius crassi, quadrangulates, duos trésve pedes subinde longi: folia lata, oblonga, incana, ambitu serrata, vtraque hirsuta, & multò quàm Marrubij ampliora: flores in verticillis caulem ambientibus purpurei: semen rotundum & nigricans: radix dura, & sublutei coloris. 2.

Istud Germaniæ haud peregrinum est: locis nonnullis asperis ac incultis pronenit.

Æstiuis mensibus floret, caules sub hyemem intercidunt, sed radix aliquamdiu viuax permanet.

Prior pro legitima Stachy habetur, quæ Græcis similiter στάχυς: Officinis, ac passim incognita. 1.

Altera cùm nomen nullum habeat, Pseudostachys, ac spuria Stachys venit appellanda; vera siquidem non est: Nec Sphacelus (quod plerique suspicati) quoque est, cuius Theophrastus meminit 2.

Cæterùm genuina Stachys acris & amari gustus, tertij est ordinis excalefacientium Galeno. foliorum decoctum menstrua pellit potum, & secundas: auctor Dioscorides.

De Melissa, siue Melissophyllo. CAP. VI.

MELISSA quadrangularibus caulibus, foliis latis, subnigricantibus, rugosis, aliquantulum asperis, Ballotes similitudinem referret, nisi minus hirsuta esset, altior subinde, &

Melissa.



suauiter odorata folia siquidem minus aspera sunt, pauloque longiora, & Citrium malum redolent: coronæ aut verticilli instar, cauliculos quoque circundant calyces, e quibus flosculi albidi. semen minutum nigricat. radix fibris multis committitur.

In hortis sepe Melissa colitur, in syluis, ac montibus, vel aliis neglectis sponte nata quandoque occurrit. Et vno quidem loco odoratior; nā plerisque frigidis graueolentior est. Seritur autem vtiliter, vt Plinius lib. XXI. cap. XII. circa apum aluearia, quæ hac herba delectantur, & aberrantes ad sua reuocantur, vt Verg. Georgicon quarto ostendit:

—huc tu iussos asperge sapores,
Trita Melisphylla, & Cerinthe ignobile gramen.

Floret Melissa Iunio, Iulio, ac Augusto: sub hyemem tota marcescit radice restibili, quæ primo vere noua folia, atq; inde cauliculos promit.

Græcis *μελισσόφυλλον*, *καὶ μελίφυλλον*, item *μελίττεια*: Plinio etiam Melittis: Latinis Melissophyllum, Apiastrum & Citrago. Ab apibus autem, quibus hæc grata, nomen habet, quæ Græcis *μέλιτται* ac *μέλισσαι* dicuntur: vnde & Apiastri vox Latinis. Officinæ Melissam appellant.

Plinius notatur.

Plinius inter Melissophyllon & Apiastrō differentiam esse existimauit, cùm veluti diuersa Melissophyllon, ac deinde Apiastrū iuxta apum aluearia serenda esse scribat lib. XXI. cap. XII. Quod & manifestius lib. XX. cap. XI. vbi ait, Apiastrum Hyginum quendam Melissophyllon appellare, sed in confessa damnatione esse venenatum in Sardinia. Sed fefellit Plinium non tam vocis ambiguitas, quàm cum altera similitudo. Melissophyllon Apiastrum est: Ranunculi species in Sardinia venenata, Apiastellum ab Apuleio vocatur. Appellatur autem Melissa ab Italis *Melissa* & *Cedronella*: à Germanis Melissenkraut: à Belgis Confilie de grein/Melisse: ab Hispanis *Torongil, yerua cidreira*: à Gallis *Melisse*: ab Anglis Baume.

Melissophyllon autem facultate quidem excalfacit, siccatque, vt Auicenna ait, ordine secundo Galenus ait, Marrubio simile esse facultate, sed ab eo plurimum vinci. Recentior ętas vnà cum Arabibus ac Mauritanis Medicis singulariter cordi prodesse, & eius affectibus auxiliari affirmat.

Auicenna siquidem, libro De viribus cordis inscripto, Melissam cor, ait, exhilarare, vitalesque spiritus roborare. Serapio præter hæc & humenti frigidoque ventriculo prodesse, concoctionem promouere, cerebrique obstructiones aperire, anxietudinesque animi & sollicitudines fugare.

Dioscorides, Melissophylli folia cum vino pota, aut apposita prodesse refert contra ictus phalangiorum, scorpionum, & aduersus canis morsum: item ad ciendos menses muliebres in desessionibus conuenire: dentes dolentes decocto vtiliter collui, atque hoc ipsum dysentericis infundi: aduersus verò fungorum strangulationes folia addito nitro in potu auxiliari: orthopnoicis verò in delinctu: apposita hæc eadem cum sale strumas discutere, vlcera purgare, articulariosque dolores sedare.

De Moluccis, siue peregrinis Melissophyllis. CAP. VII.

MOLVCCÆ duæ sunt, Læuis vna, Spinosa altera.

1. Læuis Molucca caules facit complures cubitales, circa quos folia multa, ambitu profundis incisuris crenata, Melissophylli similia: supra quæ flores orbiculatim ex amplis, & latè patentibus, veluti acetabulis, exeunt, colore candidulo, Lamij floribus similes, attamen paulò minores.

2. Spinosa Molucca caules similiter multos & cubitales promit, eosque striatos & quadrangulares: folia vti prioris: flores similes, ex acetabulis quoque, sed angustioribus, oblongioribusque,

Molucca læuis.



Molucca ſpinoſa.



ribusque,& eminentes duras,& acriter pungentes ſpinas ambitu habentibus.

A Moluccis Orientis non ita dudum repertis inſulis vtraque nomen habet, in quibus primum repertæ creduntur: Matthiolus (niſi nos pictura fallat) Læuem Moluccam Conſtantinopolitanum Meliſſophyllon appellat.

De facultatibus harum nihil contingit adferre : ſunt tamen qui affirmant aduerſus venena vtiles.

De herba Iudaica. CAP. VIII.

IVDAICA appellata herba haud omnino rectè aſſurgit nec tota decumbit, ſed in latus aliquantulum cauliculi eius deflectunt, anguloſi, ac geniculati, quos circundant, præſertim ſuperiore parte, crebri verticilli aſperi, & aliquantulum pungentes, è quibus floſculi exeunt, veluti dilutè cærulei, aut rubentes, vel etiam candidi, rarò ſubluteì, circa quos & folia multa, bina contra ſe poſita, longiora, anguſtioraque quàm Marrubij, nonnihil criſpa, ambitu crenata, ſed quandoque perquam exiguum. radix è fibris abit. Tota è virore inalbicat herba, & ſuauiter odorata ad Meliſſæ odorem, accedit.

In maritimis Inſubriæ, iuxta Apenninos montes: in Narbonenſi Gallia haud procul Danubio in pratis prope Ratiſponam, tum & aliis multis locis occurrit· Arida ac ſabuloſa amare ſunt qui tradant. Dioſcorides in petroſis prouenire refert.

Ab æſtatis medio vſque in Autumnum flores facit.

Recentior ætas herbam appellat Iudaicam, & Tetrahil, aut Tetrahit voce Gallica · Germanis Glidtkraut· Belgis Glidtcruyt. Sunt in hac opinione complures docti, quòd Dioſcoridis Sideritis prima, quæ Heraclea, id eſt, Herculana cognominatur, cum cuius deſcriptione ſatis reſpondet : folia ſiquidem ei longiora ſunt quàm Marrubio, ad vnius generis Quercus accedere non minus, quàm Chamædryos repentis poſſunt: Aſperitate vero, tum & oblongiore forma Saluiæ ſimilia, præſertim ambitu minus ſerrata.

Deſcribitur autem Sideritis ex tribus prima à Dioſcoride his verbis Σιδηρῖτις, οἱ δὲ ἡρακλείαν, πόα ἐστὶ φύλλα ἔχουσα ὅμοια πρασίῳ, ἐπιμηκέστερα δὲ πρὸς τὰ τῆς ἐλελισφάκου ἢ δρυός. μικρότερα μέντοι, καὶ τραχέα. καυλοὺς δὲ ἀνίησι τετραγώνους σπιθαμιαίους ἢ καὶ μείζονας,&c. Sideritis, aliqui Heracleam vocant, folia habet Marrubio ſimilia, longiora tamen, ad Saluiæ, aut Quercus accedentia, minora tamen, & aſpera. caules profert quadrangulares, ac maiores, guſtu non iniucundo, cum quadam adſtrictione; in quibus per interualla verticilli orbiculares, Sideritis prima.

veluti

Herba Iudaica.



veluti Marrubij,& in his semen nigrum.

Appellatur autem Sideritis, quasi ferrana, à ferro quod Græcis σίδηρος, quia glutinandis recentibus ferro factis vulneribus conducat.

Cæterum herba Iudaica valenter resiccãtem facultatem, ac nõnihil cum extersione adstringentem obtinet. ad cruenta & recẽtia ferro facta vulnera efficacissima est. Intestinorum ramices hac etiam citò posse curari ferũtur. fluorem album mulierum reprimit. Nec dissimilia his Diosc.& Plinius de Sideritide hac prodidere: Apposita, inquit ille, folia, vulnera absque inflammationis periculo iungunt. Plinius, Sideritis, ait, tantam vim habet, vt, quamuis recenti gladiatoris vulneri illigata, sanguinem claudat.

De Cardiaca. CAP. IX.

CARDIACA quadrangulares promit caules, crassos, duros, duos tresve pedes altos, obscurè, ac ex nigro rubentes: folia nigricantia veluti Vrticæ, maiora latioraq́, multò quã Marrubij, laciniosa, ac profundis incisuris dissecta. calyces duri ac pungentes orbiculatim caules amplectuntur, à quibus flores exeunt ex albido purpurei, veluti Lamij, sed minores. semen paruum ac nigricans. plurimæ pro radicibus fibræ ab vno veluti capite descendunt. Tota herba graui satis odore prædita, gustu amaricat.

Ruderibus, lapidosis, ac aliis incultis, & asperis gaudet: iuxta sepes, & veteres muros subinde inuenitur. In hortis nimis facilè coalescit.

A Iunio in multum vsque Autumnũ viget, floret, ac semen perficit. caules hyeme intercidunt. radix viuax est.

Cardiaca.



Nostra ætas Cardiacam nominat: Germani Hertzgespört/hertzgespan: Belgæ hertegespã: Galli *Agripaulme*: Angli Motherworte: Bohemi Srdecnjk. Sunt qui Melissæ speciem faciãt. Viderut verò & ad Sideritidem Herculanã referri posse. Folia siquidem eius maiora quàm Marrubij, & ad eius Quercus accedunt, cuius folia laciniosiora, quàm multarum aliarum sunt, sed cum Saluiæ foliis nihil obtinent similitudinis. Habet verò & orbiculatas vertebras, semenq́ue nigrum. Non rarò ad veterum descriptiones plures accedunt.

Cæterùm Cardiaca calida ac sicca ordine secundo est, cum expurgandi, adstringendi quoq; facultatẽ habet. Ad cordis affectus à nonnullis commendatur, & tantum valere existimatur, vt ab effectu nomen inuenisse putetur. Fertur & conuulsis ac quoque resolutis mederi: obstructiones viscerũ aperire: ventris tineas ac lũbricos interimere: & puluerem herbæ cum vino exhibitum non modò vrinam, aut menses euocare, sed & difficulter parientibus prodesse.

Ad cruenta eadem quoq; laudatur. Medetur & quibusdam boum morbis, à nonnullis rusticis ea de caussa subinde expetitur.

De

De Mentha. CAP. X.

Mentha prima.



Mentha altera



Mentha tertia.



Mentha quarta.



COMPLV-

Menthastrum.



COMPLVRES Menthæ passim obuiæ; quarum pleræque sunt Hortenses; aliæ pro Syluestribus habentur.

1. Prior inter hortenses Mentha cauliculos edit quadrangulares obscurè rubentes, aliquantulum pilosos, quos conuestiunt folia rotunda, margine serrata, saturato colore virentia. Flosculi rubentes orbiculatim circum cauliculos nascuntur velut in Pulegio. radix obliquè in terra serpit fibris haud destituta, subinde nouos hinc inde turiones promens. Tota herba suauiter odorata est, & magis procumbit quàm assurgat.

2. Altera nonnihil hirsutis cauliculis subrotundis, & nigricantibus foliis, radicibus proserpentibus, tum & odore priorem refert: at flores haudquaquam caulem circundant, sed in fastigiis ramulorum eminent, in exiguas veluti spicas, aut citius paniculas digesti.

3. Tertię folia oblonga ad Salicis formam accedunt, sed candidiora, molliora, ac hirsutiora: flores in fastigiis cauliculorum & in spicas digesti, sicuti secundæ. serpit & huius radix, haud aliter quam primæ, cuius similis.

4. Quarta longifolia quoque est, cauliculis, foliis, minoribus tamen, radicibusque tertiæ similis, sed flores huius non in ramulorum fastigiis, sed per orbiculos instar primæ cauliculos ambiunt, qui diluto colore purpurascunt.

5. Ex syluestribus est Mẽthis vna, quæ Menthastrum etiam appellatur, longis, quadrangularibus, pilosis, ac incanis caulibus hæc luxuriat: folia cuius candida, densaque lanugine vtrinque pubescunt: in ramulorum summo florum eminent paniculæ. radix longa, latè in omnem partem serpit, stirpem facilè multiplicans.

Huius verò & species quædam reperitur non modò foliis, sed & reliquis partibus minor; cuius folia subinde partim virent, partim niuis fere in modum albicant.

Seruntur Menthæ, & præsertim prima à plerisque in hortis: reperiuntur tamen nonnullæ harum in syluis, & alibi locis humentibus, prope aquas decurrentes, vel etiam stagnantes.

Florent ac vigent Menthæ æstate, hyeme solæ radices restant: semel satæ diutinè durant, ac pertinaciter hærent.

Mentha à Græcis ἡδύοσμος appellatur, & μινθη: Nomen suauitas odoris (inquit Plinius lib. XIX. cap. VIII.) apud Græcos mutauit, cum alioqui Mintha vocaretur; vnde veteres nostri nomen declinauerunt: ἡδὺς, siquidem, suauis, & ὀσμὸς, odor. Officinæ, Itali ac Galli Latinam Menthæ appellationem retinẽt Hispanis *yerua buena, & Ortelana*: Germanis Müntz: Belgis Munte. Anglis Mynte Bohemis Mata.

1. Prima à Germanis Diement vocatur. à Belgis Bruyn heylighe, Latinè qui interpretari voluerit, dixerit Sacram nigricantem.

2. Alteram Germani krauß diement, krauß müntz/ & krauß balsam/ id est, Mentham cruciatam: Galli *Beaume crespu* appellant: Bohemi Balsam.

3. Tertia à nonnullis Mentha Sarracenica, Mentha Romana, Saluia Romana, aut herba Sanctæ Mariæ dicitur: Germanis Balsam Müntz/ Unser frauwen müntz/ Spitzer müntz/ Spitzer balsam, Angustifolia cognominari potest.

4. Quartam Germani Hertzkraut, quasi Cardiacam aut Cardiacam Mentham appellant.

5. Quinta à Dioscoride ἡδύοσμος ἄγριος, id est, Mentha syluestris: Latinè Menthastrum, Plinio auctore, appellatur: Officinæ Albam Mentham vocitant: Apud Germanos Wild Müntz: Italis *Mẽtha saluatica*: Hispanis *Mẽtastro*: Anglis Horse Mynte Bohemis Plana Mata.

Mentha autem ex tertio ordine est excalfacientium, ac resiccantium. Habet, inquit Galenus, aliquid amari atque acerbi, & infirmior est quàm Calamintha. Menthæ odor, Plinius ait, mentem excitat, & sapor auiditatem in cibis.

Vtilis autem in primis ventriculo Mentha est, singultus, vomitiones, choleras cùm acidi

mali

mali punici succo sistit, reprimit & sanguinis reiectiones ex oxycrato, vt Galenus, data: Plinius verò, in sorbitione. Purgationes feminarum inhibet, & aduersus album fluorem earundem vtilissima, quę scilicet primo loco descripta est, compertum enim est multis huiuscemodi fluorem huius vnius Menthæ frequenti vsu suppressum. Eadem fronti aut temporibus, vt Plinius, admota capitis mulcet dolores. Epiphoris imponitur, & omnibus capitis eruptionibus, & sedis vitiis: Vlcera in capite infantium mirè sanare fertur: auribus cum mulso instillatur. Sumitur contra scolopendras, scorpiones marinos, & serpentes: cum sale canum morsibus applicatur. Lac coire, & in caseum densari (acescere, addit Plinius) non patitur, quare lactis potionibus additur, ne huius coagulati potu bibentes strangulentur. Eadem vi & generationi resistere creditur, cohibendo genituram densari. Resistere conceptioni mulierum genitali ante congressum admotam, etiam Dioscoridis est.

De Sisymbrio. CAP. XI.

Sisymbrium.



SYLVESTRIS Menthæ species Sisymbrium est, primæ inter hortenses Menthas simile apparet: folia eius sunt rotūda: caules angulosi, vtraque obscurè rubentia: radices latè proserpunt, sed singula maiora, grauius etiam odorata est ipsa herba. flores in summo ramulorum, veluti in capitulum ex parte globosum collecti, purpurascunt. 1.

Inhumentibus ac riguis, veluti in pratis, secus fossas aquas habentes, ac flumina nascitur.

Cum aliis Menthis floret, ac vere reuirescit.

Σισύμβριον Gręcis dicitur. Latinis Sisymbrium: Germanis Roßmüntz/ Wassermüntz: Gallis *Menthe sauuaige.*

Est verò & aliud Sisymbrium à Theophrasto memoriæ proditum, ex coronariorum surculosorum tenuifoliorū numero, cui odor acrior quàm Serpylli, quod, nisi cultu retineatur, in Mentham transit. Huiusmodi autē Sisymbrium à Dioscoridis, & nobis descripto Sisymbrio, haud parùm differt: Neque enim cultu retineri debet istud, ne in Mentham degeneret, sed cùm tota natura sylnestre sit, etiam multa cura, vt hortensis fiat Mētha; non datur assequi. 2. *Sisymbriū Theophrasti.*

Sisymbrium quoque est, Cardamine cognomento, quod inter Palustres & aquatiles Pempt. quarta descriptum. 3.

Cæterùm Sisymbrium Menthæ sylnestris species, calidum ac siccum facultate est non minus quàm Mentha odore verò etiam vehementius.

Cōmendatur ad eadem, ad quæ Mentha, tum & ad apum & ad vesparum ictus. Vsus autē eius in medicina nullus est, non deficiente Mentha, quæ suauior ac naturæ humanæ gratior apparet.

De Calamintha montana. CAP. XII.

CALAMINTHÆ Dioscoride auctore tres sunt. Vna montana. Altera Pulegio similis: Tertia Menthastro cognata.

Montana humilis est herba, rarò pedis altitudinem excedens, in multas alas diffusa, surculi quadrangulares sunt, & veluti genicula habentes, è quorum singulis bina folia subrotunda, Ocimi ac Melissophylli minora, tenuissima lanugine vnà cum coliculis hirsuta, ac modice incanescentia, & suauiter odorata flores summas exornant virgulas nonnihil purpurascētes. semen succedit nigricans. radix valde fibrosa & restibilis.

Montes amat, atque in ipsis vmbrosos & saxosos cliuos Italiæ, Galliæ, & Hispaniæ compluribus locis, cùm & alibi reperitur: transfertur quoque ad hortos, in quibus fęliciter adolescit, ac seipsam facillimè serit.

Viget æstate, ac fere toto anni tempore: à Iunio in Autumnum flores, semenque perficit.

Καλαμίνθη à Græcis dicitur, quasi elegans aut vtilis Mentha. Latini nomen seruant. Apu-

Apuleius notatur

Calamintha montana.



Pulegium sylvestre, siue Calamintha altera.



leius etiam Mētastrum perperam vocat, & nomina singulorum inter se cōfundit. Montanam Calaminthami Officinæ Calamentum, & subinde Calamentū montanum appellāt Galli *Calament.*

Est autem Calamintha hæc in mōtibus proueniens gustu feruens, & acris, calida, ac tenuium essentia, siccaq́, ordine quodammodo, vt Galenus ait, tertio: Tenues humores digerit, crassos verò extenuat, ac incidit. Proinde intra corpus assumpta, cum ipsa per se, tū cum melicrato perspicuò excalfacit, sudorem cit, omneq́, corpus & digerit & exsiccat: febrium rigores per circuitum repetētes tollit quod & præstat oleū in quo incocta, toto corpore cū hoc inūcto, adhibita frictione haud segni.

Decoctum eius potum vrinas cit, menses pellit, & conceptū enecat, quod & admota potest Ruptis, cōuulsis, orthopnoæ (Galenus asthmaticis) torminibus, ac choleræ, Dioscoride auctore, auxiliatur.

Ictericis prodest, vtpote Iocinoris, ac fellis obstructiones aperiens & expurgans

Præsumpta in vino venenis resistit: pota aut imposita demorsis à serpente opitulatur accensa aut substrata serpentes fugat

Suggillata tollit, & atris cicatricibus candorem restituit: sed ad talia recentem magis quam resiccatam (inquit Galenus) adhibere præstat.

Lumbricos & ascaridas cum sale & melle pota enecat: eadem ratione & auriū vermes succus infusus. Plinius succum naribus supinis instillatum sanguinis profluuium sistere ait: & radicem (quæ Dioscoridi inutilis) cū Myrti semine in passo tepido gargarizatam anginis mederi Ischiadicis imponitur, humorem siquidem ex alto euocat, & articulum totum excalfacit Paulus Ægineta etiā ad coxarū dolores ab inferioribus inici refert: Bonū etiam elephāticorum esitata remediū est, si (quod Diosc ait) postea serum lactis bibant. Apuleius, folia, inquit, frequenter commanducata, elephantiacos sanare certum est.

Diacalaminthes.

Componitur autem ex hac Antidotus ab ipsa nomen habens, à Galeno lib. 4. De sanitate tuēda descripta, quæ non modò maximè digerit, sed & virginibus, quibus muliebria non succedunt, vtiliter exhibetur, vacuationibus præmissis, temporis siquidem successu citra omnem violentiam aut vllam molestiam menses promouet.

De Pulegio sylvestri, siue altera Calamintha.

CAP. XIII.

SYLVESTRI Pulegio oblongi, ac sæpenumero cubitales surculosi, angulosi, geniculis distincti, haudquaquam assurgentes, sed plurima parte procumbentes exeunt folia circa hos ad singulos nodulos bina, sibi mutuo opposita, rotundiuscula, maiora, cādidioraq́; quàm Pulegij, ac molli lanugine incanescentia. flores Lamij similes, supra folia, coronæ instar, vti Pulegio, prodeunt, candiduli quidem, sed qui intercursantibus plurimis notulis purpurei apparent. radix fibrosa est.

Nusquam

Nusquam frequentius quàm in agris, præsertim quando vel demessa seges est, vel cùm requiescunt: reperiri tamen & alibi contingit locis apricis, ac Soli expositis, quibus gaudet.

Æstiuis mensibus viget ac floret hæc Calaminthæ species; sub Autumnum colligi potest.

Calaminthes speciem esse haud dubium: Dioscorides Pulegium ait syluestre, ac γλήχωνα ἀγρίαν dici: Latinis verò Nepetam (Officinæ aliam Nepetam appellant) Apuleius cap. 94. Minthen agrian, Italis Nepetam dici tradit: Germanis Wildt poley: Belgis Wilde munte/ wilde poleye: Gallis *Poulliot sauuage*: Italis *Nipotella*. Hispanis *Neuada*: Bohemis Marulka Polnij.

Facultate autem & calida quoque, ac sicca, & hæc Calaminthes species est.

Eadem quæ superior præstat. Est tamen hæc minus potens quam Montana Galenus veluti efficaciorem reliquis, Montanam etiam prætulit.

De Cattaria herba, siue Calaminthe tertia.

CAP. XIIII.


Cattaria herba.


Cattaria folio longiore.

CATTARIA herba in altum assurgit: caules promit cubito altiores, angulosos, striatos, ramosos: folia lata, marginibus crenata, Melissophylli æmula, aut Marrubij similia, sed longiora. Flosculi è dilute luteo inalbescũt, partim superiores virgulas ambiunt, partim ipso fastigio in spicam aut paniculam digeruntur. radix multifida confibratur & perennat. Tota herba vnà cum foliis ac surculis mollis, ac incana lanugine pubescit, minus quàm Menthastrum, odore autem acris & caput feriens: sapor feruidus cum amaritudine nonnulla. 1.

Nascitur circa margines hortorum ac agrorum, secus aggeres, scrobes ac vias: humidum ac vliginosum solum amat: transfertur ad hortos.

Huius & alia reperitur species folio longiore angustioreque, colore verò minus albicante; 2. surculi quoque huius quadranguli, flores verò copiosiores, ac colore e rubro diluto purpureo ad cæruleum inclinantes, exiguis notulis purpureis respersi; odor huius vehementior, ac sapor acrior.

In Hispaniis hæc reperiri ac spontè nasci fertur.

Virent Cattariæ mox ab ipso Vere: Iulio ac Augusto flores proferunt.

Recentior ætas herbam appellat Cattariam, & herbam Catti, ex eo quòd feles (cattos nominant) hac vnice delectentur, odoris enim voluptate captæ, huic sæpius sese affricant, ac in

ipsa volutantur, iam & magna auiditate ramulos & folia depascuntur: Officinæ Nepetam appellant, sed Nepeta propriè (vt scripsimus) Pulegium est syluestre. Cato in libro De re rustica Feliculæ herbæ meminit, sit ne Cattaria hæc, vel ab ea differens, perquirendum. Germanis hæc Katzen muntz: Belgis Catte cruyt: Flandris Nepte: Italis *Gattaria*, siue *Herba gatta*. Hispanis *yerua Gatera* Gallis *herbe de chat*: Anglis Cattis mynte Bohemis Kocirnijck.

Temperamentum hæc calidum quoque ac siccum obtinet, & quæ aliæ Calaminthes eadem potest.

Commendatur ad capitis diutumiores, ventriculi, & vteri dolores, ac morbos ex pituitosis crudisque humoribus, & ex flatibus natos. Ruptis quoque, ex alto delapsis, ac præcipitatis, cæsis succus cum vino aut hydromelite datus subinde confert. Additur & ad balnea, & insessus muliebres, in quibus ad menses euocandos facit, & ad fœcunditatem conducit.

De Millefolio, siue Achillea. CAP. XV.



Millefolium siue Achillea.



Millefolium purpurei floris.

MILLEFOLIO scapi subinde complures supra cubiti altitudinem assurgunt, teretes, duriusculi: circa quos folia quidem oblonga, à lateribus varie dissecta, ac veluti è pluribus commissa, quorum singula ad tenuia Coriandri folia accedere posse apparent: eminent in summo vmbellæ orbiculatæ, latæ, quarum flosculi candidi aut purpurei. radices fibras demittunt multas. odore herba est non molesto, sed medicato.

Nascitur iuxta aruorum, pratorum, ac hortorum margines Achillea, atque non rarò in ipsis agris fœcundo ac restibili solo: & frequentius quidem quæ albidi est floris.

Flores ac vmbellas profert à Maio in multam æstatem, semina interea perficiuntur.

A Recentioribus Millefolium appellatur. Dioscoridis est ἀχίλλειος & ἀχίλλειος σιδηρῖτις Latinis Achillea & Achillea Sideritis, quod conferenti hanc cum Dioscoridis descriptione, vel luce clarius est. Inuenit hanc (inquit Plinius lib. 25. cap. 5.) Achilles discipulus Chironis, quæ ob id Achilleios vocatur, alij Sideritim, apud nos Millefolium vocant. Sunt tamen & aliæ Sideritides, aliud item Panaces Heracleion, de quibus alibi Apuleius varias huius appellationes adfert, quarum quædam inter nomenclaturas nothas apud Dioscoridem quoque extant: vt, μυριόφυλλον, (aut μυελόμορφον) χιλιόφυλλον, στρατιωτική, χρυσιττά: Latinis Militaris, Supercilium Veneris, Acrum (aut Acorum) syluaticum: Gallis *Bellocandium*, *Vigentiana*: hac ætate

Millefolium minus siue Stratiotes Chiliophyllos.



Osyris.



ætate Germani Garben appellant, scharffgras/ scharffrip/ & Tausent bladt. Belgæ Gerwe: Itali *Millefoglio*. Hispani *Milhoja yerua*. Galli *Millefueille*. Angli yarrowe/nose blede Bohemi rzebijcek.

Achillea auté, Galeno auctore, facultate Sideritidibus haud est dissimilis, abstergens videlicet, & mediocriter frigida, cæterùm adstrictione exuperat. Trita coma cruenta vulnera glutinat, & ab inflammatione tuetur: sanguinem vndequaque profluentem supprimit. Vteri profluuia in vellere opposita sistit, tum & insessibus muliebribus addita. aluum fluentem cohibet: & ad dysenterias vtilis in potu assumpta.

Commanducata folia, plerique aiunt, & præsertim recentia, dentium dolores mulcere.

De Millefolio minore, siue Stratiote Chiliophyllo. CAP. XVI.

MINVS Millefolium exigua stirps est, vix dodrantem alta, cuius scapos conuestiunt oblonga quidem, sed exigua foliola, à lateribus tenuissime dissecta instar pẽnatum ex alis paruarũ auicularũ: vmbellę in fastigiis rotundę flosculos colore (vt quidem apud Belgas videre contigit) luteos proferunt. tenues fibræ radices sunt.

Rarius huiusmodi Millefoliũ reperitur. gignitur autẽ pingui ac læto solo, & subinde in pratis.

Augusto mense flores eius præcipue cõspicui.

Stratioten esse Millefolium, qui Græce στρατιώτης χιλιόφυλλος, ipsa apud Dioscoridem descriptio satis ostendit: respondet & altitudo stirpis; conuenit foliorum forma, in floris colore ambiguitas quædam occurrit, quem Dios. album describit: ἄνθη, ait, μικρὰ λευκὰ, vt vulgaria habent exemplaria. Andreas autem Lacuna ex veteri codice addit, ὠχρὰ, id est, lutei coloris. Recẽtior ætas Millefolium minus, ac Millefoliũ luteum appellat: Officinis ac vulgo incognitum.

Est verò & alius Stratiotes cognomento ποτάμιος, de quo inter aquatiles stirpes Pemptade quarta.

Facultate autem Stratiotes Millefolium præter mediocrem frigiditatem, nonnihil quoque adstrictionis habet.

Ad omnia sanguinis prõfluuia sistenda valde vtilis est, & ad recẽtia veteraque vlcera solidanda: vulnera quoque glutinat. Sunt verò & qui ad fistulas, ait Galenus, vtantur.

De Osyride. CAP. XVII.

PROCERA & multũ ac valde ramosa herba Osyris est: altitudo eius bicubitalis, vel altior: color dilute virescẽs; scapi siue potius virgæ tenues sunt & rotundę: foliola oblonga, angusta, tenuia veluti Lini: flores exigui, racematim secus folia hærent, herbacei coloris: inde tenui lanugine conditum semen, paruum, ac nigricans. fibrosa radix.

Plerisque Græciæ locis spontè gignitur: apud Italos, tum & alibi in hortis ac viridariis seritur.

Æstate viret ac viget: sub Autumnum semen maturatur.

Apud Italos *Beluedere*. in Græcia modò ἀυξύρις dicitur, voce corrupta teste Anguillara: olim ὀσύρις. Latinis quoque Osyris. Κορήματα, id est, scopæ ex hac olim fieri solitæ, & nunc plerisque locis fiunt. Osyridi autem, Galenus inquit, amara inest qualitas, & obstructiones expediens facultas; quare & in iocinore consistentes obstructiones adimit. Decoctum eius epotum arquatos adiuuare, Dioscorides scribit.

De Parietaria CAP. XVIII.



FRVTICOSA ac cubitalis herba Parietaria est: cauliculi eius teretes, leuiter è virore rubent: folia Mercurialis, aut potius Ocymi maiora, acuminata, hirsuta: flosculi minutissimi: semẽ in capitulis lappaceis cauliculos ambiẽs asperum, prætereuntium vestitui adhærescit. radix subrubens fibris nonnullis capillatur.

Nascitur iuxta muros, parietes, sepes, in ruderibus, ac subinde in vinetis, ac in ipsis muris.

Maio mense exit: Iulio ac Augusto semẽ profert. radix hyeme sola restat.

Parietaria, aut corrupta voce Paritaria vulgò appellatur, quòd in parietinis exeat, atque eadem ex caussa Muralis à nonnullis: Muraliũ verò Plinio ac Celso dicitur Grecis est ἑλξίνη, & περδίκιον, est verò & alia Helxine cognomento Cissampelos. Perdicij nomen à perdicibus accepit, qui hac subinde vescuntur. Dioscorides, Plinius, & Apuleius παρθένιον quoq. appellant, differens tamen ab aliis, de quibus lib. 2. huius Pemptadis. Reperitur verò & Vrceolaris, Vrceolaria, ac Vitraria dicta, quòd detergendis vrceolis vitreis polleat. Extát verò & eius alia nomina, cùm apud Dioscoridẽ, ac Plinium, tum apud Apuleium, vt, σιδηρῖτις ἡράκλεια. i. herculaña, ὄγχεστὶ ἀγρία, κλιβάδιον, πολυώνυμος, ἐλεῖτις aut Alitis, ἀμελξίνη, Ὄστην, ἀμοργίνη, σουκότειχος, ψυχόνακος, μελάμπελον, κιττάμπελον, ἀναπτεμόφορ: Germanis Tag vnd nacht/ Sant Peters kraut/ Maurkraut: Belgis Parietarie/ Glaskruijt: Gallis *Parietaire*: Hispanis *Yerua del muro*: Italis *Parietaria* Anglis Pellitory of the wal.

Cæterùm vis, vt Gal. ait, Parietariæ inest abstergendi, & leuiter constringendi cum humiditate subfrigida. Dioscorides impositam sanare ait erysipelata, condylomata, adusta, incipientia Phygethla, omnes inflammationes ac œdemata: Succum verò ipsius cum cerussa permixtum erysipelatis & herpetibus vtiliter illini: cum cerato verò Cyprino aut hirci seuo podagris. Idem affirmat Plinius lib. 22. cap. 17. Imponitur, ait, podagris cum caprino seuo ceraque Cypria, vbi pro cera Cypria, reponendum cerato Cyprino.

Locus Plinij restitutus.

Addit Dioscorides diuturnas tusses huius succo adiuuari, contra inflammatas tonsillas gargarizari, & illitum quoque prodesse: aurium item dolores cum rosaceo infusum lenire.

Recentiores trium vnciarum pondere succum epotum remorantem vrinam citò prouocare aiunt: herbæ folia instar cataplasmatis cum oleo ex amygdalis dulcibus permixta pubi, & dolentibus locis imposita, calculosis & vrinæ difficultate laborantibus, præsidio sunt. Sunt qui folia cum vino, & quidem Cretico permisceant, sed cum oleo amyg. dul. citius dolores sedant. Eadem nonnihil contusa & confricata recenti vulneri imposita, & sanguinem supprimunt, & vulnus ipsum glutinant, si triduo non permutata sinantur.

De Pastoria bursa. CAP. XIX.

PASTORIÆ bursæ folia initio exeunt oblonga, marginibus profundius incisa, Erucæ similia, humi sparsa: ab his coliculi tenues subinde plures assurgunt in alas quandoque diuisi, foliis similibus sed minoribus adnatis, circa quorum fastigia ordine digesti exigui flosculi candidi; post hos siliquæ paruæ, planæ, angulosæ, iuxta pediculum contractiores, bursæ cu-

iusdam

Pastoria bursa.



Pastoria bursa minor.



iusdam exiguæ speciem referentes, in quibus semina. radix oblonga, cădida, non caret fibris.

Secus vias, locis desertis, & incultis, ac in ruderibus vt plurimum spontè prouenit: & quandoque maior, subinde verò minor & omnino exigua.

Floret, viget, ac semen perficit tota æstate.

Vulgò Pastoria bursa, vel Pera pastoris: Germanis Seckel/vel Teschelkraut: Belgis Borsekens cruyt: Gallis *Bourse de pasteur, ou berger*.

Refrigerans autem temperamento ac resiccans est, & facultate valde adstrictoria.

Sanguinem vndequaque ruentem supprimit, siue succo aut decocto eius poto, siue in cataplasmate, balneo, aut alio quocunque modo adhibita. Medetur & dysenteriæ in enemate. Cruenta vulnera ad sanitatem perducit: incipientibus inflammationibus, ac omnibus quæ reprimi ac refrigerari desiderant, vtiliter adhibetur.

De Perfoliata. CAP. XX.

CAVLICVLVS Perfoliatæ gracilis, teres, & glaber, pede altior, in ramulos distribuitur: quos folia sic ambiunt, vt medios amplectătur ac circumdent, lata, læuia, glabra, venosa, dilutè virentia: vmbellæ in fastigiis, è quibus vnà cum foliolis exiguis, flosculi tenues, sublutei, succedente semine subnigricante, maiore quàm Pulegij. radix vnica, candida, paucis fibris capillata.

Nonnullis locis in aruis, inter segetes spontè exit, nascitur & in pratis ac iuxta agrorum margines in Italia, Germania & Bohemia non infrequens, alibi in hortis seritur.

Iulio & Augusto præcipuè floret: stirps est annua, quæ semine perfecto intercidit.

Perfoliatam aut Perfoliatum ex eo recentiores appellant, quòd coliculi per ipsa transeant folia, ipsaque penetrent. Germanis Durchwachß & Bruchwurtz: Doorwas Belgis: Gallis *Perfoliate*: Anglis Thorow waxe.

Ad hanc veluti congenerem à nonnullis referri contingit, quæ Vaccaria dicitur: assurgit hæc supra dodrantem teretibus, geniculatis, glabris ac rotundis virgulis, in alas diuisis, è quorum articulis bina folia oblonga, læuia, acuminata, sibi opposita, basi ita coniuncta, vt vnita appareant: eminent in singulis virgulis capitula membranis contecta, haud dissimilia Lych- *Vaccaria.*

 nidis

Perfoliata.



Vaccaria.



nidis sylueſtris, ſed minora, in quibus ſemen perficitur nigrum, ferè vti Melanthij, floſculo antecedente tenui ac rubente. radix in fibras aliquot diuiſa. Tota herba adeò dilutè viret, vt ſubalbida videatur.

Et hæc pleriſque locis in aruis reperitur, præſertim læto ac reſtibili ſolo.

A Solſtitio æſtiuo in Autumnum vſque flores; ac interea ſemen perficit.

Vaccariam appellant. Perfoliatam rubram nominare Geſnerus maluit. Tamen nemũ Valerius Cordus. Hallucinantur qui Glaſtum ſiue Iſatidem eſſe, aut eius aliquam ſpeciem iudicant, ad tincturam ſiquidem inutilis, multò minus cæruleo inficit, quod Iſatis præſtat.

Sed ad Perfoliatam redeundum: Modice calida, paulò verò amplius ſicca hæc eſt, vtpote nonnihil amaricans & adſtringens. Inter eas numeratur, quibus ſolidandi & ferruminandi vis eſt. Datur decoctum aut herbæ puluis ruptis, & ex alto delapſis: ad ramices inteſtinorum, præſertim puerorum commendatur, hotum etiam prominentem vmbilicum, recens cum farina & vino tuſa, ac cataplaſmatis modo impoſita, reprimit. Strumas etiam hoc modo adhibita reſoluit.

De Pimpinella ſanguiſorba. CAP. XXI.

DIFFERT non parùm hæc ab ea Pimpinella, quæ & Saxifraga, de qua inter vmbelliferas. Sunt autem huius, duo genera, Vna minor, vt plurimum hortenſis, altera maior tota natura ſylueſtris.

1. Folia hortenſi oblonga, ex pluribus ad vnum pediculum congeſta, quorum ſingularia ſubrotunda, ambitu crenata, nonnihil hirſuta: inter hæc caulis non omnino foliorum viduus, aliquantulum ſtriatus, in cuius faſtigiis capitula rotunda, quæ exiguos floſculos purpureos, deinde anguloſa proferunt ſemina ſimul confarcta. radix ſubeſt longa. Odore hæc Pimpinella Peponem aut Cucumerem aliquo refert modo.

2. Sylueſtris omnibus partibus maior, folia ampliora maioraque quam ſuperioris. caulis longior, ſubinde bicubitalis; capitula maiora, obſcurè purpureſcentia: ſemen quoque anguloſum, & maius. radix longior. Hæc autem Pimpinella odoris gratia deſtituitur.

1. Exit prior Pimpinella quibuſdam locis aſperis, petroſis & montoſis, veluti pleriſque

Pimpinella fanguiforba.



Pimpinella fylueftris fanguiforba maior.



Bohemiæ, Germaniæ ac Belgij locis: In hortis quoque frequens feritur.

Syluestris prata ac paluſtria magis amat, & non modò in Belgio, ſed & in Germania, Bohemia, Pannonia vtraque, & in alijs locis frequens. 2.

Pimpinellam hanc recentiores appellãt, & ad differentiam alterius Sanguiſorbam, quamuis & ſeorſim Sanguiſorba & Sanguinaria nuncupata reperiatur. Geſnerus Peponellam dici maluit, à Peponum, quem refert, vt diximus, odore. Alij Pampinulam, aut Bipennulam, plerique Solbaſtrellam nominant. Germani Kolbleſkraut / Her Gots bartlin / Blutkraut / Megelkraut: Belgis Pimpinelle: Gallis *Sanguiſorbe*: Anglis Burnet.

Cum altera Sideritide Dioſcoridis conuenit, folium (& præſertim minoris) quod ſcripſimus ex multis ambitu ſerratis conflatum, ſimile eſt Trichomanis, quod ex Filicum eſt genere, & *πτέριον* quoque appellatur: Semen anguloſum rotundius eſt & durius quàm Betæ: reſpondent & reliqua, ac ſimul facultates, vt ex ipſa Sideritidis alterius deſcriptione ſatis manifeſtum. Ait etenim Dioſ. hanc habere ramulos bicubitales, tenues, folia Filicis vtrimque per margines diuiſa, in ſummo virgularum tenues & longas apophyſes, in quorum faſtigijs globoſa capitula, in his ſemen veluti Betæ, ſed rotundius ac durius. *Sideritis altera.*

Poteſt verò & eadem hæc eſſe, quæ à Plinio lib. XXIIII. cap. XVII. Siſſitiepteris in Perſide nominari traditur, quoniam hilarentur ea. Eandem & Protomediã appellat, ac Caſignetem, tum & Dionyſionymphadem, quoniam vino mirè conuenit, cui quoque hæc Pimpinella, vt diximus, ſuauem gratiã confert. Nec repugnat quod de Sideritidibus alio loco Plinius: Non rarò ſiquidem euenit, vt de eadem ſtirpe ſub differentibus nominibus diuerſis locis agatur; quod tunc citius accidit, quando ipſis ſcriptoribus ſtirpes non ſatis notæ ſunt: veluti Sideritidem Plinio non ſatis cognitam fuiſſe, vel ex eo apparet, quòd non niſi aliorum de hac ſententias adferat. *Siſſitiepteris.*

Cæterum Sanguiſorba Pimpinella aut Peponella præter eximiam reſiccandi ac adſtringendi facultatem, refrigerat quoque mediocriter: Habet verò & minor ſuperficietenus quandam leuiter odoratam & temperatam qualitatem, quam in vinum iniecta deponit: hæc nec aridæ herbæ adeſt, nec ſucco aut decocto communicatur.

Ad vulnera autem Sanguiſorbæ vis ſingularis eſt (quod & de Sideritide altera Dioſ.) & à quam-

quamplurimis laudata: ſanguinem ſupprimit (ſanguiſorbæ inde nomen accepit) æquè intrò ac foris adhibita.

Datur autem vel ſuccus, vel decoctum, vel ipſius herbæ foliorum aridorum puluis, forinſecus contuſa imponitur, vel aliis externis remediis admiſcetur. Veneris fluores, etiam dyſenterias ſiſtit: ad muliebria quoque profluuia plurimum quoque efficax.

Editur non inſuauiter in acetariis minor, quibus ad hilaritatem facere creditur, veluti & in vinum coniecta, cui gratiam quandam inter bibendum conciliat.

De Phalangio. CAP. XXII.

Phalangium ramoſum.



Phalangium non ramoſum.



1. PHALANGII graminis inſtar anguſta exeunt folia, è medio horum teres aſſurgit ſcapulus, in ramulos diſtributus: flores in quibus candidi ſex foliorum, ſtaminibus aliquot concoloribus mediis: capitula ſuccedunt rotunda, Ochris minora, Lini valuulis ſimilia, per maturitatem in tres partes hæc dehiſcunt: ſemen verò in his nigrum, veluti Melanthij, non perinde tamen anguloſum. radices tenues & oblongæ non deſtituuntur tenuibus fibris.

2. Altera huius ſpecies ſuperiori foliis, floribus, ſemine & radicibus ſimilis, ſed cauliculus eius in ramulos nullos diſtributus: flores ordine digeſtos profert, Antherici fere modo, quem ſatis refert.

3. Inter Phalangij ſpecies à nonnullis quoque refertur Aſphodelus minor, quem inter Aſphodelos retinere maluimus, quàm Phalangiis annumerare.

In collibus nonnullis accliuibus apud Gallos, & alibi gignitur haud procul à fluminibus, ac ripis aquarum decurrentium.

Iulio ac ſubinde Iunio vigent flores, Auguſto ſemina perficiuntur.

Φαλάγγιον Græcis, Latinis Phalangium: à nonnullis Phalangites ab effectu: appellatione verò haud propria Leucacantha; nam ex Acanthôn, ſiue ſpinarum genere haberi non poteſt: Italis dicitur *Phalangio*.

Eſt autem Phalangium, Galeno teſte, tenuium partium, & deſiccantis facultatis: Huius folia, ſemen, ac florem cum vino epota auxilio eſſe contra ſcorpionum & Phalangiorum ictus & tormina patientibus ſuccurrere, Dioſ. tradit.

De Phan-

De Plantagine. CAP. XXIII.

Plantago maior.




Plantaginis maioris spica multiplex.



Plantago minor




Plantago media



PLAN-

Plantago angustifolia.

1.
B.
C.
2.



PLANTAGINIS genera Dioscoridi duo, maior, ac minor. Posterior ætas Mediam observauit: Angustifolia deinde est & quædam. Nec à Plantaginis generibus aliena est herba stella dicta, omnes hæ radicibus foliatæ. Quæ autem in riuulis, & scrobibus aquas habentibus nascitur, Plantaginis aquaticæ nomine, inter sui generis alias aquatiles venit requirenda.

Maiori Plantagini ampla, lata, læuiaque sunt folia, Betaceis ferè similia, sed tamen minora, neruis distincta, ac quidem septem: inter folia assurgunt coliculi pedem alti, rotundi, lenti, nec frangi faciles, subinde nonnihil rubentes, qui à medio ad fastigium vsque densis minimis herbaceis flosculis spicato ordine, ac deinde exiguis côuestiuntur loculis; in quibus semina parua, colore sordentia. radix breuis, subinde digitalis crassitudinis, vel tenuior, candida, multis tenuibus fibris capillatur.

Huius species quædam spicas profert, ex multis ferè ac innumeris aliis paruis multiplices.

Item & alia, cuius breues spicæ multis adeò foliis conuestiuntur, vt herbaceum florem, multiplicis rosæ instar, densitate frequentiaque foliorum referant.

Minoris Plantaginis angusta sunt folia, digitum aut sesquidigitum lata, paucioribus neruis lirata, nonnihil pilosa, pediculi tenues, angulosi; spicæ breuiores, molles, candidi ac lanuginosi flores. radix albicat non absque frequentibus tenuissimis fibris.

3. Media Latifolia quoque est, sed tamen quàm maioris minora huius sunt folia, latiora verò, sed non raro breuiora quàm minoris, subinde quoque albida & molliter hirsuta: coliculi verò floresque spicati, molles ac candidi. radices similiter fibrosæ.

4. Angustifolia Plantago foliis est & oblongis & angustis, crassis interim: pediculi verò vnà cum suis spicis ac loculis, maioris Plătaginis spicas æmulatur. radix mediocriter crassa & lôga.

Passim obuiæ Maior ac Minor Plantago. Media in Germania abunde frequens. Angustifolia reperta in maritimis, ac iuxta fluuiorum ripas, quas quandoque salsa ac maris alluit vnda. Quæ multiplici aut foliosa spica Plantagines raræ sunt.

Æstatis tempore omnes conspicuæ, atque vnà cum spicis reperiuntur; hyeme solæ restant radices, haud facile pereuntes.

Plantago Græcis *Ἀρνόγλωσσος*, id est, agni lingua: itě & *ἄρνειος, προβάτειος, πολύνευρος*, & *ἑπτάπλευρος*, hoc est, septineruia nominatur. Officinæ Latinŭ seruăt nomen. Italis *Plătagine, plantagine.* Hispanis *Lhantem, Tamehagem.* Germanis Wegrich/Schaffzunge: Belgis weechbre/weghebladt: Gallis *Plantain*: Anglis Plantayne: Bohemis Gitrocel.

1. Neque aliæ maioris Plantaginis extant appellationes, nisi quòd quandoque Rubta cognominetur.

2. Minor Plantago *πεντάνευρος*, siue Quinque-neruia, & Lanceola, siue Lanceolata: Germanis Spitziger wegrich: Gallis *Lanceole*. Belgis Honts ribbe. id est, Costa canina: Anglis Ribbe worte appellatur.

3. Media Plantaginis species mediæ nomen habet.

4. Angustifolia Plătago & suŭ retinet: Nec videtur hæc dissimilis Serpětinis, de quib. infer.

Plantago autě, vt Gal. ait, mistæ est temperaturæ, habet enim quoddă aqueum frigidŭ, austerum etiă quoddă terreum siccum ac frigidŭ: Itaque refrigerat simul ac desiccat 2. excessu.


Ad vlcera rebellia omnia, ad fluxiones ac putredines conuenit, & ad dysenterias. sanguinis profluuia sistit. sinus glutinat, & alia vlcera, recentia simul ac vetera. In summa siccitatem obtinet morsus expertem, & frigiditatem quæ non obstupefaciat.

Radix similis est facultatis, nisi quòd siccior & minus frigida. Semen subtilium est partium, & minus frigidæ facultatis.


Præstat inter Plantagines maior, facultate ac viribus cæteris potentior.

De Herba Stella, siue Cornu Ceruino. CAP. XXIIII.


Herba Stella, siue Cornu Ceruinum



Serpentina Matthioli.



Coronopus ex Cod Cæs.



AD Plantagines accedit Herba Stella appellata: folia huius oblonga, angusta, adnatis vtrinque appẽdicibus ramosa, instar ceruini cornu, exiguis pilis tenuissimis asperiuscula, quæ radiantis stellæ in modum orbiculatim strata humi dẽcumbunt. exit inter h[illegible] coliculus à medio fastigium vsque flosculis, deinde seminibus grauidus, instar spicæ maioris Plantaginis, quam proximè, tametsi minor ac breuior, refert. radix oblonga, tenuis, albida.

Nascitur locis incultis, aridis, arenosis, secus vias: In Italia, Germania vtraque, Gallia, tum & alibi frequens reperitur. Seritur quandoque in hortis, vbi ampliter luxuriat.

Spicæ eius eodem, quo Plantaginis, tempore conspicuæ.

Matthiolus aliam huius refert speciem, dilutis, extenuatis, angustissimisque foliis, humi quoque procumbẽtibus, sapore adstringente: spica Plantaginis ac Stellæ herbæ: radice tenui, oblonga, lignosaque.

Hanc in collibus & sabulosis ait nasci locis; & quidem in agro Goritiensi, haud procul à Sontij fluminis ripis. Lobelius & quandam minimam adiungit præcedenti similem, sed coliculis adeò breuibus, vt sesquiunciam non superent: quam ait in altis montium iugis in Narbonensi Gallia à se obseruatam.

Priorem Herbam Stellam non pauci nomi- 1.

nant: sunt & qui Stellariam nuncupent; Stellaria tamen & Alchymilla à recentioribus dicitur est & Aster Atticus Stellaria.

Dicitur verò & Cornu Cerui, quòd foliis ramosis ipsius cornu ceruini præ se ferat similitudinem: à Belgis vulgò Hertshoorn/ & alicubi Crannne & Craninne cruijt, id est, Cornicis herba: Hispanis *Guiabelha*. Gallis *Dent au chien*: Germanis Crayenfüß, quod illi à Leonharto Fuchsio putatur inditum, quòd Coronopum Dioscoridis esse iudicauerit, veluti & nonnulli post eum alij. κορωνόπους siquidem Cornicis pedem, id est, Crayenfüß sonat, non tamen hæc Dioscoridis κορωνόπους est. Neque enim oblonga herbula, nec vllo modo repit, viticulosis cauliculis destituta quibus serpat: folia tantummodo per terram sternuntur.

Coronopus autem herba exigua, oblonga, & serpens, vti Dioscorides & Plinius testantur. Atque hanc ob caussam Herba Stella nequaquam pro Coronopo à nobis haberi potuit.

Coronopus in Codice Cæsareo. Quòd si verò & fides iconi habenda, quæ in Codice Cæsareo reperitur, longissimè differens Herba Stella à Coronopo est, Depingitur enim in hoc Coronopus tenuibus ac viticulosis cauliculis, & recuruis coruorum pedum digitos referentibus siliquis, vt ipsa figura ostendit. Cæsareani autem veteris manuscripti codicis fidem nobis asseruit doctissimus ac diligentissimus Bernardus Paludanus, qui huiuscemodi Coronopum, qualem icon exprimit, à se visum ac repertum haud longè à Tripoli, & ad radices montis Libani nobis coram narrauit.

Sunt tamen inter reiectaneas Coronopi appellationes, quæ non perperã Herbæ Stellæ conueniunt, vt sunt ἄμμωνος, siue Harenaria, ἀστέριον; Sanguinaria, arenosa etenim loca amat, stellæ siue astri modo per terram spargitur & aduersus sanguinis quasdam profusiones perutilis. Sed nomina quædam pluribus stirpibus communia haud rarum est reperiri, subinde etiam diuersarum stirpium voces inter se confunduntur, præsertim quæ inter nothas ascribuntur; vt alibi ostensum est.

2. Alteram herbam Matthiolus Serpentinam vulgò à Goritiensibus appellari refert, ac superioris speciem esse existimat, quantum verò conueniat cum Angustifolia Plantagine, aut ab hac differat, considerandum relinquimus.

Cæterùm Herba Stella manifestè adstringens, frigida & sicca, Plãtagini facultate accedit.

Prodest Nephriticis in olere aut cibo sumpta, non tamen calculum atterens aut expellẽs, sed renes debiliores roborans, caloremque eorum contemperans: sanguinis verò ex his eruptiones cohibet etiam ac sistit.

Recipitur & inter acetaria, & cruda editur.

De Cornu Cerui altero, siue repente. CAP. XXV.

Cornu Cerui alterum repens.



CORNV Cerui repens à superiore herba differt, mox etenim à radice tenues ramulos clauicularum instar promit complures, oblongos, in diuersa tendentes, ac humi repentes, neque vnquam à terra sese attollentes; circa quos foliola oblonga, laciniosa, & adnata habentia, Herbæ Stellæ satis similia, sed minora ac læuia. flosculi candidi, exigui, è foliorum sinu: seminum conceptacula subsequuntur paruula, aspera, in duos sinus extuberantia: radix tenuis, candida, in altum descendit.

Reperitur incultis & arenosis locis, non rarò secus vias, ac semitas, in nonnullis aggeribus iuxta Scaldim apud Brabantos frequens, in Gallijs quoque non infrequens.

Tota

Tota æstate,& in multam hyemem viret.

Ruellius,qui hanc ante nos lib 2 cap.64.& cap.134 descripsit,Cornu cerui quoque appellari ait,& Pedem Miluinum Columellæ esse suspicatur. *Pes Miluinus Columellæ.*

Ad Coronopi descriptionem accedere aliquo modo posse videretur, nisi quem Codex Cæsareus exhibet differens multum ab hoc Cornu ceruino esset,ac manifeste ostenderet legitimum Coronopum hactenus fuisse incognitum. Quam ob causam Coronopus dici non debet, sed Cornu cerui alterum ac repens nominandum : posset verò & Pseudocoronopus dici,si modo hæc appellatio retinenda.

Facultate autem hæc herba aliquantulum calida ac sicca est,ad Nasturtij hortensis,vti saporem,sic & ad qualitatem accedens,est tamen mitior, & minus calida.

Cruda, inquit Ruellius, estur in acetariis, & cocta , & cum aceto manditur. Portulacæ etiam modo sale condita apud nonnullos seruatur.

De Plantagine Angustifolia albida, siue Holostio.

CAP. XXVI.

Plantago angustifolia albida.



AD Plantaginis genera referenda quoque videtur, quam doctiss. Clusius pro Holostio depingendam curauit. foliis est hæc angustifoliæ Plantaginis minoribus , angustioribus, lanugine albida incanescentibus, humi procumbentibus : inter quæ quini seniue pediculi attollũtur, à medio sursum versus flosculis exiguis grauidi, iisque spicatim digestis, & ex herbaceo colore candicantibus : succedit in minutis valuulis semen quale Plantaginis. radix tenuis,longa,& lignosa.

In aridis collibus plerisque Hispaniæ regnis exit: Nusquam autem maiorem aut candidiorem se obseruasse C.Clusius refert,quàm haud procul Valentia secus vias.

Martio & Aprili illic floret:in agro Salmãticensi Maio demum : In Belgio ac Germania etiam serius.

Plantaginem angustifoliã albidam, aut Hispaniensem forte non abs re quis appellauerit.

Cum Holostio conueniret , si κλήματα siue viticulas haberet, nam alioqui Herbæ Stellæ & Serpentinis satis similis ac descriptioni respondens, sed veluti Herbam Stellam legitimum Coronopum haud esse existimauimus, quòd non serpat, ita nec hanc verum Holostium esse facilè admittere possumus,quia viticulis careat.

Ὀλόστιον, vt Dioscorides,aut Ὀλόστεον, πόα ἐστὶ μικρὰ ἀπὸ γῆς ὡς τριῶν δακτύλων ἢ τεσσάρων· φύλλα δὲ ἔχει καὶ κλήματα κορωνόποδι παραπλήσια ἢ ἀγρώστει. id est, Holostium herba est exigua, humi incumbens, trium aut quatuor digitorum · folia & viticulas habet Coronopo similia aut Gramini. *Holostium.*

Plinius Holosthum sine duritia herbam esse ait,& ex aduerso appellatam à Græcis:Et non solùm absque duritia Plantaginis hæc species est,verùm etiam lanugine sua mollis.

Holostium autem, Galeno auctore,desiccandi vim habet cum adstrictione : quamobrem ad vulnera potui adhibetur,ad quæ solidanda tam efficax est, vt vnà cum carnibus cocta, eas simul cogat, vt Diosc.& Plinius referunt. Ab huiuscemodi facultate haud aliena est hæc albida angustifolia Plantago,gustu siquidem & adstringens , & reliquis Plantaginibus , vt forma , ita & potentia, haud dissimilis.

De Cauda Murina. CAP. XXVII.

HVMILIS & exigua hæc herba est, spicata Plantaginis ferè modo, sed omnibus partibus minor,ac tenuior.foliola parua, perquam angusta, inter quæ cauliculi assurgunt teretes,

Cauda Murina.



retes, tenues, quorum fastigio flosculi herbacei insident, inde oblongæ angustæque spicæ, leues, caudis paruorum murium satis similes, sed breuiores tamen, in quibus minutissimum semen. radix fibris tenuissimis capillatur.

Læta & culta loca amat: inter segetes non rarò, quandoque etiam in pratis ac secus vias reperitur.

Aprili & Maio viget herba cum flosculis ac spicis, post Iunium vix reperiri potest.

Belgis Muysen steert, id est, cauda murina, cauda muris, & μυόσουρος ἢ μυὸς οὐρὰ Gallis *Queue de souris* Anglis Blod strange: Germanis Tausent korn appellatur. Holostium quidam existimant: Nobis pro veteribus incognita habẽda appatet: Nec est etiam Denticula canis Ruellij.

Temperie refrigerans est, & nonnihil cum adstrictione resiccans, vt sapor eius ostendit.

De Paronychia vulgari.

CAP. XXVIII.

PARVVLA herba est hæc: foliola eius exigua, latiuscula, minutis Alsines satis similia; pediculi admodum tenues inter hęc ad duarum aut trium vnciarum altitudinem assurgũt: flosculi in apophysibus candiduli, mox valuulæ, rotundis longiores, planæ, ac paruulæ, in quibus semen perexiguum. pro radicibus paucæ tenuissimæ, ac capillatæ fibræ.

In petrosis exit, parietinis, ac arenosis aruorum marginibus.

1.

Paronychia vulgaris.



Paronychia altera.



Ab

Ab Aprili in multam æstatem viget, viret, ac floret.

Paronychiam nonnulli hac ætate appellãt. verum ac legitimum esse non constat; vt enim Dios. Παρωνύχια ἐςὶ θαμνισκίον ὅμοιον πέπλῳ, τὸ δὲ μήκει ἐλαττον, τοῖς δὲ φύλλοις μεῖζον. id est, Paronychia fruticulus est similis Peplo, longitudine minor, foliis verò maior. At vulgaris Paronychia nec fruticis in modum veluti Peplus assurgit, nec maiora ei, sed minora quam Peplo sunt foliola. Paronychia

Est verò & altera humilis herbula, quæ & pro Paronychia habetur, cuius exigua foliola incisuris aliquot crenata, graueolentis Rutæ æmulari videntur: assurgit huic cauliculus breuis, haud absque aduatis & alis, in quarum fastigiis flosculi candidi, & calyces posteà paruuli, in quibus semen: radix tenuis. 2.

Locis vmbrosis, humidis, petrosis, & in parietibus reperiri & hanc contingit.

Vere primum viget, ac floret citò perficitur, æstiuis caloribus perit.

Paronychiam verò sunt qui & istam esse, vt diximus, velint. Sed nec hæc descriptioni satis respondet.


De facultatibus autem vel prioris, vel posterioris nihil compertum adferri potest.

De Polygono. CAP. XXIX.

Polygonum mas.



Polygonum femina.



POLYGONI Dios. duo sunt genera: vnum Maris, alterum Feminæ nomen accepit.

Polygonum Mas multis tenuibus viticulosis, oblongis, ac crebrò articulatis serpit coliculis, quos circa folia virentia, longiora, ac angustiora quam Hyperici aut Rutæ Hypericoidis, flosculi perquam exigui à geniculis exeunt: sequuntur semina triangularia. radix tenuis, longa, non absque fibris, subinde candida, nonnullis locis subrubet. 1.

Prouenit locis incultis, vias ac semitas late subinde occupat, non rarò & iuxta riuulos serpit. Reperitur verò & prope littora marina; veluti Adriatici maris, quod speciosius & amplioribus foliis: est & quoddam montanum minimum.

Polygonum femina mari haudquaquam simile est, sed citius ad Equiseti genera accedit: rectos & inanes cauliculos promit pedem circiter altos, veluti Equiseti, sed leues, non asperos, geniculis quoque frequentibus in se farctis, articulatos: folia angusta, veluti Piceæ, orbi- 2.

culatiter digesta, mollia ac virentia genicula ambiunt. radix articulata serpit.

Nascitur in locis riguis, iuxta riuulos, ac fluuiorum ripas.

Mas omni fere anni tempore viret, hyeme excepta, ac femina facit: sed femina non nisi æstiuis mensibus reperitur, & quidem rarò.

Prius πολύγονον ἄῤῥεν, id est, Polygonum mas, & καλλίγονον, καὶ πολύκαρπον: Latinis Seminalis, Sanguinaria, a Columella Sanguinalis. In Officinis Centumnodia, & Corrigiola, & Polygonum quoque. Apud Apuleium Proserpinaca, apud quem & variæ huius reperiuntur nomenclaturæ, quæ inter nothas referuntur, vt sunt πολυγόνατον, κυνοχάλη, βελάκλεια, ἄσφαλτον, χελιδόφυλλον, κλῆμα, καρκίνηθρον, πυθαλίς, μυρτοπέταλον, κνωπόδιον, ζαεθθία, πεδάλιον. Germani Wäggraß & Wägdritt appellant. Belgæ Verkens gras/duysent knop/ hcrupel gras: Itali *Polygono*, *Coreggiola*: Hispani *Corriola*: Galli *Renouee* & *Corrigiole*. Angli knotgrasse: Bohemi Truskawec.

Alterum Polygonum, πολύγονον θῆλυ, Polygonum femina, & Sanguinalis femina dicitur, ac (vt inter spurias voces) Seminalis, tametsi semine destituatur: Officinis autem vulgo istud Polygonum cognitum non est, nulla idcirco eius nomina alia vsurpantur.

Sunt verò & aliæ nonnullæ stirpes, quæ & Polygona à nonnullis appellantur, à præsenti Polygono differentes, vti cap. de Rubia annotatum est.


Polygonum autem, auctore Galeno, adstrictoriam vim habet: vincit in eo aqueum frigidum: secundi est ordinis refrigerantium, aut etiam in initio tertij.

Succi vis epoti, Diosc. ait, spissare ac refrigerare. Cruentę excreationi, sanguinisq; reiectioni prodest: Item Choleræ & alui fluoribus: feminarum profluuia cum passo impositus sistit. Dolentibus auribus ac purulentis instillatur: cum vino aduersus serpentum morsus opitulatur: cum vino verò & melle coctus ad genitalium vlcera, recentia vulnera, & vlcera quæ serpunt. Vrinam quoque cit, ac vrinæ stillicidio medetur.

Polygono feminæ refrigerandi spissandique facultas quoque; ad eadem, ad quæ superius, valet, sed inefficacius.

De Herniaria. CAP. XXX.

Herniaria.



1. AD Polygoni prioris genus non abs re refertur, quam Herniariam vulgò appellant. parua hæc est herba, instar Chamæsycis aut Peplidis, supina humique procumbens, coliculis tenuibus vndique sparsis, qui crebris geniculati internodiis subrubent, adnatis perquàm exiguis, veluti Thymi, foliolis: flosculi minimi, luteoli, aut albidi: semen perpusillum, racemosum, adeò copiosum ac frequens, vt singuli coliculi eo turgeant. radix in altum descendit.

Locis gaudet incultis, arenosis, reperitur & in vliginosis, sed patentibus, & Soli expositis. Iunio, ac Iulio, necnon Augusto satis frequens.

Herniariam ac Herniolam recentiores ab effectu appellant: nonnulli Herbam Turcam: A copia seminis Millegrana dicitur: Gallis *Boutonet*. Plinius Polygonoidis herbæ meminit, quæ alio nomine Clematis est Ægyptia, & ab Herniola differens; posset tamen & Herniola non abs re Polygonoides appellari.

2. Præter Herniariam verò & aliud quoddam exiguum à recentioribus numeratur Polygonum: palmi, plus minus, altitudine istud assurgit, tenues virgulas, crebrò geniculatas, complures,

Knawel.



res, & ramolas promit, circa quas foliola angusta & exilia: flosculi e sinu foliorum herbacei coloris fibrosa radix, tenuis & oblonga. Tota herba vna cum cauliculis ac floribus incanescit: Germani knawel appellant.

Sabulosis, ac aridis, sed tamen opacis, aut riguis gaudet per cæli humidam constitutionem felicius prouenit.

Herniaria autem insigniter resiccandi vim habet, &, vt creditur, solidandi ac ferruminandi.

Ad enterocelas in potu sumpta præstantissimum fertur esse remedium, & complures huius vsu ab intestinorum ramice (Herniam vulgò) esse sanitati restituros: item & puluerem ex vino sumptum suppressam vrinam ciere, & calculos renales comminuere, & eorum exitum ac descensum promouere.

De Psyllio. CAP. XXXI.

Psyllium.



ROTVNDIS, tenuibus, dodrantalibus, frequentibus, ac foliosis ramulis Psyllium luxuriat. folia oblonga sunt, sed angusta, hirsutaque, ad primæ Chamæpityos accedentia: ex alarum fastigiis capitula eminent squamatim cohærentia, e quibus flosculi albidi, pusilli, lanuginosi, veluti angustifoliæ Plantaginis, semine succedente nigricante, relucente, pulicibus colore magnitudineque persimili. radix subalbida fibris capillata.

In campis aut incultis locis subinde spontè exit, seritur & quandoque: semel satum facilè aliquot deinde annis recurrit. Pro loci natura non raro lætius, præsertim circa maritima, gignitur, alibi minus.

Sub finem Augusti semen maturũ legendum.

Ψύλλιον Græcis, Latinis Pulicaria, (est tamen & Conyza quoque Pulicaria) & herba Pulicaris: In Officinis Psyllium appellatur: à similitudine cum pulicibus nomen accepit, quos semen referre diximus. Germanis Psylien kraut & Flohe kraut: Belgis Vloyetruyt: Italis *Psillio*: Hispanis *Zargatona*. Gallis *L'herbe des pulces*: Anglis Fleewozte.

Semen Psyllij Galenus ex secundo refrigerantium ordine, in humectando autem & resiccando symmetrum quodammodo esse ait. Auicenna in secũdo humidum statuit & frigidum.

Aqua in qua semen Psyllij quassatum, siue agitatum, maceratumque fuerit, donec lentorem contraxerit, omnes inflammationes sedat: ardentium febrium calores mitigat: sitim restinguit. & in ore detenta asperitates linguæ lenit: Interaneorum ex acrimonia humorum dolores tollit: dysentericis, & quibus intestina, aut vesica exulcerantur, vtilis; vtilior verò etiam ex semine antea tosto. Aluum & hæc mollit, clementerque subducit, præsertim sacharo aut Iulebo ex violis addito; vel potius ex infusione frequenti dilutè rubentium rosarum, quo modo in ardentissimis febribus vtiliter exhibetur. Verùm non nimis crebrò hac muccagine vtẽdum admonet Serapio, stomachum siquidem offendit, tandemque frequenti ac nimio vsu subinde syncope aut animi deliquiũ etiam succedit vnà cum mortis periculo. quia nimium eius venenosum, vt ait, est: quod non modò Græci, sed & Auicenna restatur.

Semen Psyllij, aut eius muccago puerorum enterocelas curat, & vmbilicos prominentes imposita: addito verò & oleo rosaceo articulorum doloribus, (ex caussa videlicet calente) parotidibus, œdematis, luxatis, prodesse Dioscorides refert.

Muccaginem seminis Soli expositam resiccari ac conseruari posse Serapionis est.

De Quinquefolio. CAP. XXXII.

Quinquefolium maius.



Quinquefolium alterum vulgare.



HVIVS tametsi nullas species Theophrastus aut Dioscorides tradiderint, posteritas tamen quasdam obseruauit.

1. Vnum, quod & maius Quinquefolium, cauliculis assurgit rotundis, cubitalibus, ac altioribus: foliis e singulis pediculis cohærentibus quinis, oblongis, ambitu profundis incisuris crenatis: floribus in fastigiis ramulorum luteis, aut candicantibus, veluti Helianthemi dicti aut Potentillæ, fugaces quoque neque diutinè consistentes. radices subsunt oblongæ, sensim attenuatæ, foris nigricantes, interius verò subrubentes, non absque tenuibus fibris adnatis. Est autem istud Quinquefolium & caule & foliis (ac quidem præcipue) nonnihil lanuginosum, hirsutum ac inalbicans.

Plerisque Italiæ & Galliæ Narbonensis locis circa scrobium aut agrorum margines exit. In Apennino & flore rubens reperiri Lobelius auctor est.

2. Alterum Quinquefolium humilius est, folia minora, quinquepartita quoque, quæ superiore parte virent, inferiore verò albida, & lanuginosa vnà cum cauliculis: flosculi plurima parte lutei. radix teres, oblonga, forinsecus nigricans, intrinsecus rubens: resiccata quadrangularis cernitur, veluti de Quinquefolij radice Theophrastus scriptum reliquit.

Vulgare istud & Germaniæ, ac Belgio, tum & alibi est: Nascitur non raró secus hortorum margines, agrorum sepimenta ac aggeres, aliàs inter herbas.

3. Tertium genus tenuibus ac viticulosis humi serpit cauliculis: folia sunt Quinquefolij alterius, læuia, virentia: flosculi exigui lutei. pro radicibus tenues fibræ, quas hinc inde pluribus locis è viticulis dimittit, qua parte terram contingunt, quibus latissimè serpit seipsum multiplicans.


Istud Quinquefolium in hortis ac cultis potissimùm reperitur.

Quar-

Quinquefolium tertium ferpens



Quinquefolium quartum.



Quartum amplitudine foliorum primum æmulatur, quæ superius virent, supina verò parte albidiora. caulis dodrantalis, glaber, in cuius fastigio flores vt plurimum gemini, obscurè rubentes: capitulum succedit ex seminibus aliquot confarctum, frago simile, sed obscurius rubens, ac durum. radix tenuibus fibris hinc inde sparsis serpit. 4.

In scrobibus, & iuxta stagnantes aquas, à nobis quandoque repertum.

Quinquefolia æstiuis mensibus, & non rarò Maio vigent ac florent. Incipit ac desinit (inquit Plinius) cum Vite. Legendam radicem Augusto mense Apuleius tradit.

Græcis est πεντάφυλλον Quinquefolium Latinis. Officinæ modò Græcam, modò Latinam vocem vsurpant: Dicitur & πενταπετές, siue χαμαίζηλον auctore Plinio: Extant verò & aliæ inter spurias voces, & apud Apuleium huius nomenclaturæ, vt πεντάτομον, πενταδάκτυλον, ψευδοσέλινον, καλλιπέταλον, ξυλόλωπον, ξυλοπέταλον, ἄσφαλτον, siue ἀσφάλτιον, πεντάκοπον, θυμιατῖτις: Manus Martis. Germanis Funff fingerkraut/ aut Funffbladt: Belgis Vijfvingercruyt: Italis *Cinquefoglio*: Gallis *Quinte fueille* Hispanis *Cinco en rama* Anglis Cinckfoly/ & Fyue fingere grasse.

Quod primum, magnum Quinquefolium à nonnullis appellatur: poterit verò & illud esse, quod ab Hipp. lib. De vlceribus commendatur, & altius, ait, quàm nigrum fore, duo ita manifeste Quinquefolia ostendens, vnum album, alterum nigrum. Et herbam Quinquefolium, ait, (est autem alba & lanuginosa, & altior à terra quàm nigrum Quinquefolium) in oleo tritum deligato, &c. 1.

Alterum humilius cum nigro Hippocratis conuenire potest. Sunt autem istorum duorum radices Medicinæ vtiles, reliquorum minimè. 2.

Tertium serpens aut repens siue supinum Quinquefolium esto. 3.

Quartum an illud sit, quod non modò Plinius Secundus Natur. historiæ lib xxv. cap. IX. sed & Plin. Valer. cap. LXVI. fraga gignere referunt, diligentius relinquimus expendendum. 4.

Cæterùm priorum duorum Quinquefoliorum radices (quarum potissimum vsus) vehementer & tertio quidem ordine, sed citra morsum desiccant, euidentis enim caloris aut acrimoniæ minimum obtinent.


Decoctum radicum dentium dolores in ore detentum mitigat: putrescentia oris vlcera sistit: ad tonsillarum, & asperæ arteriæ inflammationes conducit: contra alui profluuia, & dysen-

dyſenterias auxiliatur. Cocta cum aceto radix herpetas cohibet: ſtrumas diſcutit: œdemata, & aneuriſmata reprimit. Teneræ radicis ſuccus contra iocinoris pulmoniſque affectiones, & aduerſus venena prodeſt.

Foliorum ſuccus aliquot diebus continuis epotus morbum, ait Dioſcorides, ſanare regium folia vero cum hydromelite, aut diluto vino ac exiguo pipere contra febrium circuitus bibi, quatuor ramulorum aduerſus quartanas, trium in tertianis, vnius in quotidianis. Quæ vanitate non carent, vt & pleraque alia, quæ non modò apud Dioſcoridem, ſed & alibi reperiuntur, a quibus libenter abſtinemus.

De Tormentilla. CAP. XXXIII.

Tormentilla.



AD Quinquefoliorũ genus pertinet & Tormentilla dicta, ipſis videlicet ſimilis cauliculos promit complures, tenues, imbecilles, ſeſe non attollentes, ſed humi citius accumbentes: folia minora quàm Quinquefolij, numero autem plura, ſeptem etenim ſimul cohærent, quæ & ambitu ſerrata· floſculi lutei ſunt. radix foris nigricans, interius rubet, craſſa, tuberoſa, ac breuis

In ſyluis naſci gaudet, & opacis reperitur non rarò & in locis herboſis apricis, ſed minor ac tenerior.

Floret æſtate, radices quouis tempore legi poſſunt.

Tormentillæ nomen recentior ętas dedit: ſunt qui à numero foliorum ἑπτάφυλλον, & Septifolium vocent: Germanis Birckwurtz/ & rot heylwurtz: reliquis nationibus *Tormentil* dicitur. Creditur à pleriſque Chryſogonon eſſe.

χρυσόγονον.

Extat autem apud Diſcoridem breuis admodum Chryſogoni deſcriptio, quod ait, *θάμνον πυκνόν*, id eſt, fruticem denſum eſſe, cuius flos ſimilis Coronarij Verbaſci. Tormentilla fruticis modo haudquaquam attollitur, & ſi Coronarium Verbaſcum Lychnis eſt, Tormentilla quoque non eſt huius Verbaſci flore: Lychnis ſiquidem flore rubet, vt alibi oſtenſum, quæ Tormentillam à Chryſogono differentem eſſe oſtendunt.

Eſt autem Tormentillæ radix potenter reſiccans, & ex eorum, quæ tertij ſunt ordinis, numero, & partium tenuium: caliditatis quàm minimum tenet, adſtringentis facultatis particeps.

Poteſt autem non modò, quæ Quinquefolij radix, ſed & eadem efficacius præſtat. Aduerſus peſtilentes morbos magni eſt vſus, fortiter enim putredinibus aduerſatur, & ſudores mouet, additur idcirco antidotis & compoſitionibus eò facientibus. ſanguinis vndequaque eruptiones eadem ſupprimit. Decoctum radicis, aut aridæ puluis cum conueniente liquore propinatus, ſiſtit & ſuperfluentia muliebria profluuia, non modò intrò ſumpta, ſed & foris, ſiue in balneo, aut alio quouis adhibita modo. Ventriculum eadem humore madentem roborat, ac reſiccat: aduerſus alui fluores, & dyſenterias vtilis eſt. Datur & ruptis, ex alto delapſis, & quibus ſuſpicio eſt internum aliquod viſcus læſum eſſe.

LIBRI QVARTI PEMPTADIS PRIMÆ FINIS.

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTADIS PRIMÆ

LIBER QVINTVS.

PRÆFATIO.

SVCCEDVNT nunc reliquæ classibus destitutæ herbæ, ab R. videlicet S.T. & V. incipientes, haud prætermissis quæ affinitate quapiam ipsis coniunguntur: inter quas complures ad vulnera, rupta, casus ab alto, & eiusmodi alia, in frequenti sunt vsu; quæ & idcirco Vulneraria vulgò dicuntur Finem autem hæ primæ imponunt Pemptadi, & ad aliarum historias, in certas classes digestarum, viam sternunt.


DE RVTA GRAVEOLENTE.

CAPVT PRIMVM.

Ruta graueolens hortensis.



Ruta syluestris graueolens.



GRAVEOLENTEM hanc appellamus ad differentiam alterius Hypericoidis Rutę Est autem hæc duûm generum, Hortensis, & syluestris, siue Montana: huius verò & species nonnullæ.

Hortensis siue satiua Ruta frutex est ramosus, subinde bicubitalis, vel altior, cuius caules 1.
lignosi albicante vestiuntur cortice: surculosi ramuli amplius virent horum folia ex pluribus collecta, inque alas diuisa, circa quas exigua aliquot, impari numero, latiuscula, rotundis longiora foliola, læuia, ac subpinguia, colore cæsia, siue è cæruleo virentia: flosculi in summis apparent surculis pallidè lutei, ex quatuor aliquantulum concauis foliolis commissi, in quarum medio quadrágulare, rarò quinquangulare capitulum eminet, totidem loculos, quot angulos, continens, ambientibus nonnullis staminibus luteis, è quibus concolores exigui dependent apices: semen in loculis gignitur. radix lignosa multis fibris firmatur Grauis autem admodum odoris, ac acris saporis hæc Ruta est.

Sylue-

2. Ruta sylvestris minima.



5.

Sylvestrium Rutarum maiores hortensem omnibus partibus & colore referunt, nisi quòd singula foliorum segmenta angustiora sint, & longiora. Harum vna maior ac procerior: altera verò minor angustioribusque foliis. vtraque odore grauior, ac sapore acrior quam hortensis.

Quæ verò inter sylvestres ac montanas minima est, præ nimia foliorum tenuitate speciem ac formam foliorum Rutæ hortensis non retinet, foliola siquidem tenuissime diuisa: color verò candidior. odor autem & sapor acerrimi: flos, capitulum vt aliarum, sed minora.

Ab his differt Harmala, quę & sylvestris Ruta, de qua mox subsequentē capite.

Satiua in hortis pluribus colitur ac habetur: aprica amat & sicca, Solique exposita: rudera item, aspera, lateritiamque terram: cinere nutriri, vt Plinius ait, gaudet: fimum horret, vt fertur.

Sylvestres in montibus reperiuntur, & in calidis regionibus, vti Galatia, Cappadocia; in nōnullis Italiæ ac Hispaniæ prouinciis, in Saluatino Goritiæ monte, & alibi.

Amicitia ei, inquit Plinius, cum Fico in tantum, vt nusquā lætior proueniat, quàm sub hac arbore. Creditur & optima Fico insita; inseritur autem intra corticem, & circumposito luto fouetur. Dios. & satiuam, quæ iuxta Ficum nascitur, in cibos magis admitti scribit: Caussam exprimit Plutarchus Sympofiacon lib. v. suauiorem siquidem fieri, & sapore mitiorem, quòd quasi participet quandam fici dulcedinem, qua restinguatur nimia virosa Rutæ qualitas: nisi contrà Ficus alimentum ad se rapiens, acrimoniam Rutæ subtrahat.

Iulio ac Augusto florent apud Germanos, alibi citius.

Πήγανον Græci nominant, & ex eo quidem, vti Plutarchus Symposiacon III. scribit, quòd ob siccitatem calori mixtam semen constringat genitale. Latini Rutam vocant: Apuleius Ephion quoque appellari refert.

Prior siue hortensis Ruta Germanis Rauten/ & Weynrauten: Belgis Ruyte & wynruyte: Itali Latinam seruant nomenclaturam, vnà cum Officinis Hispanis est *Aruda*. Gallis *Rue de iardin*. Anglis Rue: Bohemis Rauta.

1.

2. Altera sylvestris & montana πήγανον ὄρεινον καὶ ἄγριον appellatur. Officinis hæc incognita. Huius radix μῶλυ ὄρεινον, id est, Moly montanum appellatur, vt Dioscorides ait.

Est autem Ruta potenter calida ac sicca in tertio vtriusque qualitatis gradu. Sylvestris verò vehementior ad quartum accedit. tenuium est partium: flatus discutit: crassos, lentosque humores incîdit ac digerit.

Vrinam mouet: menses quoque Ruta ducit: fœtum mortuum, & secundas expellit ipsa assumpta, vel decocto eius epoto: ad vteri strangulatus vel solo olfactu conducit.

Plinij locus restitutus. Vuluas, inquit Plinius lib. XX. cap. XIII. aperit, corrigitque conuersas illita in melle toto ventre & pectine (pectore, exemplaria perperam:) testium inflammationibus ab intermisso veneris vsu cum Lauri foliis imposita conducit: cruditates discutit: inflationes item & dolores stomachi veteres.

Cocta cum aceto Ruta tormina sedat, facitque ad lateris thoracisque dolores, spirādi difficultates, ex caussa frigida: & ad articulorum, coxendicumque cruciatus.

Ad eadem & oleum eius adhibetur, quod ad coli, intestinorumq́, dolores, non modò per inferiora infusum, sed & illitum prodest. Quòd si verò Oleum istud, ex eo conficiatur, quod ex semine Lini exprimitur, præstantius etiam fuerit, & ad lienis tumores ac scirros eximium.

Ad aquam intercutem, quam Hyposarcam appellant, cum Ficubus ventri cataplasmatis modo vtiliter imponitur, ac ex vino bibitur.

Cruda sale condita ac comesta visus aciem intendit: subuenit & oculorum hebetudinibus cum succo Fœniculi, & melle adhibita.

Succus

Succus Rutæ in malicorio calfactus, aurium doloribus medetur instillatus: Ignes sacros, herpetes, achores cum cerussa, acero & rosaceo sanat.

Rutam sanguinis profluuia è naribus sistere impositam, ait Dioscorides, cui & Plinius accedit, cum tamen sanguinem citius prouocare & sua acrimonia elicere potis sit.

Valet verò & Ruta pro Antidoto foliis tritis, & ex vino sumptis, auctore Plinio.

Dioscorides semen acetabuli mensura si in vino bibatur, lethalium medicamentorum antidotum esse scribit.

Probatur autem contra Aconitum, Ixiam, & fungos, siue in cibo, siue in potu: contra serpentum ictus: aduersus scorpionum, aranearum, apum, crabronum, & vesparum aculeos. succo Rutæ perunctos negant feriri ab his: & serpentes, si vratur, nidorem eius effugere. Mustelæ contra serpentes pugnaturæ, Rutam prius edendo sese muniunt.

Commendatur & aduersus canis rabidi morsum succus acetabuli mensura epotus: foliis verò tritis cum sale & melle, vulnerique impositis.

De Harmala. CAP. II.

Harmala.



HARMALA inter Rutas syluestres numeratur quidem, sed tamen ab ipsis differens est à radice mox complures promit cauliculos dodrantales: folia circa hos virentia, varie dissecta, longiora, angustioraque quam syluestris graueolentis Rutæ flos candidus est, quinquefolius: fructus triangularis, maior quàm satiuæ Rutæ, in quo semen. radix crassa, oblonga nigricat. Grauem admodum hæc Ruta odorem in calidis spirat regionibus in frigidioribus, veluti Germania, sata, minus graueolet.

In Cappadocia, & Galatia, vt Dios., nascitur: reperitur verò & non paucis Hispaniæ desertis ac incultis collibus.

Ruta syluestris, & πήγανον etiam dicitur: In Galatia & Cappadocia μῶλυ, Moly: nonnullis Harmala: Arabibus Harmel: Syris Besasa. Officinis incognita stirps.

Cęterum Harmala calida ac sicca vehementer, & tertio quidem ordine, tenuium item partium: crassos humores attenuat, desiccat, digerit, & vrinam mouet, auctor Galenus.

De Scabiosa. CAP. III.

SCABIOSÆ folia oblonga, lata, hirsuta, à 1.
lateribus laciniata, instar foliorum Erucæ
ferè: medij inter hæc caules assurgunt teretes,
aliquantulum striati, cubitales, & ipsi quoque
hirsuti. foliis aliquot similibus adnatis, sed sensim minoribus factis: in summis tenuibus virgulis, siue apophysibus eminent flores in vno orbiculo siue disco, complures simul farcti, quorum circumambientes maiores, medij minores, vnà cum staminibus è cæruleo diluto siue cæsio colore inalbicãt. longa radix in altũ descẽdit.

Circa decliues agrorum margines, ac subinde pratorum, multis passim locis gignitur.

Altera huic similis reperitur omnino paruula, omnibusq; partibus minor, & vix palmum 2.
alta, alioqui tum foliis, tum floribus respondens. In humidis pratis hanc reperiri quandoq; contingit.

Est & mediæ magnitudinis quædam, cuius folia oblonga, lata, hirsuta, inalbicant quoque, 3.
quàm prioris tamen minora multò, & nequaquam laciniata, sed ambitu tantummodo crenata: flosculi in orbiculatis discis siue calycibus aliatum similes. radix longa, tenuisque. In agris macro ac sterili solo potissimùm hæc frequentior.

Iam & quarta quædã est Scabiosa, sed peregrina Germaniæ: huius laciniata, mollia, lanu- 4.
ginosa, primæ similia folia, caulesq; non dissimiles, cubitales, & foliosi: orbiculi quoque discorum instar in fastigiis virgularum membranacea, aliquot acetabula complectentes, à qui-

Scabiosa vulgaris maior



Scabiosa minor.



Scabiosa media.



Scabiosa peregrina.



Stœbe ex Cod Cæsareo.



bus flosculi candicantes; quibus hirsutum, mediocriterque crassum semen subest. candida crassaque radix vti vulgaris Scabiosæ.

Huius verò & alia species, sola magnitudine differens, partibus singulis minor. flores huius ex cæruleo purpurei. Vtraque in Hispaniis iuxta semitas, viarumque margines exit. In Salmáticensi agro obseruatas à diligentiss. C. Clusio habemus. 5.

Vulgò Scabiosæ nomen accepit: existimatur à nonnullis ψώρα dici, quòd scabiei nomen est, & herbæ cuiusdam apud Aëtium. Sit autem Scabiosa, quæ ab Aetio Psora, cuius vstæ fumo arborum erucæ moriuntur non habeo, ait Hermolaus Barbarus, compertum.

Auctor Pandectarum Scabiosam apud Dioscoridem Stœben esse interpretatur: Stœben autem Dioscorides, sua ætate vulgaris notitiæ, nullis notis describit, Galenus verò lib. 1. de Antidotis, Herba, inquit, quædam apud nos inuenitur fruticosa, calida, acris valde, parumper aromata redolens, quam incolæ Colymbaden & Stœben appellant: ad præseruanda vina aptissimam. Videtur autem hæc Stœbe differens ab ea, cuius in lib. De medic. facult. meminit, (quæ eadem cum Dios.) habere etenim hanc tradit vim adstringentem mordacitatis expertem, qualis valde acris esse nequit.

Theophrastus lib. 1. ex fruticum numero eam facit, & folio esse ait carnoso: lib. verò VI. inter eas refert, quæ iuxta spinam folium habent, vt sunt Anonis, Tribulus, &c. Potest hæc illa esse, cuius Dios. meminit, à qua plurimum Scabiosa, quæ nequaquam spinosa, differens est, quæ neque etiam cum Colymbade conuenit, cùm vehementi acrimonia destituta sit.

Extat autem Stœbes spinosæ imago in vetere Cæsareæ bibliothecæ codice, quam hoc loco adiciendam putauimus, vt vel ex hac cognoscatur, quàm multum Stœbe & Scabiosa differant. Atque huiuscemodi spinosam Stœben nostra ætate reperiri est in Cypro atque Peloponneso, vulgò Morea, planis ac apricis locis: vnde aridam secum attulit doctissimus Bernardus Paludanus stirpium diligentissimus obseruator. *Stœbe ex Codice Cæsareo.*

Prior autem Scabiosa in Officinis nomen retinet, quibus notissima est: Germanis Fuchsio & Trago auctoribus Apostemkraut/ Postemenkraut/ & Grindtkraut: Italorum, Hispanorum, Gallorum, Belgarum, & Anglorum nomenclaturæ ad Latinum accedunt, Bohemis Kawias. 1.

Altera minor Scabiosa appellatur. 2.

Tertia à nonnullis Scarps scabiuse/ id est, ouilla Scabiosa nominatur. 3.

Quartam Hispani pro Scabiosa habere feruntur. 4.

Est autem Scabiosa calida quidem ac sicca secundo ordine satis intenso, ad tertium gradum accedens, & partium tenuium. Lentos ac crassos humores incidit, attenuat, & ad concoctionem perducit.

Pectus & pulmonem expurgat: confert aduersus veterem tussim, respirationis difficultatem, laterum dolores, & alia huiusmodi pectoris vitia. Vrinas eadem mouet, & per vesicam purulenta subinde expurgat; vbi videlicet intra corpus abscessus alicubi substiterit. Mederi scabiei decocto eius aliquot diebus bibito, & succo vnguentis permixto fertur aduersus serpentum morsus, & virulentorum ictus contusam, superpositamque, atque assumptam conducere Recentiores etiam affirmant. Succus sumptus sudores mouet; præsertim Theriacæ addita & pestilentes bubones quò discutit, si tempestiuè, & statim ipso initio detur, repetendum tamen remedium. prodesse verò aduersus omnes etiam pestilentes febres creditur.

De Succisa, siue Morsu Diaboli. CAP. IIII.

Succisa, siue Morsus Diaboli.



Iacea nigra.



AD Scabiosæ genus pertinet & Succisa: huic autem folia sunt lata, oblonga vti angustifoliæ Plantaginis, sed læuiora, & haudquaquã neruosa, ad margines nonnihil crenata. cauliculi pedem aut cubitum alti, in tres ramulos vt plurimũ distribuũtur, eminẽtibus in singulis, capitulis globosis, à quibus flosculi vel albi, vel e cæruleo purpurei radix crassa, breuis, ac veluti præmorsa, vel succisa fibris à lateribus adnatis, quibus firmatur.

Iuxta syluas ac agrorũ limites, locis haud cultis, in pratis quandoque, aut herbosis lætis exiguis colliculis gignitur.

Iulio & Augusto cum flore præcipuè reperitur, sed & prius legenda herba, aridæ siquidem haud infrequens est vsus.

Morsum Diaboli à præmorsa, vt apparet, radice appellatur vulgò. nugantur enim superstitiosi cacodæmonem huius radicem, ad multa vtilem futuram, inuidere hominibus, ideoq́ue illã morsu tollere. Fuchsius Succisam rectius appellare maluit. Germanis est Teuffels abbiß: Belgis Duyuels beet: Gallis *Mors du diable* Anglis Deuilles bit.

Amariuscula est herba, calido siccoq́ temperamento prædita, ad vtriusque secundũ ordinem intensum referenda. Aduersus diuturniores tonsillarum fauciumq́ tumores, qui ad suppurationem ægrè perueniunt, nulli secunda: adhærẽtem faucibus pituitam abstergit, digerit eadem, & discutit, tumoresq́ earum partium citò tollit, decocto in ore sæpius retento aut gargarizato, præsertim mellis rosacei exiguo addito.

Posse verò & quæcunque Scabiosa, fertur, & aduersus ictus virulentorum, venena, & pestilentes morbos non minus efficax: tusam & impositam pestilentes etiam bubones discutere: tum & decoctum eius si bibatur, vteri dolores lenire, flatusq́ue pellere.

De Iacea nigra, siue Aphyllanthe.
CAP. V.

IACEÆ cognomento nigræ folia oblonga, lata, vtroque margine incisa, aliquantulum hirsuta: caules foliosi, rotundi, duri, asperi, in alas fastigio diuisi, proferentibus singulis capitula conoide, squamulis multis exiguis foris apparentibus, veluti floris Cyani, è quibus pro floribus exeunt stamina tenuia complurima confarcta, coloris è purpura rubentis, rarò albidi. lignosa, dura, obliqua radix, non absque aliquot fibris.

In pratis, ac locis herbosis, negligentius cultis, tum & iuxta sepimenta agrorum ac pratorũ frequenter occurrit. Inter vitia pratorum censeri potest, ab hac etenim boues & iumenta abstinẽt, nec fœnum, cui admixta, pascuntur.

Iunio ac Iulio, non rarò & Augusto cum flore videtur.

Recentior ætas Iaceam cognominat nigram, & nigram quidem ad differentiã tricoloris Violæ,

læ, quæ & Iacea. Plerique Matrefillon voce (vt apparet) corrupta appellant: alij Stœbes speciem faciunt ad Scabiosas referri potest. Videtur quoque ἀφυλλανθὲς non temere dici, absq. folijs siquidem flos eius est, ex folijs densè confarctis staminibus constans, ex eo etenim Aphyllanthes nomen accepit, quòd ἄφυλλον ἄνθος, id est, flos absque folijs existat.

Calida est hæc ac sicca, sed non adeò vt Succisa siue Morsus diaboli: commendatur etiam ad faucium, tonsillarum, vuæque tumores, veluti Succisa, sed facultate ac potẽtia minor est.

De reliquis Aphyllanthis speciebus.

CAP. VI.

Aphyllanthes prima.



Aphyllanthes quarta.



SVNT verò & plures aliæ, quarum flores folijs carentes ex solis staminibus constant, quæ & Aphyllanthes nominari hac de caussa possunt.

Prima caules à radice complures, eosque ramosos, virentes, & nonnihil angulosos promit: 1.
folia & à radicibus & circum ramulos oblonga, & vtroque margine profundis ac frequentibus incisuris diuisa, virentia, læuia, ac nonnihil resplendentia. capitula veluti Iaceæ nigræ è squamulis compacta, aliquantulum asperiora: flores eleganter purpureos ex multis staminibus vti Iaceæ semen glabrum, superius vti Cyani barbatulum, sed maius. radix fibrosa est.

Altera huic similis, sed caules eius breuiores, capitula minora, & folia nigriora saturatiusq; 2.
virentia, squamulæ capitulorum asperiores & nonnihil spinosæ. flos purpureus è staminibus confarctus.

Tertiæ folia magis incisa, subalbida: capitula non spinosa. flos vt præcedentium. 3.

Quarta folijs tenuissimè dissectis ac laciniatis, prioribus similis, præsertim tertiæ: huius 4.
capitula ex squamis componuntur argenteo splendore relucentibus: flores etiam purpurei, ac veluti aliarum.

Gignuntur spontè in campis, secus vias, prope vites, locis haud cultis, & quidem in compluribus Europæ prouincijs, præsertim calidioribus.

Iunio ac Iulio in aruis florent: in hortis Belgij subinde serius.

Omnes hæ rectè Aphyllanthes quoque appellari (vt diximus) possunt, ex staminibus etenim flores tantummodo confarcti folijs destituuntur. Apud Veteres si nomen habuerunt, id ipsum nobis incognitum ingenuè fatemur. Stœbes genera esse non possunt, ad quam ple-

Sphæritis ex Cod. Cæsareo.

Sphæritis ex Codice Cæsareo.



Scordium.



rique nostræ ætatis docti referre conati sunt, ex eo falsi, quòd Scabiosa putata fuerit Stoebe, quam ab hac differentem esse, iam superius ostendimus, veluti & istæ sunt Aphyllanthes, spinis omnino carentes.

Ad has verò & referri posse videtur, nec fortassis temerè, cuius icon in Cæsareo codice extat Sphæritidis nomine, cuius capitulum istorum simile, nisi quod absque enatis staminibus depingatur. Nulla tamen Sphæritis à veteribus descripta reperitur, præter Cupressi, quæ idcirco hoc nominis obtinuit, quòd galbuli eius subinde sphęrę modo rotundi sint.

Cęterum Aphyllanthum facultates incompertæ sunt, nec etenim in Medicinæ vsum admittuntur, nec ad alimentorum materiam faciunt.

De Scordio. CAP. VII.

SCORDIO cauliculi complures exeunt angulosi, articulati, non in altum assurgentes, sed humi procumbentes, ac proserpentes. Folia è singulis geniculis bina, rotundis longiora, maiora quam Chamædryos, ambitu serrata, quæ vnà cum cauliculis mollia, hirsuta, inalbicantia Allium redolent. e sinu foliorum rubentes exeunt flosculi, minores quàm Lamij, alioqui forma haud dissimiles, ramulorum partes occupantes superiores. radix fibrosa sub terra serpit.

Nascitur locis palustribus, secus scrobes, ac fossas aquas habentes: ad hortos translatum locis vmbrosis ac humentibus facilè adolescit.

Iunio ac Iulio flores apparent: Augusto mense legere herbam expedit: hyeme perit: æstate redit, radice restibili.

Σκόρδιον Græci appellant. Latini nomen retinent, nec alia Officinis nomina Sunt qui Trixaginem palustrem vocant: item & *μιθριδάτιον*, ab inuentore Mithridate: Scordij nomen accepit ab odore Allij, quod Gręcis *σκόροδον* dicitur, & *δύσοσμον* ab odoris grauitate: Germanis Wasser battenig: Gallis *Scordeon*: Italis *Chalamandrina palustre.*

Calfaciendi ac resiccandi vim habet: sapore amarum, acerbum, ac acre quid obtinet, vt testatur Galenus. Viscera interna expurgat & similiter vetusta externa vlcera addito melle. Vrinam & menses prouocat: crassa & purulenta è pectore educit: facit ad veterem tussim, laterum dolores ab obstructione & frigore natos: præterea & ad rupta & conuulsa. Aridum cum vino decoctum contra serpentum morsus, & lethalia venena bibitur. Miscetur & antidotis. Fertur & podagricos lenire dolores cum aceto aut aqua impositum: Sunt & qui affirment crudas carnes inter huius folia incorruptas aliquamdiu seruari posse.


De

De Semperuiuo, siue Sedo maiore. CAP. VIII.

Semperuiuum siue Sedum arborescens maius.



Semperuiuum maius alterum, siue Iouis barba.



SEMPERVIVI Dios. tria sunt genera, Maius, Minus, & tertium, quod Illecebra voca-
tur. Maioris vnum arborescens dicitur, alterum Barbæ Iouis nomen accepit.
Primum maius Semperuiuum, aborescens cognominatum, caulem profert cubito altio- 1.
rem, subinde bicubitalem, crassum, durum, lignosum, lentum, & frangi contumacem, in ra-
mulos nonnullos diuisum, cortice crasso & carnoso circumuestitum, foliorumq; quæ deflu-
xerunt inferius quidem vestigia quædam retinentem, veluti Tithymali Characiæ primi cau-
lis medius vmbelliferus. folia pinguia, carnosa, succi plena, pollicis lati longitudine, linguis
similia, per margines tenuissime crenata, cauliculorum fastigia ambiût, oculi effigiem æmu-
lantia. flores è cauliculis enascuntur in multos tenues pediculos diuisis, tenues, lutei, stellati.
succedit semẽ perquã exiguum pediculis marcescentibus. radix subest in propagines diuisa.
Viret hæc stirps perpetuò, nec hyemis iniuria in natiuo solo afficitur, vnde illi ἀείζωον ac
Semperuiuo nomen.
Proximum Semperuiuum (quod Iouis barbam vulgò appellant) folia edit terræ ac radici- 2.
bus proxima, crassa, pinguia, lenti succi plena, acuminata, densa, & in orbem ad effigiem ocu-
li disposita, atque huiusmodi orbiculos complures proferens, latè ac in amplitudine sese dif-
fundit. non rarò & tenues fibras emittit, quibus latius serpat, atque nouos orbiculos progi-
gnat. assurgit quandoque in medio horum caulis erectus, pedem (plus minus) altus, foliis sen-
sim attenuatis communitus, in alas quasdam circa fastigium effusus, circa quas flores obscu-
rè purpurascentes ordine digesti. radix subest fibrosa.
Huius generis & alterum quoddã, cuius orbiculi magnitudine quidem superioris respon- B.
dent, sed foliis minoribus, frequentioribus, ac densioribus, secundum margines tenuissimis
veluti pilis, instar mollium spinularum adnatis. Viret istud paulò saturatius: caulis breuior: &
flores e luteo pallescunt.
Est & tertium huc referendum, cuius folia in virore candicant, & ambitu tenuissimè ser- C.
rata apparent.
Item & quartum, cuius minores sunt orbiculi: folia verò acuminata, densissima, cacumine D.
obscurè rubentia, & marginibus hirsuta: flores in breuibus caulibus eleganter purpurei.

1. Primum maius Semperuiuum in plurimis Orientis ac Græciæ prouinciis, tum & maris Mediterranei insulis, Creta, quæ modò Candia, Rhodo, Zacintho, & aliis sponte natum in ædium tectis, vetustis parietibus, ac similibus locis reperitur, nec destituitur eo Hispania, nam C. Clusio teste, in Lusitaniæ regno crebrò occurrit: alibi in fictilibus alitur. In frigidis ac Septentrioni subiectis prouinciis, vt in Germania ac Belgio, nec sponte nascitur, nec studiosè, ac diligentius excultum diutine durat, sed cæli inclementia, ac hyemis nimio rigore extinguitur.

2. Alterum non modò Italiæ, verùm & Galliæ, Germaniæ, Bohemiæ, ac Belgio satis est familiare. Locis in montibus petrosis, veteribus muris, ac ædificiorum vetustis præsertim tectis gaudet. Variat autem huius forma pro soli genio: quibusdam siquidem locis angustiora, minoraq́, sed plura, vnius orbiculi sunt folia: aliis pauciora, crassiora, latioraq́;. virent & saturatius alicubi alibi verò dilutius Nam quas descripsimus non vno loco, sed situ differentibus gignuntur, has autem in elegantissimum hortum Clariss. Iohannis Aiyckholtzij Doctoris Medici ac professoris Viennensis translatas, quandoque videre contigit.

1. Primo anni tempore mox post hybernum Solstitium Semperuiuum, quod arborescens cognominatur, in Lusitania floret.

2. Alterius caulis floriferus post Solstitium æstiuum, subinde circa Augustum mensem demum assurgit, sed Aprili, post vernum videlicet æquinoctium, inter folia tenues hinc exeunt fibræ orbiculorum rudimenta proferentes, quibus tandem adauctis seipsam in complures orbiculos multiplicat.

1. Primum haud dubiè Diosc. est Α'είζωον μέγα, id est, Semperuiuũ magnum, aut Sedũ maius: Apuleius Vitalem ac Semperflorium appellat. Dicitur ζωόφθαλμον, στεργηθρον, ἀειθαλὲς.

2. Alterum vulgò, ac in Officinis Iouis barba. Germanis Hauszwurtz/ Grosz donderbaer: Belgis Donderbaert: Hollandis Huysloock: Gallis *Ioubarbe*: Italis *Semprevivo maggiore*. Hispanis *Siempreuiua, yerua puntera* Anglis Houseleke: Bohemis Netresk. Cotyledonem alteram Diosc. esse non pauci existimant: nos maluimus inter Semperuiua retinere, nam & perpetuò viret ac viget, hyemisque iniuria non facile afficitur.

Aeizoa, siue Semperuiua maiora refrigerandi vim obtinent, & quidem tertio gradu: desiccant verò eadem, sed leuiter, abundante in eis essentia aquea. Prosunt ad erysipelata, herpetas, & à fluxione natas, vt Gal. ait, inflammationes, & quidem oculorum, vt Dioscorides, epiphoris, inquit Plinius, medentur folia imposita, vel succus inunctus. Conferunt verò & ad ambusta, & podagras per se, vel cum polenta imposita. Dari diarrhœa laborantibus Dioscoridis est, & teretes lumbricos cum vino pota excutere. Succus in pesso subditus muliebres ex caussa calida fluxiones sistit: folia in ardentibus febribus in ore retenta sitim sedát.

De Semperuiuo minore. CAP. IX.

MINORIS Semperuiui duo quoque sunt genera.

1. Primum horum exigua est herbula, multis tenuibus pediculis humi repens, quos complurima crassa, succulenta, parua, oblonga, acuminata folia conuestiunt, è viridi ad cæruleum inclinantia. surgunt inter hæc coliculi palmum alti, fastigio veluti vmbellam promentes, atque in his flosculos luteos. subest fibrosa radix.

2. Alterum minus Semperuiuum & parua quoque est stirps, plures producens cauliculos tenues, palmum rarò excedentes, in quorum fastigiis, in laxioribus exiguis vmbellis, flosculi forma præcedentis, sed albidi & aliquanto minores: folia circa cauliculos pauca, parua quidem, sed oblonga, retusa, & teretia, Tritici granis maiora, nucleis è strobilis nucum pinearum repurgatis aliquanto minora, alioqui haud dissimilia, quæ subinde vnà cum cauliculis subrubent. radix in terræ superficie serpens, fibras tenues deorsum demittit.

1. Quod horum prius, Belgis hortense est: alibi in parietinis nasci fertur.

2. Alterum passim in veteribus muris; circa aggeres, sepimenta agrorum, locis apricis exit.

Vtrumque mensibus æstiuis flores promit.

1. Minus genus ἀείζωον μικρὸν Græcis: Latinis Sedum & Semperuiuum minus appellatur: à nonnullis βρύτυον θεοβρότιον, Ceraunia, Vitalis: Germanis Kleyn donderbaer/ & Kleyn hauszwurtz: Italis *Semperuiuo minore*: Gallis *Tricque Madame*: Anglis Prickmadam.

2. Huius alterum genus Officinæ Crassulam nominant minorem, & minoris quidem cognomen addunt, ad differentiam alterius appellatæ Crassulæ, quæ ex genere est Telephij. Dicitur & Vermicularis: Italis *Pignola, Granellosa, & Grasella*. Belgis Bladerloosen.

Minora Semperuiua refrigerantem quoque facultatem & maioribus similem obtinent, & ad

Semperuiuum minus primum.




Semperuiuum minus alterum.



& ad eadem valent. Primum verò horum inter acetaria multis locis recipitur, in quibus & sapit, & palato gratum: æstuanti ventriculo confert.

De Illecebra, siue Semperuiuo tertio. CAP. X.

Illecebra, siue Semperuiuum tertium.



HVMILIS ac exigua hæc herba est. cauliculi eius tenues ac breues: foliola circa hos frequentia, perpusilla, crassa, & acuminata, succi plena: flosculi in summo eminent paruuli, lutei: fibrosæ radiculæ.

In locis petrosis, aridis, & in veterum murorum rimis vbique nascitur: perpetuò viret, nec temerè idcirco inter Semperuiua refertur.

Æstiuis mensibus cum floribus reperitur.

Dioscoridis tertium istud est Semperuiuum, quod à Græcis ἀνδράχνην ἀγρίαν & τηλέφιον appellari: à Romanis verò Illecebram tradit. Plinius etiam Latinis Illecebram dici testatur. Est tamen & alia ἀνδράχνη ἀγρία, & aliud τηλέφιον. Germani hanc Mauerpfeffer appellant, & Katzentreuble: Galli *Pain d'oiseau*: Belgę Muerpeper: Angli stone crop, & stone hore.

Suspicantur tamen nonnulli non esse istud Diosc. tertium Semperuiuum, quòd illi folia desint Portulacæ. Sed Diosc. hoc non Portulacæ esse folio, sed ad illius crassitiem tantùm accedere folia refert: παχύτερα, ait, τὰ φυλλάρια πρὸς τὰ τῆς ἀνδράχνης.

Acris autem ac vehementer excalfaciens est herbula ista. Foris admota rubificat, vesicas excitat, ac tandem exulcerat.

Strumas, inquit Diosc. cũ axungia imposita discutit. Succus huius cũ aceto, vel alio liquore extractus vomitum mouet, & crassos, pituitosos, ac biliosos humores educit; & subinde ita à quartanis, aut aliis diuturniorib. febrib. liberat. aduersus assũpta venena & hoc modo cõfert.

De

De Telephio. CAP. XI.

Telephium primum.



Telephium alterum siue Crassula.



Telephium tertium.



TELEPHII vnius Diosc. tantummodo mentionem fecit: accedunt verò alia duo posterioris obseruationis.

1. Primum Telephium caules emittit rotundos, crassos, glabros, veluti genicula habentes, circa radicem subinde rubentes: folia similiter crassa, læuia, carnosa, lento succo plena, ambitu subinde leuiter incisa, latioris folij Portulacę maiora, alioqui haud multum absimilia, è singulis articulis bina sibi mutuò opposita, caulem alterno ordine conuestientia. Flores in vmbellis ex luteo pallet. radix in multas extuberat veluti oblongiores glandes sensim attenuatas, candidas, fibris etiam adnatis.

2. Alterum, quod Crassulam vulgò vocant, caulibus similiter compluribus assurgit rotundis, læuibus, sed haudquaquam articulatis. folia carnosa, crassa, lata, & ambitu nonnihil quandoque crenata, minora quàm superioris, nullo ordine digesta: flosculi aut rubent, aut lutei sunt, aut etiam inalbicant: radix candida, carnosa, ac nodosa. Viuax admodum stirps est, vel luto solo impositi cauliculi diutinè virent, & si subinde rigentur, etiam augmentum capiunt.

3. Tertium Telephium humilius est, ac minus quàm priora: tenues eius cauliculi plurima parte humi procumbunt: folia quoque minora, rotundiora,

diora, è cæruleo magis virentia, carnosa, inferius crebriora, superius rariora, incerto ordine disposita. flosculi in vmbellis fastigia occupantibus e purpurascente cæruleo pallent. radices huius haud nodosæ, aut tuberosæ, sed fibris capillatæ.

Loca vmbrosa, petrosa, veteres muros, ac parietes amant. Oribasius in vineis & cultis nasci ait.

Primum in Hispania, cùm & superiore Pannonia subinde reperitur, nec eo Germania destituitur. Ad Rheni enim ripam iuxta vineta, locis asperis, & petrosis repertum, ab eo, quod in Hispania, nullatenus differens. 1.

Alterum in Germania vtraque, Gallia, Bohemia, & alibi circa vites, in veteribus muris, parietibus, etiam luteis ac cratitiis, satis frequens. 2.

Tertium rarius est. hortis apud Belgas & alibi, familiare. 3.

Circa Augustum, vel prius Telephia florent.

Primum, quod Græcis τηλέφιον, & ἀείζωον ἄγριον dicitur, Latinis Telephium & Semperuiuũ syluestre, & Illecebra, sed ab acri & excalfaciente Illecebra, de qua Cap. superiore, multum differt. Sunt & qui ἀνδράχνην, siue Portulacam syluestrem appellant: est tamen & alia syluestris Portulaca hortensi similis, sed minor.

Alterum genus Telephij quoq; species est. Crassulam, & Crassulam Fabariam hanc Officinæ vocãt, ac Crassulam maiorem, ad differẽtiam eius, quæ Cap. de Semperuiuo minore descripta est, itẽ & Fabariã: Germani Wundkraut/knabenkraut/fotzwang/& fotzwein: Itali *Faba grassa*: Galli *Ioubarbe des vignes, feue espesse*. Belgæ Smeerwortele/& hemel sluetel. Angli Orpyne.

Tertium genus vt paucis cognitum, ita nec nomen inuenit, nisi quòd pleriq; Telephium semperuiuum vocent, aliorum enim caules hyeme pereunt, radice restibili, huius verò & caules & folia hyemis inclementiam superant.

Frigida autem Telephia, & cum essentiæ tenuitate resiccantis facultatis.


Dioscorides vitiliginem albam, Galenus vtramque, cum aceto impositam sanare ait, quòd abstergendo præstat, vnde calidam ei facultatem tribuit Galenus, repugnante tamen gustabili qualitate, quæ non modò primum, sed & duo reliqua frigida esse ostendit. Abstergere autem possunt & quæ frigida, si siccitas adsit temperamenti, & essentiæ tenuitas. *Gal. notatur.*

De Cotyledone. CAP. XII.

Cotyledon.




Cotyledon altera.



COTY-

Sedum ferratum.

1.



2.

COTYLEDONES Dioſcoridi duæ deſcribuntur.

Priori Cotyledoni folia ſunt longa, carnoſa, ſucci plena, lęuia, orbiculatà, ambitu nihil aut parum crenata, breui pediculo ſui ferè centro inſidentia, quæ acetabuli figura modicè concaua apparent, & colore virent, aliquando tamen in natali ſolo purpuraſcentia. caulis inter hæc aſſurgit dodrantali breuior, in alas ſubinde diuiſus, circa quas floſculi exigui albicantes, aut dilute admodum purpurei. tuberoſa exigui bulbi inſtar ſubeſt candida radix, ex qua fibræ aliquot depēdent.

In ſaxis & veterum ædificiorū parietibus naſci gaudet: In Hetruria, ac alibi in Italia, in Galliæ Prouincia, ſed & in Britannia quoque reperitur, quod tamen ab Italico nonnihil differens eſt.

Viret ac viget præcipuè hyeme, initio æſtatis floret, ac ſemen minutiſſimum facit, deinde marceſcit, radice perenni.

Altera huius ſpecies à ſuperiore forma multū differt, ad Semperuiui ſecundi, ſiue Barbæ Iouis ſimilitudinem magis accedens: folia eius craſſa, pinguia, ſucculenta, longiuſcula, & veluti exiguas linguas imitātia, orbiculariter vt Barbę Iouis modo digeſta, è quorum veluti centro tenuis pediculus aſſurgit, flores proferens albicantes. radices fibroſæ ſunt.

Ad montium rupes & ſaxoſa gignitur: In Pannonia ac Italia ſubinde occurrit.

3. Ad Cotyledonem à recentioribus refertur, quod Aeizoon ſiue Semperuiuum ferratum Valerius Cordus appellat. Craſſa & numeroſa huic ſunt, ſucci quoque plena, foliola, quæ circulari ambitu globum veluti oculi conſtituentes, Barbę Iouis & Cotyledonis alterius modo, multo tamen minora, & vndique ſerræ modo minutim inciſa; è quorum medio caulis exit tenuis, rectus, dodrantalis, floſculos cacumine proferens Craſſulæ minoris æmulos, colore ſępius albidos abſque notis, quandoque rubentibus punctulis diſtinctos. radicibus firmatur paucis & tenuiſſimis.

In altiſſimis petris, humido muſco ſubinde obductis, naſcitur.

1. Quæ Gręcis *κοτυληδὼν*, Latinis Vmbilicus Veneris dicitur, & Acetabulū, à nonnullis Herba coxendicum: Iacobus Manlius Scatum cæli, & Scatellum appellat: Belgis Nauelcruyt: Italis *Cupertoiule & Ombilico di Venere* Gallis *Eſcuelles* Hiſpanis *Capadella, Scudetes*: Inter nothas appellationes & hæc extant nomina, *κῆπος ἀφροδίτης*, id eſt, hortus Veneris. *γῆς ὀμφαλὸς*, terræ vmbilicus, *σίχις, σέργηθρον*.

2. Altera Cotyledon à nonnullis *κυμβάλιον* appellatur.

3. Minorem illam recentiores ad Sedi referunt genera, & Sedum ſerratum nuncupant.

Cotyledon prior humidæ ac ſubfrigidæ eſt ſubſtantiæ, & cuiuſdam obſcure adſtringentis. Refrigerat, repercutit, abſtergit, ac diſcutit: auctore Galeno. Inflammationes eryſipelatodas, & eryſipelata phlegmonode curat impoſita: ad æſtuantem ardore ſtomachum vtilis eſt. feruntur & folia cum radice manducata calculos confringere, & vrinas mouere.

Cotyledon altera ac tertia ſerrata, faciunt ad eadem, ad quæ Semperuiuum.

De Cotyledone paluſtri. CAP. XIII.


EST verò & præter ſuperiores alia Cotyledon, tenues hæc promit viticulas proſerpentes, ac ſubinde terræ adhæreſcentes, à quibus folia rotunda, & aliquantulum acetabuli in modum leuiter concaua, exiguoque pediculo medio ſui, vti alterius, inſidentia, ſed planè tenuia, minora, nigrioraque quàm legitimæ: floſculi perpuſilli, albidi ſub foliis viſuntur. fibræ tenues pro radicibus ſunt.

Paluſtribus locis inuenitur, & præſertim humidioribus, & quæ frequentius hybernis menſibus rigantur.

Iulio menſe apud Belgas reperiri cum flore poteſt.

Vmbilicum Veneris Officinæ inferioris Germaniæ nominant: Cotyledon paluſtris dici poteſt.

Cotyledon palustris.



potest. Errant autem non parum Pharmacopœi, qui hanc loco legitimæ ac veræ Cotyledonis vnguento ex Populo nigra aut aliis admiscent. *Error Officinarum.*

Calidam esse hanc Cotyledonem gustabilis eius qualitas aliquantulum acris ostendit. Proinde non solum forma, sed & facultate & viribus a vera differens est.

De Sophia. CAP. XIIII.

SOPHIA caules promit cubitales, rotundos, duros: folia verò circa hos ampla, sed tenuissimè in complurima exigua segmenta diuisa, Absinthij tenuifolij haud multum dissimilia, sed tamen tenuiora, & ad Coriandri tenuissima accedentia, colore albida. Flosculi ad superiores virgularum partes ordine digesti gignuntur exigui, pallide lutei, paruæ, tenues, oblongæ succedunt siliquæ, in quibus minuta semina subrubentia. dura, ac lignosa, candidaque demittitur in altum radix, nonnullis adhærescentibus fibris.

Sophia.



In veteribus maceriis, locis ruderatis, lapidosis, ac non rarò arenosis, ac aliis incultis exit, vbi semel nata singulis facile recurrit annis.

A Iunio in Autumnum vsque, & quidem particulatim, floret: semen interea perficit.

Recentior ætas Sophiam appellat: Germani Welsamez/Sophiekraut: Belgis Fiecruyt. Falluntur insigniter qui Seriphium nominant, quod Marini Absinthij nomen, nam cum Absinthio nihil commune, præter foliorum similitudinem quandam, habet: sapor & facultas multum differentes sunt. Videtur aliquo modo cum Thalietro conuenire; respondet caulis grauеolentis Rutæ non dissimilis, nec folia repugnant, nisi Coriandrinis forent multò tenuiora pro Thalietro autem, alias superius stirpes ostendimus.

Cęterum facultate Sophia reficcans & adstringens est, & particeps alicuius frigiditatis.

Semen huius assumptum ventris fluores sistit: aduersus dysenterias commendatur: sanguinis profluuia reprimit.

De Symphyto maiore. CAP. XV.


SYMPHYTI istius caulis angulosus, crassus, & vt Sonchi inanis, ad duos ferè cubitos attollitur. folia tum à radice prodeuntia, tum & iuxta caules ampla, longa, lata, aspera, pungenteque lanugine, nonnihil hirsuta, attactuque pruriginem excitantia, vulgò dictæ Boraginis colore & asperitate satis similia; cæterùm longiora, magna & acuminata veluti Enulæ campanæ. ex caulium alis flores ordine dispositi apparent oblongi, intus caui, colore albidi, aut dilutè rubentes, rarò lutei, subsequente semine nigro. oblonga & crassa radix, foris nigra, interius albida, succo glutinosa, in qua vis consistit medica.

Huius altera reperitur species, radice quoque exterius nigra, intusque candida, sed tuberosa, cuius folia minora, caules breuiores, flores subinde lutei. 2.

Riguos secessus, læta & pinguia prata amat Symphytum, nec ab hortis abhorret, ac aliis humentibus locis.

Iunio ac Iulio mẽsibus flores in vigore sunt: radix quouis anni tẽpote cõmodè legi potest.

Symphytum magnum.



Symphytum tuberosum.



Σύμφυτον Græci appellant; item & πηκτὸν: Latini Symphytum & Solidaginem: Officinæ Consolidam maiorem, & Symphytum maius. Scribonius Largus Inulam rusticam, & Alum Gallicam, alij Osteocollon: Germanis Walwurtz / Schmerwurtz / Schwartzwurtz / Schartwurtz / Beinwellen: Belgis Waelwortele: Italis *Consolida maggiore*: Hispanis *Suelda maior*, & *Consuelda maior*: Gallis *Consyre & oreille d'asne*: Anglis Confrey: Bohemis Swalnyk & Czernohlawek.

Superat autem in Symphyti radice frigida temperies, sed tamen exigua, adest humiditas viscosa, ac glutinans: Hæc nequaquam pruritum excitat, nec gustu acris aut mordax, sed ἄποιος, siue exqualis, & qualitatis gustabilis expers, tantum abest vt cum Scillæ acri viscositate huius humiditas lenta ac glutinosa conferri queat. folia pruritum excitare possunt, non caliditate aut acrimonia, sed asperitate sua, vt iam scripsimus, minus tamen quam Vrticæ.

Ad multa radix vtilis est: vulnera & enterocelas recentes imposita sanat: ad sanguinis cum tussi sputationem ac profusionem, & contra pulmonis vlcera multum prodest.

Paratur in hunc vsum & ex ea Serapium, quod sanguinis fluores sistit: recentia pulmonis vlcera consolidat: tussim sedat: febrium calores contemperat: humorum defluentium acrimoniam retundit, cuius descriptio hæc est.

Serapium ex Symphyto. ℞. Radicum Symphyti maioris vncias duas, dulcis radicis vnciam vnam, foliorum tussilaginis vnà cum radicibus manipulos duos, nucleorum nucum pinearum sesquiunciam, Zizipha xx. seminis maluæ drachmas duas, capitum papaueris drachmam vnam, fiat decoctio in aqua quantum satis est ad libram vnam: Colato addantur sacchari & mellis albissimorum singulorum vnciæ sex, & fiat Serapium perfectè decoctum.


Eadem quoque radix renum vlcera etiam diuturna curat, & profluentem ex his sanguinem sistit: tum & superfluentes quoque muliebres purgationes supprimit, si vel decoctum eius bibatur, vel ipsa cũ saccharo, aut melle cõdita, singulis cõtinuis aliquot diebus assumatur.

Ad omnium quoq; reliquorum viscerum, ac internarum partium læsiones, & ad rupta vnicè commendatur. Tanta autem consolidandi huius vis est, vt vna cum carnibus crudis in partes concisis cocta, eas simul cogat ac vniat. Aduersus etiam sedis inflammationes conducit, & nimium profluentes hæmorrhoides imposita reprimit.

De

De Symphyto maculoso. CAP. XVI.

Symphytum maculosum.



REFERT istud Symphytum satis antecedẽs siue maius Symphytum, sed caules eius breuiores, dodrantales tantum folia minora, aspera, & hirsuta, in quibus vt plurimum albicantes apparent exiguæ maculæ, quanquam & absq; maculis nonnullis videntur locis: flores forma haud dissimiles, tubi initio, hiantes verò ac patentes è cæruleo purpurei. nigricans radix dura est, per obliquum descendit, fibris adhærentibus concoloribus.

Loca amat opaca, & riguos tractus. Reperitur & in collibus vmbrosis, & in Bohemia quidẽ foliis haud macularis. In hortis facile adolescit.

Primo vere erumpit; mox florifera est: pereũt Autumno folia. radix perennat.

Pulmonariam & Pulmonalem Herbarij appellant. Cordus Symphytum syluestre, cùm verò & aliud syluestre sua natura sit, rectius Symphytum maculosum aut maculatũ dici poterit: Germanis Lungenkraut: Belgis Onser vrowen melck cruijt / & Longencruijt: Differt non parum à Pulmonaria, de qua inter Musci genera.

Ceterùm facultate hoc Symphytum priori responderet, si radix huius viscosa; verùm quandoquidem dura ac lignosa, siccior huius qualitas & magis adstringens.

Foliorum in oleribus vsus est. Putantur verò & ad Pulmonis vitia ac vlcera huius quoque radices conferre, & idem, quod maioris Symphyti posse.

Bugula.



De Bugula. CAP. XVII.

BVGVLÆ folia sunt latiuscula, oblonga, maiora quàm Origani, mollia, ambitu nonnihil incisa, & inferiore parte, in saxosis quidem & apricis, aliquatenus purpurascẽtia. caules quadrangulares, modice hirsuti, inanes, geminatis, exque aduerso positis foliis cõuestiuntur, & partim humi decumbentes serpunt, partim verò assurgentes supra dodrantem attolluntur. flores hosce ponè folia ambiũt & fastigium petunt colore cærulei. radices multis fibris constant.

Saxosis, non raro quoque humidioribus, frequentius apricis & apertis, quàm opacis locis gignitur: trãslata ad hortos luxuriat. compluribus regionibus familiaris.

Aprili ac posterius cum flore reperiri potest.

Inter appellatas Solidagines siue Consolidas à recentioribus numeratur. Consolida media à quibusdam horum dicitur. Germanis est Guntzel & Golde guntzel. Belgis Senegroen / ingroen: Officinis nostratibus Bugula: Ruellius Buglum nominari à Gallis refert: Matthiolus Laurẽtinam, & à Senensibus Morandolã dici auctor est. Sunt qui existiment Symphyti illud genus esse, quod à Diosc. πετραῖον cognominatur. Verum hi non parum falluntur. Symphytum siquidem petræum ramulos tenues habet, Origani similes: capitula

verò veluti Thymi,& totum lignosum ac odoratum est. at talis quidem nõ est Bugula, quæ nec lignosa,nec odorata,& caules promit differentes ab Origani,& capitula nequaquam habet Thymi æmula.

Calidi temperamenti admodum exigui particeps est: resiccat verò manifestè cum nõnulla adstrictione. Commendatur ad dirupta,tracta, conuulsa, cæsaque, idcirco & potionibus, quæ vulnerariæ dicuntur,additur,in quibus tanta eius facultas prædicatur, vt sanguiné concretum resoluere,ac discutere valear. Ruellius in Gallia vulgo dici refert, eum vulnerario Medico, aut Chirurgi opera nõ egere,qui Bugulam & Saniculam habuerit: Nec enim sumpta tantummodo vulneribus medentur, sed & ipsis sotis imposita.

Ad iocinoris verò languores eadem confert,nam prçterquam quòd obstructiones apenat, viscera etiam ipsa roborat.

Vsus quoque eius ad vlcera maligna,præsertim pudendorum , quibus succus prodest crebrò infusus, si deinde herba contusa superimponatur: ad intertrigines eodem etiam modo conducit.

De Brunella. CAP. XVIII.

Brunella



Brunellæ altera icon.



CAVLES Brunellæ tenues sunt, quadrangulares, hirsuti, terram versus reclinati, per se etenim consistere nequeunt: folia lata,oblonga,acuminata, Menthæ æmula, sed minora,hirsutie tenui asperiuscula,& haudquaquam odorata: in ramulorum fastigiis flores spicati è cæruleo obscurè purpurei,rarò albidi. radices tenues in fibras abeunt multis veluti capillamentis cohærentes.

Incultis & lapidosis,non rarò verò & herbosis Brunella gignitur locis, veluti secus margines pratorum: reperitur & quandoque in syluis.

A Maio mense in Autumnum vsque cum flore colligi potest.

Recentiores Brunellam & Prunellam appellant: Germani Braunellenn: Belgæ Brunelle. Matthiolus Cõsolidam minorem,& Solidaginem minorem: Ruellius verò Bellidem Consolidam minorem dici affirmat. Non est quoque Symphytum petræum, vt nonnullis visum: nam nec odorata nec lignosa est.

Calidam ac siccam esse, sapor eius modicè amarus ostendit,& nonnihil abstergentem.

Eadem quæ Bugula posse fertur: commendatur tamen & ad oris vitia, & præsertim ad linguæ

linguæ cum tumore nonnullo exasperationem, nigredinem, & siccitatem. malum id est castrense, Germani De braun appellant, quod citra febrim continuam & mentis nonnullam perturbationem non superuenit. huic Brunellæ ex aqua decoctum, post sanguinis è venis sub lingua detractionem, præsidio est, sæpius ore linguaque cloris, addito quandoque aceti momento, aut exiguo mellis rosacei. De braun.

Existimatur malum Veteribus incognitum, sed tamen si conferatur cum eo quod à Paulo Æginera lib. 3. Erysipelas cerebri dicitur, haud multum differens (si non idem) videbitur. Tundi & venas sub lingua Paulus præcipit, quéadmodum in Germanis appellato De braun/ qui castra sequuntur, faciunt. Erysipelas cerebri.

De Caryophyllata. CAP. XIX.

Caryophyllata.



Caryophyllata montana.



CARYOPHYLLATÆ vt plurimum tripartita, subaspera, hirsuta veluti Agrimoniæ, sed nigriora, durioraque, ambitu quoque serrata folia in longis hærent pediculis, quibus & duo minuta quandoque subsunt: caules subinde cubitales, vel altiores, tenues, in ramulos finduntur, in quorum fastigiis flosculi lutei, Pentaphylli aut Tormentillæ similes, capitulo succedente aspero, ex multis acinulis cumulatis stipato; per maturitatem vestitui adhærescentibus. radix multis capillamentis subruffis fibrata Caryophyllum odore refert. 1.

Nascitur secus vias, agrorum & hortorum sepimenta: gaudet magis opacis ac vmbrosis, quàm parentibus aut apricis.

Huius generis & montana quædam est: folia cuius crassiora, maiora, asperiora, hirsutioraque, non trifida, sed rotundiora, per ambitum crenata, quæ & longis insident pediculis, circa quos exigua veluti foliola adnascuntur. caules tenues quoque, sed haud ramosi, geniculati, vnicum proferunt florem, quàm superioris maiorem, & ex pluribus foliolis commissum, aureo colore luteum, post quem pinnatus orbiculus succedit. radix subest longa, obliqua, crassiuscula, fibris capillata paucioribus. odore & hæc Caryophyllo similis. 2.

In altis montibus reperitur, ac densis syluis, non modò apud Bohemos, verùm & in Normandia, Britannia, ac alibi.

Vtraque Maio, Iunio, ac etiam serius floret.

Caryophyllata ab odore Caryophyllorum, quem radices præ se ferunt, nomen accepit. 1.

Dicitur & à nonnullis Sanamunda, & Herba benedicta, ac etiam à quibusdam Nardus rustica. Germanis Benedicten wurtz: Brabantis Caryophyllate: Gallis *Galiot.* Anglis Auens. Geum esse Plinij (quod plerique suspicantur) in tanta ipsius breuitate affirmari nequit. Geum, inquit Plinius lib. xxvi. cap vii. radiculas tenues habet, nigras, beneolentes.

2\. Altera species Caryophyllata montana à recentioribus appellatur. Cum Baccharis descriptione conuenire posset, si flores purpurei, & subalbicantes essent, qui, modo vt diximus, lutei, folia quidem satis respondent, maiora & asperiora quam Violæ nigræ, quæ propriè *Ιον* & Viola: cauliculi licet cubitales non sint, geniculis tamen articulantur: pediculi foliorum adnata quædam foliola exigua habent: fibræ radicum Caryophyllos redolent. Baccharis autem fibrosa radix Cinamomi odore.

Cinamomum. Caryophyllorum autem ac Cinamomi idem odor, siquidem sarmenta ac virgulta illa tenuia, quæ cum Caryophyllis inferuntur, legitimum sunt Cinamomum. quod nec abs re, nec temere suspicari licet, Dioscorides etenim Cinamomum graciles ramulos, & tenuia testatur esse virgulta, nigra, & geniculata, qualia omnino sunt lignosa illa virgulta, quæ vna cum Caryophyllis adferuntur, & in quibus Caryophylli ipsi nascuntur, quæ Caryophyllos odore ac sapore referunt, ipsis tamen infirmiores ac minus præstantes. vnde Caryophyllis in ipsorum locum succedentibus, neglectum habita, ad legitimas Cinamomi notas non fuerunt hæc virgulta expensa.

Proinde radices, quæ Caryophyllos redolent, odore Cinamomum referre rectè affirmantur: non obstat idcirco radicum odor quò minus Caryophyllata altera, Baccharis sit: florum tantùmodo color, vt diximus, aduersatur. Baccharis autē descriptio Pemp. 2. lib 4 requirēda.

Cæterum Caryophyllatæ radices & folia haud obscure resiccantem habent facultatem, & nonnihil calfacientem vna cum expurgandi potentia. Ad ventriculi cruditates, coli labores, venenatorumque morsus decoctum horum commendatur. Prodest idem & ad lateris dolores, tum ad iocinoris obstructiones: crudos humores concoquit: visceribus inhærentia expurgat, & flatus discutit, præsertim ex vino. sanguinem quoque alicubi intenus cōcretum, hoc modo folia aut radices sumptæ, resoluunt atque discutiunt, idcirco & potionibus admiscentur, quæ cæsis, ruptis, atque ex alto delapsis propinantur. Colluuntur & decocto haud inutiliter cum recentia, tum & vetera vulnera.

Radices resiccatæ, ac tenui imbre aceti respersæ, vestes à tineis præseruant, & iucundo odore commendant.

De Pyrola. CAP. XX.

Pyrola.



PYROLÆ quina, sena; septena à radice in oblongioribus pediculis prodeunt folia lata, rotundis paulo longiora, colore, læuore Betæ similia, sed multò minora, Pyri foliorum magnitudinem rarò assequuntur, quibus robore ac duritie ferè respondent. caulis inter hæc medius assurgit, dodrantem, aut pedem altus, flosculis per interualla circumdatis elegantibus, odoratis, colore albidis, multis è medio staminibus exeuntibus. radix tenuis, fibrosa, subinde serpens, haud altè demittitur.

Locis gaudet montanis ac vmbrosis, in multis per Germaniam, Bohemiam, ac Morauiam syluis occurrit.

Cum floribus Iunio ac Iulio viget. toto anno viret. hyemis & frigoris patiens.

Pyrolā ac Pirolā recentior ętas appellat: Germanis Wintergrunn: Belgis similiter wyntergroen. Bohemis Hrusstcka. L. Fuchsius Limonium esse existimans, Germanis Holtzmangoldt/& Waldtmangoldt nominauit: Sed Limonium non in montibus ac syluis, sed in pratis palustribus nascitur, nomenq́; ab ipsis accepit, λειμῶνας siquidem prata Gręci appellant: Iam & ostendimus, quantum Cynoglossos cum Limonio conueniat.

Resiccat autem manifestè Pyrola, & euidenter adstringit, atque vnà refrigerat.

Miscetur potionibus quæ sanguinem profluentem sistunt, & vulnerum recentium inflammationem arcent, curationemque promouent: item & vnguentis ac emplastris

ſtris ἐναίμων, ſiue quæ cruentis vulneribus adhibentur. Huius ex vino decoctum ad thoracis, & internorum viſcerum vulnera ſolidanda commendatur: conducit verò & ad exulceratos renes, præſertim ex aqua, & Symphyti radice addita.

Ophioglosson.



Lunaria.



De Ophioglosso. CAP. XXI.

VNICVM Ophioglosso eſt folium, latum, & oblongum, inſtar ferè foliorũ Perſicariæ, ſed minus læuius, ac pinguius, è cuius pediculo, & folij veluti ſinu, tenuis rectusq; exit ſtylus, cacumine veluti ſerpentis linguam proferens radices fibroſæ ſunt.

In humidis ac paluſtribus pratis gignitur: In Belgio, Germania, & nonnullis Italiæ locis reperitur.

Maio menſe prodit, aduſq; Iuniũ viget, paulò pòſt tota marceſcit, nec deinceps conſpicitur.

Ophioglosſum vulgò Lancea Christi nominatur: dicitur verò & Lucciola & Argentina; eſt tamen & alia Argentina, de qua inter paluſtres. Italis *herba ſenza coſta*. Germanis Naterzunglin, vnde ὀφιόγλωσσον, & Lingua ſerpentina nominatur: Belgis Speertruyt: Gallis *Langue de ſerpent:* Anglis Adders tonge: Bohemis Hadij Jazyk. Plinius lib. 24. cap. 19. Linguæ herbæ circa fontes naſcentes meminit, quam poſtea lib. 25. cap. 11. Lingulacam vocat: Vtilis, ait, habetur radix vſta trita cum adipe nigræ ſuis quæ non pepeterit ad alopecias. Hanc pleriq; ſuſpicãtur eſſe Lanceam Christi, ſed cum Lingua ſiue Lingulaca nullis notis deſcribatur, affirmare non fuerit facile.

Cæterum Ophioglosſum frigidum quidẽ ſed moderate: ſiccum verò temperamento amplius eſt, ad ſecundum gradum videlicet accedens.

Ad recentia vulnera conglutinanda cõducit, & admirabilis eſſe efficaciæ, Baptiſta Sardus ſcribit. Conficitur ex hoc oleum, foliis cum oleo oliuarum ad Solem maceratis, quod nõ modò recentia vulneta, ſed & vetera vlcera citò ſanat. Herbæ puluerem aliquot diebus exhibitum ramices omnes curare poſſe idem affirmat.

De Lunaria. CAP. XXII.

LVNARIÆ non niſi vnicũ quoque folium in gracili rotundo, ac læui pediculo aſſurgit, quod craſſum, glabrum, vtrimq; ſectionibus, vt plurimum ſex, diuiditur, ſpeciem exhibẽs compluriũm ad vnam ῥάχιν ſiue coſtam naſcentium, quorum ſingularia ſubrotunda & lunata. prodit ab hoc pediculo ſub initium folij, alius tenerior, in cuius faſtigio floſculi racematim cohærentes, qui dehiſcentes, attactu aut leui flatu impulſi, tenuiſſimum veluti puluerem demittunt. ſemina exigua, rotunda, in vuæ modum cõgeruntur. pro radicibus fibræ ſubſunt.

In mõtium aut colliculorum decliuis, ac herbidis locis ſubinde gignitur, ſolo tamen gracili ac inculto.

Sub finem Aprilis, Maio, ac Iunio inueniri poteſt: cæteris anni menſibus temerè fuerit nuſquam apparentem requirere.

Nostra ętas Lunariam appellat, & minorem cognominat ad differentiam Hemionitidis, quam Lunariam vocant maiorem. Dicitur & Lunaria Botrytis a racemoso flore ac fructu & vt nonnullis placet ἡμιονῖτις ἑτέρα & σεληνῖτις. Germanis Monkraut/& Mon rauten/nonnullis May driyfsijn: Brabantis kleyn Maencruyt: Gallis *Taure ou Lunaire*. Bohemis Wrat se zase.

Refrigerantem ac reficcantem facultatem obtinet cum adstrictione nonnulla.

Vsceius vulneribus glutinandis efficax, recentibus & cruentis adhibetur: superfluentes menses supprimit dysentericis vtilis est Chymicos verò & hanc commendare, & ad suos vsus conuertere, fertur.

Sanicula



De Sanicula CAP. XXIII.


FOLIA Sanicula complura in oblongis tenuibus pediculis à radice promit lata, & rotunda quidem, nisi in quinque partes diuiderentur, Vitis foliis idcirco quodammodo similia, sed minora multò, & virentia, læuore nitentia, ambitu serrata, extremisq; angulis rubentibus. assurgunt inter hæc cauliculi dodrantem aut pedem alti, ad radicem rubentes, in quorum cacumine flosculi muscosi, albidi, succedēte semine rotundo, aspero, prætereuntium adhærescente vestibus, Lapparum modo. radix superius crassiuscula, multis inferius capillamentis fibratur.

In syluis ac vmbrosis nascitur gaudet pingui gleba, læto, humidoque solo. transfertur & ad hortos, in quibus subinde adolescit.

Florem Sanicula Maio ac Iunio profert: semen deinde maturatur herbæ vero folia toto anno virent, nec hybernum horrent frigus.

Sanicula vulgò dicitur à nonnullis Diapensia: Germanis ac Belgis Sanikel: Gallis *Senicle*: Bohemis Zanykl. A sanãdis vulneribus nomen traxisse constat, Ruellius ait. Sunt verò & aliæ à plerisq; appellatæ Saniculæ, vt quæ Violæ dentariæ nomine Pempt. 2 lib. 1. describitur, & Vrsi auricula nuncupata, ad Primulas veris referenda.

Alchimilla.



Cęterum hæc Sanicula, vt cum adstrictione quadam gustu amaricat, ita, præter quòd expurget, & adstringendo roboret, calida, sicca, & quidem ordine secundo est. Succus ad sananda vulnera datus prodest: Datur verò & decoctũ eius, quod sanguinis sputationem & dysenterias curat: Sordida vulnera hoc etiam commode abluuntur. Tumores frigidiores discutit, ac resoluit in aqua decocta, & cataplasmatis modo imposita. Miscetur potionibus, quas vulnerarias appellant.

De Alchimilla. CAP. XXIIII.

CAVLES Alchimillæ dodrantales, rotundi, ramosi, nonnihil hirsuti, frequentius humi decumbunt quàm assurgant, in diuersa tendentes. folia è radicibus maiora, secundum caules minora, lata, rotunda, angulis tamen aliquot, subinde octonis, eminentibus, per margines serrata, Maluæ foliis ferè similia, sed duriora, crispiora, & albidiora, quæ, prius quam explicentur, plicis complicantur: in ramulis flosculi tenues, paruuli aliquot simul cohærent, colore pallidi ac herbacei: semen minutum in exiguis thecis. palmum longitudine radix non rarò ęquat, crassitudine ferè digitum, foris nigricans non absque fibris demittitur.

In ver-

In veruactis herbosis gignitur, & in conuallibus: locis etiam non cultis.

Maio ac Iunio mensibus cum flore viget: toto quoque anno restibili radice viret.

Alchimillam & Achimillam Neoterici appellant plerique & Stellariam, est tamen Stellaria & Aster Atticus alius. Germani Synnauw/Lewenfüß/Lewentapen/ Latinè Planta leonis, & Pes leonis, Unser frauwen mantel/& groß sanickell/ id est, Sanicula maior: Belgæ Synnauwe/ Onser vrouwen mantel: Gallis *Pied de Lion*. Anglis Ladies mantell.

Apud Veteres nomen (quod sciatur) non inuenit, nam quòd nonnulli Leontopodium esse iudicent, nominis Germanici appellatione falsi, veritatem non habet.

Est autẽ Alchimilla facultate Saniculæ similis, adstringit tamẽ magis & amplius resiccat.

Vulneribus eodem, quo Sanicula, modo adhibetur, & eadem quæ illa præstat sanguinem & profluentes menses sistit: reprimit & vbera virginum, laxiora aut nimium tumentia, duriora efficiens

De Solidagine Saracenica. CAP. XXV.

Solidago Saracenica.



Herba Doria.



QVÆ Solidago Saracenicæ cognomen accepit, caules promit bicubitales, aut altiores, rectos, teretes, cauos interius siue inanes, nigricantes aut obscurè, præsertim inferius, rubentes. folia virent læuia, oblonga, lata, acuminata, Salignis aut Lysimachij lutei ferè similia, sed maiora, per oras crenata, quæ antè quàm caulis prodit, è radicibus exeũnt, deinde verò ipsum conuestiunt, flosculi in ramulis ipso fastigio plures, parui, lutei, staminibus concoloribus medijs, quæ in pappos resoluuntur. radix fibrosa subest.

Humidis & opacis gaudet· in syluis iuxta fossas in Germania, & Septentrionem versus regionibus non rarò obuia est.

Huic admodum similis, quam Doriam herbam plerique nominant, sed procerior & omnino amplior: folia eius similiter lata, longa, acuminata, crassa, pinguia, læuia, ambitu nonnihil serrato, sed omnino maiora & crassiora· caulis quoque crassior, ad tres quatuórve cubitos altus etiam assurgit, qui in alas ramulosque diuisus cacumine flosculos gignit, & medio disco stamineo, cùm & foliolis pone positis, luteos, qui & in papposam lanuginem pereunt. à quodam veluti capitulo demittuntur radicum fibræ, quarum quædam proserpentes stirpem multiplicant. *Herba Doria.*

Natales

Natales huius cum superioris conueniunt, iuxta aquas etenim,& fluenta tardè decurrentia nascitur in Prouincia dicta & Narbonensi Gallia notior quàm in Germania aut Belgio: vbi in hortis feliciter prouenit.

Flores vtraque Iulio ac Augusto,vel subinde prius profert.

Priorem Belgæ ac Germani Solidaginem appellant Saracenicam, & Consolidam Saracenicam, vulgò Heydnisch wundtkraut,& Heydens wonde cruyt : à nonnullis & Herba Fortis dicitur. Galli Germanicam appellationem imitantes *Consoulde Sarasinne* nominant

Alteram Galli Herbam Doriam, quasi auream herbam, vocant · Germani ac Belgæ nomen retinent. Vtramque ad Panaces Cheironium referre nonnulli laborant : Apuleius autẽ Helenium,Panaces Cheironium facit,vt Pempt 3 lib.1. scripsimus. Theophrastus quidem & Plinius Panaces Cheironium Lapathi folio, sed maiore & hirsutiore , describunt , quale omnino Helenij est folium. Dioscorides verò & Nicander Panaces Cheironium folio referunt Amaraci esse.

Vsus huius Solidaginis ad vulnera curanda & non modò cruentis,verùm & inueteratis ac sordidis vtilis est.

Foliorum puluis vulneribus inspergitur,aut oleis & vnguentis permiscetur , cum quibus & ipsa folia recentia decoqui possunt.

Medetur eadem & fistulis ac malignis sordidisq; vlceribus. Miscetur verò & potionibus, quæ vulneratis,cæsis,ruptis,aut ex alto delapsis propinantur. Aperit verò & decoctum horum iocinoris,fellis,ac lienis obstructiones: regium morbum curat: ac diuturnis febribus auxiliatur. Sordida ac fœtida gingiuarum ac oris vlcera hoc quoque vtiliter colluuntur, præsertim melle rosaceo addito. Herba Doria & temperamento & reliquis facultatibus Solidagini Saracenicæ similis est.

De Virga aurea. CAP. XXVI.

Virga aurea.



Virga aureo margine crenato.



VIRGA aurea Solidaginem Saracenicam aliquo modo refert, sunt etenim lata,oblõga, ambitu subinde nihil aut parùm,quandoque amplius crenata, sed breuiora , nigrioraq; folia, quæ quidem ab ipsis radicibus exeunt, angustiora verò quæ cauliculos coruestiunt, qui

rotundi,

rotundi, subrubentes, & cubitales sunt, atque in alas diuisi, iuxta quos flosculi sursum versus (instar spicæ propemodum) ordine digesti, auri colore lutei, & tandem papposi. radix nigricat fibras aliquot demittens

Reperitur non rarò in syluis, ac in montosis, vbi lætum pingueque solum.

Augusto mense potissimùm floret: radix restibilis est: folia tamen magna ex parte vnà cum cauliculis pereunt.

Virgam auream appellant nomē ex eo accepit, quòd ramuli floribus grauidi, auri colorem virgulam referant: Germanis ac Belgis Gulden roede: Gallis *Verge d'or*.

Calidam quoque ac siccam sortita est temperiem, ad vtriusque qualitatis secundum gradum perueniens: expurgat verò cum nonnulla adstrictione. Vrinam verò etiam prouocat, & renum calculos expellit ac comminuit, atque vnà lentos crudosque pituitosos humores educit, vrinarios meatus occupantes, qui subinde calculorum exitum ac descēsum remorantur, & arenulas in vnius calculi (sed tamen friabilis) formam coalescere cogunt. Quamobrem nec temerè, nec abs re Arnoldus Villanouanus hanc aduersus calculum, & renum dolores commendatam reliquit.

Numeratur verò & inter vulneribus ac vulneratis conuenientes stirpes & eadem omnino præstare posse, quæ Solidago Saracenica, fertur.

De Verbasco. CAP. XXVII.

Verbascum latius.



Verbascum angustius.



VERBASCI duo sunt genera: candidum vnum, nigrum alterum. In candidi genere latioribus istud, angustioribus foliis aliud. Adiicit Dioscorides, ac post eum Galenus Syluestre Verbascum, Phlomides duas, & Thryallidem.

Sunt autem latiori Verbasco ampla, lata, magnaque folia, quasi veluti Brassicę, sed mollia, 1.
lanuginosa, & albicantia, inter quæ medius assurgit caulis rectus, singularis, & ipse molli candidaque lanugine incanescens, inferius quidem foliis conuestitus similibus, sed tamē sensim attenuatis, à medio verò sursum versus frequentibus vndequaque floribus stipatus, è colore luteis, nonnihil odoratis, è quinis foliolis, quos sequuntur exigua rotunda vascula, è quibus semen minutum. radix longa, digitalis ferè crassitudinis, foris nigricat.

Angustio-

2. Verbascum nigrum.

3.



Angustiori Verbasco mollia similiter, incana, ac lanuginosa sunt folia, veluti superiori, sed angustiora & minora caulis similis, sed tenuior subinde, breuiórque: flores minores, patuuli, non rarò candidi, quandoq. etiam lutei. radix respódet.

Nigro Verbasco, nigricát folia, haudquaquam lanuginosa aut mollia, sed aliquantulum aspera, & nonnihil graueolentia, magnitudine Prima: singulares caules respondent: flores quoque assimiles, lutei, staminibus in medio. nec radix differens est.

Prodeunt spontè Verbasca iuxta agrorum atuorumque margines, aggeres, scrobes, alusq; locis haud cultis: latioris folij & quod nigrum, frequentissima.

A Iulio mense in Autumnum vsque cum flore reperiuntur, sed altero tamen, a quo enata sunt, anno semen interea perficitur.

Verbascum Græcis φλόμος, aut, vt quibusdam videtur, φλόγμος: Officinis Tapsus Barbatus, præsertim candidi folij: a nonnullis Candela regia, Candelaria, aut Lanaria: Italis *Verbasco, Tasso barbasso*: Hispanis *Gordolobo*: Germanis Wüllkraut, kertzenkraut, brennkraut, himelkraut, kunigkertz: Gallis *Bouillon*: Apud Belgas Wollekruyt/ Wollebladeren / Toortsekruyt: In Anglia Mullepne: Bohemis Diwizna. Reperitur & apud Apuleium Pycnitis & Lychnitis, & inter spurias voces, Phemnalis, φημαλάλ, dici. Dioscorides, & Plinius, nec non Galenus angustioris folij Verbascum, marem, latioris verò folij, feminam appellant.

Desiccandi autem vi aut potentia Verbascum præditum est: folia verò etiam nonnullam digerendi ac detergendi vim communem habent, vt quidem Galenus. Decocta hæc eadem in aqua œdematis, & oculorum inflammationibus imponitur: vlceta verò fœtida ac syderata cum vino & melle curant: cum aceto vulneribus, & a scorpione percussis auxiliatur, auctor Dioscorides.

Recentiores mollium, lanuginosorum Verbasci foliorum decocto, cum dolore prominentes hæmorrhoides vtiliter fouent, nam & dolorem sopiunt, & ipsas hæmorrhoides resiccando resoluunt.

Radix acerba, ait Galenus, fluxionum affectibus prodest. Dioscorides in alui profluuio vtiliter cum vino dari, decoctumque ruptis, conuulsis, & tussi veteri auxiliari: dentium item dolores mitigare, refert.

Sunt qui & gestatam hanc Comitialibus prodesse rentur, præsertim eius, quæ nondum flores fecit, quæque collecta fuerit Sole Virginis dodecatimorion, Luna verò Arietis peragrante, quod tamen superstitione & vanitate non caret.

Flores lutei capillos tingere posse putantur: Eosdé cum exiguo oleo in fimo aliquot diebus maceratos, donec videlicet resoluti fuerint, ad hæmorrhoidum dolores posteriores commendant.

Aiunt, inquit Plinius, in folijs, quam feminam diximus, ficus omnino non putrescere: quod & Dioscorides refert.

De Blattaria. Cap. XXVIII.

VERBASCI nigri species quædam Blattaria apparet, caule floribusque ipsum referens: folia eius obscurè virent, læuia, haudquaquam lanuginosa, & aliquantulum resplédentia, oblonga, & per margines crenata, minora quàm Verbasci: caules recti in alas diuisi, breuiores quoque sunt, quos superius conuestiunt flores, vt plurimum lutei, staminibus aliquot in medio purpureis, & hirsutis, nonnihil odorati, subinde tamen dilurè rubentes, aut obsoleto colore purpurascentes, quandoque & nigræ Violæ eleganti colore nitentes, quibus succedunt duriuscula & rotunda vascula, maiora quàm Lini. semen verò in his nigricans, & minutum. radix dura non absque adnatis fibris tenuibus.

Passim

Blattaria.



Blattariæ altera icon.



Passim pluribus Italiæ, Germaniæ vtriusque locis iuxta aquarum margines, in lutosis aggeribus, & haud longè à fluuiorum ripis prouenit, & quidem quæ lutei floris frequétius, purpurea rarior: Violæ nigræ coloris florem ferens, iuxta Albim in Bohemia repentur. Semel sata, facilè deinde singulis annis in hortis redit.

Floret Blattaria à Iunio in Septembrem vsque: semen interea perficitur.

Posterior ætas Blattariam appellat: atque eam esse nec temere existimat, quæ à Plinio lib. XXII. cap. IX his describitur verbis Est similis Verbasco herba, quæ sæpè fallit pro ea capta, folijs minus candidis, cauliculis pluribus, flore luteo. hæc abiecta blattas in se cótrahit, ideoq; Romæ Blattariam vocant. Et conueniunt quidem flores & cauliculi (vt scripsimus) cum nigro Verbasco: blattas autem hanc contrahere, nondum obseruatum accepimus.

Valerius Cordus Verbascum nominat Leptophyllum: Germani plerique Goldtknopfle; alij Schabenkraut/Mottenkraut: Brabanti Motten cruyt/blattarie. Nec desunt qui Chrysogonon esse suspicentur, à cuius tamen descriptione longe abest: Neque enim fruticat, multò minus densus frutex: radix quoque non Rapi modo extuberat, nec interius rubet.

Chrysogonon autem, vt Dios. refert, θάμνος ἐστὶ πυκνὸς, siue densus frutex, folijs quernis: *Chrysogonon.* flores habens similes Verbasco coronario. ῥίζαν ὁμοίαν γογγύλῃ, id est, radicem rapo similem, interius valde rubentem, foris nigram.

De facultatibus huius nihil Plinius. Sapor autem ac amara gustabilis eius qualitas, calidam & siccam esse testantur.


De Verbasco syluestri. CAP. XXIX.

SYLVESTRE Verbascum multis fruticat cauliculis quadrangularibus, articulatis, in 1.
alas distributis, tomento albicante circumuestitis folia ei ex singulis bina sunt ex aduerso posita, scabra, crassiuscula, densa lanugine incana, angustiora, longioraque quàm Saluiæ, quibus aliàs similia videri possent. flores verticillatim superiores cauliculos ambiunt, patentibus Lamij floribus similes, sed maiores, & colore lutei. radix in altum demittitur fibris conuestita.


Huius & altera species, folijsquoque Saluiæ, sed maioribus albidis, ac hirsutis, cuius cauli- 2.
culi ipso fastigio flores promunt luteos, & prioris similes.

N Fertur

Verbascum syluestre.



Verbascum syluestre [illegible]



3. Fertur item & aliud nasci foliis laciniatis, veluti Erucæ, aut Papaueris corniculati, quod ramosis cauliculis ac exiguis flosculis à Matthiolo depingitur.

Syluestre Verbascum primum & alterum in nonnullis Hispaniæ prouinciis, ac etiam in Narbonensi Gallia in collibus aridis, ac petrosis locis sponte gignitur. Apud Germanos ac Belgas, tum & alibi in excultis hortis subinde reperitur.

Floret vtrumque Maio ac Iunio in Hispania ac Lusitania, auctore C. Clusio: apud Belgas verò & Germanos serius.

Verbasca syluestria passim à nostri temporis doctis ac studiosis appellantur.

Primum pro Verbasco Lychnitide à quibusdam habetur, quòd videlicet folia eius apta ad lucernarum sint lumina, in quibus ellychnij vsum præbere queant. Dicitur verò Verbascum Lychnitis etiam, Diosc. teste, Thryallis: flos autem Thryallidis rubet, vt Nicander in Theriacis refert, huius autem flos luteus: proinde neque Thryallis, neque Lychnitis, sed syluestre Verbascum. Thryallidem ostendimus esse Lychnidem satiuam Pempt. 2. lib. 1. Plures autem esse quarũ mollia & lanuginosa folia apta sunt ad funiculos, & ellychnia, haud repugnás est.

Cæterum facultates horum, vt aliorum similes, ita temperamento quoque sicca.

Ambustis, Diosc. ait, folia cataplasmatis modo imponuntur.

De Primula Veris. CAP. XXX.


PRIMVLARVM Veris vna maior, & polyanthemos: altera minor, vnius in singulis cauliculis floris.

1. Maior Primula Veris folia promit lata, rotundis tamen longiora, rugosa instar foliorum Betonicæ, quibus tamen maiora sunt, & dilutius multò virentia, per margines nihil aut exiguum admodum serrata. assurgit e medio stylus tenuis, nudus, dodrante non altior, cacumine flosculos aliquot promens, ambitu denticulatos, frequenter deorsum nutantes. radix fibrosa in diuersa spargitur.


In floribus huius non exigua differentia: quandoque eleganter lutei reperiuntur: sæpius pallidi, ac dilutius colorati quasi albidi: nonnunquam odorati: frequentius odore destituti: multiplices verò etiam plerisque locis.

Minor


Primula Veris maior.



Primulæ Veris flos multiplex.



Primula Veris minor.



Minor foliis superiorem refert, sed tamen minoribus multò, pediculi tenues in mediis foliis attolluntur breues, vix palmi altitudine, in quorum fastigiis flosculi singuli pallide lutei, prioris similes. radix similes in fibras abit. 2.

Huius fertur species reperiri floribus herbaceis, obscureq́; virentibus, qui & quandoque folia multiplicant.

Amát Primulæ Veris loca humidiora, non tamẽ omnino rigua: in syluis sæpius occurrũt: reperiũtur verò & quandoq́, in apertis ac patẽtibus.

Martio & Aprili florent: si verò hyems clemens fuerit, etiam prius, mox nempè, vbi Ver esse inceperit.

Vulgo Primulas Veris appellant, ex eo quòd inter Vere florentes primæ, vel inter primas flores proferunt. Nominantur & Artheticæ, & herbæ Paralysis, ad articuum enim & neruorum dolores cõferre existimãtur: ab Italis *Brache cuculi*.

Quæ maior est, à nonnullis Herba S. Petri dicitur. Germanicè Sant Petters kraut / Schlussel blumen / himmelschlussel: Apud Belgas Sint Peeters cruyt / schluetel bloemen / Hemelsluetele / & witte Betonie, id est, Betonica alba, ex quadã foliorum huius cum Betonica similitudine. 1.

Altera Primula Veris minor appellari cõsueuit. 2.

Ad φλομίδες, Latinis Verbascula dicta, à plerisque referuntur, sed cum folia eius nec hirsuta, nec rotunda, ægrè eò pertrahuntur. Phlomides

ſiquidem folijs deſcribuntur δασείοις, hoc eſt, Plinio interprete, hirſutis, & rotundis vt enim Dioſcorides, φλόμιδες δ' ἄπλαῖ δασεῖαι, περιφυεῖς τῇ γῇ στρογγύλα ἔχουσαι τὰ φύλλα Plinius lib. xxv. cap x. Sunt & Phlomides duæ hirſutæ, rotundis folijs, humiles.

Sunt autem Primulæ Veris facultate quidem reſiccantes, calidæ verò exiguum aut nihil.

Auricula Vrſi.



Commendantur ad articulorum dolores, & neruorum reſolutiones: radicum verò decoctum ad renum & veſicæ calculos: ſuccus foliorum luxatis & ruptis vtiliter exhiberi exiſtimatur.

De Auricula Vrſi. CAP. XXXI.

VRSI auricula ad Primulas Veris pertinet: folia lata, è virore albicantia, reſponderent, niſi læuia, abſque rugis, carnoſa, atque omnino craſſiora eſſent. pediculus tenuis, teres, qui è medijs effertur, floſculos faſtigio profert complures, Primulæ Veris maioris æmulos, plerisque locis luteos, aut albidos, alibi purpureos, aut dilutè rubentes. radix compluribus craſſis, oblongis fibris firmatur.

In petroſis & præruptis Alpium iugis, iisque multo tempore niuoſis ſubinde apud Heluetios, locis Oenoponti finitimis: agro Goritienſi Saluatino monte, & in Pannoniæ montibus, præſertim quæ purpurei eſt floris, reperitur.

Vere vnà cum Primulis alijs floret.

Auriculam Vrſi recentiores appellant, atque in Solidaginum numerum aſcribunt. Paralyticam & Saniculam Alpinam nonnulli nominant: Matthiolus quoque pro Sanicula depinxit.

Facultate autem ſicca & adſtringens eſt.

Potionibus addita, aut per ſe decocta, non modò externa & interna etiam thoracis vulnera conglutinare, ſed & enterocelas ſanare poſſe fertur, aliquot continuis diebus ſumpta.

Æthiopis.



De Aethiopide. CAP. XXXII.

AETHIOPIDIS lata, mollia, albida, & lanuginoſa ſunt folia, Verbaſci ſimilia, ſed tamen candidiora, copioſioreque lanugine pubeſcentia, per margines ſinuoſa, ſerrataque, magna ex parte orbiculariter humi decumbentia: caulis quadrangularis, qua conueſtitur, lanugine, aſper & incanus, in ramulos ſiue alas diſtributus, circa quas flores per interualla ordine digeſti, candidi, cucullum referentes, Lamij floribus ſimiles: ſemen vno conceptaculo geminum, magnitudine (vt Dioſcorides refert) Erui: radices longæ, quæ reſiccatæ nigreſcunt.

Præter Æthiopiam, naſcitur & in Ida monte Troadis, & in Meſſenia, auctore Plinio lib. XXVII. cap. IIII. Idem ait & in Meroë naſci lib. XXIIII. cap. XVII. Eſt autem Meroë inſula Nili ciuitatem habens eiuſdem nominis in Æthiopia, quæ Ægypto ſubeſt. Tranſlata verò in Italiam & Germaniam vtramque, ac Galliam Æthiopis in hortis haud infeliciter prouenit.

Cum flore quandoque apud Belgas Maio menſe viſa eſt. Radices Autumno, Plinio auctore, colliguntur.


Aetho-

Αἰθιοπὶς à Græcis, Latini nomen seruant. a regione in qua nascitur, nomen habet: & ob id & Memides à Meroe, Plinio teste.

Radicis decoctum Ischiadicis & pleuriticis, vt Diosc, auxiliatur Paulus & sanguinem expuentibus addit. Plinius in vino decoctum vulnus mederi præterea refert, & eam, quæ ex Æthiopia adfertur, eximiam esse, & ilico prodesse

De Arctio ex Diosc. & aliis. CAP. XXXIII

Arction ex Codice Cæsareo.



VERBASCO folijs simile est, quod Arction dicitur, lanuginosis videlicet ac hirsutis, sed tamen hirsutioribus ac rotúdioribus (Plinius hirsutiora tantummodo esse tradit) caulis longus & mollis: semine vt parui Cymini. radice tenera, alba, dulciq́; , vt auctor Dioscorides.

Et hac quidem forma depingitur Arction in vetusto Cæsareæ bibliothecæ Codice: folijs videlicet latis, ambitu crenatis. caule tenero erecto capitulis aliquot in fastigio mollibus ac lanuginosis, vt primi Cymini syluestris.

Nasci ait Plinius in petrosis. Ἄρκτιον Grecè: Latine similiter Arction: item & Ἀρκτοῦρον & Arcturon appellant: Ab vrso nomē habet, qui Græcis ἄρκτος dicitur.

Hallucinantur qui Arction idem cū Arceio siue Personata faciunt, multò verò magis, qui & cum Vngula caballina confundunt. Inter Vngulam enim caballinā, quæ Græcis Βήχιον, & Arction plurimum est discriminis.

Facultatis autem Arction est admodum tenuium partium, vt Gal. ait, & ob id exiccantis, extergentis tamen modicè. Decoquitur in vino (inquit Plinius lib. xxvii. cap. v.) radix ad dentium dolorem, ita vt ore cōtineatur decoctum Bibitur & propter Ischiada & stranguriam è vino. Ambustis & pernionibus imponitur: fouentur eadem cum radice semine trito in vino.

De Verbenaca. CAP. XXXIIII.

VERBENACÆ duæ sunt, & Plinio quidem Mas & Femina: siue, vt alijs placet, Recta & Supina.

Rectæ Verbenacæ à radice vnicus assurgit cauliculus, angulosus, dodrante, rarò cubito al- 1.
tior, nonnullis alis subinde ramosus: folia oblonga, minora quàm Quercus, sed diuisuris maioribus, & altioribus flosculi secundum virgulas exigui, cærulei aut albidi, ordine digesti. radix subest oblonga fibris aliquot adnatis.

Supina Verbenaca similes superioris emittit cauliculos, subinde cubitales, angulosos, sed 2.
complures, graciliores, humi plurima parte decumbentes: folia quoque veluti prioris, sed profundioribus, ac frequētioribus incisuris diuisa: flosculos in summis alis ex cæruleo etiam purpureos, & paruulos veluti prioris, eodemq́ue modo ac ordine digestos. radix demittitur tenuis, oblonga, qualis superioris.

Locis incultis, sed tamen decliuibus ac humidioribus vtraque exit: & prior quidem in vtraque Germania, Gallia, alibiq́ue iuxta sepes, semitas, & scrobes frequenter reperitur. Altera Belgis, ac reliquis Germanis hortensis est: & quidem Hispano sata semine, apud quos sponte gignitur.

Iulio ac Augusto Verbenacæ florent.

Nomen vtrique Verbenaca, quòd sæpius pro Verbenis apud Veteres acceptæ fuerint: vnde & Verbenæ dictæ.


Sunt autem Verbenæ, herbæ ex ara aut sacro loco sumptæ, quæ quia à Consule aut Prætore

tore

Verbenaca recta.



Verbenaca supina.



tore secabantur, Sagmina quoque dicta sunt, quæ ex arce, Graminis herbas, quandoque fuisse ex Liuio constat. Testatur & Plinius lib. xxii. cap. ii. Verbenarum & Sagminum nomine idem significari. Facit huc, quod in Andria apud Terentium legitur Ex ara Verbenas hinc sume. Quo loco Terentius non Verbenacam intellexit accipiendam, sed aliquam ex ara sumendam. Nam apud Menandrum, ex quo hæc translata, μυρσίνη, id est, Myrtus legitur, vt Donatus ait.

Prior à Græcis περιστερεὼν, καὶ περιστερεὼν ὀρθὸς appellatur. Dicitur verò eadem, vt inter nothas voces reperitur, ἱερὰ βοτάνη, & Herba sagminalis item & ξυγκώνιον, βούνιον, φιλτροδότης, ac apud Apuleium Crista gallinacea, Colúbina, Ferraria, Exupera, Matricalis, Herculania. Officinis Verbena. Germanis Eisenkraut/Eiserhert/Eiserich: Hispanis *Verbena, Vrgebaom*. Italis *Verminacula, Berbena, & Berbenaca*. Gallis *Veruaine*: Belgis Ysercrupt/ Yserhart: Bohemis Werbena.

Plinius hanc marem: supinam verò feminam nominat. Genera eius duo, ait lib. xxv. cap. ix. sunt. Foliosa, quam feminam vocant: mas rarioribus folijs. Sunt autem Rectæ pauciora, Supinæ verò plura omnino folia.

Alteram Dioscorides ἱερὰν βοτάνην appellat, ac à priore seiungere videtur. Idem & Apuleius fecit, de vtraque seorsim scribens. Plinius verò quosdam non distinguere ait lib. xxv. cap. ix. sed vnum omnino genus facere, quoniam vtraque eosdem effectus habeat. Atque in hac sententia Galenum quoque, tum & Paulum Æginetam esse, satis apparet. In libris siquidem de simp. medic. facult. solius περιστερεῶνος Galenus meminit: nec alterius quoque Paulus lib. vii. Scribonius Largus ἱερὰν βοτάνην Vetonicam interpretatur, sed fortasse errore transscribentium, qui pro Verbena Veronica scripserunt. Appellatur deinde & hæc Verbenaca altera à Græcis περιστερεὼν ὕπτιος, id est, Verbenaca supina: aut Columbina supina, & apud Apuleium Licinia, Lustrago, Militaris, Vertipedium, Crista gallinacea, & Demerna, ac spurijs quidem appellationibus, quæ ad Dios. referuntur, Χαμαίλυκος, σιδηρῖτις, κουρῖτις, ψυστρόφιον, &c.

Scribonij locus suspectus.

Περιστερεὼν autem ex eo, Dioscoride auctore, appellatur, quòd columbę libenter circa eam versentur: atque eadem de caussa Latinis Columbina: Apuleius eam etiam iucundam esse columbis escam refert.

Verbenaca

Verbenaca autem vtraque valdè deſiccantem facultatem habet, adeſt & adſtringendi ac refrigerandi mediocris vis. Ad capitis dolores ex Verbenaca coronam facere Archigenis eſt: conducit verò ad hunc cum roſaceo & aceto trita,& impoſita, vel in oleo decocta,ſi hoc caput foueatur, quando videlicet cauſa mali ex calore eſt. defluentes capillos hoc quoque modo retinet. putreſcentia vlcera cohibet. vulnera glutinat. vtraque vetera cum melle expurgat,& ad ſanitatem perducit. fiſtulas etiam curat. Oedemata inueterata, & recentes inflammationes impoſita mitigat.

Radicum, tum & foliorum decoctum dentium dolores ſedat: mobiles firmat: & oris vlceribus medetur. Aiunt,inquit Plinius,ſi in triclinio aqua ſpargatur, in qua maduerit, lætiores conuiuas futuros. quod & à Dioſ. refertur.

Recentiorum plerique, ſuccum aut decoctum huius peſte laborantibus exhibent. Falluntur autem hi,non modò quòd à patre mendacij veri aliquid expectent: ſed & quòd pro ſalutari remedio, nihil ad ſanitatem conferens, exhibeant. fertur enim à cacodæmone tanquam arcanum aliquod reuelatum.

De Vrtica vrente. CAP. XXXV.

Vrtica vrens prior.



Vrtica vrens altera.



VRENTIVM Vrticarum duæ maiores ſunt: tertia verò humilior ac minor.
Primæ caules ſubinde cubitales, rotundi, interius inanes. folia lata, acuminata, am- 1.
bitu ſerræ modo inciſa, vtraque verò aſpera, mordaci lanugine obſita, quæ leui tantum tactu
pruritum ingentem excitat, cutimque veluti tuberculis exaſperat, ac ſubinde rubefacit. ſemen e foliorum ſinu in pilulis rotundis, maioribus quàm Ocimi, naſcitur glabrum, ſplendens, inſtar ſeminis Lini, ſed tamen minus ac rotundius. radix fibroſa.
Altera Vrtica foliis cauleque priorem refert, ſed tamen ſubinde procerior ac ramoſior; la- 2.
nuginem quoque non minus mordacem vrentémve habet. ſemen huius exiguum,& haud in rotundis pilulis, ſed in oblongis tenuibus, veluti racemoſis vuis gignitur, Mercurialis fœminæ modo, quæ ſecundum caules alaſque ſupra folia plurimæ exeunt. radix admodum fibroſa, colore ſublutea, latè ſerpit.
Tertia cauliculis, foliis, ſemineque racematim cohærête ſecundæ ſimilis eſt, ſed minor & 3.

Verbenaca autem vtraque valide desiccantem facultatem habet; adest & adstringendi ac refrigerandi mediocris vis. Ad capitis dolores ex Verbenaca coronam facere Archigenis est: conducit verò ad hunc cum rosaceo & aceto trita,& imposita, vel in oleo decocta,si hoc caput foueatur, quando videlicet causa mali ex calore est. defluentes capillos hoc quoque modo retinet: putrescentia vlcera cohibet: vulnera glutinat. vtraque vetera cum melle expurgat,& ad sanitatem perducit: fistulas etiam curat. Oedemata inueterata, & recentes inflammationes imposita mitigat.

Radicum, tum & foliorum decoctum dentium dolores sedat: mobiles firmat: & oris vlceribus medetur. Aiunt,inquit Plinius, si in triclinio aqua spargatur, in qua maduerit, lætiores conuiuas futuros quod & à Dios. refertur.

Recentiorum plerique, succum aut decoctum huius peste laborantibus exhibent. Falluntur autem hi, non modò quòd à patre mendacij veri aliquid expectent: sed & quòd pro salutari remedio, nihil ad sanitatem conferens, exhibeant. fertur enim à cacodæmone tanquam arcanum aliquod reuelatum.

De Vrtica vrente. Cap. XXXV.

Vrtica vrens prior.



Vrtica vrens altera.



VRENTIVM Vrticarum duæ maiores sunt: tertia verò humilior ac minor.

Primæ caules subinde cubitales, rotundi, interius inanes. folia lata, acuminata, am-
bitu serræ modo incisa, vtraque verò aspera, mordaci lanugine obsita, quæ leui tantum tactu 1.
pruritum ingentem excitat, cutimque veluti tuberculis exasperat, ac subinde rubefacit. se-
men è foliorum sinu in pilulis rotundis, maioribus quàm Ocimi, nascitur glabrum, splendens,
instar seminis Lini, sed tamen minus ac rotundius. radix fibrosa.

Altera Vrtica foliis cauleque priorem refert, sed tamen subinde procerior ac ramosior; la-
nuginem quoque non minus mordacem vrentémve habet. semen huius exiguum, & haud 2.
in rotundis pilulis, sed in oblongis tenuibus, veluti racemosis vuis gignitur, Mercurialis fe-
minæ modo, quæ secundum caules alasque supra folia plurimæ exeunt. radix admodum fi-
brosa, colore sublutea, late serpit.

Tertia cauliculis, foliis, semineque racematim cohærēte secundæ similis est, sed minor & 3.

frequenter ramosior, diffusius virens, magis vrens & mordicans radix brevior, fibris tamen non destituta.

1.
2.
3.

Vrtica vrens minima



1.
2.

Exeunt Vrticę locis incultis & prior in densis syluis, & non raro apud Belgas reperitur.

Altera frequentior est, quæ iuxta sepes, dumos, veteresque parietes neglectim nascitur.

Nec ab huiusmodi locis Tertia abhorret, quę tamen & ad hortos, & humidiora arua descendit.

Vigent omnes æstate, minor hyemem fert. Semen Iulio & Augusto maturum legi potest.

Ἀκαλύφη Græcis nominatur: Latinis Vrtica ab vrente eius ac mordicante potentia: vnde, vt Macer ait:

—nec immeritò nomen sumpsisse videtur,
Tacta quod exurat digitos Vrtica tenentis.

A nonnullis verò & κνίδη, quòd lanugine noxia pungat: Germanis Nessell: Italis *Ortica*: Hispanis *Hortiga*: Gallis *Ortie*: Anglis Nettel: Bohemis Kopriwa.

Priorem Belgæ Roomsche netelen i. Romanam Vrticam, & similiter Germani Wälsche nesselen, id est, Italicam Vrticam vocant, quòd rarior sit, neque vbiq; occurrat, semine aliunde misso, subinde spectaculi causa in hortis seratur. Dicitur & a nónullis Vrtica mas a Diosc. vero Syluestris, quam asperiorem, latioribus nigrioribusque foliis esse ait, & semine Lini, sed minore. Plinius syluestrem Vrticam feminam facit, & mitiorem esse refert lib. XXI. cap. XV.

Secunda vulgò femina nominatur & quandoque ad differentiam Tertiæ Maior dicitur.

3. Tertiam Germani Heyter nessell: Brabanti Heyte netelen: vtrique à mordaci eius contactu appellant. Sitne autem hæc quam Plinius Caniam nominat, vel potius prior, studiosi obseruent. Est in syluestri, inquit, quæ Cania, acrior, caule quoque mordaci, fimbrians foliis.

Temperamento autem Vrtica sicca quidem, calet vero exiguum, & vix primo ordine, vim tenuium partium simul obtinet. Neque enim ex eo vrit aut mordicat, quòd impensè calida sit, sed huius causa est lanugo eius rigens, ac duriuscula, aculeorum instar pungens, cutimque vellicans: nam flaccida facta ac decocta Vrtica, haudquaquam vrit, lanuginis nempe remisso rigore.

In olere sumpta, aut cum conchulis, vt Diosc. tradit, decocta, ad ventris deiectionem, & quidem abstersione facit: promouet verò & vrinas, ac calculos è renibus expellit: cum ptisana verò decocta, quæ in thorace hærent, educere posse existimatur. Sanguinis e naribus profluuia trita, & cum succo imposita sistit. Succus vuam inflammatam reprimit.

Semen Vrticæ Venerem extimulat, præsertim cum passo potum: habet enim flatuosum quiddam, auctore Galeno. Quæ in thorace hærent cruda concoquit ac educit: ad orthopnœas, ac pleuritides, nec non peripneumonias in Eclegmate vtile habetur.

Cicutæ idem contrarium esse, & fungis, ac argento viuo Nicander affirmat, & Apollodorus aduersari Hyoscyamo, & serpentibus, ac scorpionibus Plinio teste. Aduersus autem pruriginem ab Vrtica excitatam notum est, idem ait, olei remedium.

De Vrtica inerte. CAP. XXXVI.

AD Vrticæ genera refertur, quæ quia innoxia, iners ac mortua dicitur. Sunt verò huius & aliquot species.

1. Prior caulibus assurgit quadrangularibus, pedem, raro cubitum altis, subinde tribus aut quatuor: foliis Vrticæ, per margines crenatis, nequaquam tamen mordacibus, sed mollibus, ac veluti lanuginosis. Flores verticillatim cauliculos secundum folia ambiunt, cucullos aut cassides

Vrtica iners siue Lamium primum.



Vrtica iners altera.



Vrtica iners tertia siue Lamium luteo flore.



cassides referentes, colore sæpenumerò candidi, quandoque lutei, subinde ex rubro purpurascentes: radices fibris multis cohærent.

Proxima cauliculis & longitudine priori similis, foliis quoque esset, nisi paulò minora 2.
& rotundiora forent: pallide lutei aut rubentes flosculi sunt: ipsa verò herba ingratum ac grauem odorem spirat.

Tertia foliis quoque quàm prima maioribus: 3.
cauliculis interim cubitalibus, & quadrangulis, quorum coma & superiora foliola purpureo Violæ nigræ eleganti arrident colore, veluti Hormini satiui: flores verò secundum caules, auri colore lutei.

Iuxta sepes, parietes, vias, in ruderibus, secus agrorum margines, in ipsis quoque aruis, non rarò in hortis parum excultis reperiuntur: & quidem duæ priores frequentius: apud Quados, Marcomannos, & in Pannonia superiore, tertia notior est.

Tota æstate magna ex parte florent.

Vrticam inertem & mortuam vulgò nominant: Germani Todtnessell / Taub nessell: Belgæ Doove netelen: Hispani *Hortiga muerta*: Itali *Ortica morta*: Galli *Ortie morte*. Plinius quæ innoxia est, ait, morsu carens, Lamium *Lamium.*
vocatur.

Huius altera species cum ea conuenit, quæ Græcis

Græcis Γαλίοψις ἢ γαλεόβδολον, Latinis Vrtica labeo nominatur: est autem hæc, vt Diosc. scribit, θαμνίον σὺν τῷ καυλῷ, καὶ τοῖς φύλλοις ἐμφερὲς κνίδῃ, λειότερα δὲ τὰ φύλλα, καὶ ἱκανῶς δυσώδη ἐν τῷ διατρίψει, id est, fruticulus siue fruticosa herba cum caule & foliis similis Vrticæ: læuiora tamen folia & valde grauecolentia dum confricantur. Γαλίοψις.

Calidius ac siccius huius est quàm Vrticæ temperamentum. Scirrhosos, durosq́; tumores, strumas, parotidas, & panos Galeopsis sanat ex aceto contrita, & cataplasmatis modo imposita. Fouentur verò & decocto eius vtiliter, vt Dioscorides. Plinius verò, ex vsu est, inquit, & decocto succo fouere.

Recentiores flores Lamij candidos fluorem muliebrem albidum sistere posse existimant: parantque nonnulli in eum vsum, ex floribus istis cum saccharo (vt vocant) Conseruam, quam singulis aliquot diebus sumendam præcipiunt.

PEMPTADIS PRIMÆ ET LIBRI QVINTI
FINIS.

REMBERTI DODONAEI DE FLORIBVS, CORONARIIS, ODORATIS, AC VMBELLIFERIS HERBIS, STIRPIVM HISTORIÆ. PEMPTAS SECVNDA.

Authoris damnati, et operis permissi

DE VIOLIS AC ROSIS, EOQVE PERTINENTIBVS FLORIBVS LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.

ABSOLVTA *priore nostri operis parte, stirpibusq́ non paucis elementorum ordine dispositis ac descriptis, ad eas nunc, quæ in certas classes distributæ sunt, transitum facimus. Florum autem, ac odoratarum herbarum classes, reliquis præponendas duximus. Non modò quòd odore aut tractatione horum animi quadam voluptas ac recreatio concipiatur, sed & quòd compluribus ornatus ac decora gratia ex his concilietur. Nectuntur ex his capitis coronæ, fasciculi ex floribus ac odoratis herbis & aspectu grati sunt odoreq́ iucundi. Maximum verò ornatum, haud exiguum decorem, summamq́ gratiam horti ab his accipiunt. Neque etenim ex vllis quantumuis artificiosè contextis, aut coloribus ornatis, topiariis vel perticalibus scenis, vmbraculis, aliisue hortensibus operibus, tantum ornatus his accedit, quantum ex floribus herbisq́ odoratis, ac coronariis, absque quibus omnia etiam hortensia opera, ornatu, gratia, & amænitate destituuntur. Voluptas verò & animi recreatio, quæ ex his concipitur, non nisi honestissima. Ad id enim quod pulchrum honestumq́ hominem commonefaciunt: Suggerunt siquidem flores sua pulchritudine, coloris elegantia, formæ præstantia, generosis animis honesti pulchriq́ & omnium virtutum recordationem. Turpe namque fuerit, vt quidem sapiens ait, pulchra contemplantem, pulchra tractantem, pulchrisq́ in locis versantem, non pulchrum aut turpem habere animum. Florum autem multa inueniri possent genera, si scrupulosius ipsorum differentiæ expenderentur. Verùm hoc nobis curæ non fuit: satis esse rati ipsos in hortenses ac syluestres distinxisse, ac deinde hos separasse ab iis qui ex bulbis exeunt. Quibus tribus generibus complecti studuimus eas stirpes, quæ floribus suis præcipuè Medicinæ conferunt, aut oculis voluptatem adferunt: atque idcirco ab ipsis floribus primam commendationem accipiunt. Quas tribus prioribus complexi, quartum de Odoratis herbis subiunximus, Vmbelliferis quinto succedentibus loco: siquidem & semina horum frequenter odorata sunt, ægrè idcirco ab Odoratis separari posse videntur: vt suo loco latius.*

Primus itaque huius Pemptodis de Violis ac Rosis liber, deque iis, quæ ipsis vel forma vel nominis similitudine affines sunt. Ad Violas autem contingit multos elegantes referri flores: vt Leucoia, Antirrhinon, & eiusmodi alios. In Rosarum societatem recipiuntur Pæonia, & Cistus. potuisset accedere Rosa serotina, verùm quando ex Maluarum hac est genere, apud congeneres fuit relinquenda. Initio igitur à Violis facto reliqua succedent.

DE


DE NIGRA SIVE PVRPVREA VIOLA.

CAPVT PRIMVM.

Viola nigra siue purpurea.




Viola flore multiplici.



Viola syluestris inodora.

1.



2.

3.

NIGRA siue purpurea Viola mox à radice folia promit multa, lata, venosa, per ambitum leuiter crenata, Hederę folijs rotundiora, tenuiora, nigrioraq́; , præsertim parte superiore ; inter quæ medij, tenues exeũt styli, & in singulis flores singuli, pulchri, odorati, colore in cæruleo subnigro purpurei, nonnunquam, sed raro, cãdidi, ex quinque paruis foliolis compositi, quorum infimum maius, ac deinde pẽsiles calyculi, qui per maturitatem in tres partes dehiscunt. semen paruum & in rotunditate oblongum est. radicibus tenuibus ac fibrosis firmatur.

Viret hyeme pariter ac æstate, frigoris patientissima. Locis opacis, iuxta dumos, muros, agrorum hortorumq́ue margines, pingui solo plurima frequensq́ue emicat.

Flores vt plurimum Martio, vbi serius, Aprili prodeunt mense.

Est huius generis quædam, florũ foliola multiplicans, cùm purpurea, tum candida, hortensis vtraque.

Est & genus quoddam syluestre, folijs minoribus, floribus pallidioribus, minus aut nõ odoratis nascitur id, & locis quidem opacis, ac secus vias & margines agrorũ, verũ arido steriliq́; solo.

Violam

Violam autem Græci ἴον, & ἴον πορφυροῦν, id est, Violam purpuream nuncupant. Theophrastus verò & ἴον μέλαν ἢ μελάνιον, hoc est, nigram Violam, à nigricantis purpuræ florum colore. Plinius solam hanc Græco nomine, à cæteris Violis discerni, appellariq; ἴον, & ab his Ianthinam vestem dici refert. Officinæ Latinum nomen seruant; at herbam Violariam nominant, & matrem Violarum. Germani florem, blau veiel oder Mertzen violen: Galli similiter *Violette de Mars*, hoc est, Violam Martiam: Itali *Viola mammola*: Hispani *Violeta*: Belgæ Violetten dicunt: Angli Violet· Bohemi Fiala.

Ἴον autem Græcis vocatum in Geoponicis Nicander credit, vt refert Hermolaus, quòd Nymphæ quædam Ioniæ, florem eum Ioui primum dedere muneri. Alij ἴον dictũ affirmant, quod cùm Io puellam adamatam Iupiter in vaccam conuertisset, terra florem hunc pabulo eius produxerit, qui propter ipsam factus, ab ipsa nomen accepit. Atque inde etiam Latinis Viola, quasi vitula, extrita littera t, dici putatur. Seruius Violam Latinis etiam Vaccinium, eadem occasione dici refert, locum enarrans Vergilij in Bucolicis:

Alba Ligustra cadunt, Vaccinia nigra leguntur.

Vergilius tamen Æcloga 10. Vaccinium à Viola differre ostendit.

Et nigræ Violæ sunt, & Vaccinia nigra.

Vitruuius etiam Architecturæ libro septimo, Violam à Vaccinio distinguit. Nam ex Violà Silis Attici colorem, ex Vaccinio purpuram fieri elegantè memoriæ prodidit. Tinctores, inquit, cùm volunt Sile Atticum imitari, Violam aridam conijcientes in vas cum aqua confer- *Silis Attici color.* uescere faciunt ad ignem: deinde cùm est temperatum, conijciunt in linteum, & inde manibus exprimentes, recipiunt in mortarium aquam ex Violis coloratam, & ex ea Erethriam infundentes, & eam terentes, efficiunt Silis Attici colorem. Eadem ratione Vaccinium temperantes, & lac miscentes, purpuram faciunt elegantem. Quæ autem sint appellata Vaccinia, alio, & suo loco explicabitur.

Ad Violas reuertimur, quarum & flores & folia temperiem habẽt frigidam & humidam. Et flores quidem omnibus internis inflammationibus, laterum potissimum & pulmonis, vtilissunt: pectoris, asperæ arteriæ, nec non faucium asperitates & scabrities leniunt: iocinoris, renum, & vesicæ nimios calores restinguunt: ardentium febrium ardorem mitigant: bilis acrimoniam obtundunt: sitim arcent & sedant.

Quod ex Violis fit ἀφροτάτον, siue vti Actuarius nominat σιράπιον, si ex diluto decoquatur in quo pluries recentes ipsæ fuerint maceratæ, aluum lenit, & bilem per inferna educit, trium aut quatuor vnciarum pondo sumptum.

Fit & ex Violis oleum, quod refrigerandi humectandique potentia pollet: temporibus illitum somnum clementer conciliat, quem calida aut sicca intemperies remoratur: cum oui luteo sedis & hæmorrhoidum dolores mulcet: additur quoque vtilissimè cataplasmatis refrigerantibus, ac dolorem sopientibus.

Sit autem oleum, in quo Violæ macerantur, aut ex immaturis Oliuis, Græci ὠμοτριβὲς ἢ ὀμφάκινον nominant: aut ex Amygdalis dulcibus, vti Mesues ait· Sint & Violæ ipsæ recentes humentesque oportet. Aridæ etenim iam deperdita humiditate, & minus refrigerant, & caliditatis nonnihil adeptæ videntur.

Recentiores aridas Violas, medicamentis quæ cor roborare creduntur, vtiliter admisceri sentiunt.

Folia Violarum in olere sumpta, refrigerant, humectant, aluumque leniunt: foris admota, calidas omnes inflammationes mitigant, cùm per se, tum cum polenta imposita. Imponũtur & æstuanti stomacho, & oculis, Galeno teste. Dioscorides sedi etiam excidẽti imponi scribit.

Prodesse autem excidenti sedi possunt, non vti adstringens aliquod sedem reprimens, sed veluti molliens & malacticon, qualia sæpenumero prius admouenda, quàm reduci ea, præsertim inflammata, queat.

Plinius Violas quoque ait, crapulam & grauedines capitis, impositis coronis olfactuve discutere, anginas ex aqua potas: id quod purpureum est ex iis, comitialibus mederi, maximè pueris in aqua potum· semen scorpionibus aduersari.

In quibus verbis, quod de purpureo floris additur, accessorium esse, & ex Historia Asteris *Plinij locus suspectus.* Attici translatũ, suspicandũ, & non temerè, videtur, Dioscorides etenim florẽ purpureũ non Violæ, sed Asteris Attici, cũ aqua potũ anginis, & comitiali in morbo pueris auxiliari, scribit.

De tricolore Viola. CAP. II.

FOLIA tricolori Violæ exigua sunt, ac initio quidem rotundiuscula, deindè oblongiora, per ambitum modicè serrata: caules infirmi, tenues, angulosi, geniculari, palmi longitudine: flores longiusculis pediculis insident, purpureæ Violæ forma similes, & magnitudine vt

O plurimùm

Viola tricolor.



Viola assurgens tricolor.



plurimùm pares, triplici colore splendentes, purpureo videlicet, luteo, candidoque vel cæru-
leo; quorum elegantia ac varietate colorum, maximè placent, cùm odorem exiguum aut nullum habeant. In summis duobus flosculi foliolis, & subinde in inferioris, & quandoque etiam in mediorum extima parte, purpureus relucet Violæ nigræ. Medius vt plurimùm, ac nonnunquam inferiori candidus aut cæruleus insidet: Luteus non raro inferius foliolum vel magnam eius partem, semper autem flosculi medium, intercursantibus vnà nigris aliquot radiolis, occupat. Semen exiguis, in rotunditate oblongis, vasculis, Ochri magnitudine continetur, quæ decidentibus succedunt floribus, & vltrò semine iam maturo dehiscunt. Radicibus nititur fibrosis.

In aruis pluribus locis exit: nascitur & in hortis, & crebrò quidem sua sponte, sylu- speciosior & elegantior.

Vere vna cum Viola nigra aut paulò pòst emicat, æstate dein tota & maxima Autumni parte, ac subinde etiam hyeme, floret.

Viola assurgens. Huc autem referenda videtur illa Violæ species, quę haud humi iacet, sed duriusculis suis cauliculis erigitur, & recta consistit, quos subinde promit cubitales: folia ei latiuscula, acuminata, per margines serrata. flosculi Violis paulò minores, alioqui similes, vt plurimùm cir- colorum, superante tamen candido, medium floris occupante, superiora floris purpurascunt, inferi ad luteum accedunt: flosculis succedunt siliquæ oblongæ, in tres partes spontè dehiscentes semine maturo, quod candidum & minutum. fibrosa radix vti Violæ.

In Baldo Italiæ monte repertam hanc Violam Matthiolus refert. Lobelius in Narbonensis Galliæ ac Angliæ montium iugis. Nascitur verò & in Sudetis Bohemiæ montibus, in sylvis, tum & in aliis Pannoniæ siue Austriæ locis.

Floret non modò Vere, sed tota æstate in Autumnum vsque.

Viola assurgens aut surrecta, & quidem tricolor, non impropriè appellari potest, rectius certè quàm arborescens, vtpote ne fruticis altitudinem aut similitudinem assecuta.

Nominatur autem tricolor Viola à plerisque Iacea. est tamen & alia Iacea quæ nigra cognominatur. Aliis, herba Trinitatis, propter triplicem floris colorem, dicitur. Nonnullis herba Clauellata. Galli flores *Pensees* nuncupant, qua etiam appellatione Brabantis ac vicinis


Belgis

Belgis innotuere. Germani Freyscham kraut/vnd Dreyfältigkeyt blůmen appellant. Cum φλογὶ Theophrasti conuenire videtur, quod φλόγιον etiam dicitur, & flos est tantùm syluestris absq. odore. Vere vnà cum Viola alba aut paulò pòst exiens, plurimumque durans: cuiusmodi hęc tricolor Viola est, quę, vti scripsimus, natura sua syluestris est atque inodora, & diutinè floret. φλὸγα autem siue φλόγιον, Gaza Violam flammeam interpretatur. φλὸξ

Qualitatem herba habet, frigidam quidem obscuram, sed humidam manifestiorem, lenti glutinosique succi, vti Maluæ, particeps: emollientis ea de causa quoque facultatis, verùm minus quàm illa. Prodest, vt recentiores aiunt, febricitantibus maximè pueris & infantibus, quorum conuulsionibus ac comitialis morbi accessionibus subuenire creditur, commendatur item ad pulmonis pectorisque inflammationes, & ad scabiem corporisque pruritum. vlcera quoque glutinare fertur.

De Leucoio, siue Viola alba. CAP. III.

Leuco on candidum maius.



Leucoion multiplici flore.



LEVCOII voce plura Violarum genera comprehenduntur, quorum in florum quidem colore præcipua, sed tamen & nonnulla in foliis differentia. Possunt hæc in duo genera distingui. Vnum genus cui folia candidiora & molliora, candidum Leucoion, à foliorum, non florum colore, quis nuncupauerit. Alterum verò Leucoion luteum, à floris colore luteo. Sunt autem candidi Leucoij genera rursus duo: maius videlicet & minus.

Maiori, caulis est bipedalis aut altior, rotundus, in alas nonnullas diuisus: folia oblonga, 1. candida, mollia, & veluti lanuginem habentia, Salicis foliis quodámodo similia, verùm molliora. flores odorati, ex quatuor foliolis congesti, secundum cauliculos, superiore parte in tenuibus pediculis exeunt, colore aut rubentes, aut candidi, aut ex purpureo puniceei, aut cineri candidiori proximi, subinde varij. siliquæ inde sequuntur, oblongæ, angustę, in quibus semen latum, planum, & rotundum. radicibus nititur fibrosis, sed validis.

Floret primo Vere & tota propemodum æstate, altero à satione anno, deinde & aliquot sequentibus, si diligentia & cura adhibitis, hybernis mensibus à frigore arceatur.

Minus genus à priore non forma, sed magnitudine sola differt: caules foliaque habet simi- 2. lia, sed minora: flores etiam non vnius coloris, sed vel candidos vel rubentes, vel puniceos, vti maioris: siliquas etiam & semina similia.

Floret istud genus, non quidem Vere, sed Iunio, Iulio, aut Augusto, & eodem quidem quo satum est anno: hyeme perit.

3. Leucoion syluestre angustifolium.

4.

5.



Leucoion luteum.

Hesperis.



Est verò & Leucoion, florum foliola multiplicans, sed rarissimum, quod ex maioris genere est, primoque Vere florere incipit, & maioré curam hybernis mensibus, ne à frigore offendatur, requirit.

Extant verò & huius generis Leucoia nõnulla, quorum herbę folia haudquaquam candida, mollia, aut lanuginosa, sed virentiora, ad lutei Leucoij foliorum læuitatem & coloré accedũt.

Nec desunt syluestria Leucoia, quę nõ modò in Zelandiæ maritimis spõtè nascuntur, verum & in Narbonensi Gallia, ac pluribus per Hispanias locis, cum maritimis, tũ mediterraneis gignuntur folia habent angustiora, & vt plurimũ candidiora flosculi quatuor foliolorum, dilutè frequentius purpurei, quandoque rubẽtes, odorati, quorum odor apud Hispanos sub noctẽ occidente Sole intẽditur, ac latius diffunditur, qui aliàs per diẽ exiguus. siliquæ prioribus similes.

Iam & Leucoia quædam bulbosa sunt, de quibus in subsequenti libro.

Serũtur in hortis Leucoia, cultura proficiũt, & cura hybernis mẽsibus apud Germanos indigẽt.

Appellatur autem λευκόιον, Latinis quidem Viola alba, Arabibus vero *Keyri*: Italis *Viola bianca*: Hispanis *Violettas blancquas*: Nostri maius genus, stock Violieren nominant, minus verò, heete Violieren: Vtrumque à canitie foliorum, vti diximus, candidum, ad differentiam lutei, quod præstantissimum est, non impropriè dici potest.

In syluestrium genere, quod sub noctẽ odoratius est, Hesperis esse creditur. quæ, Plinio autore, nocte odoratior lib. XXI. cap. VII. Hesperis, ait, noctu magis olet inde nomine inuento.

Facultate autẽ Leucoia hæc, luteo Leucoio haud dissimilia videtur, virib' tamẽ infirmiora.

De Leucoio luteo. CAP. IIII.

LVTEO Leucoio caules sunt ramosi, virentes: folia oblonga, angusta, glabra, in virore nigricantia, Leucoij candidi foliis minora: flores lutei, perquàm odorati; siliquæ tenues oblongæ, in quibus semen latum Totus frutex lignosus hyemis rigorem facilè sustinet.

Floret Aprili & Maio, & si hyemis clemens fuerit, etiam Martio vel prius.

In peruetustis muris, in ruderibus & aliis saxosis locis libentius nascitur: seritur & in hortis iuxta parietes ac muros.

Huius Leucoij quoddam quoque est genus, flore multiplici, cui siliquæ nullæ. Seritur hoc surculis, & in hortis colitur.

Λευκόιον & istud Græci nominant, & λευκόιον μήλινον; Latini Violã albã & Leucoion luteum: Arabib' Keyri est: Hispanis *Violettas amarillas*: nostris, geel Violierẽ: Parietinas aut saxatiles Violas dixeris: & geel Violieren Germanis geel Violen: Gallis *Giroffles iaulnes*: Anglis Walle gylofer.

Est autem Leucoij frutex vniuersus, vt Galenus

Viola matronalis.



Viola latifolia.



nus ait, extergentis facultatis, ac tenuium partium, plus tamen flores: & inter hos, qui sint sicciores, magis etiam quam virides.

Dioscorides lutea Leucoia præcipui in medicina vsus esse scribit, & huius aridos flores in desessionibus decoctos, ad vteri inflammationes & menstrua ducenda facere: cerato exceptos sedis rimas sanare, & cum melle oris aphthas: semen duarum drachmarum pondere ex vino potum, aut cum melle subditum, menses, secundas, & fœtus educere. radices cum aceto impositas, lienem reprimere, & podagricis prodesse.

Hippocrates lib. De natura muliebri, ad secundas educendas, & sanguinem ex vteris pellendum, Leucoij semen tritum cum vino bibendum exhibet: & ad eadem lutei Leucoij radicem, eodem quoque modo sumendam tradit.

De Viola matronali. CAP. V.

MATRONALIS Viola folia habet mox à radice longa, lata, subnigra, per ambitum crenata: caules cubitales aut altiores, foliis similibus, sed tamen minoribus circundatos, flores in summis alarum virgis erumpunt, Leucoiis similes, coloris aut candidi aut rubentis, dilutæue purpuræ. semen in siliquis oblongis & rotundis gignitur paruum, figura oblongum, colore in ruffo subnigrū. radices subsunt fibrosæ & validæ.

Nascitur in hortis.

Altero à quo sata est anno, Maio & Iunio mensibus potissimum floret, non rarò tota æstate floris eius productio.

Galli *Violettes des dames, & Giroffleés des dames* appellant, hoc est, Violas matronales, nostri corrupta voce, Damas bloemen: Germani Winter violen, id est, Violas hybernas siue hyemales.

Sunt autem harum Violarum herbæ quidem folia, gustu acria & calida, Erucæ, cuius species videntur, sapore & facultate proxima.

Aqua ex floribus huius destillata, ad sudorem prouocandum valde efficax habetur.

De Viola latifolia. CAP. VI.

FOLIA, Viola latifolia promit, virentia, lata, per ambitum crenata, Alliariæ vocatæ herbæ similia, sed maiora: caules rotundos ramosos: flores Leucoij, colore purpureos, subcæruleos, quos sequuntur latæ, planæ & propemodum rotundæ siliquæ, ex tenuissimis membranis, veluti laminis, compactæ, intra quas semina plana, lata, obscuri coloris, forma quodammodo διχοτόμου Lunæ, inter quæ media tertia membrana. radices subsunt crassæ, candidæ, in diuersa tendentes, Pæoniæ feminæ alterius, radicibus quodámodó similes, sed minores & tenuiores, intus porosæ.

Belgæ hāc Violá vnà cum alijs in hortis serūt.

Flores Aprili prodeunt mense, altero a quo sata est anno.

Bulbonac aut Bolbonac voce barbara vulgò,

nos Violam latifoliam, aut, vt plerisque placet, Violam peregrinam nuncupare malumus, Brabanti Penninckbloemen, à siliquarum forma, denarium quodammodo referēte, & Paeschbloemen, quod circa Paschæ solennitatem fere semper floreat, nominant. Recentiorum plerique Lunariam. alij Lunariam Græcam appellant vel ab ipsius seminis figura, aut siliquarum mediæ membranę argenteo splendore, quo, decidentibus per summam siccitatem cum semine ex vtraque parte membranis, nitet.

Thlaspi Crateuæ Veterum autem Thlaspi alterum videtur, quod videlicet à Crateua describitur, à nonnullis Sinapi Persicum appellatum. Nam, vt Dioscorides ait, Crateuas Thlaspi quoddam recenset πλατύφυλλον καὶ μεγαλόρριζον id est, Latifolium & magnis radicibus qualis omnino Viola hæc est, quam Latifoliam cognominauimus.

2. Huic latis folijs, & siliquis planis ac rotundis similis est & alia quædam Latifolia Viola. perenni hæc radice nititur hyeme nō marcescit: caules lignosi, cubitales folia multa, lata siliquæ planæ & latæ, vtraque paulò minora quàm prioris flores cādidi instar Violæ matronalis.

In syluis nonnullis prouenit veluti Hercynia, qua parte Germaniam spectat transfertur & ad hortos, in quibus diutine viuit.

Cæterum facultate ac potentia, Latifoliæ Violæ semen calidum quidem, & siccum est, gustuque acre, Thlaspios semini sapore & viribus simile: radices acrimoniæ quoque nonnullæ, sed non multæ participes sunt eduntur cum acetarijs, vt quarundam aliarum.

De Viola dentaria. CAP. VII.

Viola dentaria prima.



Viola dentaria altera.



IN Violarum numerum recipiendæ & admittendæ quoque videntur vulgò Dentarię appellatæ: quæ duæ sunt.

1. Priori cauliculus dodrantalis: folia Cannabis aut Pentaphylli modo quinque ad vnum hærent pediculum, oblonga, lata, ambitu serrata: Leucoij similes flosculi, è puniceo colore subpurpurei: siliquæ quoque tales, in quibus semina radix oblonga, inæqualis, multis crassis exasperatur squamis.

2. Alterius Dentariæ folia haudquaquam Pentaphylli, sed veluti Fraxini digesta, [illegible] siue costam habent mediam, cui annectuntur sunt verò hæc oblonga lataque, & crenis secūdum margines incisa, crebrò ad vnam costam septena: flores candidi, & quæ sequuntur siliquæ prioris

prioris similes radices quoque asperæ & squamosæ, sed tamen nonnihil quàm prioris minus.

In Germaniæ nonnullis vmbrosis ac opacis montibus gignuntur. Priorem circa Hercyniam syluam, haud procul Northusio, plurimam solo pingui, cui saxa subsunt, reperiri, Valerius Cordus auctor est.

Aprili & Maio præcipue florent: semen postea perficitur.

Dentarias vulgo appellant: Cordo Coralloides dicuntur, à radice albi coralli æmula. Matthiolus inter Solidagines & Symphyta reponit. Nos propter florum cum Leucoiis similitudinem, Violas maluimus dentarias appellare.

Quod verò ad facultates attinet, vtraque inter vulnerarias herbas à recentioribus refertur: & ad interiorum viscerum, præcipuè tamen thoracis ac pulmonis vulnera: nec non ad intestinorum ramices, commendatur.

De Viola Mariana, siue Rapo syluestri Dioscoridis.

CAPVT VIII.

Viola Mariana.



MARIANA Viola folia primùm habet oblonga, lata, subnigra, aspera, nonnihil hirsuta, vulgaris Buglossi foliis nigriora, minora, minusque aspera. Caules deinde secundo anno profert rotundos, rectos, ramosos, aliquátulum etiam hirsutos, circa quos folia similia, sed minora. flores in summis virgis exeunt oblongi, caui, rotundi, per oras incisuris quinque, sed non profundis, diuisi, & angulis non perinde vti aliorum syluestrium Raporum acutis; coloris vt plurimum in cæruleo purpurei, subinde candicantes, in quibus stamina duo aut tria candida, qui & priusquam dehiscunt quinquangulares sunt. post flores capitulum nascitur, superiore parte latius, quinque quoque angulos habens, & quinque loculis veluti caligulis asperis & hirsutis deorsum dependentibus circum vestitum, in quo semẽ exiguum, subruffi, & eius, cuius Castaneę fructus echino exemptus, propemodum coloris. radices subsunt longæ, crassæ, candidæ, non ingrati saporis.

Nascitur, vt aiunt, in syluis & montibus, nec non in opacis quibusdam tractibus, vt Matthiolus refert, plerisque Italiæ & Germaniæ locis. apud Belgas in hortis colitur.

Iunio, Iulio & Augusto mensibus floris eius productio: semen interea ad maturitatem peruenit, neque enim simul, sed particulatim floret.

Violam Marianam nostri appellant, & vulgò *Martettes*. Recentiorum plerique Medion esse volunt.

Medion autem Dioscorides tradit folia habere Seridis, (exemplaria quædam Iridis habent) caulem tricubitalem, & in eo florem magnum, rotundum, purpurascentem. fructum paruum, similem Cnico, radicem dodrantalem, crassitudine baculi, gustu acerbo. Cum qua descriptione Viola Mariana non admodum respondet: tametsi enim illi flos grandis & rotundus, folium tamen propriè nec Iridis nec Seridis & fructus aut semen, Cnici semini haud simile, vtpote valde minutum, & subruffi, vti scripsimus, coloris. *Medion.*

Quas ob causas Viola Mariana non Medion, sed potius verum Dioscoridis Rapum syluestre videtur (γογγύλη ἀγρία quæ Græcis dicitur) cum cuius descriptione magis conuenit. Nam fruticosa est stirps & ramosa, cuius lobi siue capitula appendentibus aliquot loculis circumtecta, quibus sublatis, interior lobus siue capitulum conspicuum est: quale Rapum syluestre esse, ex eius apud Dioscoridem descriptione satis constat. Quæ tametsi superfluorum quorundam accessione corrupta, Rapo tamen syluestri proprissimè complectitur. *Dioscoridis locus corruptus.*

Describitur autem Rapum syluestre à Dioscoride his verbis: ἀγρία γογγύλη φύεται ἐν ἀρούραις, θάμνος πηχυαῖος τὸ ὕψος, πολύκλαδος, ἐξ ἄκρου λεῖος· φύλλα ἔχουσα λεῖα, δακτύλου τὸ πλάτος, ἢ καὶ μείζονα. καρπὸν δὲ ἐν λοβοῖς καλυκώδεσιν. ἀνοιχθέντων δὲ τῶν περικαρπίων, ἔσωθεν ἄλλος κεφαλοειδὴς *γογγύλη ἀγρία.*

λογεῖ δ' ἐστὶ λοβὸς, ἐν ᾧ σπέρματα μέλανα, θρυπτόμενα δὲ λευκὰ ἔνδοθεν id est, Rapum sylvestre, nascitur in arvis, frutex altitudine cubitalis, summa parte laevis folia habens laevia, digiti latitudine aut maiora: fructum in lobis calyculatis, quorum involucra cum aperiuntur, alius capituli modo lobus subest, in quibus semina nigra, contrita vero intus candida.

In qua descriptione, quae de laevitate summorum caulium ac foliorum, & seminis nigredine, ac interior eius medulla candida traduntur, ad sylvestris Rapi, huius praesertim, descriptionem non faciunt, sed alio pertinent. Huius siquidem sylvestris Rapi caules aut folia non sunt laevia, sed aliquantulum hirsuta: semen etiam non nigrum, verum subruffum, & castaneis, vt diximus, colore affine.

Videntur autem, quae de laevitate foliorum & summarum partium, Rapunculo convenire, aut Campanulae, de qua in sequentibus capitibus: semen verò, quod hic describitur, sativi Rapi est. Ita plurium stirpium descriptiones inter se confusa.

Caeterùm quòd ad facultates attinet, radix Violae Marianae refrigerantis & nonnihil adstringentis est potentiae: esui, vt aliorum sylvestrium Raporum, apta est, & non incommodè acetariis additur.

De aliis sylvestribus Rapis. CAP. IX.

Cervicaria maior.



Cervicaria minor



1. SVNT verò & multa alia Rapi sylvestris genera, Calathoide florum figura, & radicibus Violae Marianae haud multum dissimilia.

2. Vni, quod à Viola Mariana alterum, caules sunt cubitales aut altiores, angulosi, asperi, hirsuti: folia aliquantulum aspera, lata, in acutum desinentia, per ambitum crenata, Vrticae foliis & forma & colore quodammodo similia: flores secundum caules exeunt, Violae Marianae floribus minores, per ambitum quinque similiter incisuris, sed profundioribus, divisi, intus aliquantulum hirsuti, colore aut candidi, aut dilutè purpurei, vel ad caeruleum inclinantes.

Huius verò species quaedam est foliis aliquanto laevioribus: floribus elegantioribus, coloris purpurei e caeruleo, cuius radix aliquot annis vivax restat, & Vere regerminat.

Cervicaria maior. Nominant hoc genus Germani Halßkraut/ Nostri Halscruyt, id est Latine Cervicariam, & Cervicariam maiorem. Graecè τραχήλιον. plerique Vvulariam. Fuchsius Campanulam.

Tet-

Rapunculum.



Rapunculum Alopecuron.



Tertium genus caules habet breuiores: folia minora, candidiora, minus aspera, oblonga, Saluiæ foliis similiora: flores Ceruicariæ minores, colore proximi Violæ nigræ, dilutam purpuram referentes, qui non vti aliorum deorsum nutant, sed sursum eriguntur, plures simul summo caule exeuntes. radices quoque similes. Hoc genus plerique Ceruicariam minorem appellant. 3.

Nascuntur hæc in Germania ac Belgio plerisque aridioribus locis secus pratorum margines, & crebrò locis senticosis, transferuntur in hortos, florum gratia.

Florent Iunio, Iulio & Augusto mensibus.

His autem simile & quartum genus est. caules istud quoque breuiores facit: folia lata & Ceruicariæ prioris proxima, minus tamen aspera, minusque per ambitũ crenata. flores deorsum pendent, coloris vt plurimum dilutæ & quasi ex cæruleo rubentis purpuræ. pro radicibus, multæ, tenues, transuersim & obliquè serpentes fibræ sunt, à quibus multæ oblongæ, candidæ radiculæ, Rapunculi radicibus similes demittuntur. Ita facilè seipsum propagat & latè serpit hoc genus. 4.

Secus aruorum margines in Zelandia & alibi locis etiam non maritimis reperitur.

Floret eodem quo reliqua tempore.

Quintum genus, quod vulgò Rapunculum nominant, caules profert tenues: folia oblonga, angusta, læuia: flores Ceruicariæ minores, cæruleo vt plurimum colore: radices candidas, digitalis longitudinis, esui aptas. 5.

Exit in aruis, multis locis frequens.

Plurima æstatis parte floret. hybernis mensibus radices leguntur, & cum acetariis inferuntur.

Istud genus vulgò, vti diximus, Rapunculum, quasi paruum Rapum appellant: Germani Rapuntzeln: Nostri Rapunte: Galli *Raiponce*.

Horum omnium flores priusquam adaperiuntur, quinquangulares sunt; completi verò rotundi, & inuersi calathi figuram referunt, staminibus intus candidis, & per circumferentiam quinque incisuras, totidemque eminentes angulos acutos habent: capitula autem, in quibus semen, angularia, superiore parte ampliora, sed nuda, & nullis appendicibus aut loculis siue pericardiis circumtecta, vti sunt Violæ Marianæ, quæ eam ob caussam, nempe quòd

capitula

capitula, siue lobos habeat circumtectos, cum syluestris Rapi descriptione exactius, quàm vllum horum conuenit, quæ tamen & omnia Rapa syluestria sunt.

6. Præter hæc vero & sextum quoddam genus est à superioribus forma aliquantulum differens. huic autem folia primum lata, postea secundum caules angustiora: caules dodrantales, summa parte veluti spicam paruorum florum plenam proferunt, quorum singuli antequam panduntur, corniculi cuiusdam similitudinem referunt, aperti verò in quatuor angusta foliola finduntur, colore aliàs candidi, aliàs cęrulei, aliàs purpurei: floribus capitula parua succedunt, Rapunculi capitulis fere similia, verum minora, multa circa caulem simul arctèq; composita: radices candidæ, vt aliorum Raporum syluestrium.

Gignitur locis syluosis & opacis, pingui lutosoque solo.


Floret Maio, Iunio & Iulio mensibus.

Nonnulli Alopecuron appellant, ab ipsa florum plena spica, quę iam apertis flosculis, mollis & veluti lanuginosa, vulpiumque caudis propemodum assimilis, ea de causa, videtur. Sed Alopecuros alia omnino est herba in frumentorum & leguminum historia à nobis descripta. Quia de causa ab aliis Rapunculum Alopecuron dicitur, ad differentiam videlicet veri & legitimi Alopecuri.

Radices porrò omnium horum refrigerantis potentiæ sunt & nonnihil adstringentis possunt autem omnes vnà cum aliis acetariis edi. Sūt etiam qui Ceruicariæ radicum decoctum, aduersus incipientes oris & tonsillarum inflammationes conferre affirmant.

De Campanulis. Cap. X.

Campanula maior.



Campanula media.



CVM syluestribus Rapis similitudinem quandam habere videntur, quas Campanulas vulgò nominant. Earum tres nobis obseruare contigit species. Vnam maximā; alteram mediæ magnitudinis: tertiam syluestrem minimam.

1. Maior siue maxima Campanula folia habet prima terræque proxima lata & Violę nigræ forma similia, sed tamen paulò maiora, quæ verò circa caules, quos validos & præaltos promit, oblongiora, vtraque saturi viroris: flores secundum caules gignuntur plurimi, Rapunculi floribus maiores ac patentiores, campanulis ac tintinnabulis fere assimiles, cæruleo ni-

tentes

Campanula *syluestris minima*.



tentes colore, staminibus in medio candidis radix nouellis plantis oblõga & digitalis fere crassitudinis, vetustis verò in multas distributa.

2. Medię magnitudinis Campanulæ folia non modò caulibus agnata, verùm & prima, angusta sunt & oblonga, saturato quoque & virore splẽdentia: caules striati bicubitales & altiores, circa quorum partes superiores flores prioris satis similes, vel colore cęrulei, vel candidi.

3. Tertia syluestris minima, maiori similis est, sed tamen omnino minor prima etenim eius & terrę proxima folia lata sunt, & Violę nigrę latis similia, attamen non tam magna: reliqua verò oblonga & angusta, flores similes cęrulei, subinde candidi, sæpe Rapunculi floribus maiores: radices verò tenues & fibrosæ.

Tres hę lacti similem succum prębent, cauliculis & foliis vulneratis: flores earum nondum completi quinquangulares quoque sunt, & patentes in quinque similiter angulos exeunt, & capitula similiter quinquangularia, Rapunculi & aliorum syluestrium Raporũ satis similia, sed foraminosa & perforata, in quibus semen perquam exiguum. Putari hinc possent fortassis Raporum syluestrium esse species, sed quia radix earum edulis non est, aliò videntur referendæ.

Priores duę in hortis seruntur: tertia passim in Belgio iuxta aruorum & agrorum margines reperitur.

Omnes Iunio, Iulio & Augusto florent.

Vulgò Campanulas nuncupant; plerique Beluedere: Sed Italis *Beluedere*, Gręcorum Osyris est, cum qua Campanulæ similitudinis nihil habent.

Et primam quidem harum sunt qui Columnarem, & quidem Plinij iudicent, cùm tamen herbę Columnaris nomen apud hunc non reperiatur. Alij Anthemum Plinij faciũt, & huius quidem nomen in multis exemplaribus reperitur, sed deprauatis. Legendum siquidem est, non Anthemum sed Eranthemum lib. XXVI. cap. VIII. Eranthemum autem Anthemidis est species, flore roseo colore rubens, multumque ea de causa à Campanulis differens. 1. *Plinij locus restitutus.*

2. Secundam Matthiolus Phyteuma esse existimat, at nobis tum hæc, tum alię Campanulę Iasionę similiores videntur: Phyteuma verò esse Antirrhini syluestris species, de qua inferius suo loco. Ait etenim Theophrastus *ἰασιώνης* florem vnico folio constare, similitudinẽ autem plurium ostendere, quę tamen non separentur, & superiorem floris partem angulosam esse. Talis certè Campanularum flos est, vti & omnium similiter Raporum syluestrium (excepto generis sexti) quę tamen ea de causa Iasiones esse affirmari non possunt, si modò eadẽ Theophrasti & Plinij est Iasione. Plinius siquidem Iasionem lac ait habere copiosum, quod solę Campanulę pręcipuè fundunt.

Dubitet fortasse aliquis, & Campanulam non esse Iasionem existimet, quòd Plinius olus esse Iasionem scribat syluestre, in terra repens, flore candido Sed si olus est, omnis herba edulis, & Campanula olus est, cùm & eius folia edi posse non sit dubium: repunt verò & in terra subinde secundæ ac tertię radices, atque ea de causa citissimè vna aliqua stirps multiplicatur & ampla fit: florem etiam non rarò candidum esse scripsimus.

Theophrasti autem de Iasione hęc sunt verba, lib. 1. vbi de florum agit differentiis: Nonnulli, inquit, vnius folij nascuntur, similitudinem tantum plurium ostendentes, vt flos Iasiones, huius etenim non separatur vllum in flore folium: neque conceptaculo pars inferior e-get, superior autem angulosa. *Iasione.*

De Iasione verò Plinius lib. 22 cap. 22. hunc in modum: Iasione olus syluestre habetur, in terra repetis, cum lacte multo, florem fert candidum, Concilium vocant.

De facultatibus autem harum Campanularum nihil occurrit in medium adferendũ, cùm nullus vsus flos, herba, aut radix sit. Apud Theophrastum verò etiam ac Plinium nihil de Iasiones viribus scriptum reperitur.

De

De Campanula aruensi minima. CAP. XI.

Campanula aruensis minima.



PRÆTER verò superiores Campanulas, & alia quædam humilis & parua est, cui cauliculi tenelli, dodrátales, in alas plures diuisi, plurima parte humi decumbentes folia circa cauliculos parua, per ambitum leniter crenata: flores paruuli, in puniceo purpurei, pulchri, multum patentibus tintinnabulis aut campanulis similes, stamine in medio cádido, qui interdiu patent; circa verò occasum Solis recluduntur, & in quinquangularem speciem cótrahuntur, quam etiam nondum aperti, vti aliæ Campanulæ, referunt. radices tenuissimæ sunt.

In agris frumentariis, inter segetes exit, fertili & fœcundo solo.

Iunio & Iulio floret.

Anonymos nostris est herba: plerique tamen Speculum Veneris: Brabanti vulgo Vrouwen spiegel vocant. non esse Onobrychim, quod quandoque suspicati fuimus, satis cóstat. Campanularum videtur esse species, non tamen Iasiones, cùm lac nullum vulnerata fundat.

Facultatem autem Campanula hæc compertam nullam habet, cum nullius in medicina sit vsus.

De Campanula Autumnali.
CAP. XII.

I. Campanula Autumnalis.



IAM & in Campanularum numero quędam etiam serotina est. caulibus hæc exit dodrátalibus, tenuibus, foliis angustis, binis exaduerso positis: flores in cauliculorum summo fastigio, & quandoque e foliorum sinubus, prodeút oblongi, calathoides, sursum hiantes, in cæruleo saturato eleganter purpurei, staminibus in medio candidis, Raporú syluestrium siue Ceruicatiatum dictarum floribus quodammodo similes, quinquangulares quoque prius quàm adaperiantur; adaperti verò quinque per circumferentiam fissuris diuisi, totidem eminentibus angulis, sed minus patentes, angustiores, minores, & colore elegantiores; vtpote cæruleum ipsum sui coloris pulchritudine & gratia prouocantes. semen exiguum in paruis oblongis thecis continetur. radices subsunt tenues, oblongæ, bifidæ, trifidæ, aut amplius diuisæ, gustu amaricantes.

Reperitur aliquando in pratis, frequéter in aliis incultis, & iisdem quibus Erica humidioribus locis. In pratis quidem procerior auctiorque amplior: in Ericastris verò tenuior ac minor prouenit.

Sub finem Augusti, ac Septembri mése elegantes huius flosculi vigent.

Apud Belgas nomen non habet: Sunt tamé, qui blauw Lelekens, id est, cærulea Liliola nuncupent. Ananiésia rura Pettamborsa vulgò vocant: Matthiolo teste. Videtur autem hæc respondere descriptioni Calathianæ Violæ, non

quæ

quæ apud Plinium, sed apud Ruellium lib. II. cap. CXXIX. extat: Quam ipse pluribus omnino verbis describit, quàm Pliniana descriptio habeat. Plinius enim paucis verbis Calathianam expressit, & lutei esse coloris ostendit. Ruellius verò cæruleum, & eum quidem elegantissimum ei tribuit.

In totum, Plinius ait lib. XXI. cap. VI. sine odore minutoque folio Calathiana, munus Autumni, cæteræ Veris. Proxima ei Caltha concolori magnitudine: vincit numero foliorum marinam, quinque folia non excedentem. His verbis ostendit Plinius Calathianam concolorem esse Calthæ, id est, luteam, & æqualis magnitudinis, sed tamen Calthę florem ex pluribus componi foliolis. Caltham autem esse lutei coloris ostẽdunt Vergilij & Columellæ versus capite de Calendula adducti. Ruellius verò vnde locupletatam illam descriptionem acceperit, non facilè fuerit affirmare: Non est tamen quòd ab eo excogitatam suspicemur: talem enim qualem ipsa descriptio proponit Calathianam non agnouit. Ruellij autem verba hæc sunt:

Calathiana munus Autumni, Violæ cęterę Veris, ea minuto est folio Violæ albę non dissimili, in totum sine odore, calathi similitudine, Autumno tantum prouenien, tanta coloris pulchritudine, vt cęruleum ipsum, quod imitatur, prouocet: in pratis post æstatem emicat; Autumnalem Violam nominant. Videtur eadem a Valerio Cordo Pneumonanthe nuncupata, quam Germanicè Lungen blume dici refert.

Qualitate autem hæc Viola calida est, Gentianæ, cuius species nonnullis videtur, facultate quodammodo similis, multò tamen imbecillior. Efficax a recentioribus habetur aduersus pestilentes morbos, & ad virulentorum animalium morsus & ictus.

De Digitali. Cap. XIII.

Digitalis purpurea.



DIGITALIVM plures sunt species, nõ modò florum colore, sed & foliorum forma coloreque differentes.

1. Vulgatissima purpurei floris est, cui longa, lata, per ambitum crenata, dilute virentia folia, Verbasci quodammodo similia, minora tamen minusque lanuginosa: caulis rectus, rotundus, à medio sursum versus compluribus floribus grauidus, non alternatim, aut orbiculatim, sed ab vno caulis latere supra inuicẽ, aut, vt Græci aiunt, ἐπ' ἀλλήλων dispositis, deorsum versus depẽdentibus, forma oblongis, intus cauis dactylothecis propemodum similibus, colore ex rubore purpureis, punctis quibusdam candidis intercursantibus, quos rotunda sequuntur vascula, in quibus semen exiguum. radices multę tenues fibrę sunt.

Plerisque Germaniæ & Belgij locis saxosis & vmbrosis, in montium conuallibus, & vbi ferri & Lithanthracon fodinæ vicinæ sunt, spõte exit: transfertur etiam in hortos.

2. Altera Digitalis, priori foliis similis est, lõgioribus tamen ac latioribus: flores huius cum prioris floribus forma etiam conueniunt, colore verò candidi aut subinde dilutè in candido purpurascentes.

3. Tertia folia habet angustiora, venosa, glabra, saturato virore nigricantia, auersa tamen parte candidiora, per ambitum nonnihil serrata: flores huic lutei, forma prioribus fere similes.

4. Quarta Digitalis folia promit tertiæ similia, in virore quoque obscuro nigricantia, & candidiora similiter parte auersa, sed minora & angustiora, flores paruos, deorsumque depẽdentes, verùm minores, colore subluteos aut pallẽtes.

Appellant autem Germani quidem hanc stirpem vulgari lingua Fingherhut & Fingherkraut: Belgæ Vingherhoet: Galli, *Digitale*, aut, quidam aiunt, *Gants nostre Dame*: Angli Foxe glove: Fuchsius apposité Latinè Digitalem nuncupauit. Nonnulli θρυαλλίδα nominant, & θρυαλλίδος Verbasci speciem faciunt; quæ λυχνῖτις dicitur. Sed Lychnitis siue Thryallis folia habet pin-

gina, crassa & hirsuta, ad ellychnia in lucernis apta, qualia minimè digitalis, cuius tam crassa aut hirsuta non sunt, vt ellychnij vicem explere queant.

Facultatem autem Digitalis quidem folia, cum amara sint, calidam obtinent & siccam, cum nonnulla expurgandi vi coniunctam, interim tamen nullius sunt vsus, nec medicamētis vllis admiscentur: flos solus, sola pulchritudine & forma placet gratusque est.

De Lychnide Coronaria. Cap. XIIII.

Lychnis coronaria.



LYCHNIS coronaria folia gerit oblonga, pollicis latitudine aut paulò latiora, mollia, lanosa, cana, Verbasci foliis minora quidem, sed candidiora & lanuginosiora: caules cubitales, rotundos, geniculatos, canos quoque & lanuginosos, in plures breues alas diuisos, in quarum summo singuli flores, è calycibus suis, aspectu pulchri, sed inodori, Violæ matronalis floribus maiores, colore rubro & veluti flammeo fulgentes, subinde, sed rarius, candidi, aut dilute rubentes, ex foliolis vt plurimum quinis, rarissimè senis, nec pluribus congestis, nisi floris foliolis (quod vti aliis floribus hortensibus, ita & huic aliquando contingit) multiplicatis, in medio florum apices sunt acuti & pungentes: radices subsunt tenues.

Seritur in hortis, Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Belgioque familiaris: apud Ananienses autem, vti Matthiolus refert, etiam syluestris, sponteque exit.

Iunio, Iulio ac Augusto æstiuis mensibus florum exortus.

Nominant hunc florem Germani, Frawen röszlin, Marien röszlin, Marghen röszlin, & Himmel röszlin: Latine Dominarum rosam, Marianam rosam, Cæli rosam & Cæli florem, Belgæ Christus ooghen id est, oculum Christi, Galli *Oeillets*, & *Oeillets Dieu*: Itali ac Hispani *Lychnide*. Dioscoridi λυχνὶς στεφανωματικὴ est, hoc est, Lychnis coronaria, siue satiua. Gaza λυχνίδα lucemulam conuertit. Videtur eadem & λυχνῖτις ἢ λυγνῖτις per γ, esse Verbasci species, quæ & θρυαλλίς, folia siquidem habet mollia, hirsuta, ad lucernarum funiculos siue ellychnia apta, cuiusmodi Lychnitidis esse Dioscorides testatur: florē item vt plurimum rubentem habet, qualem θρυαλλίδος esse, Nicander innuit, rubentem eam in Theriacis nominans:

ὅσσα τε λυχνὶς ἔνερθεν, ἐρεύθηεις τε θρυαλλίς.

In quo versiculo Lychnis intelligi debet syluestris, vt ipse Nicandri interpres monet, ne coronariam Lychnida à Thryallide differre hinc quis existimet. Conradus Gesnerus hunc Iouis florem & Græcè διὸς ἄνθος nuncupari existimat. Sed Theophrastus inter Lychnida & Iouis florem, lib. 6 distinctionem facit, æstiua sunt, ait, λυχνὶς, διὸς ἄνθος, &c. & similiter Plinius, lib. 21. cap. 11. hæc Theophrasti verba referens, succeduntillis æstiui, scribit, Lychnis & Iouis flos, &c. Est autem διὸς ἄνθος siue Iouis flos, flos æstiuus, coronarius, absque odore, cui radices lignosæ; Theophrastus lib. 6. Sunt verò & qui velint Lychnida, Plinij Rosam Græcam esse, quam refert, non nisi in humidis prouenire, nec vnquam excedere quinque folia, Violæ magnitudine, odore nullo. Porrò Lychnidis & alia multa reperiuntur nomina, inter notha tamen & supposititia relata, dicitur etenim & ἀθάνατος, quasi immortalis, quòd diutinè pulchritudinem suam retineat. Item ἀκυλώνιον, βαλλάξιον siue bellaria, γεράνου πόδιον, hoc est Gruis pes; καρύμβιον, & hanc esse Corymben Ruellius iudicat, cuius Columella lib. 10. hoc senario meminit:

Nunc veniat quamuis oculis inimica Corymbe.

Coronis etenim, inquit, inserta, igneo micans aspectu, oculorum aciem obtundit. Iam & Lychnis hæc ταύρειον dicitur: alia tamen, quæ Taura siue Tora vulgò nominatur, venenosa herba, de qua inter deleterias. Nominatur præterea Lychnis & σπήλαιον, item μαλάσσιον, & Latinè Genicularis.

Facul-

Margin notes: διὸς ἄνθος. (beside "Iouis florem & Græcè διὸς ἄνθος"); Rosa Græca. (beside "lignosæ; Theophrastus lib. 6."); Corymbe. (beside "Nunc veniat quamuis oculis inimica Corymbe."); Tora. (beside "Lychnis hæc ταύρειον dicitur")

Facultate autem Lychnidis coronariæ semen, Galenus ait, calidum est secundo quodammodo ordine, & siccum eodem modo: cum vino potum, a Scorpione ictis auxiliatur, auctore Dioscoride.

De Lychnide syluestri. CAP. XV.

Lychnis syluestris.



Lychnis syluestris flore multiplici.



SYLVESTRIS Lychnis geniculatis caulibus, foliisque mollibus, Coronariæ Lychnidi satis similis est, minus tamen cana, aut lanuginosa, foliis item angustioribus, & caulibus tenerioribus, pluresque alas facientibus floribus etiam minoribus, colore candidis aut rubentibus, calycibus tamen maioribus, in quibus semen paruum, rotundum, subnigricans. radicibus longis & digitalis subinde crassitudinis.

Iuxta pratorum, aruorumque margines, & alibi sua sponte exit: transfertur etiam in hortos, in quibus quandoque florum foliola multiplicat.

Plurima æstatis parte, & in Autumnum vsque floret.

Nostri Jenettekens appellant: Germani etiam Margen roßlin & wilde Margen roßlin: item Lydwenck & wederstoß: Galli *Oeillets sauuaiges*. Græcis λυχνὶς ἀγρία Latinis Lychnis syluestris dicitur.

Sunt tamen & aliæ syluestres appellatæ & cognominatæ Lychnides, huic haud similes. Syluestris etenim Lychnis Antirrhinon quoque auctore Dioscoride. & similiter Leontopetalon, Apuleio teste, appellarur.

Sunt verò huic Lychnidi & aliæ quoque quædam nomenclaturæ, vt: τεγγύβραξιν, ἀνώνιον, ἱεροσποτάδιον, λαμπὰς, & apud Romanos Intybum agreste, quæ inter nothas & reiectitias reperiuntur. Ex recentioribus pleríque Saponariam hanc nuncupant: est tamen & alia Saponaria, de qua inferius. Nonnullis etiam Ocimastrum esse videtur, at ὠκιμοειδὲς siue ocimastrum, Ocimastrū. Ocimo foliis simile est, ramosque habet breues dodrantales modò, radicemque tenuem & superuacuam. Lychnis verò hæc caules promit cubito longiores, folia oblonga Ocimo nullatenus similia, & radices longas crassasque, quæ manifestam contradictionem, & euidentem huius cum Ocimastro differentiam ostendunt.

Describuntur autem & aliæ nonnullæ syluestres Lychnides à Carolo Clusio, quas ex eius diligentissimis per Hispanias obseruationibus lib. II. cap. XXVIII. requirendas & cognoscendas

das

das relinquimus vnum solùm admonentes, eam videlicet, quam inter suas secundam facit, à nobis inter Armerios flores, quarto loco iam olim repositam.

Cæterum Lychnidis syluestris semen, duarum drachmarum pondere potum, bilios aper aluum ducit, & à scorpione ictis conuenit. aiunt etiam scorpiones torpescere, & ad lędendum inefficaces reddi, hac herba ipsis apposita: auctor Dioscorides.

De Been Albo siue Polemonio. CAP. XVI.

Been album siue Polemonium.



Polemonium.

AD syluestris verò Lychnidis genus referri quoque posse videtur, à recentiorum nonnullis Been album vocitatum. cauliculi autem huic complures, tenues, teretes, & geniculati, atque e singulis articulis folia bina oblonga, latiuscula, acuminata, Polygoni fere similia, sibi inuicē opposita, læuia, & ex albido virentia flosculi albidi, ex oblongis erumpentes calycibus, tenui mollique membrana velatis, plures simul cohærentes, deorsum nutant semen nigricat radix albida, & satis prolixa, sed tenuis.

Pluribus per Germaniam, Bohemiam, & Galliam locis reperitur: in herbosis ac lætis collibus frequenter exit.

Æstate floret, à Iunio nempe mense in Augustum vsque.

Vulgo Beën album nominant & album quidem ad differentiam alterius, quod rubrum cognominatur, quod & Valeriana rubra dicitur: vt Pemptadis tertię lib. primo scripsimus. Neutrum tamen verum Arabum Been. Appellatur verò & à nonnullis Papauer spumeum, cum quo similitudinis habet nihil ab aliis Herba Tunica: ab Hispanis *Saffefica*. Tunicam autem dictam herbam Bernardus Gordonius Dioscoridis Polemonium esse sentit. Cum Polemonio verò non perperam conuenit Ramulos siquidem habet tenues. folia Hypericoidis Rutæ: flosculos veluti ex corymbis dependentes: semina nigra: radicemque longiusculam & albidam. quale Polemoniū esse Dioscorides refert.

Κλωνία, id est, ramulos habet, inquit, tenues, πτεροωμένα (pinnatos, reddunt interpretes.) folia paulò maiora quàm Rutæ in summo veluti corymbos. in quibus semen nigrum. radix cubitalis & alba, Struthij similis. Exemplaria vulgaria vbi legitur. Φύλλα δὲ ὀλίγω μείζονα πηγάνου: addita habent hæc subsequentia verba. ἐπιμηκέστερα δὲ πρὸς τὰ τοῦ πολυγόνου ἢ τῆς καλαμίνθης: verum hæc in Crateuæ, quæ reperiuntur, fragmentis non extant. perperam etiam ἢ καλαμίνθης accessit: Nam ad alterius Polemonij descriptionem hoc pertinet Est siquidem & alterum quoddam Polemonium, quod ab Absyrto Hippiatro breuiter describitur. Lationi istud Calaminthæ similitudinem refert, sed magis incanescit, amarius est, odoremque grauiorem habet, & in vliginosis pratis nascitur. Istud autem Polemonium à Dioscoridis Polemonio multum differens est. Appellatur verò Polemonium Græcis similiter πολεμώνιον: à nonnullis verò & Φιλεταίριον: a Cappadocibus χιλιοδύναμις: Latini Philetærium & Chiliodynamin quoque vocant.

Dioscoridis locus emendatus.

Polemonium Absyrti

Tenuium autem, vt Galenus ait, Polemonium est partium, & desiccandi vim obtinet. Bibitur radix, vt Dioscorides refert, cum vino quidem aduersus serpentes, & dysenteriam contra verò vrinæ difficultatem, & coxendicis dolores cum aqua. lienosis drachmæ pondere ex aceto datur: circumligatur & eadem scorpionis ictui dentium dolores mansa mitigat. Ferunt & eum qui radicem gestauerit à scorpione non feriri, eumque, si ictus fuerit, nihil molestias passurum Hæc quidem de Polemonio.

Been verò albi vulgò dicti quæ sint facultates (si Polemonium non est) nondum compertum.

Di

De Nigellastro. CAP. XVII.

Nigellastrum.



NIGELLASTRVM foliis est oblongis, angustis, acuminatis: culmo cubito altiore, rotundo, vtrisque hirsutis ac pilosis: flore obscurè purpureo, ad puniceum inclinante, Lychnidis satiuæ simili, sed minore: semine nigro, cum asperitate quadam amaro, quod in oblongis capitulis siue calycibus, vti syluestris Lychnidis, continetur: radice tenui.

In agris vnà cum frumentis passim gignitur.

Maio ac Iunio mense cum flore viget.

Germani Raden/ Ratten/ Kornroß/ Kornegele. Belgæ Coren roosen/ & Negelbloemen appellant. Itali *Gitthone*, siue *Gitthone*: vnde plerique similitudine vocis inducti, verum ac legitimum Gith siue Melanthium esse crediderunt: quos à veritate recessisse notius est quàm refelli debeat. A vero siquidem Melanthio non solùm foliis, sed & aliis proprietatibus differt. Appellatur tamen & Gith siue Melanthium, à seminis nempe nigredine; verùm non simpliciter, sed cum adiectione aliqua, ad differentiam legitimi Melanthij. Hippocrates siquidem μελάνθιον ἐκ τῶν πυρῶν, hoc est, Melâthium ex Tritico. Octauius Horatianus Gith quod in segete nascitur ipsum nominat: & eandem ob causam ab huius ætatis doctis, Nigellastrum, Githago, & Pseudomelanthium dicitur. Ruellius à Gallis *Nielle* & florem Micâcalum refert appellari, & Theophrasti ἄνθεμον φυλλῶδες esse iudicat. Sed Anthemon Theophrasti, Anthemis est apud Dioscoridem, & ἄνθεμον φυλλῶδες siue foliosum Anthemidis species, cum Nigellastro parum conueniens.

Cæterùm Nigellastri semen, calidum & siccum secundo est ordine satis intenso: in pesso cum melle subditum menses euocat; vt Hippocrates in lib. De morbis muliebribus testatur. Octauius Horatianus, semen frictum & tritum ad auriginem bibendum exhibet.

De Caryophylleis floribus. CAP. XVIII.

CARYOPHYLLEORVM florum species quidem sunt complures, Armeriis nuncupatis in horum numerum receptis: iis autem seorsum habitis, duæ præcipuè: maior vna, altera verò minor.

Maiori caules læues, teretes, cubitales, rarò altiores, geniculati: folia è singulis articulis 1.
bina, oblonga, dura, angusta, per extremum acuminata, colore quasi cæsia: flores speciosi, ex longis teretibus denticulatis calycibus, & è senis vt plurimum foliolis, qui simplices sunt: multiplices verò omnino ex pluribus, usque lente fimbriatis commissi, odore admodum suaui, & odoratos Indicos Caryophyllos referentes, colore aliâs in diluta purpura, aliâs in saturatè rubentes; subinde candidi, aut ex candido purpurascentes, interdum versicolores: in quorum medio staminei emicant gemini apices candidi: semen in vasculis oblongis paruum ac nigrum. radices fibrosæ.

Habentur in hortis sed speciosissimi ferè in fictilibus vasis.

Seruntur frequentius auulsis exiguis cum foliis surculis, seminibus rariùs: Nam è semine nati flores, ad agrestrem naturam redeunt, minores, minusque odorati, & simplices, etiam si prius multiplices, redduntur. Adiguntur subinde surculis cum plantantur fissis Caryophylli, quo illorum odorem flores alliciant, & iucundam eorum suauitatem naribus abundantius repræsentent. Viuax est planta, & multis durat annis, si hybernis mensibus, à frigoris iniuria tuta, in cellis vinariis aut aliis similibus locis tepidis asseruetur.

Floret diutissimè, tota quidem æstate & Autumno. in cellis etiam interdum, fauente loci tepore, hyeme tametsi rigida.

Caryophylleum florem, ab odore Caryophyllorum recentiores nominant. Germanis Negelblumen/ Grasblumen: Italis *Garofoli*: Hispanis *Clauel*. Gallis *Oeilletz*, *Ouilletz*: Belgis Gi-

Caryophylleus flos maior.



Caryophylles flos multiplex.



Caryophylles flos simplex.



Caryophylleus minor.



Caryophylleus minor alter.



noffelbloemen & Groffels bloemen, & Latinè à plerisque Ocellus, Ocellus Damascenus, Ocellus Barbaricus, & Barbarica nũcupatur. Sunt etiã, qui Betonicam, aut Veronicam siue Vettonicam appellent, altilem aut coronariam cognomento, (Matthiolus Vetronicum coronarium dicere maluit) ad differentiam videlicet alterius Betonicæ, quę Gręcis κέστρον καὶ ψυχοτρόφον dicitur, atq; hinc etiam herbam Tunicam dictam, hanc esse plerique existimãt sed Bernardus Gordonius herbam Tunicam Dioscoridis Polemonium esse tradidit.

Turnerus Caryophylleum Cantabricam facit, quam Plinius lib. 25. cap. 8. in Hispania inuentam scribit, per Diui Augusti tempora, à Cantabris repertam. Nascitur vbique, ait, cauleiunceo, pedali; in quo sunt flosculi oblongi, velut calathi: in his semẽ perquàm minutum. *Cantabrica.*

Leonhartus verò Fuchsius, Veronicam siue Betonicam alteram esse voluit, quæ inter notha Dioscoridis descripta reperitur, & quidem his verbis: Βεττονικὴ γεννᾶται ἐν χορτοκοπείοις καὶ ὀρεινοῖς τόποις, καὶ καθαροῖς, καὶ ἡμέροις, περὶ τὰ γεννήματα· ἔχει δὲ τὴν μὲν ῥίζαν ὅλην ἐρυθρὰν, καὶ εὐώδη· τὰ δὲ φύλλα πράσινα καὶ τὸ μέσον τῶν φύλλων φοινικοῦν καὶ εἰς τὸ ὀρθὸν καλαμίον τριγώνια, καὶ ἐπ' αὐτῶν ἄνθη πορφυρίζοντα· id est, Vettonica nascitur in pratis & montanis locis, mundis item & cultis: radicem habet totam rubentem & odoratam: folia Porracea, & medium eorum puniceum, in recto calamo triangula, & in ipsis flores purpureos. *Vetonica altera.*

Ioannes Ruellius Caryophylleum florem incognitum veteribus existimauit; cuius optimum iudicium videtur, nam certè Vettonicæ alterius, aut Cantabricæ parum flos iste similis est. Mirum creditur, ait, vt tam celebris flos, tamq́ue iucundus, fuerit à veteribus silentio prętermissus: qui amplitudine, pulchritudine, varietate, Rosa non inferior videri potest.

Altera & minor Caryophylleorum species, priori tenuibus caulibus, folisq; simillima est, vtrisque tamen minoribus flores etiam habet ex oblongis, paruis & teretibus calycibus similes, verum minores & per ambitum magis dissectos ac fimbriatos, colore candidos, aut è candore purpurascentes. 2.

Apud Belgas in hortis nascitur. Gesnerus autem apud Germanos in pratis humidis etiam reperiri refert.

Æstate flores emicant.

Vettonicam altilem siue coronariam minorem, aut alteram nonnulli nominant. Germani Mutwillen aut Hochmut, atque hinc etiam à plerisque Superba: Nostri Pluymkens/ à flosculorum folijs fimbriatis & plumarum similitudine dissectis, & Cleyn Gnoffken/ hoc est, Caryophylleum minorem appellant.


Vsus autem Caryophylleorum florum in medicina verè quidem nullus est, in coronis verò propè nimius, & præsertim floris altilis; qui etiam acetum iucundo sapore, & colore, auctore Ruellio, commendat. Fuchsius tamen, non modò ex floribus, quam Conseruam vulgò appellant, verum & radices altilis ad pestis contagia à recentioribus commendari; syluestris verò succum calculo atterendo ac educendo, nec non comitiali morbo laborantibus vtilem credi, scriptum reliquit.

De Armerijs floribus. CAP. XIX.


ARMERIORVM florum aliquot etiam species sunt, foliorum ipsius stirpis, cùm magnitudine, tum colore præcipuè differentes.

Prima species cauliculos habet rotundos, geniculatos, veluti Caryophyllei flores, circa inferiora genicula vt plurimum rubentes, cubito breuiores; folia plurima parte oblonga, sed 1.

Armerius flos primus.



Armerius flos alter.



Armerius flos tertius.



Armerius flos quartus.



Armerius syluestris.



aliquantulum, quam maioris Caryophyllei, latiora, colore herbaceo virentia flosculos in summo cauliculorum paruulos, exiguis Caryophylleis persimiles, verum minores, plures simul in quandam veluti vmbellam congestos, particulatim vt plurimum prodeuntes, & semper ferè cocci rubore splendentes, punctis interim candidis circa medium interdum variegatos, rarissimè candidos.

Ornat hic flosculus Belgicorum hortorum areas: apud Italos & alibi locis incultis & aridis exit. Gesnerus circa Gryphij lacus ripas in Heluetia a se repertum scribit prouenit & alicubi in Belgio locis desertis, iuxtaque aruorum & pratorum margines ac scrobes, sed multò quam in hortis minor & tenuior.

Mature & Aprili sæpe mense aut Maio floret, Caryophylleos flores antecedens: plurima inde æstatis parte viget.

Galli *Armoires* & *Armoiries* appellant: Ruellius Armerios flores hinc nuncupat: Germani Donder negele/ felt negele: Belgæ Keykens, quasi dicas fasciculum. florum etenim fasciculos nostri propria lingua Keykens nominant. Caryophylleorum florum species quædam syluestris videtur, quam ob causam & à recentiorum quibusdam Vettonica agrestis aut syluestris dicitur: nec desunt qui Tunicam herbam esse volunt: sed nihilo magis hic, quam Caryophylleus cum Vettonica altera aut Polemonio conuenit.

Altera Armeniorum species folia circum caules genicularos, multò fert latiora, maiora & crebriora, nec non candidiora, Constantinopolitani floris foliis haud multùm dissimilia. flores in vmbella vna plures simul congesti, pulchri, rubentes, exiguis candidulis punctis ornati, prioribus Armeriis similes sunt. 2.

In petrosis collibus & asperis, sabulosis apricisque locis, apud Germanos & alias nationes nascitur, à Belgis in hortis seritur, vbi secundo anno cum aliis Caryophylleis æstare floret.

Germani Steinnegele vocant, aliqui Scarlatam à rubeo floris colote coccum referente. Et syluestris hic Caryophylleus est, veluti & præcedens: vterque certè nulla cura eget: natura sua viuax; & hyemis iniuriam non difficulter sustinet.

Tertia & huius species, cui pauca à radice fibrosa, angusta, duriuscula, & acuminata folia prodeunt, atque hæc inter coliculi breues, teretes, quibus quandoque vnicus, subinde duo aut tres insident flosculi mediocris magnitudinis, Armeriis primis paulò maiores, nonnihil odorati, colore vt plurimum eleganter rubentes. 3.

Arido & inculto solo, quandoque iuxta margines aruorum in plerisque Germaniæ, Bohemiæ, Silesiæ, & Morauiæ locis frequens reperitur.

In multam æstatem floret ac viget.

Iam & quarta quædam est Armeniorum florum species cauliculis rotundis, geniculatis, tactu glutinosis, pedis altitudine, foliis ex singulis geniculis binis, oblongis, angustis, acuminatis, in virore candicantibus & quasi cæsiis floribus in vmbella similiter pluribus simul congestis, pulchris, Armeriis similibus, verum minoribus & rubentis dilutæ purpuræ colore: semine in oblongis vasculis pusillo. radicibus tenuibus ac fibrosis. 4.

Seritur in hortis.

Floret a Maio aut Iunio mense in Autumnum vsque, & eodem quo sata est anno.

Sunt qui velint Behen, siue Been, vulgò nunc dicti, speciem aliquam esse, propter eam quam cum Behen rubentis floris Valeriana dicta tubra, similitudinem habeat Nam cauliculis geniculatis & foliis illi aliquantulum, sed colore similior est: Caules tamen breuiores & teneriores: foliaque minora, color verò leuitasque foliorum in vtrisque fere eadem. Carolus Clusius hunc inter syluestres Lychnides numerauit, vt suprà monuimus. Muscipulam & Viscariam M. Lobelius vocitat: At nos inter Armerios flores libentius retinemus.

5. Præter hos verò & alia quædam est, vel Caryophylleorum vel Armeriorum species, omnino, vbique, & apud Belgas quoque sylvestris cauliculos habet dodrantales folia e singulis geniculis bina, parua, acuminata: flores in cauliculorum summo singulos, per ambitum fimbriatos, Caryophylleis minoribus, & forma, & magnitudine satis similes, colore vero cocci diluto rubentes.

Exit passim in pratis & locis riguis.

Maio & Iunio mensibus flores potissimùm conspicui.

Belgæ Craeyenbloemkens appellant, id est, Cornicis flores.

Cæterum Armeriorum omnium istorum flores, nec vllum quoque, aut in medicina, aut in cibatu vsum habent: sed coronarij sunt, & hortos ac corollas exornant.

De flore Constantinopolitano. CAP. XX.

Flos Constantinopolitanus.



CONSTANTINOPOLITANO flori caules sunt e radice plures, bicubitales, tenues, geniculati, inanes: folia e singulis geniculis bina, oblonga, aliquantulum lata, acuminata, obscure virentia, nonnihil aspera & hirsuta, sicuti & caules: flores in latis vmbellis, multi simul congesti, aspectu pulchri, cæterum inodori, colore floris Calendulæ, vel purpurei Lilij, siue maturi mali Aurantij corticis, subinde candidi: semen in oblongis acuminatis vasculis exiguum & subruffum: radices longæ, in plures tenues diuisæ, gustu aliquantulum acres.

Belgis, peregrinus est flos: seritur in hortis.

Iunio & Iulio altero à satione anno floret, deinde pluribus sequentibus alijs. Radice etenim constat viuaci: diuque durat, hyemis & frigoris patiens.

2. Est & huius altera & minor species, cubitalis, aut paulò altior, rarioribus floribus, quæ primo anno flores profert Gesnero teste.

Nostri vulgò Constantinopolitanum appellant florem: Germani verò florem Hierosolymorum: Aldrouandus Creticum cognominat: alius Lychnidem coronariam. Sunt qui velint Lanariam nuncupatam Latinis radicem esse, quæ Græcis στρούθιον: Arabibus Condisi dicitur, qua ad purgandas lanas, qui eas eluunt, olim vtebantur, quos veritatem minus assecutos esse euidentius est, quàm vt refelli debeat. Neque enim spinosa aut aculeata huius floris stirps est, quale Struthion esse Theophrastus & Plinius referunt: radicem etiam non habet magnam, aut Oleæ folia, vti Struthio sunt.

Non deerunt autem fortasse, & qui florem hunc Constantinopolitanum, πόθον veteribus dictum florem esse suspicabuntur, quem Gaza Latinè Desiderium vocat. quorum sententiæ cur aduersemur, modò non habemus. Pothum enim florem Theophrastus, Plinius, & Athenæus, inter æstiuos reponunt, duorumq; esse generum referunt: vnum hyacintho similem, alterum ἄχροῦν non coloratum siue candidum. Constantinopolitanus autẽ, æstiuis mensibus floret, & colore vel Hyacinthum scriptũ, quem purpureũ Lilium vocant, proximè refert, vel candidus est. Quæ magnam Constantinopolitani floris cum Potho similitudinẽ ostendunt.

Pothus flos.

Cæterùm flos Constantinopolitanus, præter eam, quam in hortis & coronis gratiam assecutus est, nullum, quod sciamus, medicum vsum habet: facultas eius ea de causa incomperta est.

De Saponaria. CAP. XXI.

SAPONARIÆ, vulgò dictæ, caules sunt glabri, tenues, rotundi, geniculati, cubitales aut altiores: folia lata, venosa, Plantaginis latifoliæ folijs simillima, sed tamen minora, è singulis geniculis bina, vt plurimùm, & præsertim radicibus viciniora, deorsum reflexa: flores in summo cauliculorum, & circa superiora genicula multi, odorati, colore alias pulchro roseo rubentes,

Saponaria.



rubentes, aliàs dilute purpurascentes, aut candidi, qui ex teretibus & oblongis calycibus exeunt, ex quinque foliolis commissi, in quorum medio exigua quædam stamina: radices crassæ, longæ, oblique serpentes, quibus fibræ quędam adhærent, Veratri nigri radicibus similes.

Apud Belgas in hortis colitur alibi iuxta fluuios & torrentes, locis apricis, sponte nascitur.

In hortis, diu durat, & vita est pertinacis.

Iunio & Iulio floret.

Saponariam vulgò nuncupant, ab adstergendi potentia, qua folia pollent: succum etenim quendam ex se remittunt, dum confricantur, saponis fere modo extergentẽ. Ruellius tamen & aliam quandam Saponalem describit. Nonnulli herbam Turacam appellant: nõ est tamen Vettonicæ coronariæ, multò minus Polemonij aliqua species, quas pro Tunicis herbis haberi, Cap de Caryophylleis scripsimus. Videri citius posset Alisma, siue Damasonium, nisi caulis ei crebrò, non simplex, sed subinde in alas quasdã diuisus; & radices essent quam Veratri nigri crassiores: folia siquidem habet Alismatis descriptioni conuenientia, & globosam florum in summo caulium congeriem. Sed Alismatis tenuis est caulis & simplex, & radices similiter tenues: quæ differentiam Saponariæ huius & Alismatis ostendunt.

Describitur enim Alisma à Dioscoride hoc modo: Alisma, sunt qui Alceam, qui Damasonium, qui Acymn, qui Lyron nominant: folia Plantagini similia habet, angustiora tamen, versus terram reflexa: caulis tenuis est, simplex, cubito altior, capitula habens, Thyrso similis: flores tenues, cãdidi, sublutei, radices veluti Veratri nigri tenues, odoratæ, acres, subpingues: loca amat aquosa. *Alisma.*

Idem Plinius iisdem penè verbis lib. 25. cap 10. depingit sed duo eius statuit genera, vnum in aquosis, quod quidem a Dioscoride describitur; alterum in syluis prouenięns, nigrius, ac maioribus foliis. folium etiam ei laciniosum esse ait, quod Dioscorides omisit, & caulem capite Thyrsi, pro eo quod ille θυρσοειδῆ eum esse scribat; qualis sit Thyrsoides caulis sic insinuans: nempe superiore parte & crassior & latior.

Thyrsus enim siue θύρσος, virga, fax aut hasta est, frondibus aut hederis obtecta, cuius fastigium pluribus frõdibus aut floribus stipatur, instar videlicet globi aut pilę. Sic etenim in antiquissimis quæ Romæ passim extant marmoribus depictũ reperiri Thyrsum, testis est Melchior Guilandinus in epistola ad Langium, summo videlicet cacumine globosum quiddam instar pilæ gestantem. Talem etiam Thyrsum esse, quarundam stirpiũ & descriptiones ostendunt. Thymus etiam θύρσιον appellatur, qui in cauliculis globosum capitulum profert: vnde & κεφαλώτος & capitatus cognominatur. θυρσίνη item Orobanche dicitur, caulis cui superiore parte crassior est: Thyrsus iam & Ferulæ caulis nuncupatur, qui licet sensim extenuetur, summo tamen cacumine vmbellam latam & rotundam florum primum, deinde seminum plenam Thyrsi modo promit: vnde & νάρθηξ siue Ferula, pro Thyrso subinde dicitur: atque hinc Bacchus, qui θυρσοφόρος, etiam aliquando ναρθηκοφόρος appellatur à Thyrsis, qui in eius orgiis olim quatiebantur. Reperitur & Lactucæ caulis alicubi thyrsus vocatus, qui & in latam vmbellam Ferulæ modo desinit. *Thyrsus.*

Quæ omnia Thyrsum virgam, baculum aut hastam esse ostendunt, globoso ex frondibus aut floribus cacumine: & θυρσοειδῆ caulem dici, summa parte sphæroidem aut latiorem.

Neque repugnat nobis in Saturnalium lib. 1. Macrobius, vbi Liberum patrẽ, cùm Thyrsum tenet, latens telum gerere scribit. Nam inde Thyrsum non in exacutum cacumen, sed potius in retusum & globosum apicem desinere colligitur: ex eo enim quòd latens telum dicit, ostendit ita cacumen contectum, vt agnosci non possit, quod quidem multis fit frondibus circum compositus.

Verba Macrobij hæc sunt: Colitur apud Lacedæmonios simulachrum Liberi patris, hasta insigne, non Thyrso: sed cum Thyrsum tenet, quid aliud quam latens telum gerit, cuius mucro Hedera lambente protegitur?

Nonnunquam tamen & Thyrsoidis caulis appellatur in acutum cacumen desinens, modò floribus sit adornatus. Apuleius enim Verbasci caulem à medio sursum versus floribus grauidum, & fastigio acuminatum, Thyrsum appellat.

Porrò Saponaria, calida quidem & sicca est temperie, facultate autem abstergendi non exigua prædita.

De Calceolo Mariano. CAP. XXII.

Calceolus Marianus.



Calceoli Mariani altera icon.



CALCEOLVS Marianus caule assurgit dodrantali, circa quem aliquot folia lata, venosa, Plantaginis æmula: in fastigio flos eminet, vt plurimum vnicus, quatuor foliorum, è quorum medio prominet orbiculato oblongior vtriculus, exigui oui forma, colore luteus, inanis, & vacuus, superiusque patens, instar calceoli aut crepidæ: vnde illi nomen est: cingunt autem atque ambiunt medium hoc folia quaterna, quæ subinde dilutè rubent, aut puniceo obscuro colore nitent, vel etiam lutei coloris, vnà cum ipso medio, oui forma prominente, sunt. radix crassa, obliqua, à qua tenues fibræ dependent.

In Heluetiorum, & Norici, ac Pannonię superioris siue Austriæ montibus spontè nascitur.

Vulgò Calceolus sacerdotis, Germanicè Pfaffen schuech/papen schoen appellari fertur. Dicitur verò & Calceolus D. Mariæ, siue Calceolus Marianus. Existimatur verò & à nonnullis Alisma esse: sed minus quàm Saponaria cum eo conuenit. Folium quidem Plantaginis satis respondet: sed desiderantur capitula Thyrsi: flos tenuis, inalbicans, & radices Veratri nigri similes.

De Calceoli autem Mariani facultatibus nihil occurrit ad scribendum: non modò Veteribus, sed ne recentioribus quidem satis cogniti.

De Aquileia. CAP. XXIII.

AQVILEIA folia fert Chelidonij maioris, paulò tamen rotundiora, per ambitum incisa, colore in viriore cærulea, quę vulnerata nullum, multò minus luteum, succum reddunt:

Aquileia.



Aquileia multiplici flore.



dunt: caulem verò cubitalem, tenuem, rubentem, & leniter hirsutum, cuius alæ singulos proferunt flores, ex quinque dependentibus concauis veluti corniculis, & totidem intermediis, sursum erectis paruis foliolis, qui simplices sunt, compositos (multiplices etenim ex pluribus corniculis commissi sunt) colore aliàs cęruleos, aliàs in rubro purpureos, aliàs candidos, vel ex candido purpurascentes, subinde varios & ex cæruleo candidoque permixtis relucentes, erumpentibus è medio staminibus, à quibus parui apices dependent: siliquæ post singulos flores quinque surgunt, in quibus semen paruum, nigrum & splendens. radices subsunt crassæ fibrosæ, quæ pluribus annis durant.

In Belgij & Galliæ hortos infertur in Germania & alibi, in apricis collibus, syluosis montibus & pinguibus pratis spontè gignitur. Flores Maio & Iunio vigent.

Recentiores Aquileiam aut Aquilinam nuncupant: Germani Agley & Ageley, nostri Akeleyen. Galli *Ancoles ou Ancolye*.

Quibus autem viribus prædita, nondum satis compertum, nullum siquidem alium vsum habet, quàm quòd coronas & hortos exornet. Tragus tamen semen, drachmæ pondo cũ croci obolo in vino, iocinoris obstructione & morbo regio laborantibus vtiliter dari scribit, sed eum qui assumpsit diligenter coopertum, sudare deinde oportere. Plerique ei Ægylopis, alij Centaurij maioris vires, sed temerè & citra omnem rationem tribuunt.

De Antirrhino. CAP. XXIIII.

ANTIRRHINO caules sunt rotundi, glabri, fragiles, & ramosi: folia multa, vt plurimùm oblonga & acuminata, Linariæ similia, sed maiora, subinde breuiora latioraque, & Anagallidis similiora flores secundum caules superiore parte ordine digesti, forma oblongi, anteriore parte latiores, dum cõclusi, vt nascuntur, permanent Ranę ori quodammodo similes, aperti verò hiantis Leonis rictum referentes, colore roseo rubentes, aut candidi, vel ex candido dilutè purpurascentes, non rarò etiam sublutei, ei videlicet cui folia sunt latiora & breuiora: quos deinde capitulum sequitur, oblongum, anteriore parte angustius & foraminosum, narium vituli, aut canini capitis similitudine; in quibus semen paruum & subnigricans: è radicibus non magnis fibræ dependent.

Antirrhinum.



Antirrhinum syluestre Phyteuma.



In hortis apud Belgas, Italos, Germanos, & alibi seritur.

Maio mense, quod hyemem superauit, & reliqua deinde æstate, floret: serius verò & sub æstatis finem, eiusdem anni vere, satũ. Hyemem autem, nisi clemens admodum fuerit, aut in cellis vinariis repositum, absque iniuria in Belgio non sustinet.

Græcis ἀντίῤῥινον ἢ ἀντίῤῥιζον, si non vitiosum Theophrasti exemplar, & ἀνάῤῥινον dicitur. Latinis similiter Antirrhinũ. Auctore Galeno etiã βουκράνιον & λυχνὶς ἀγρία, siue Lychnis syluestris, nominatur. Apuleius etiam ἀμέθυστον, ποθήκαν, κυνοκέφαλον, Canis cerebrum, herbã Siminiam, Venustam minorem & Opalim gratam, appellari refert. Creditur quoq; esse Leo herba, quem inter flores Columella lib. 10. refert, sic scribẽs:

Narcissiq; comas, & hiantis sæua Leonis
Ora feri. Item & infra:
Oscitat & Leo.

Gesnerus tamen hunc Leonem, Aquileiam esse existimauit, quã ea de causa Leõtostomium nuncupauit: sed hoc nominis Antirrhino magis conuenire, quàm Aquileiæ, nobis videtur. Nam Antirrhini hians flos, Leonis rictũ citius, quàm Aquileiæ refert.

Est verò & alius Leo, qui ὀσπρολέων, & leguminum Leo dicitur, alio nomine Orobanche: de quo in Frumentorum historia egimus.

Est & alia Amethystos herba, cuius Plutarchus meminit, χοζύλη videlicet: de qua alio loco, in Olerum videlicet agetur historia.

Belgæ, Antirrhinum, Orant appellant: Itali *Antirrino*: Hispani *Cabeza de ternera*.

Cæterum Antirrhini semen inutile in medicina, vt Galenus ait, est. Herba verò ipsa assimilis cum Bubonio facultatis, sed multò minoris.

Narrant, inquit Dioscorides, appensum veneficiis aduersari: & gratiam conciliare, si quis eo perunctus sit cum oleo liliorum, aut Cyprino.

Apuleius, radicis in aqua decoctum, fotu epiphoras oculorum, celeriter lenire refert.

De Antirrhino syluestri, siue minore.
CAP. XXV.

PRÆTER hortense Antirrhinon superiore capite descriptum, & aliud reperitur, tota sua natura syluestre, quod satiuo & minus, & humilius est, & aliquantulum, sed tamen modicè hirsutum: Cauliculi huic quoq; sunt tenues, ramosi: folia oblonga & angusta: flores autem non ad summum caulis, sed iuxta foliola ex ipsorum sinubus exeunt, Antirrhini similes, sed minores, colore rubro purpureo, in medio lutei: Capitula similiter minora & breuiora, foraminosa, hominis caluariam propemodũ referentia, in quibus semen minutum: radices subsunt tenues.

Nascitur multis Belgij & Germaniæ locis, circa margines, & in ipsis agris, iuxta vias, in hor-

tis,& alibi. Et vno quidem loco procerius ac vegetius, alio breuius & tenerius reperitur.

Iulio & Augusto floret: hyeme perit: æstiua enim est herba.

Nostri Orant appellant: Antirrhini autem haud dubie species est syluestris. Sunt qui velint Orontium esse, similitudine nominis inducti, cuius decocto Archigenes apud Galenũ κατὰ τόπους lib. 9. auriginosos lauandos consulit. Sed an vere ipsum sit, affirmari non potest, eius descriptione nusquam, nec nomine, alibi quàm hoc loco, extante. Quam etiam ob causam, Ianus Cornarius Orontij vocem deprauatam suspicatus est, & legendum esse, Origanum; quod, Dioscoride auctore, in balneo auriginosis prodest.

Plus similitudinis Antirrhinum syluestre cum Phyteumate habet, quod à Dioscoride, his verbis, lib. 4. describitur: Φύτευμα φύλλα ἔχει ὅμοια στρουθίῳ, μικρότερα δέ· καρπὸν πολὺν τετρημένον. ῥίζαν μικρὰν, λεπτὴν, ἐπιπόλαιον. id est, Phyteuma folia habet similia Struthio, sed minora: fructum multum, perforatum, radicem paruam, tenuem, terræ superficiei inhærentem. Quę descriptio Antirrhino syluestri aptissime & propriè conuenit. Nam quidem quòd ad folia attinet, ea omnino habet Struthij minora: siquidem, vt Plinius ait, Struthium folio est Oleæ minore, sunt etenim eius folia Oleaginis angustiora & minora. Fructum etiá siue καρπὸν copiosum habet, cumq; perforatum, quando pro fructu totum illud capitulum, quo semé continetur accipitur, quod non raro, vti & ipsius Antirrhini capitulum, κεφαλὸς appellatur. De radicibus dubitari non potest, quæ tales, cuiusmodi Phyteumati tribuuntur, sunt. Quibus de causis Antirrhinon istud syluestre verum Phyteuma esse apparet. Matthiolus tamen nó Antirrhinum istud, quod olim pro legitimo exhibuit, sed Campanulam pro Phyteumate depingit: de qua superius cap. 10. vbi & improbatæ sententiæ Matthioli, & nostri iudicij rationem indicauimus.

Phyteuma

κερκίς.

Porrò Antirrhinum istud syluestre nullius quidem est vsus: si autem verum est Phyteuma, ad amores profuerit. Vt etenim auctor est Dioscorides, Phyteuma ad amatoria philtra commodum esse perhibetur.

De Linariis. CAP. XXVI.

Linaria prima.



Linaria altera purpurea.



ANTIRRHINI species quoque quædam videntur, quas Linarias vulgò nominant.

Quarum vna cauliculos habet bicubitales, complures, rotundos, tenues: folia multa, 1.

 angusta,

Linaria odorata



Linaria Valentina.



angusta, oblonga, Lini foliis similia: flores luteos secundum caules iuxta summum, anteriore quidem parte Antirrhini floribus similes, posteriore verò in caudam siue corniculum quoddam desinentes, floris Regij similitudine, quos sequitur capitulum rotundum, in quo semen nigrum radix longa, tenuis & alba.

2. Altera species huic caule, foliis & floribus similis est: caulibus tamen ferè longioribus; foliis verò angustioribus, floribus paruis, multoq; quàm alterius minoribus, in cæruleo purpureis, nonnunquam etiam subcandidis aut subluteis, capitulis similiter exiguis. radicibus tenuibus & fibrosis.

Nascitur prior Linaria passim in Germania ac Belgio secus agrorum margines, & aliis locis; altera inuentu rarior.

Florent Iulio & Augusto, ac etiam serius.

Præter verò has duas & alias duas C. Clusius in suis obseruationibus exhibet. vnam odoratam: alteram Valentinam cognominat.

3. Odoratæ Linariæ folia, non Lini, sed Bellidis maioris similia magis apparent, lata videlicet, & per marginem crenis incisa: caulis rectus est: flosculi exigui spicatim digesti, colore è cæruleo purpurei, & quibusdam locis, in calidioribus nempe regionibus, odorati: capitula parua, rotunda sunt.

4. Valentina vulgarem Linariam forma & colore florum refert, sed folia breuiora & latiora quàm Linariæ, ad Antirrhini lutei, aut Centaurij minoris accedunt. cauliculos hæc tres aut quatuor promit: radicem verò vnicam demittit.

Vtraque species prior Linaria nostris dicitur, nõnullis Vrinalis. Germanis **Lynkraut/flaschkraut/harnkraut/vnser frauwen flasch/wald flaschz/krotten flaschz**: Belgis **Wilt vlas**. Gallis *Lin sauuage*. Existimatur a multis esse Osyris: sed Osyris ab hac differens est stirps, ex qua videlicet κορήματα, hoc est, scopas hac ætate, in Italia componunt: vt & olim Galeni seculo, quam vulgò Itali *Beluedere* nuncupant.

Est autem Linaria prima quidem ac vulgaris calida quidem & aliquantulum sicca temperie, & aperiendi potentia prædita; nam, vt & Rhizotomi nostri temporis existimant, vrinas decoctum eius prouocat. Addunt multi, Regio morbo laborantibus prodesse, quod ab Osyride huc translatum est.

De

De Amaranto purpureo. CAP. XXVII.

Amarantus purpureus.



Amarantus maior floribus obsoleti coloris



CAVLE Amarantus purpureus surgit cubitali, vel altiore, striato, iuxta radicem subinde rubente, læui, in alas quasdam diuiso; circa quem folia oblonga, lata, acuminata, mollia, glabra, colore virentia, aut in virore nonnihil rubentia. pro floribus exeunt spicæ, aspectu gratissimæ, cæterùm inodoræ, in purpura splendentes, coccum saturatum qui in holoserico villoso micat, referentes, ac quodammodo coloris gratia superantes, quæ in attritu similem ferè colore succum reddunt, & decerptæ diutinè pulchritudinẽ suam retinent, aliquot etiam annis non marcescẽtes, vnde & nomen inuenit. Semen maturatis spicis insidet paruum, nigrum, & multum splendens. Radices breues & fibrosæ. Mirum in eo, Plinius ait, gaudere decerpi, & lætius renasci. Alexandrino palma est, qui decerptus asseruatur. Mirumque postquam defecere cuncti flores, madefactus aqua reuiuiscit, & hybernas coronas facit.

Ἀμάραντον, quoniam non marcescat, Plinius appellat: nostra ætas, Amarantum purpureum, ad differentiam Elichrysi, quod similiter *ἀμάραντον* dicitur, de quo inferius suo loco: Germanicè Sammatblůmen/ Dausentschoon/ Floramor: Nostrate dialecto, Fluweelbloemen: Italicè *Fior vellato*: Gallicè *Passe velours*: Passiuelutum Ruellius reddit, quo nomine holosericũ villosum coccineum Galli nuncupant, cum quo de coloris principatu certat.

Est verò & alia huius species, caule multo proceriore & crassiore, quatuor aut quinque cubitorum vel altiore: foliis similiter maioribus; cui spicæ sunt longiores, sed obsoleti admodum ruboris. 2.

Seritur vterque Amarantus in hortis, sed prior frequẽtius. Alter enim Amarantus nullam vel omnino exiguam gratiam obtinet.

Proueniunt spicæ Augusto mense, durant in Autumnum. Insipidum vtrumque olus est, & Bliti species, de quo in Olerum historia, vbi illi suæ reddentur vires.


Recentiorum plerique Amaranto purpureo, & præcipuè primo, adstringendi cum frigiditate & siccitate potentiam, sanguinisq́; omnem fluorem sistendi vires attribuunt, quas tamen ei inesse nulla qualitas ostendit, præter solum fortè colorem, quo spicæ rubent. Nam rubra omnia sanguinem vndequaque fluentem cohibere ac supprimere, quorundam est opinio, eò quòd quædam sanguinem supprimentia, talia colore sint. Sed ex coloribus de viribus simpli-

 cium

cium & medicamentorum, certi nihil colligi. vt Galenus lib. De simpl. medica. faculta. secundo & quarto dilucide ostendit. Qua de causa & perperam ratiocinantur, qui Amaranthum purpureum, sanguinem supprimere, cœliacos & dysentericos adiuuare, ex solo colore iudicant.

De Rosis. CAP. XXVIII.

Rosa satiua.



Rosa syluestris.



ROSARVM stirps tametsi fruticosa & spinosa sit, consentaneum tamen & decens magis est, eam floribus iungere, quàm spinosis fruticibus sociare. principatum siquidem inter flores omnes Rosa facile obtinet, eiusque in coronis omnibus vsus prope nimius est, & vt ex Anacreonte Teio, Poeta Græco vetustissimo, Henricus Stephanus perquàm eleganti carmine Latino reddidit.

Rosa, honor, decusq́ florum:
Rosa, cura, amorq́ Veris.
Rosa, cælitum est voluptas.
Roseus puer Cytheres
Caput implicat coronis,
Charitum choros frequentans.

Sunt autem Rosæ genere quidem permultæ, aut stirpis ipsius magnitudine, asperitate, læuitatéve, aut floris foliorum multitudine, paucitatéve, vel colore odoreque differentes. Nonnullæ siquidem proceræ & excelsæ: aliæ breues & humiles: folia quibusdam quina, aliis duodena, vicenáve aut plura. Theophrastus etiam ἑκατοντάφυλλον, siue centifoliam quandam, circa Philippos exire refert: quam incolæ ex Pangæo transferentes serunt: & in Campania, Plinius. Colore item hæ quidem rubentes, illæ verò candidæ: odoratæ etiam quamplurimæ, absque odore nonnullæ. Harum omnium quædam satiuæ & hortenses sunt, aliæ verò syluestres.

Rami aut potius virgæ omnibus duræ, lignosæ, mordacibus aculeis horrentes, & syluestribus quidem spinosiores. folia aspera, per ambitum serrata, ex quinque aut septem ex vno neruo cohærentibus. flores è cauliculorū fastigiis exeunt, primùm herbaceo inclusi calyci, qui tumescens in virides alabastros fastigiatur, quibus paulatim dehiscentibus flos panditur, in calycis sui medio, stamina quædam capillacea, luteosque complexus apices. semen in oblon-

gis

Rosa Dunensis, species nona.



gis capitulis, quæ calycibus & floribus subsunt per maturitatem rubentibus, gignitur durum, lanugine inuolutum. radices duræ, lignosæ, in diuersa tendunt.

In satiuarum censu, vna proceritate caulium siue ramorum, reliquas superat: crassis enim & lignosis suis virgis ad 10. vel 12 pedes, aut etiam altius conscẽdit: flores candidi, odorati & multorum foliorum, quorum interiora minora, exteriora verò maiora & ampliora. 1.

Proxima magnitudine, virgas habet breuiores, sed non minus asperas, Rosas odore suaues, sed dilutè & pallide rubentes: Incarnatas Itali appellant. 2.

Tertia huic similis ramis & foliis est, sed subinde breuior, flore verò odoratissimo pulcherrimoque, saturato, & quodammodò puniceo rubore nitente, Rosarum omnium præstantissima, & ad medicamenta omnis fere generis vtilissima. 3.

Quarta breuior est, virgis bicubitalibus aut altioribus, flore eleganter quidem rubente, sed minus quàm tertiæ, & quandoque simplici, quinq; tantummodò foliorum; aliàs plurium: aliquando etiam multiplici, odore grato & perquam iucundo. 4.

Quinta Rosarum hortensis species, ramis & virgis syluestrem Caninam Rosam quodammodo refert. Rosas profert paruas, plures simul cohærentes, vt plurimum simplices, aliquando, sed rarò, multiplices, odore admodum fragranti suauissimas, & moschum proximè referentes: vnde & Rosæ Moschettæ ab Hetruscis appellantur. 5.

Syluestrium ea quidem quæ Canina Rosa vulgò dicitur, & Belgio familiarissima est, aculeatis virgis, & asperis foliis, satiuis similis est, singulis tamen minoribus: flos simplex quinque folia non excedens, albicans, aut ex albido colore purpurascens. Adnascitur huius virgis aliquando pilula quædam hirsuta, echino Castaneæ quasi similis, at mollis; quam Spongiolam Rosæ nuncupant. 6.

Huic similis est, & alia species, veruntamen aliquãtulo minor, cuius virgę subrubente cortice vestiuntur, flores pallidè rubent. non in totum absque odore: Cinamomina Rosa à quibusdam dicitur. 7.

Inter syluestres etiam quædam lutei coloris Rosas fert. 8.

Est & parua quædam humillima, virgis spinosissimis: foliis minimis, Rosis perquam exiguis, candidis & suauiter odoratis: fructus huius niger, aliarum rubet. 9.

Iam & syluestris quædam foliis reperitur odoratis: hæc proceritate syluestres omnes sæpe superat. Virgas habet duras, crassas, & lignosas: folia splendentia & pulchrè virentia, odore gratissima. Rosas verò paruulas quinquefolias, frequentissimè albicantes, rarò purpurascentes, exigui aut nullius odoris: fructum oblongum, colore subrubentem, nucleo paruæ Oliuæ, & Rosarum aliarum capitulis similem, sed minorem quàm hortẽsium, in quibus lanosi flocci atque inter eos semen conditum, paruum, & durum. Reperiuntur verò & circa huius tenues virgas, rotundæ, molles, & hirsutæ spongiolæ, tales omnino, quales circa Caninæ Rosæ spinas nascuntur. Et totidem quidem Rosarum genera, nostra ætas adinuenit. 10.

Sunt verò & apud Plinium lib. 21. cap. 4 multa & plurima suis appellata cognominibus, sed non omnia in Rubo, hoc est, spinoso frutice, nata: (nam & ex Maluis flores in Rosarum censu numerantur) quorum quædam cum nostris generibus conuenire, verisimile est; non tamen omnia. Genera eius, nostri, inquit, fecere celeberrima, Prænestinam & Campanam. Addidere alij Milesiam, cuius sit ardentissimus colos, non excedentis duodena folia. Proximam ei Trachiniam minus rubentem: mox Alabandicam viliorem, albicantibus foliis. Vilissimam verò plurimis, sed minutissimis, Spineolam. Deinde paulo infrà.

Est & quæ Græcà appellatur à nostris, à Græcis Lychnis, non nisi in humidis locis prouemiens, nec vnquam excedens quinque folia, Violæ magnitudine, odore nullo. Est & alia Græcula appellata conuolutis foliorum paniculis, nec dehiscens nisi manu coacta, sempérque nascenti similis, latissimis foliis. Alia funditur e caule Maluaceo, folia oleracea habẽs, Mosceuton vocant. Atque inter has media magnitudine, Autumnalis, quam Coroneolam vocant. Omnes sine odore, præter Coroneolam, & in Rubo natam.

Seruntur & plantantur Rosæ quidem mitiores & satiuæ apud Belgas, Germanos, Gallos, & alibi, in hortis.

1. Syluestres multis locis spontè exeunt: & inter has quidem prima, passim circa scrobes, fossas, ad margines agrorum & pratorum, locis humidis prouenit.

8. Lutea in Africa & Ægypto nascitur: quam plerique in hortis nunc habent, vti & Cinamominam.

9. Minima spinosissima & asperrima, locis gignitur maritimis, frequens in Morinorum finibus, iuxta Iccium portum, in arenosis iuxta mare tumulis.

10. Sed odorata syluestris Rosa hortensis est, nec vsquam in Gallia aut Belgio, quod sciamus, spontè exit.

Seri autem Rosa, vti Plinius ait, nec pinguibus vult, nec argillosis, nec riguis, contẽta rudis, proptereque ruderarum agrum amat: omnis, locis siccis quàm humidis odoratior. Refert & cæli temperies, quibusdam enim annis, minus odorata prouenit. Theophrastus odoris coloris que præstantiam locorum etiam ratione contingere affirmat. & odoratissimas Rosas, quæ apud Cyrenen nascuntur, & proinde vnguentum iucundissimum illic fieri.

Nascitur verò Rosa ex semine, sed quoniam tardè perficitur, conciso caule seritur. Omnis recisione & vstione proficit, florémque melius profert, relicta namque excrescit & syluescit. Sæpius eam transferre vtile est: sic enim pulchriorem Rosam effundi affirmant: Theophrastus & Plinius auctores.

Serendarum autem Rosarum modum, Palladius ostendit. Si indigus plantarum, ait, volueris ex paucis virgulis habere copiosa Rosaria, quaternorum digitorum surculos gemmantes cum geniculis suis debebis excidere, & in modum propaginis sternere, & stercore ac rigationibus adiuuare. vbi anni ætatem compleuerint, pedis spatio inter se transferre disiunctos, atque ita solum, quod huic generi deputabis, implere.

Florent Rosæ, quædam citius, aliæ serius, omnes Maio aut initio Iunii mensis. Præcoces Cinamominæ, & aliæ quædam syluestres: seriores satiuæ sunt. Moschettæ mense Augusto & Septembri florent. Theophrastus, si autumnus prolixior fuerit, Rosas etiam denuò erumpere posse testatur.

Rosa Græcis ῥόδον appellatur. Stirps verò ipsa Rosarum ῥοδωνιὰ, quæ apud Latinos idem cum flore nomen retinet. Dicitur autem ῥόδον, vt Plutarchus ait, ὅτι ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀδμῆς ἀφίησι, quòd largum odoris effluuium emittat.

Medium floris Rosarum, lutea videlicet stamina & apices, ἄνθος τῶν ῥόδων, & flos Rosæ dicitur; officinis Anthera.

Foliorum ipsius floris partes candidæ, quibus calycibus inseruntur, ὄνυχας, & vngues appellantur.

Calyx vocatur, qui stamina & floris foliola complectitur ac continet.

Alabastri verò sunt calycis partes laciniosæ, conum floris priusquam panditur complectentes, quæ quinque sunt, duæ barbatulæ, duæ imberbes, & quinta partim barbata, partim minime, cortices Rosarum à plerisque appellantur.

Κεφαλαὶ καὶ κεφάλια dicuntur capitula, in quibus semen gignitur, quæ scilicet floribus & calycibus subsunt.

Viburnum. Virgas stirpis Rosarum, Strabus Gallus in hortulo suo, Viburna nominat, sic scribens:

Iam nisi me fessum via longior indupediret,
Scrupeus atque noui tereretur carminis ordo,
Debueram Viburna Rosæ pretiosa metallo
Pactoli, & niueis Arabum circundare gemmis.

Vergilius tamen & Aurelius Nemesianus, Viburnum fruticem aliquem sui generis innuit, paruum, humilem, lentum & obsequiosum. Ille quidem Æcloga prima vrbem commendans Romam:

Verùm hæc tantum alias inter caput extulit vrbes,
Quantum lenta solent inter Viburna Cupressi.

Nemesianus verò Æcloga secunda, his carminibus:

Nos quoque te propter Donace donabimur vrbi,

Si modò conferas inter Viburna Cupressos,
Aut inter Pinos Corylum frondescere fas est.

In satiuarum Rosarum numero primam, vulgo Rosam albam, Belgæ witte Roosen Germani weiß Roosen: Galli *blanche Rose* appellant. Potest hæc Plinij Spineola Rosa esse, si modò Campana Rosa non est. 1.

Altera, quam incarnatam Rosam Italia nuncupat, Alabandicæ similis est. Germanis Leibfarbige Roosen. 2.

Tertia, Prouincialis Gallis, dicitur: hanc, Milesiam esse, non temerè suspicari licet. 3.

Quartam, Rosas Franchas Gallia, Plinius Trachiniam fortè aut Prænestinam dixerit. 4.

Quinta, Moschata, ab odore, vt diximus, moschi dicta, Damascenam autem & hanc nonnulli appellant: Itali *Rosam moschettam*: Galli *Roses musquées ou muscadelles*. Belgæ Musket Roosen. 5.

Syluestris Rosa, Germanis wilder Rosen/heckrosen. Brabantis wilde Roosen. Gallis *Roses sauvages*: Plinio lib. 8. & 25. κυνόρροδος καὶ κυνόρροδον est, id est, Rosa Canina: nonnullis etiam Canina sentis. 6.

Quæ verò circa ramulos & virgas huius Cynorhodi hirsutæ pilulę reperiuntur, Spongiolę syluestris Rosæ aptissime & proprijssime dictæ sunt: Officinæ perperam Bedeguar appellarunt. Nam Bedeguar Arabibus Cardui species, quæ Græcis ἄκανθα λευκή, hoc est, Spina alba.

Aliæ syluestres Rosæ, Cynorhodi etiam species quædam sunt.

Earum vna, ordine septima vulgò Canneel Rooskens, id est, Cinnamomina Rosa appellatur. 7.

Octaua à colore nomen accepit, Lutea dicta. 8.

Nonam nostri Duyn rooskens vocitant, id est Rosam Dunensem; ab ipsis in marino littore arenosis tumulis, quos vulgo Duynen nominant. Sunt etiam qui Pimpernelle rooskens nuncupant. Rosam pampinulam dixeris, a similitudine nempe huius fruticis foliorum, cum folijs minoris Pampinulæ, quæ alio nomine Sanguisorba & Pimpinella vocatur. 9.

Decimam Cynorhodi siue Caninæ Rosæ, & quidem odoratam speciem, Belgæ Eglantier/ aut Aglantier: Galli *Englenterium*, Ruellio teste, nominant: qui & hanc syluestrem Rosam, Cynosbaton, siue Canitubum esse suspicatur. De quo Dioscorides his verbis: κυνόσβατον, οἱ δὲ ὀξυάκανθαν καλοῦσι. θάμνος ἐστὶ βάτου πολλῷ μείζων, δενδρώδης, φύλλα φέρει πολλῷ πλατύτερα μυρσίνης, ἀκάνθας δὲ περὶ ταῖς ῥάβδοις ἰσχυράς, ἄνθος λευκόν, καρπὸν ἐπιμήκη, πυρῆνι ἐλαίας ἐοικότα, ἐν τῷ πεπαίνεσθαι πυῤῥόν, τὰ δὲ ἔνδον ἐριώδη. Id est, Cynosbatus, siue Canirubus, quem aliqui Oxyacantham vocant, frutex est Rubo longè maior, arborescēs, folia fert latiora Myrto: spinas circa ramos robustas, florem candidum, fructum oblongum, nucleo Oliuæ similem, per maturitatem fuluum, interius lanuginosum. 10. *Cynosbatũ.*

Extat & Cynosbati apud Theophrastum huiuscemodi descriptio. τὸ δὲ κυνόσβατον, τὸν καρπὸν ὑπέρυθρον ἔχει, καὶ παραπλήσιον τῷ τῆς ῥόας. ἔστι δὲ δένδρου καὶ θάμνου μεταξὺ καὶ παρόμοιον ταῖς ῥόαις, τὸ δὲ φύλλον αἰγλῶδες (Exemplar vulgare ἀγνῶδες habet: sed Athenæus ex Theophrasto αἰγλῶδες rectius legit) hoc est, Cynosbaton fructum subrubentem habet, & malo Punicó similem: est inter arborem & fruticem medium, veluti malus Punica: folium auré splendens. *Theophrasti locus restitutus.*

Cum harum descriptionum vtraque, non malè Engleriterium siue Canina Rosa odorata conuenire videtur. Nam frutex est Rubo maior, caudices siue virgas habens crassas, lignosas, vt malus Punica, vel alia lignosa & arborescens quædam stirps, aculeis & spinis duris munitas: folium eius non quidem integrum, sed vnum aliquod singulare, totius folij pars, Myrti folijs latius est, superioreque parte læue & splendens, fructus nucleo Oliuæ similis, qui maturus, colore est rubente, lanosos floccos & semen intus habens. Quæ omnia huius syluestris & odoratæ Rosæ, cum Cynosbato similitudinem ostendunt.

Est verò & alius Cynosbatus, quem Plinius lib. 24. cap. 14. describit, quē alij Cynospaston, (Cornarius ex veteri exemplari Cynapauxin legit) alij Neuropaston vocant: folium habet vestigio hominis simile. Fert & vuam nigram, in cuius acino neruum habet, vnde Neuropastos dicitur. Sed huic Cynosbato, syluestris odorata (si modò legitima & non corrupta est descriptio) nequaquam similis est, veluti neque Cappari, nec Smilaci asperæ, quarum vtraque etiam Cynosbatos à nonnullis appellatur. *Plinij locus emendatus*

Sed ad Rosas reuertamur, quarum florum foliola, quia ex diuersis partibus constant, dissimiles etiam facultates obtinent. Insunt etenim eis terrestres quædam & adstringentes, aliæ humidæ & aqueæ nonnullæ spirituosæ & aëreæ partes; quæ tamen in singulis non similiter se habent. In vno siquidem genere hæ, in alio illæ excellunt. Prædominantem autem omnes frigidam habent temperiem, proximam tamen temperiei mediæ, ex primo videlicet ordine refrigerantium.

Superant humidæ, aëreæ & spirituosæ partes, in candidis, dilutè rubentibus, nec non in

Damascenis

Damascenis siue Moscatis: Ex tribus his liquor, ea de causa, elicitur gratissimi ac suauissimi odoris, qui ferè ex alijs Rosis inodorus est.

Vtilis autem Rosarum hæc stillatitia aqua, cùm ad cordis roborationem & spirituum reparationem, tum etiam ad omnia quæ clementer refrigerari postulant tragematis, placentis, condimentis & alijs, quæ voluptatis excitandæ gratia conficiuntur multis, eadem admixta, saporis gratiam confert: oculorum calidos dolores mitigat: somnum conciliat quem & ipsæ virentes Rosæ, odore suo suaui prouocant.

Succus harum Rosarum, præsertim dilutè rubentium, aluum lenit & subducit: efficacissimus earum quas Damascenas vocant: proximus dilute rubentium, quarum frequẽtior vsus.

Idem præstat earundem dilutum, & quod ex eo coquitur Drosatum siue Serapium, officinæ Syrupum Rosatum solutiuum nuncupant, quod ex insulo siue diluto apparari debet, in quo pluries harum Rosarum virentium folia multa macerata sunt.

Ad leniendam autem siue subducendam aluum vtile, quando expugnatione alia potentiore, aut opus non est, aut vti non expedit. Nã præter ea quæ in intestinis hærent excrementa, aut in proximis & primis venis cruda, pituitosa & subinde biliosa, alia non educit, si non alijs quibusdam potentioribus medicamentis permisceatur.

Humectat autem & refrigerat Serapium istud ideò etiam febrium ardentium caloresminios sedat, & viscerum inflammationes mitigat, sitim extinguit: debili autem & humido ventriculo parùm vtile, nam eum laxiorem debilioremq; relinquit.

Simile possunt & folia harum Rosarum sacharo condita, præsertim si manibus tantummodo contrita, ac diligenter cum sacharo permixta, igni admota incalescant, potiùs quàm decoquantur.

In rubentibus Rosis, quæ passim sunt vulgares, & alijs saturatæ purpuræ, quas Prouinciales appellant, plus est terreæ substantiæ, & resiccantis adstringentisq; facultatis, non tamẽ absq; humido quodam permixto, quod quidem ipsis adhuc virentibus inest: in resiccatis verò deperditum est. Succus hac de causa, & dilutum earum, ad aluum subducendam quoque facit, minùs tamen quàm aliarum prædictarum.

Resiccatæ autem hæ Rosæ, humiditate iam absumpta, adstringunt & resiccant: refrigerãt quoque, sed minus quàm virẽtes: robur cordi conciliant, ac tremori, & palpitationi eius succurrunt: hepar, renes, & alia viscera debilia confirmant: ventriculum flaccidum, debilem & humidum, siccant & corroborant. fluorem muliebrem & superfluam menstruorum purgationem compescunt, sanguinis vndequaque eruptiones sistunt: sudores reprimunt: aluum nimio fluore laxam, constringunt: antidotis omnibus vtiliter admiscentur, & alijs quoque medicamentis, siue foris adhibendis, siue intra corpus assumendis, quibus adstringens ac corroborans aliquod vtiliter accedit.

Quod ex ipsis fit Rhodomeli, vulneribus, vlceribus, eruptionibus, ac in vniuersum omnibus, quæ abstergi & resiccari postulant, longe vtilissimum est.

Oleum calores omnes sedat, & inflammationes prohibet, aut iam incipientes mitigat.

Flores Rosarum, lutea videlicet stamina & apices, resiccant similiter & adstringunt, & potentius quidem, quàm ipsarum Rosarum foliola. Idem possunt calyces & alabastri: sed cùm his omnibus odor desit, minus vtilia sunt, humanæque naturæ minus amica.

Capita Rosarum, Plinio auctore, sanguinem etiam & ventrem sistunt: vngues, epiphoris salubres sunt.

Radix syluestris Rosæ ad morsum Canis rabidi vnicum remedium, oraculo repertum, vt idem lib. 8. cap. 41. scribit.

Spongiolæ, quæ in medijs eius spinis nascitur, cinere cum melle, Alopecias capitis explere, idem ait, lib. 25. cap. 2.

Fuchsius, Spongiolas & capitula syluestris Rosę, contra calculum & vrinę difficultates valere affirmat; si in puluerem trita exhibeantur. Prodesse autem possunt non vt diuretica, aut calculum atterentia; sed veluti alia quædam adstringentia, debiles renes confirmantia. quæ calculosis non rarò vtiliora sunt, quàm multa, præsertim potenter, diuretica. Nam talium diureticorum frequentiore aut nimio vsu, & renes multum debilitari, & sæpè supercalefieri contingit, & calculos non modò non comminui, atteri, aut expelli, sed copiosiores & duriores frequenter generari. Quod etenim in sanguine tenue, aqueum & serosum est, segregant: quod verò crassius, cogunt, ac indurant diuretica fortiora faciunt: & similiter etiam alia minus potentia, frequentiore vsu: vt Gal. de simpl. med. facult. lib. 5.

De Cisto. CAP. XXIX.

Cistus.



Cistus cum hypocistide



ROSARVM species & Cistus nonnullis videtur. Eius duo veteres genera fecere, marem & feminam, præter tertium Ledum dictum.

Vterque frutex est lignosus, multis alis ramosus, sed tamen humilis, nec admodum procerus, & virgis tenuibus: folia eis frequenter sunt lata, aliquantulum rugosa & lanuginosa, propemodum subalbicantia, hortensis aut alterius Saluiæ folijs modo quodam similia: flores in summo virgularum, veluti paruæ syluestres Rosæ, fugaces tamen & citò pereuntes, colore mari quidem, in cæruleo penè subrubentes, aut purpurei feminæ verò candidi: capitula inde rotundiuscula, in quibus semen paruum: radices lignosæ, fissæ, in diuersa tendentes.

Exit subinde sub ipso frutice ad radices, Limodori quoddam genus, crassum, pingue, carnosum, succo plenum, sine folijs, ex multis veluti Hyoscyami vtriculis, aut mali Punicę cytinis tritum constans: colore in vno genere πυῤῥῷ siue ruffo: in altero candido. in quodam etiam χλωρῷ, siue virente, aut herbaceo: vt Dioscorides ait. *Hypocistis.*

Nascitur Cistus in Italia, Hispania, Narbonensi Gallia, ac in alijs multis calidioribus Europæ prouincijs, aridis & saxosis locis: & in vna quidem regione crebrioribus folijs, in alijs rarioribus, alibi candidioribus mollioribusque, in plerisque minus candidis, minusque pilosis, in nonnullis longioribus, angustioribus, in quibusdam rotundioribus aut minoribus. Mutationem enim haud exiguam, pro regionum diuersitate Cistus recipit.

In calidis regionibus Aprili ac Maio floret: semen Augusto & Septembri maturitatem assequitur. In hortis Belgij serius florem eius conspici datur.

Κίσθος ἢ κίσθον Græci appellant, nonnulli κίσσαρον, alij κίσθαρον. Latinis similiter Cistus, & Rosa syluatica dicitur: à quibusdam etiam Rosa Canina, vt Scribonius Largus refert: ab Hispanis Estepa: à Lusitanis Rosella.

E radicibus exiens Limodorum, ὑποκιστὶς vocatur, quoniam sub Cisto proueniat: A nonnullis ῥόκιθαρον, aut ὀρόβιθαρον: Ab alijs κύτινος, inter quos Paulus est Ægineta; qui etiam non illud, quod Cisto subnascitur, sed huius succum Hypochistida appellat: vnde manasse potest Hypoquistidos vox, qua officinæ succum hunc barbarè nominant. *Hypocistis.*

Facultate porrò Cistus, vt Galenus ait, non instrennuè desiccat, secundi propemodum ordinis

ordinis reficcantium: adeò verò frigidus est, vt tepidi caloris sit particeps. Folia & prima germina trita tantùm deficcant, adstringuntque, vt vlcera glutinare valeant. Flores magis sunt efficaces, adeò vt cum vino poti dysenterias, ventris imbecillitates, fluxusque ac humiditates sanent: cataplasmatis modo illita, putredinosa ipsorum vlcerum iuuant. Dioscorides, νομὰς, id est, vlcera depascentia illitu cohibere, & cum cera ambustis, veteribusque vlceribus mederi tradit.

Hypocistis multò magis adstrictoria est: efficax remedium ad omnes fluxionum affectus, vt sanguinis reiectiones, profluuia muliebria, cœliacos, dysentericosque labores. Quin si partem roborare consilium sit, quæ videlicet plusculo humore exoluta fuerit, robur ac firmitatem illi non segniter addit. Sic sanè stomachicis, hepaticisque epithematis admiscetur, & ex viperis Theriacæ inditur, nimirum quo corpora confirmet ac roboret. Galenus.

De Cisto Ledo, & Ladano. CAP. XXX.

Cistus Ledon.

Ladanum.



CISTVS Ledon, frutex est paruus Cisto assimilis, sed foliis longioribus, nigrioribus, & tactu glutinosis: flores parui albicantes, exiguis Rosis persimiles: vna tamen eius species maiores habet, quorum singula foliola nigricans exornat macula, floribus gratiam ac decorem adferens.

Contrahunt folia pingue quoddam resinosum & odoratum, & tempore quidem, vt Dioscorides ait, vernali, sed vt Petrus Bellonius, αὐτόπτης, in mediis æstatis & Canicularium dierum ardentissimis feruoribus, quod non absque singulari cura & diligentia, nec minore industria, ab ipsis stirpibus nostra ætate colligitur, non, vt in fabulis est veterum, ex caprarum aut hircorum barbis villisve depectitur: collectum colatur, & in massas formatum in medicinæ vsus reconditur.

In Creta insula, eodem Bellonio teste, passim locis incultis Ledon exit reperitur & in Cypro, Plinio auctore: tum & in compluribus Hispaniæ locis apricis. Variat verò & huius non minus, quàm Cisti, foliorum & forma & magnitudo, ac ipsius etiam stirpis, pro locorum ac regionum diuersitate: vt videre est in C. Clusij diligentissimis obseruationibus, in quibus diuersas ac differẽtes Cisti ac Ledi species ostẽdit.

Λήδον καὶ λέδον ipse frutex dicitur & Cisti species est. Pingue verò quod ex foliis colligitur λάδανον καὶ λήδανον: Latini Græcas voces seruant: officinæ corruptè Lapdanum enunciant. Maximè probatur Dioscoridi odoratum, ὑπόχλωρον, siue subuiride, facilè mollescens, pingue, non arenosum, nec citò fragile, sed resinosum.

Primo excessu completo Ladanum calidum est, Galenus inquit, habens etiam adstrictionis paululum: ad hæc substantia tenui, ac proinde emolliens, pariterque moderatè digerens, ac videlicet etiam concoquens. Itaque mirandum non est, si peculiariter ad vteri vitia conueniat, quandoquidem ad dicta paulum quiddam adstrictionis obtinet: quocirca etiam defluẽtes capillos retinet. Nam quicquid ad radices eorum praui humoris resederit, id omne absumit, tum meatus, quibus infixi sunt, contrahit.

Vim habet Ladanum, Dioscorides ait, adstringentem, calfacientem, mollientem, aperientem: defluos capillos continet, cum vino, Myrrha, & oleo Myrtino admixtum: cicatrices pulchriores efficit cum vino illitum. Medetur aurium doloribus cum hydromelite aut rosaceo infusum: suffitu secundas eiicit: duritias vteri pessis immixtum curat. Medicamentis dolorem sopientibus, aduersus tussim facientibus, & malagmatis vtiliter admiscetur. Aluum sistit, cum vino vetere potum: & vrinam ciet.

DE

De Flore Solis. CAP. XXXI.

Flos Solis.



REPERITVR porrò Cisto ac Ledo similis quædam, sed multò minor stirps, subinde, nisi pedamentis quibusdam fulciatur, quasi repens cauliculi ei sunt numerosi, tenues, & graciles: folia oblonga, Ledi ac Cisti minora, carnosa, leniter hirsuta, quibus lentus inest succus: flores exigui, veluti paruulæ quædam Rosæ, sed minores, pares forma & magnitudine Argentinæ, siue Potentillæ dictæ, floribus, colore lutei aut candidi: radices tenues, lignosæ, ruffescentes. *Flos Solis*

Asperis, siccis & apricis, tam campestribus quàm montanis locis, ac non modo apud Italos aut Hispanos, verùm & apud Germanos, vbi cælum rigentius, nascitur: & modo maioribus, aliàs paulò minoribus, subinde virentioribus foliolis reperitur.

Apud Germanos & Belgas æstiuis mensibus florem producit semen postea perficitur.

Tragus Germanicè Heydenysop & feld-ysop appellat plerique Latinè Gratiam Dei. Est tamen & alia herba Gratiola à recentioribus dicta. Valerius Cordus Helianthemum & Solis florem nominat.

Plinius Helianthen tradit, in Temiscyta regione, & Ciliciæ montibus prouenire maritimis, folio Myrti. Hac cum adipe Leonino decocta, addito Croco & Palmeo vino perungi Magos, & Persarum Reges, vt fiat corpus aspectu iucundum: ideò eandem Heliocalliden nominari. Quæ si eadem cum isto Solis flore sit, an diuersa, nemo facilè in tanta Plinij breuitate explicauerit. Matthiolus, Helianthemum siue Solis florē, à quibusdam Panaces Chironium existimari refert, verùm cum eo similitudinis habet nihil. *Helianthe.*

Vulnera autem, eodem auctore, glutinat: sanguinem manantem sistit: ad cruenta sputa, dysenteriam, mensium redundantiam vtilis: oris & pudendorum vlcera vinum decoctionis eius ablutione sanat. in summa, agglutinat, cohibet, & corroborat. Quę satis ostendunt cum Cisto, ac Ledo, non modò forma, sed & viribus ac facultatibus conuenire. Proinde Cisti & Ledi, syluestrem quandam speciem esse.

De Paeonia. CAP. XXXII.

PÆONIÆ tres sunt: mascula vna, feminæ duæ.

Masculæ Pæoniæ caules, & foliorum pediculi rubent: folia lata ex pluribus commissa, nucis Iuglandis foliis ferè similia, nisi quòd Iuglandis ex septem aut nouē particulatibus, simul ad vnum neruum aut ῥάχιν cohærentibus constent; Pæoniæ verò, ex quinque solùm, & subinde ex tribus tantùm committantur: flores in summo caulium veluti magnæ Rosæ in purpura modò intensius, aliàs dilutius rubent, staminibus in medio purpureis, ex quibus lutei dependent apices: siliquæ foris lanuginosæ, quæ per maturitatem spontè dehiscunt, semē in his nigrum, rotundum, Ochri ferè magnitudine, & grana quædam coccineo colore splendentia. radices subsunt longæ, crassæ, alte descendentes, subinde bifidę, aut trifidę, intus candidæ & odoratæ.

Prioris feminæ caules parùm aut nihil rubent: folia incōdita, Hipposelini (quod a Theophrasto Smyrnion appellatur) fere modo laciniata, & singularia angustiora quàm maris, superna parte virentiora, inferiore albicantiora flores vt masculæ Pæoniæ, colore aliâs pulchrè, aliâs dilutè rubentes: semen, in siliquis Amygdalis similibus, etiam simile. radices verò differentes & aliæ: non vna etenim huic est radix, sed ab vno capite multæ descendunt glandulosæ radices, veri Asphodeli radicum æmulę, sed multò crassiores & lōgiores, à quibus sępe alię duæ aut tres procedunt, eiusdem omnino formæ. 2.

Pæonia mas.



Pæonia femina prior.



Huius verò & species quædam reperitur, adeò multiplicatis folijs, vt vnius floris supra ducenta foliola numerari contingat.

3. Altera femina caules habet & folia similia, folia tamē minus incondita, & in virore candidiora, auersaque parte etiam albidiora: flores minores, crebrò dilutius rubentes. radices quoque glandulosas, sed singulas multò longiores ac tenuiores. Hanc Plinius pro mare habuisse videtur lib. XXVII. cap. X. Femina, inquit, existimatur, cuius radicibus seu balani longiores, circa octo aut sex adhęrent: mas plures habet, quoniam non vna radice nixus est, palmi altitudine, candidaque. Posset verò & hęc Pæonię feminę species altera, Dioscoridis quoque mascula existimari, si non folium mari nucis Iuglandis, & radicem vnicam esse scripsisset. Nam mari suo talem fere radicem tribuit, qualis est tertię Pęoniæ vna aliqua, ab ipsis radicibus, quę pluribus singularibus constant, auulsa. Sed tamen ex eo quod Pæoniæ mari, folia βασιλικῆ καρύᾳ, id est, nuci Regiæ similia esse prodiderit, & radicem vnam numero singulari, non septem aut octo, vti feminam habere ait, ostendit se non hanc tertiam, sed primam, marem appellauisse quæ nempe nucis Iuglandis siue Regiæ, habet folia, & radice est vnica. Plinius etiam feminæ folia Myrrham redolere ait, sed suspicio euidens est, ἀντὶ τοῦ σμυρνίου, σμύρναν eum legisse, aut pro σμυρνίῳ, Myrrham parum rectè reddidisse.

Plinij oscitantia.

Nascitur Pæonia, vt Dioscorides scriptum reliquit, in altis & præruptis montibus. Plinius verò, in opacis montibus, & alio loco in syluis, ait: in Cretæ & Siciliæ montibus Apuleius. Gesnerus in Generoso dicto Heluetiæ monte reperiri, audiuerat: apud Belgas & alibi hac ætate in hortis habetur, & vulgatissima quidem, femina prior; altera deinde: mascula rarissima est. Florent omnes mense Maio: semen Iulio ad maturitatem peruenit.

Græcis παιωνία καὶ γλυκυσίδη & à nonnullis πεντόβοξον, Latinis similiter, Pęonia & Dulcisida dicitur. Officinis Pionia, Germanis Peonien blumen/ Peonien rosen/ Gichtwurtz/ Künigsblum/ Pfingstrosen. Belgis ferè Pioenen: Flandris tamen, Maeybloemen: Gallis, *Pinoine*: Hispanis, *Rosa del monte*. Italis *Peonia*.

Habet verò & alia multa nomina, inter nothas voces reiecta, quę partim etiam apud Apuleium reperiuntur: vt sunt, ὀρόβηλιον, ὀροβάξ, αἱμάγωγον, παισωίδη, μηνογένειον, μήνιον, πενδώροπες, ἰδαῖος δάκτυλος, ἀγλαοφωτὶς, θεοδώνιον, σελήνιον, σεληνόγονον, διχομήνιον: Rosa Fatuina, herba

Casta

Pæonia fœmina flore



Pæoniæ fœminæ multiplex flos.



Casta. Menogenion autem, Menion, Selenion, Selenogonion, Dichomenion, ἀπὸ τῆς μήνης, καὶ σελήνης nomina deriuantur, quarum vtraque vox Latinis Lunam significat. Lunaris verò siue Lunaria Pæonia appellari potest: quòd Comitiali morbo laborantibus, quos Lunaticos plerique appellant, auxilietur. Idæi dactyli appellatio, fœminæ conuenit, cuius glandulosæ radices dactylos Idæos referunt. Sunt autem Idęi dactyli, gemmæ quædam forma humani pollicis, in Creta insula nascentes. Aglaophotis, id est, lucidè splendens, Pæonia dicitur, à granis cocci colore splendentibus. *Idæi dactyli.*

Aglaophotides autem duę, apud Ælianum lib. 14. descriptæ reperiuntur: vna marina, cap. 24. altera terrestris, cap. 27. *Aglaophotis.*

1. Marina, Fuci species est, quę in profundis nascitur petris, magnitudine Myricæ, fructu Papaueris, qui æstiuo Solstitio dehiscens, noctu igneum quẽdam, & veluti scintillantem splendorem emittit.

Terrestrem, quæ alio nomine Cynospastus dicitur, per diem, ait, inter cæteras herbas delitescere, nec vllo modo agnosci, noctè verò stellæ instar lucentem, & igneo splendore coruscantem, facile in conspectum venire.

2. Et hæc quidem terrestris Aglaophotis siue Cynospastus, Pæonia est, Pęoniæ enim grana rubentia, Apuleius ait, noctu lucere tanquam lucernam: & plurimum noctu à pastoribus inueniri ac colligi Pręcipi etiam vt Pęonia noctu colligatur, Theophrastus & Plinius referunt. Quæ de Aglaophotide Ælianus quoque affirmat.

Appellatur verò terrestris hęc Aglaophotis à Iosepho belli Iudaici scriptore, lib 7. cap. 25. Baaras, à loco in quo reperitur. Quod, conferenti ea quę de Aglaophotide terrestri, siue Cynospasto, Ælianus scribit, cum iis quę de Baara Iosephus, fit manifestum. Cynospastum etenim Ælianus ait, non absque periculo euelli, & eum, qui primum eius naturæ imperitus eam attigit, famam esse periisse: itaque signum ad eius radices noctu defigendum, canem verò ad alligandum famelicum qui nidore obiectarum assatarum carnium motus ad eas impetu facto, radicitus eam eruat. Ita etiam Iosephus, Baaram tradit circa vesperam, veluti iubare fulgere, accedentibus & euellere cupientibus facilem non esse, sed vel vrinam muliebrem, aut menstruum sanguinem super eam fundendum, aut circumfodiendam, & ad eam canem religandum, atque ita demum euelli posse.

Vanissima autem hæc sunt omnia: nullo etenim negotio & citra omne periculum, quauis diei & noctis hora Pæoniæ radix colligi & euelli potest. Quia de causa & similiter vana sunt, quę Theophrastus & Plinius, de Pæonia tradiderunt, præcipi, videlicet, vt noctu colligatur. Nam si interdiu quis fructum legat, à Pico martio visus, oculis periclitaturum: si vero radicem secet, periculum esse ne sedes procidat.

Mirum autem videri non debet huiuscemodi nugas & vanissimas superstitiones, ac impiissimas ceremonias, subinde in antiquissimorum auctorum libris resperfas reperiri: fuerunt enim multa, illorum seculis, magna vanitate, ad ostentationem, vt Plinius vere testatur, ab Ægyptiis & aliis pręstigiatoribus efficta: quorum sectator olim quidam Andreas fuit medicus, quem Galenus ait, præstigiaturas ac mendacia in materiam medicam inuexisse: à cuius lectione, ea de causa, & aliorum similiter mendacium, abstinendum præcipit.

Porrò Pæoniæ radix leuiter cum dulcedine, vt Galenus ait, adstringit: acrimoniæ cuiusdam subamaræ quoque particeps: temperamentum haud insigniter calidum obtinet, pauxillo symmetro calidius: exiccatoria autem est & subtilium partium. Feminis à partu non purgatis, sicca, Dioscorides inquit, datur: menses cit Amygdalę quantitate pota: in mulsa, Galenus addit. Prodest auriginosis, renes & vesicam dolentibus. obstructum hepar & renes expurgat: ventris dolores sedat, & fluxiones sistit, in vino decocta & bibita. Recentem pueris ex collo suspensam, aduersus Comitialem morbum efficacem esse, à Galeno certo & euidenti experimento compertum est. Est vt etiam, inquit Plinius, contra malum mentis. sed in medendo quatuor drachmæ satis sunt. Præfertur ad hæc masculæ Pæoniæ radix.

Rubra grana 10. aut 12. pota in vino austero, nigro, fluxum rubrum muliebrem sistunt: stomachicis qui rosiones sentiunt, esa prosunt: à pueris comesta, aut in potu sumpta, calculi initia excutiunt.

Nigra grana, ipsa videlicet semina, 15. numero in potu sumpta, opitulantur suppressionibus nocturnis, quas ἐφιάλτας nominant, vterinque strangulationibus & doloribus. Vtraque auxiliantur à serpente percussis, Plinio auctore.

LIBRI PRIMI PEMPTADIS SECVNDÆ

FINIS.

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTADIS SECVNDÆ LIBER SECVNDVS.

DE FLORIBVS EX BVLBIS.

PRÆFATIO.

EX bulbis prodeuntes flores nunc ordine succedunt. Inter bulbos autem edules & vescendo nonnulli sunt, vt Allium, Cepe, Porrum, & si qui sunt ipsis similes: de quibus alibi, in olerum videlicet historia agendum restat. Hoc loco de iis bulbis, quorum speciosi ac elegantes flores, & in hortis, & in coronis gratiam consecuti sunt, scribendum. Horum autem pleriq; odorati: alij absq; odore.

Differunt vero & forma & colore. Narcissus & Lilium forma multum dissident. Lilia alba à purpureis, ac aliis colore diuersa. Reperitur & in ipsis bulbis discrimen: quidam solidi, tunicis constant: alij squamis, aut nucleis, vt Liliorum.

Durabiles autem omnes bulbi, nec facilè aut citò ex terra eruti marcescunt: idcirco & commodè transferri queunt, si, quando semen perfecerint, transferantur. Causa huius lentus eorum succus, quo omnes bulbi redundant: qui non facile absumitur nec resiccatur, sed tenacius hæret.

DE LILIO CANDIDO.

CAPVT PRIMVM.

Lilium candidum.



CANDIDO siue albo Lilio, quod pulchritudine, nitore & vsu, reliquis præstat, folia sunt oblonga, lata, carnosa, læuia, in herbaceo & diluto virore splendentia: caules duobus cubitis altiores, multis foliis sensim attenuatis comosi, qui inter folia exeunt. flores ad summum caulis pulchri, candidi, odorati, magni, ab angustiis in latitudinem se laxantes, calathi forma, senis constantes foliolis, oblongis, extrinsecus striatis, staminibus e medio emicantibus, à quibus lutei dependent apices: radix bulbosa, nucleis constans, & ex multis simul vnitis composita, succo lento & glutinoso plena, quo & folia & caules redundant.

Seruntur Lilia passim in hortis. In Syria autem & Pisidia Pamphyliæ, vnguentis efficacissima nasci, Dioscorides inquit.

Floret apud Germanos, Italos, Hispanos, Belgas, Gallos, & alibi Lilium, Iunio mense: Augusto folia exeunt, tota hyeme virentia: Verè, caulis erumpit.

Stirps Liliorum à Græcis κρινωνία dicitur: flos verò κρίνον & λείριον (est tamen & Narcissus λείριον) à nonnullis καλλίλειριον & κρινάνθεμον: A Latinis Lilium & Rosa Iunonis.

Appellatur autem Rosa Iunonis, quòd ex lacte eius in terram delapso, natum feratur. Fingunt siquidem Poetæ Herculem, quem ex Alcumena Iupiter susceperat, admotum fuisse dormientis Iunonis vberibus, & post suctum lac copiosum effluxisse, & vna eius parte cælum perfusum, alia terræ glebas: atque hinc Lilia nata, inde verò Lacteum apparere in cælo circulum. Germani Lilium istud, vulgò weiß Gilgen oder weiß Lilgen appellant. Belgæ witte Lelien. Itali *Giglio*: Hispani *Lirio blanquo*, *Azucena blanqua*: Galli *Lys blanc*.

Lilij autem flos temperaturam mistam, vt Galenus ait, obtinet; partim ex tenui, partim ex terrena essentia.

Radix foliaque per se trita, desiccant & abstergunt, ac moderate digerunt.

Folia herbæ, Dioscorides ait, imposita, auxiliantur à serpentibus ictis: eadem feruefacta, ambustis proficiunt: aceto condita, vulneribus curandis apta fiunt.

Succus melle & aceto mixtus, in æneo vase coctus, medicamentum efficitur veteribus vlceribus, & recentibus vulneribus vtile.

Radix tosta, & cum rosaceo trita, ambusta sanat, vterum mollit, menses mouet: vlcera ad cicatricem perducit. Cum melle verò eadem trita, neruorum vulnerationes & luxationes sanat, vitiligines & lepras expurgat, furfures & manantia capitis vlcera abstergit, faciem purgat & erugat. Cum aceto autem & Hyoscyami folijs, ac farina triticea trita, testium inflammationes mitigat. Propter clauos pedum, in vino, Plinius ait, radices Lilij decoquuntur, ut triduoque non soluuntur: cum adipe aut oleo decoctæ, pilos adustis reddunt. E mulso potæ, inutilem sanguinem cum aluo trahunt. Lieni, & ruptis, & vulsis prosunt.

Recentiores Lilij radices coctas, cataplasmatis summa cum vtilitate admiscent, abscessus maturantibus & ad suppurationem perducentibus. Eædem etiam, in oris collutionibus ad idem facientibus, vtiliter decoquuntur. Nam omnes abscessus maturant, & suppurari faciunt, & dolorem simul sedant.

Semen, Dioscorides ait, potum, serpentium morsibus aduersatur. Cataplasma ex semine & folijs, erysipelatis imponitur.

Fit ex floribus oleum aut vnguentum, quod Lirinum aut Susinum appellatur, molliendis neruis aptum, priuatimque ad vteri duritias vtile.

De Lilijs purpureis, Hyacintho scripto, & Comosandalo.

CAPVT II.

Lilium purpureum maius.



Lilium purpureum minus.



PVRPVREORVM Liliorum tria genera sunt: maius vnum; alterum minus: tertium bulbiferum.

1. Maiori purpureo Lilio, caules sunt proceri, longi, subinde altiores quàm Lilij albi: folia tamen nigriora & angustiora, circa caulem multa, sed ante eius exortum è radicibus nulla: flores summo caule copiosi, 10. 12. aut plures, ad vsque 18 & 20. ac vltrà, supra inuicem incerto ordine digesti, Lilij alterius forma & magnitudine, colore verò rubro ad croceum inclinante, multis exiguis nigris quasi punctulis, literarum quarundam veluti rudimentis, respersi: radices, bulbi magni sunt, ex multis quoque nucleis, vt Lilij candidi, sed maiores.

In Ita

Lilium purpureum tertium.



In Italia, in aruis inter segetes, in montibus etiam ac conuallibus, Lilium istud, Matthiolo teste, emicat Belgæ in hortis serunt.

Floret paulò ante candidum Lilium, post purpureum minus, vna cum Rosis.

Matthiolus Lilium syluestre in Italia appellari, & Hemerocallida esse ait. Sed ἡμεροκαλλὶς, vt auctor Dioscorides, in singulis apophysibus, tres aut quatuor flores profert, colorem habentes ἰσχυρῶς ὠχρὸν, id est, valde luteum. Ἀποφύσεις autem siue ἀποφύαι, ramulares adnascentiæ, siue appendices dicuntur. Ochræ color, melino similis & citrino, à malo Citrio nomen habenti. Lilium autem istud, ramulares adnascentias nullas habet, & flores in caule nō modò tres aut quatuor, sed nō rarò 18. aut 20. aut plures, subinde ad 50. aut 60 vsque, ac coloris non lutei, sed purpurei crocei. Quibus de causis non quidem Hemerocallis, sed Lilium illud esse apparet, quod capite de Lilio, πορφυροῦν, siue purpureum, reperiri, ex relatu Dioscorides scribit, quodque rubens Plinius, & Græci, eo auctore, κρίνον vocant, florem verò Cynorhodon & laudatissimum in Antiochia & Laodicea Syriæ, mox in Phaselide, quartum locum in Italia nascens. Nisi fortassis duæ Hemerocallides flores sint: vna quidem apophyses habens, alia non habens, & ea quidem purpurea: ita etenim & Lilium istud Hemerocallis fuerit, & præsertim πορφυρανθὲς: qua appellatione Hemerocallida, etiam dictam, inter nothas voces reperitur. Sed verisimile est Hemerocallida non esse, est enim & Hemerocallis quædam flore purpureo, cui πορφυρανθὲς nomen propriè conuenit.

Alterum & minus purpureum Lilium, caule est multo breuiore, cubitali videlicet tantùm aut minore folijs similiter nigricātibus & angustioribus ac minoribus. Flores è summo caule pariter erumpunt, singuli tamen suis pediculis, modò breuioribus, modò longioribus insidentes, coloris quoque purpurei crocei, notulis similiter quibusdam nigris & perquam exiguis ornati, Lilij etiam diuisura, sed paulò minores pro radicibus & minores bulbi sunt, infra supráque quos fibræ adhærent. 2.

Vnà cum alijs Lilijs apud Germanos, Belgas & alibi, colitur in hortis.

Floret sub finem Maij, reliqua Lilia antecedens.

Lilium etiam est purpureum, & κρίνον πόρφυρον, quod ad differentiam præcedentis, minus cognominatur.

Tertium huius generis purpureum Lilium procerius est minore, humilius verò maiore: flores paulò quàm minoris rubicundiores. huic è sinu foliorum, & quandoque in ipsis florum pediculis parui nascuntur bulbi, qui terræ commissi adolescunt, & tertio aut quarto anno flores proferunt: bulbis autem radicum, folijs, ac floribus nigris notulis inscriptis, superioribus duobus simile. 3.

Et istud Lilij genus in montium conuallibus alicubi reperitur: Germanis verò ac Belgis hortense est.

Flores huius post minoris, ante verò maioris apparent: vt enim altitudine medium, ita quoque medio tempore floriferum.

Inter purpurea Lilia referendum. ab exiguis autem quos profert bulbis, Bulbiferi cognomen accepit.

Ouidius lib. Metamor. 10. huius generis Lilium, Hyacinthum appellat, ab Hyacintho adolescente, ex cuius sanguine hunc florem natum fingit, quando cum Apolline ludens periisset, cui Apollinem gemitus sui notas & literas inscripsisse ait, sic scribens: *Hyacinthus.*

Ecce cruor, qui fusus humo signauerat herbas,
Desinit esse cruor, Tyrioq; nitentior ostro
Flos oritur, formamq; capit, quam Lilia, si non

Purpureus color huic, argenteus esset in illo.
Non satis hoc Phœbo est, (is enim fuit auctor honoris)
Ipse suos gemitus folijs inscribit, & ai ai
Flos habet inscriptum, funestaq; litera ducta est.

Huius Hyacinthi meminit etiam Theocritus in Epitaphio Bionis, eidyllio 19.

Νῦν ὑάκινθε λάλει τὰ σὰ γράμματα καὶ πλέον αἶ αἶ
Λάμβανε τοῖς πετάλοισι.

Meminit & huius Virgilius Bucolicôn Æcloga tertia.

Et me Phœbus amat, Phœbo sua semper apud me
Munera sunt, Lauri & suaue rubens Hyacinthus.

Similiter & Nemesianus Bucolicôn Æcloga secunda.

Te sine me, misero mihi Lilia nigra videntur
Pallentesq; Rosæ, nec dulce rubens Hyacinthus.
At si tu venias, & candida Lilia fient,
Purpureaq; Rosa, & dulce rubens Hyacinthus.

Dicitur autem rubens Hyacinthus, qui ab Ouidio purpureus appellatur. Color siquidem florum rubens, subinde nominatur purpureus. Existimatur vero & iste Hyacinthus ferrugineus cognominari, quod ferruginis instar rubeat. vti enim ærugo æris, sic ferri corruptela ferrugo esse creditur, quæ à subrubente colore rubigo dicitur. Et quidem in hac opinione non pauci sunt, qui ferrugineum colorem à rubigine (quam ferrugineam esse censeor) dictam velint. Sed non omnibus hæc sententia probatur, quibus ferrugineus non alius esse videtur, quàm ad cæruleum accedens. ferrum nempe quem contrahit, posteaquam ab igne candefactum fuerit. Relinquitur etenim tunc in generosissimo ac durissimo ferro color cæruleo proximus: à ferro ferrugineus appellatus. Nituntur hi auctoritate Virgilij, qui vno loco, Æneidos VI. Ferrugineam Charontis cymbam describit, & eandem mox cæruleam nominat:

Ferrugineus color.

Ipse ratem conto subigit velisq; ministrat,
Et ferruginea subuectat corpora cymba.

Deinde paulo post: *Cæruleam aduertit puppim, ripæq; propinquat.*

Facit huc quoque, quòd vno loco Arcentis filium, in armis clarum, referat ferrugine Ibera: alibi verò arma Oceani coloris ostendat, qui cæruleus apparet: vt Æneid. VIII.

—Chlamyde & pictis conspectus in armis,
Qualis vbi Oceani perfusus Lucifer vnda.

Et Æneidos IX. *Stabat in egregiis Arcentis filius armis,*
Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Ibera.

Confirmat verò & horum sententiam non parum Claudianus, qui Violas ferrugine dulci pictas scribit, lib. II. de raptu Proserpinæ:

Sanguineo splendore Rosas: Vaccinia nigro
Induit, & dulci Violas ferrugine pingit.

Occurrit autem ferruginei Hyacinthi mentio apud Virg. Georgicôn IIII.

Et pinguem tedam & ferrugineos Hyacinthos.

Item apud Columellam lib. X. in hortis:

Syrpiculum ferrugineis cumulate Hyacinthis.

Putatur autem ferrugineus color & obscurus ac lugubris esse: Catullus enim in Argonauticis talem videtur affirmare:

Nostros vt luctus, nostræq; incendia mentis
Carbasus obscura dicat ferrugine Ibera.

Et Ouidius: *—quorum per colla iubasq;*
Excutit obscura tinctas ferrugine habenas.

Sed ad Hyacinthum purpureum siue rubentem, vnde sumus digressi, reuertamur.

Recentiorum plerique, hunc Hyacinthum Poëticum appellant, ad differentiam nempe alterius, quem Historicum Iodocus Vuillichius in commentariis Georgicôn Virgilij nominat. At nobis magis placet hunc scriptum Hyacinthum dici. alterum verò, de quo inferius suo loco, non scriptum: in hoc etenim lugubres notæ inscriptæ reperiuntur: in illo verò nullæ sunt.

Theocritus siquidem εἰδυλλίῳ x. hunc Hyacinthum γραπτὸν, id est, scriptum appellat, sic canens: Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος.
Et viola nigra est, & scriptus Hyacinthus.

In quo quidem carmine Hyacinthus niger dicitur, non quòd ipse totus niger sit, verùm ab ipsis punctis & nigris luctus notulis. haud aliter quàm purpureus dicitur Narcissus, propter medij

medij circuli eius purpureum criſpum ambitum,& luteus à calyce luteo; nam maxima pars floris,circumambientia videlicet foliola, candidiſſima in vtroque ſunt vt in Narciſſi videre eſt hiſtoria.

Pauſanias Corinthiacon lib.ſecundo,ſcriptum Hyacinthum, aut ei ſimillimum florem Comoſandalon ab Hermionenſibus appellati,memoriæ prodidit, ritus referens, qui ab ipſis in honorem Chthoniæ deæ,ſtatis feſtis aguntur diebus Pompæ agmē ducunt,inquit, ſacrificuli,& qui annuos magiſtratus gerunt: ſequuntur feminæ ac viri: ipſis etiam pueris ſolenne eſt,deam cum pompa deducere. Incedunt autem cum albis veſtimentis, capitibus coronas ferentes ſunt eæ corollæ ex flore contextę,quē κωμοσάνδαλον incolæ appellant. Hyacinthum ego illum exiſtimo: eſt enim ei tum magnitudine,tum colore perſimilis,habet præterea eaſdem luctus indices literas Hæc Pauſanias. Comoſandalon

Porrò purpureorum Liliorum iſtorum,in medicina incognitus vſus eſt,&facultas incomperta: inter flores autem gratiam inuenere.

De Lilio ſylueſtri, CAP. III.

Lilium ſylueſtre



SYLVESTRE Lilium caules promit bicubitales aut altiores,rotūdos: folia lōga,lata,acuminata,non ſupra inuicem incerto ordine diſpoſita, ſed caulem quibuſdam locis,ſtellæ modo radiata, circūdantia floresè ſuis pediculis deorſum depēdent,Lilij diuiſura, ſed minores, colore purpureo obſoleto, purpureiſque aliquot maculis ſplendentes,& ſtaminibus eiuſdem coloris in medio; quorum foliola retrorſum reflexa in circulum aut orbem ferè recuruantur: radices bulboſæ veluti ex multis nucleis cōiunctæ,aurei vel flaui coloris, ex quibus fibræ dependent.

Naſcitur Lilium iſtud complurimis Germanię locis, in ſyluis & montibus, Fuchſio & Geſnero teſtibus: apud Bohemos quoque in nōnullis collibus herboſis.Belgæ cum alijs Lilijs in hortis habent.

Floret ſub finem Maij,aut Iunij initio, candida Lilia anteuertens.

Germani,Goldtwurtʒ / à flauo bulbi colore, & Heydniſch blumen appellant. Noſtri Lelickens van Caluarien: Hiſpani *Lirio Amarilho ſaluage* Galli, *Lys ſauuage,* hoc eſt, Lilium ſylueſtre. Eſt tamen & aliud ſylueſtre Liliū, alio nomine Hemerocallis, de qua paulò pòſt Matthiolus iſtud Lilium in Italia à Chymiſtis Martagon dici,ait.

Vſum autem hoc Lilij genus, in medicina nullum habet.

De Lilio ſylueſtri altero. CAP. IIII.

AD ſylueſtris Lilij genus & aliud multò elegantius accedit. caulem iſtud promit cubitalem, aut proceriorem, multis folijs ſenſim attenuatis comoſum, inferius ex purpura nigrcantem: folia læuia ſunt, pinguia, & reſplendentia,Lilij ferè candidi æmula, attamen paulò nigriora, minuſque acuminata: flores è ſummo ac faſtigio caulis ſylueſtris Lilij modo reflexi ac repandi dependent, ſuaueolentes pigmentorum quorundam inſtar, eleganti colore rubentes, medio inter Minium & Cinnabarim, vtraque factitia; aut inſtar floris Conſtantinopolitani. pro radice bulbus ex ſquamulis multis,ac nonnullis minoribus bulbulis congeſtus; fibris verò & aliquot demiſſis,quibuſdam verò & ſuprà adnatis: veluti Lilijs purpureis.

In Iapidiæ montibus hoc Lilij genus à ſe repertum Matthiolus ſcribit: Belgæ cum alijs, in hortis colunt.

Vnà cum candidis Lilijs in Belgio floruit.

Nomen

Lilium syluestre alterum.



Corona Imperialis.



Nomen huic Hemerocallidis alterius Matthiolus tribuit: nos tamen ad Lilij syluestris genus potius referendum censuimus. Hemerocalis siquidem nobis, non bulbosum Lilium esse, nec temerè, videtur.

De facultate verò huius comperti habemus nihil.

De Corona Imperiali. CAP. V.

INTER syluestria Lilia venit & numeranda Imperialis Corona dicta: cuius folia læuia, oblonga, caulem quoque stellæ similiter in modum, veluti syluestris Lilij, ambiunt: caulis quoque assimilis, sed fastigio ex aliquot foliis comam proferens, à qua ex tenuibus pediculis deorsum nutantes dependent quatuor flores, singuli senum foliorum, Liliis similes, sed minus patentes, minores, & haudquaquam reflexi, colore vel lutei, vel Hyacinthi scripti, siue purpurei Lilij instar rubentes: (duorum etenim est generum:) quorum stamina sex, & medius pistillus inalbicant. pro radice bulbus non vt aliorum Liliorum squamosus, sed solidus & cepaceo similior, odore Allium referés.

Rarus iste & peregrinus bulbus in Orientis regionibus nascitur. apud Italos & Pannonios in hortis à paucis coli cœpit.

Circa Nonas Aprilis Anno M CCCCC. LXXVI. ex horto Inuictissimi Imp. Maximiliani II. & nonnullorum procerum, flores in aulam Viennæ illati fuerunt.

Lale & Tursani patriis vocibus appellari affirmatur: Itali Coronam nominant Imperialem.

De huius quoque facultatibus nihil adferri potest: nondum exploratæ sunt, vel floris vel bulbi vires.

De Dente canino & Ephemero.
CAP. VI.

DENTI canino folia exeunt bina terniue, latiuscula, Allij vrsini aut Colchici similia, sed minora & rubro maculata, aliquantulum humum versus reflexa: surgit ab his tenuis pediculus dodrante breuior, e cuius fastigio flosculus dependet ex sex foliolis, totidemque e medio prominentibus, cum suis apicibus, staminibus, Lilium syluestre, cum forma, tum repandis extrorsumque reflexis foliolis referens, verum minor, colore subinde candidus, aliquando eleganti, nec tamen intenso rubore purpureus, non rarò medio inter vtrosque: capitulum subsequitur rotundum, exiguum, in quo semina. radix oblongum & tenuem refert bulbum, ex quo tenues fibræ demittuntur.

In Mutinensibus & Bononiensibus Italiæ montibus reperiri fertur. Germanis ac Belgis non nisi hortensis.

Aprili

Dens caninus.



Ephemerum Matthioli.



Aprili mense apud Belgas quandoque cum flore videtur.

Satyrium plerique appellant, & quidem Erythronium dictum: desideratur tamen in radice magnitudo Mali, & alia nonnulla. Alij Pseudohermodactylum nominãt: nec adeò à Colchico (ad quod legitimus Hermodactylus venit referendus) differens, quin aliquo modo similis ei dici queat.

Cum Dioscoridis Ephemero magis conuenit: præsertim in descriptione paucis aliter se habentibus: Lilium siquidem syluestre foliis ac floribus minoribus, tenuioribus, & reflexis refert. radix vna oblonga, digitalis crassitudinis, oblongo ac tenui bulbo, vti scripsimus, similis. deest tantummodo caulis Lilij æmulus: qui tamen fortassis cum Lilij syluestris aliquo modo comparari potest, dependente nempe ex eo flosculo, instar Lilij huius, reflexo.

Describitur autem Ephemerum istud his verbis· Ἐφήμερον, οἱ δὲ ἶριν ἀγρίαν, φύλλα καὶ καυλὸν ὅμοια ἔχει κρίνῳ. λεπτότερα δὲ ἄνθη λευκά, πικρά. καρπὸν δὲ μαλακόν. ῥίζα δ' ὕπεστι δακτύλου πάχος μία μακρά, στυπτική, εὐώδης: id est, Ephemerum, sunt qui Iridem agrestem · folia & caulem similia habet Lilio, tenuiora tamen: flores candidos amarosque: semen molle: radix subest vna, digiti crassitudine longa, odorata, adstringens. In qua descriptione vbi legitur ἶριν ἀγρίαν, malim legere κρίνον ἄγριον. Nam si folium caulesque Lilij, citius Lilium syluestre, quàm Iris syluestris nuncupari debet. *Dioscoridis locus animaduersus.*

Matthiolus pro hoc Ephemero, herbæ cuiusdam iconem exhibet, cum hac descriptione nequaquam conuenientem: quod & in hortis Pannoniæ superioris ac Belgij aliter, quàm ab eo depingitur, enatum vidimus. Prodit siquidem foliis oblongis, latis, duriusculis veluti Isatidis, sed tamen minoribus: cauliculis compluribus rotundis, cubito altioribus, non absq; adnatis, quos superius candidi conuestiunt flosculi quinque foliorum, haud magni, successiuè prodeuntes: semen succedit in rotundis capitulis exiguum: crassis & multis fibris capillatæ radices. *Ephemerum Matthioli.*

Cæterùm Dentis canini (si Ephemeron non est) facultas incognita, & nondum explorata, latet.

Ephemeri verò radice Dioscorides dentium dolores sedari ait, si decocto eamm colluantur. folia verò in vino decocta, discutere tumores & tubercula.

De

De Lilio non bulboso. CAP. VII.

Lilium non bulbosum.



Lilium non bulbosum obsoleto colore rubens.



LILIORVM aliquot genera descripsimus bulbosa : nunc aliud genus occurrit, non bulbosum. Huius duo genera florum colore discreta. vni flos luteus : alteri in rubro obsoletiore purpureus.

1. Sunt autem Lilio non bulboso luteo folia oblonga & angusta, Porri aut Asphodeli foliis similia: caulis cubito altior, teres, læuis, absque foliis superius in apophyses, siue ramulos, aut propagines duas aut quatuor diuisus, in quarum singulis flores tres aut quatuor, Lilium album forma & foliorum numero referentes, colore Ochræ luteo post flores crassæ, triangulares gignuntur siliquæ, in quibus semen nigrum & splendens veluti Pæoniæ, sed minus paullo. radices subsunt non vti aliis Liliis bulbosę, sed veluti Asphodeli glandulosæ, lutei Asphodeli radicum æmulæ, multæ videlicet, oblongæ ab vno capite descendentes, è quarum annexu fibræ quædam crassiores serpunt, quibus in plures plantas multiplicatur.

2. Alterum Lilium foliis, caule, siliquis, semine, radicibus glandulosis priori simile, singulis tamen aliquanto maioribus: flos obsoleto colore ruber, medio iuxta pediculum luteus est; qui matutino tempore dehiscens, vesperi, mox deinde periturus, marcescit: veluti & prioris.

Peregrinum Belgio vtrumque Lilium est, & aliunde inuectum.

Floret vnà cum Lilio purpureo maiore, vel paulò antè, Lilia candida præcedens.

Liliasphodelum nonnulli appellant, sed rectius non bulbosum Lilium nuncupatur. alij Liliaginem, plerique Liliastrum : veteres autem Hemerocallida dixerunt. Repeteriuntur autem apud ipsos Hemerocallides duæ: vna frutex, alia flos est.

Hemerocallis frutex Hemerocallis frutex ex genere est coronariorum & lignosorum, quæ minutis, tenuibusq; cōstant foliis : semine exit, radiceq; est lignosa: vt auctor Theophrastus lib. 6. De historia stirpium. Plinius lib. 21. cap. 10 hanc Hemerocallidem inter eas stirpes numerat, quæ solis foliis coronant.

Hemerocallis flos. Alia Hemerocallis, flos est, qui nocte tabescit, oriente verò Sole pullulat, Athenæo teste: quale istud non bulbosum Lilium, præsertim quod purpureum & fugacissimũ est, hoc enim vno tantum die viget, matutino siquidem tempore exortum, vesperi flaccescit. quamobrem & proprie ἡμεροκαλλίς, ab vnius videlicet diei pulchritudine, dici potest.

Hemero-

Hemerocallidis autem huius descriptio, his verbis apud Dioscoridem traditur. ἡμεροκαλλὶς φύλλα ἔχει καὶ καυλὸν ὅμοια κρίνῳ, χλωρὰ δὲ ὥσπερ πράσα· ἄνθη δὲ ἐν αὐτῷ καθ' ἑκάστην ἀπόφυσιν γ' ἢ δ', τὴν σχίσιν τῷ κρίνῳ ἐοικότα ὅταν ἄρξηται χάσκειν, τὴν δὲ χρόαν ἰσχυρῶς ὠχράν, ῥίζαν ὁμοίαν βολβῷ ἐν μεγέθει. Id est, Hemerocallis folia habet & caulem Lilio similia, viridia vt Porrum: flores in ipso, iuxta singulas apophyses tres aut quatuor, diuisura Lilio similes, cùm primùm hiare cœperint. colore ochræ intenso; radicem similem bulbo magno.

Et cum hac quidem descriptione, Lilium non bulbosum, exceptis radicibus, conuenit. Caules etenim in propagines siue ramulos distribuuntur; singuliq́ flores tres aut quatuor promunt & eos quidem, vnius generis ochræ luteo colore, alterius vero purpureos. Purpurei etenim coloris & Hemerocallidem aliquam esse, πορφυρανθὲς nomen, inter nothas appellationes repertum, ostendit.

Neque obstat nobis, quòd Dioscorides Hemerocallidi radicem ὁμοίαν βολβῷ ἐν μεγέθει, id est, magno bulbo similem tribuat. Innuit enim istud Hemerocallidis descriptioné apud eum deprauatam: vel enim superfluorum videlicet, ac veritati repugnantium adiectione ampliatam: vel duorum Liliorum mutilas descriptiones, in vnam contractas, Hemerocallidis videlicet & alicuius alterius Lilij. Nisi fortassis & bulbosum aliquod sit Lilium, apophyses faciés, & vnius tantum diei florem luteum habens: quale tamen nondum constat alicubi repertum esse. *Dioscoridis suspecta descriptio.*

Dicitur verò Hemerocallis & ἡμεροκαλλὲς πεντάλεχτον, κρίνον ἄγριον, κρινάνθεμον, πορφυρανθὲς, βολβὸς αἱματικὸς, ἀντικάνθαρον, Lilium agreste & Lilium marinum. Et omnibus his nominibus Lilium non bulbosum nuncupari potest, excepta tantùm bulbi Hæmatici appellatione, quæ Lilio alicubi bulboso magis conuenit πορφυρανθὲς autem vox purpureo propria est.

Cæterùm facultates Lilij non bulbosi incompertæ sunt, cum nullius, hac ætate, in medicina aut cibatu sit vsus.

Dioscorides autem Hemerocallidis radicem tritam ait, & potam, aut cum melle & lana in pesso appositam, aquam & sanguinem ducere: folia trita imposita, mammarum ex partu, & oculorum inflammationes mitigare. sed & radicem & folia, ambustis vtiliter imponi.

De Lilio conuallium. CAP. VIII.

Lilium conuallium.



Vnifolium



QVOD Lilium conuallium recentior nuncupat ætas, folia duo aut tria promit, virentia, læuia, latiuscula, Lilij folijs similia, sed minora: caulem tenuem, palmarem, circa quem à medio sursum versus, flores parui, rotundi, hiantes, per oras denticulati ac reflexi, albidi & odorati, & fructus inde rotundi, rubentibus Asparagi baccis haud multum absimiles, verùm minores, semen in his durum & amaricans: radices tenues sunt, longæ, aliquantulum geniculatæ, serpentes.

In sylvis & locis vmbrosis sponte exit.

Floret circa Calendas Maij mensis.

Germani, Meyenblümlin & Meyenröß / inde nominant: Belgæ Meyenbloemkens: Galli etiam *Muguet*: est tamen & alia ab ipsis *Muguet* dicta, Asperula vulgò dicta. Gesnerus florem istum Callionymum appellari posse existimat: nostra ætas Lilium conuallium vocat.

Calidæ & siccæ qualitatis flores & fructus participes sunt. Feruntur flores aduersus apoplexiam, neruorum resolutiones, vertiginem, morbum comitialem, ac alios cum cerebri frigida humidaque intemperie morbos, auxiliares esse. Sunt etiam qui velint flores istos corroborare, ac cardiacis quoquo modo assumptos prodesse: oculorum item caligines decocto aut succo eorum discuti.

Vnifolium. Eiusdem cum Lilio isto generis esse putatur, quod Vnifolium dicitur: folium huic vt plurimum in tenui pediculo singulare & vnicum est, latum, neruosum & acuminatum, magnitudine ferè foliorum Hederæ; circa cauliculum autem breuem tenuemque bina: eiusdem formæ sed minora, supra quæ flores candiduli Lilij conuallij similes, at minores, & nullius aut exigui odoris: baccæ sequuntur exiguæ, per maturitatem rubentes: radices tenues, obliquæ, serpentesque fibræ sunt.

Exit iisdem & similibus quibus Lilium conuallium locis: floretque eodem tempore, aut paulò pòst.

Vulgò Einblatt nuncupant, id est Vnifolium siue μονόφυλλον. Apud Veteres nomen non habet; nisi tertia Plinij sit Cyclaminos, cui similis videtur, si modò in exemplaribus error non est. Quæ de hac, lib. xxv. cap. ix. sic habent: Mihi & tertia Cyclaminos demonstrata est, cognomine Chamæcissos, vno omnino folio, radice ramosa, qua pisces necantur. Quod si autem in his verbis pro, vno omnino folio, legatur: simili omnino folio, non istud Vnifolium, sed ipse Dioscoridis Chamæcissus, tertia Cyclaminos erit.

Cyclaminos tertia Plinij.

Cæterùm Vnifolij traditur à quibusdam resiccatarũ radicularum pulvis, aduersus pestilentem bubonem efficax esse, si statim initio ipsius mali, drachmæ pondo cum aceto, & vino, aut aqua permixtis detur.

De Asphodelo. CAP. IX.

Asphodelus albus.



Asphodelus minor.



ASPHODELI genus vnicum Dioscorides; Plinius verò duo fieri genera, & Dionysium feminam ac marem esse dixisse, refert. Posterior ætas duo itidem Asphodeli

deli genera obseruauit, & præter bulbosum quidem, cuius Galenus meminit.

Primum genus, album quis dixerit. alterum verò, luteum.

Folia autem primus habet complura, oblonga, angusta, Porri foliis similia, acuminata: cau- 1.
lem rotundum, læuem, cubito longiorem, quem a medio sursum versus multi quinque foliolorũ flores patentes exornant, colore candidi, aut ex valde diluto rubro modicè purpurascentes, staminibus in medio, post quos capitula sequuntur orbiculata: semen in his durum, triangulum, nigricantis obsoleti coloris. radices ab vno capite complures exeunt, oblongæ, inferiore sede crassiores, magnis glandibus quodammodo similes, succosæ, cum amaritudine leni, sapore adstringente.

In Galliæ Prouincia, Italia, Hispania, & aliis locis, sponte exit: apud Germanos & Belgas, non nisi satus prouenit.

Floret hic Maio & Iunio, ac particulatim quidem, ab imis incipiens, aliquot postquam satus est annis.

Huic similis & alius quidam minor est Asphodelus, sed fibrosis, non autem glandulosis ra- 2.
dicibus. folia minora, angustiora dilutius virent: cauliculi inter hæc quini seniue assurgunt; quos flosculi conuestiunt albidi, paulò quàm superioris minores. pro radicibus glandulosis multæ crassæ demittuntur fibræ.

In Hispaniæ plerisq; locis spontè gignitur, & aliquot annis restat: apud Belgas hortensis est; & facilè hyemis iniuria perit.

Pseudoasphodelus quidam non abs re esse videtur, aut minor Asphodelus: nonnulli Phalangij speciem esse volunt, & Cretæ Phalangium appellant.

Asphodelus autem Græcis quidem ἀσφόδελος Latinis Albucum siue Albucus, & Hastula regia dicitur. Caulis cum floribus ἀνθέρικος. Plinius caulem floriferum Anthericon, radicem verò, id est bulbos, Asphodelum nominari refert.

Meminit huius Asphodeli Hesiodus in Operibus & diebus, vbi stultos ait ignorare, quàm magnum bonum sit in Malua & Asphodelo. Nam huius præcipue Asphodeli radices edules sunt. Galenus tamen non de hoc Asphodelo, sed de bulboso eum scripsisse opinatur, eius tametsi bulbos non nisi compluribus elixationibus & Lupinorum modo paratos, esculentos reddi, ipsemet testetur; quales, non est verisimile Hesiodum commendasse; qui cibum aliquem paratu facilem per Maluam & Asphodelum insinuasse videtur. Verba eius sunt:

> Νήπιοι οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς,
> Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ. Id est,
> *Stulti neque sciunt, quanto plus dimidium sit toto,*
> *Neque quàm magnum in Malua & Asphodelo bonum.*

Cæterum Asphodeli, vt Dioscorides tradit, radices potæ, vrinam & menses ciunt; sanant etiam lateris dolores, & tusses & rupta conuulsaque drachmæ pondo potæ ex vino: faciunt ad vomitiones magis idoneos, tali magnitudine in cibo sumptæ: dantur vtiliter à serpente demorsis trium drachmarum pondo, sed imponere morsibus oportet, & folia, & radices & flores in vino contrita: sordida item & depascentia vlcera; mammarum etiam ac testium inflammationes, phymataque & furunculos in fece vini radix decocta curat: sed recentibus inflammationibus cum polenta auxiliatur.

Succus radicis addito vetere vino dulci, Myrrha & Croco, illinendis perquàm vtile oculis fit medicamentum, si simul decoquantur. Ad purulẽtas aures idem per se & cum thure, melle, vino & Myrrha tritus, prodest. In contrariam aurem infusus, dentium dolores sopit.

Vstæ radicis cinis Alopecias impositus ad pilum reducit.

Oleum in excauatis radicibus ad ignem decoctum, exulceratis pernionibus & ambustis illitu prodest: & in aures infusum earum doloribus auxiliatur. Vitiliginem albam, linteo anteà in Sole perfrictam, illita radix exterit.

Semen & flores præcipuè, aduersus Scolopendras & Scorpiones excellens sunt remedium, in vino pota.

De Asphodelo luteo. CAP. X.

ASPHODELO luteo folia sunt oblonga, angusta, striata, in virore quasi cærulea, longio- 1.
ra & angustiora quàm primi: caulis rotundus, cubitalis flores in eo, à medio sursum versus, plurimi, alterius satis similes, cæterùm colore lutei, staminibus in medio; capitula succedunt rotunda, in quibus semen: radices similiter complures, sed singulæ oblongæ & tenues, multò quam primi & tenuiores & longiores, colore luteolę, supra quas fibræ quædam laterales exeunt, per quas in plures alias stirps ipsa facilè multiplicatur.

Peregrinus & hic Asphodelus Belgio est, nec alibi quàm in hortis reperitur.

Asphodelus luteus.



Asphodelus luteus palustris.



Floret similiter Maio aut Iunio mense, folia eius pleraque hyeme, si non admodum rigida fuerit, virent, Vere noua exeunt.

Recentiores Asphodelum luteum à florum colore luteo appellant, à Dionysio femina dictus esse videri potest. Plinio siquidem teste, marem & feminam Asphodelum esse dixit, differentiam tamen vnius ab altero non ostendit.

2. Reperitur & huic caule floreque similis palustris quidam Asphodelus: folia promit pulchrè virentia, aliquantulum striata, Iridis aut Gladioli similia, sed angusta, & dodrante breuiora: caulem rectum, pedalem, Antherico satis similem: flores e senis foliolis, exiguis staminibus in medio, colore luteo pallentes, Asphodeli lutei æmuli, sed minores: semen perexiguũ in oblongis acuminatis vasculis. radix longa, geniculata, nõ absq; fibris serpit graminis modo.

Nascitur huiuscemodi Asphodelus in humidis quibusdam ac palustribus Flandriæ encetis: æstiuis mensibus florens.

Asphodeli lutei esse palustrem speciem, aut Pseudoasphodelum luteum, caulis cum floribus ostendit, tametsi folia Gladioli sint aut Iridis.

Porrò quis horum Asphodelorum vel in cibaru, vel in medicamentis vsus sit, exploratum nondum est.

De Asphodelo bulboso Galeni. CAP. XI.

BVLBOSVS Asphodelus folia habet porracea, sed tamen angustiora & breuiora quàm primi Asphodeli, caulem rectum, rotundum, floribus similiter multis circumuestitum, rarioribus tamen, primi Asphodeli floribus haud multum dissimiles, ex sex paruis acuminatis foliolis, & aliquot in medio staminibus compositi: capitula quoque triangularia, sed oblongiora, in quibus semen. radix subest bulbosa, esculento bulbo maior.

Apud Belgas non nisi hortensis est.

Floret eodem, quo primus, tempore, aut serius paulò.

Asphodeli speciem esse caulis Antherico similis ostendit, qua de causa & eum Asphodelum esse apparet, cuius Galenus lib. De alimentorũ facultatibus secũdo, meminit his verbis: Radix Asphodeli, & magnitudine, & figura, & amarore Scillæ radici quodammodo est similis: si tamen vt Lupini paretur, maximam partem sui amaroris deponit, inque eo à Scilla discrepat. Nam Scillæ qualitas difficillimè eluitur. Hesiodus certè Asphodelum laudat cum

fic

Aſphodelus bulboſus Galeni.



ſic ait. Nec quanta in Malua & Albuco ſint bona, norunt. Equidem noui quoſdam ruſticos, qui graſſante fame, vix tandem compluribus elixationibus, macerationibus in aqua dulci, eſculentam ipſam reddiderunt. Porrò hæc quoque radix, quemadmodum & Dracontij facultatem habet tenuandi atque aperiendi. Proinde quidam pro ſummo remedio ipſius Aſparagum ictero laborantibus exhibent.

De eodem verò bulboſo Aſphodelo, & lib. De ſimplicium medicamentorum facultatibus idem ſcribit. Radices etenim Aſphodeli viribus Aro, Ariſaro, & Dracontio ſimiles eſſe ait, quales certe non primi illius, ſed bulboſi ſunt.

Verba Galeni, hoc loco, de Aſphodelo, hæc ſunt: Et huius radix vtilis eſt, ſicut Ari, Ariſari, & Dracontij, nempe extergentis facultatis. Vſtæ autem cinis calidior, & exſiccantior, ſubtiliorque, ac digerere potentior efficitur, atque proinde & Alopecias ſanat.


De Gladiolo. CAP. XII.

GLADIOLO folia ſunt oblonga, anguſta, ſtriata, gladij modo mucronata, Iridis minora & anguſtiora: caulis læuis, teres, cubito longior, circa cuius ſummum flores ſex aut ſeptem diſtantes, in ordinem ſupra inuicem, ad

Gladiolus.



Gladiolus vtrimque floriſerus.



vnam caulis partem digesti, quandoque verò & ad vtramque; ex sex foliolis commissi, colore purpureo rubentes, splendentes, aut (quod tamen raro) candicantes: succedunt inde folliculi in rotunditate oblongi: semina in his tenuia, paleacea, radix gemini bulbi vno super alterum insidente, quorum superior Veris initio minor ac vegetior, inferior maior, sed flaccidior, qui paulò post perit, in plures subinde multiplicatus.

Exit Gladiolus in pratis, in aruis inter segetes agro fœcundo Italiæ pluribus locis: nec carent eo Austriæ ac Morauiæ agri. Cordus in frutetosis herbosisque etiam nasci scribit. Et quibusdam locis maior ac procerior, aliis verò minor ac breuior reperitur.

Maio ac Iunio flores eius vigent, subinde & Iulio reperiuntur mense.

Græcis ξίφιον, Latinis Gladiolus, & nonnullis Ensis appellatur. Sunt qui φάσγανον, μαχαιρώνιον, μαχαιρόφυλλον, ἀνακτόρειον, λιμνικὸν, ἄξιον, Gladiolum Segetalem, & Linguam Ceruinam nominent. Plinius etiam Cypirum appellat, vt lib. 21. cap. 17. Bulborum generi, ait, quidam annumerant & Cypiri, hoc est, Gladioli radicem: dulcis ea est, & quæ decocta panem etiam gratiorem faciat, ponderosioremque simul subacta. Item cap. 18 Cypirus est Gladiolus, vt diximus. Sunt autem ea, quę cap. 17 reperiuntur, ex Theophrasto de Phasgano ad verbum translata. Phasganon autem idem cum Xiphio est: vnde Plinium perperam Gladiolo Cypiri nomen dedisse, eumque hoc modo cum Cypiro confudisse, euidens est & manifestum.

Plinij error.

Valerius Cordus, Gladiolum Victorialem feminam nűcupat: alij Victorialem rotundam, & Germanicè runde Seigwurtz/ ad differentiam cuiusdam generis Allij, longa radice, quod in altissimis Alpium iugis reperitur, & à Germanis Seigwurtz/ Victorię radix, & Victorialis longa dicitur. Flores Gladioli *Monacuccie* ab Italis, vt testis Matthiolus, nominantur.

Cæterùm radix Gladioli superior, attrahentem, digerentem, desiccantem etiam, vt Galenus ait, facultatem possidet.

Dioscorides hanc cum vino, ait, & Thure impositam spicula & aculeos extrahere, cum Lolij farina & hydromelite phygethla discutere, eamque ob causam eiuscemodi emplastris addi. menses etiam appositam ducere.

Ferunt, eodem auctore, superiorem cum vino sumptam, Venerem excitare: inferiorem verò steriles facere: quin & superioré pueris enterocelicis vtiliter ex aqua propinari. Plinius infantibus vrinam ciere, & vesicę vitiis illinari addit. Theophrastus Phasgani, id est, Gladioli, radicé decoctá dulcem esse tradit, & tritam farinæ admixtam pané dulcé & innoxiű reddere.

De Sisynrichio. CAP. XIII.

Sisynrichium maius.



Sisynrichium minus.



SISYNRICHIO folia sunt graminis bina aut terna, oblonga & angusta caulis rotundus, dodrantalis, in quo flosculi tres aut quatuor, pulchri, coloris cærulei, verum fugaces, & paucis admodum horis vigentes, alternatim prodeuntes, forma quodammodo florum Iridis, ex nouem videlicet foliolis compositi: quorum tria deorsum reflexa, pro fimbria maculam habent plurima parte luteam, alia tria sursum versus aliquantulum eriguntur, tria verò reliqua respondentia iis, quæ Iridis florum fimbriam contegunt, proportione huic flosculo maiora & tenuiora sunt, sursumque arrecta medium floris tenent, summa, extremaque parte diuisa capitula inde succedunt oblonga, in quibus semen rotundum, paruum vti Rapi. radix bulbosa, gemina, vno bulbo alteri superposito, sicuti Gladioli, sapore dulcis ac edulis, quæ inuolucro quodam integitur reticulato: quod quidem maioribus spissius est, minoribus verò minus crassum. Duo etenim huius genera esse videntur magnitudine sola differentia. Vnum quidem maius: alterum verò minus.

In Lusitania & alibi apud Hispanos nascitur.

Floruit Mechliniæ Maio mense, in horto amplissimo & instructissimo D. Ioannis Brancionis viri generosissimi.

Hispani *Nozelhas*, quasi nuculas, siue paruas nuces maioris bulbulos, minoris verò *Macucas*, appellant. Nobis Bulbi esculenti genus illud esse videtur, quod Græcè *σισυρίγχιον ἢ σισυρίγχιον*, & Latinè à Plinio Sisyrinchiũ appellatur. Scribit etenim Theophrastus lib 7 Sisyrinchij proprium esse, radicis quidem, quod infra est, augeri primum, Vere autem apparente hoc tabescere: quod verò supra est edule incrementum sumere. Quibus verbis geminam Sisynrichio radicem & edulem esse ostendit: vt hunc bulbum hunc, quem Hispani *Nozelhas* nominant, verum Sisynrichium esse colligendum videatur. Nam gemina, vt scripsimus, est, & in Hispaniis passim editur.

De Iride bulbosa. CAP. XIIII.

Iris bulbosa.



Iris bulbosa Lusitanica.



BVLBOSA Iris, folia habet quaterna aut quina oblonga, angusta, striata, Asphodeli lutei 1.
satis similia, superiore parte caua, inferiore verò prominentia ac subrotunda: caulem cubitalem: florem in summo cærulei elegantis coloris, forma Iridis floris, è senis videlicet maioribus ac tribus minoribus foliolis. maioribus deorsum reflexis pro fimbria, linea est lutea.

Iris bulbosa latifolia.



sursum erecta minus quàm Iridis curuantur. tria minora luteis lineis imminent, aliquantulum eleuata, ita vt stamina & apices, quæ subsunt, hiante hac parte flore, facile in conspectum veniant. flori oblonga, crassa, veluti siliqua succedit, in qua semen radix bulbosa, oblonga, subrussa integitur membrana, quæ vbi florem facit, in duos bulbos abit, ipso caule ex imo & ex bulbi fibris assurgente.

Ex Britanniæ insulæ occidentali regione hic bulbus ad Belgium peruenit.

Misit & Hispaniæ Bætica ac Lusitania huiuscemodi bulbum, sed tamen colore & forma floris nonnihil differentem. Deorsum etenim reflexa candicant, assurgẽtia verò dilute cæruleum colorem referunt: angustiora siue minora, inferioribus ita incumbunt, vt stamina aut apices cerni non queant, ipsisque etiam adhærere appareant, quæ & extremis partibus fissa sunt, atque reflexa Bulbus vti prioris est. Siliqua longior ac tenuior.

Est & huius generis tertia lutei coloris flore, forma secũdæ similis, quam etiã Hispania gignit.

Præter has verò & quartam quandam Iridem bulbosam C. Clusius describit, ab amplitudine foliorum Latifoliam dictam· folia etenim huic lata, Lilij non bulbosi æmula, mollia, è viridi colore pallentia, inferiora verò etiam albidiora. inter quæ flos pediculo insidens exit, aliarum similis, odoratus, colore cæruleus, interdum candicans; quo pereunte, singuli vtrimque succedunt. radix bulbosa, dulcis, multiplice cortice nigricante integitur Et hæc Hispaniæ indigena.

Florem bulbosæ Irides, initio mensis Iunij apud Belgas edunt.

Lirium. Nominare huiuscemodi bulbum Lusitanos Lirio accepimus, & Lirij appellati à veteribus species aliqua esse videtur. Lirij siquidem apud hos, polysemos vox est. Narcissus enim Lirium est, & Lilium Lirium est. deinde & alia duo Liria apud Theophrastum sunt. Vnũ quod lib. vi. vere post Violam albam & φλόγιον, vnà cum Narcisso florere ait: alterum quod eodem libro, Autumno simul cum Croco florem facere incipere, atque statim primis imbribus florere scriptum reliquit Et cum priore quidẽ horum, Iris hęc bulbosa conuenire posse videtur.

Hierobulbus Apuleij. Est autem fortasse & idem hic bulbus, Apuleij Hierobulbus, cuius meminit cap. 21. Nam cùm Iris apud veteres Hieris nuncupetur, hic verò bulbus Iridis sit flore; nõ impropriè Hierobulbus aut Hieribulbus, quasi dicas Iris bulbosa, nuncupari poterit: nisi quis velit ἱεροβόλβον, veluti magnum & grandem bulbum dictum. Magna siquidem & grandia, ἱερὰ & sacra, ab antiquis cognominata fuisse haud in ambiguo est.

De viribus autem Iridis bulbosæ nihil compertũ habemus, aut ab aliis traditũ accepimus.

Apuleius, herbæ Hierobulbi, ait, accipito vncias sex, seui caprini tantundem, olei Cyprini libram & vncias duas, in se pisatis & commixtis vteris, dolorem articulorum tollit.

Item, Hierobulbi radice cum lomento Lupinaceo commixta, mulier si faciem lauerit, lentigines statim purgat.

De Croco. CAP. XV.

INTER flores & Croci flos est: sunt huic folia oblonga, perquàm angusta: flores pulchri, colore cærulei, Colchici floribus similes, sed magis saturata purpura nitentes, & in singulis stamina oblonga terna quaternáve, colore flammeo subrubẽtia, odore cùm inaruerint forti, & caput implente, quæ cæteris partibus præferuntur, colliguntur, & Croci nomine vel sola veneunt. radix subest bulbosa, carnosa, copiosa, & viuax.

Seritur Crocus in pluribus regnis & prouinciis, vbi in agris segetis modo latè viret: vt in Cilicia Cyrenis, in Sicilia, Italia, Pannonia, Germania, Gallia, Britãnia. Gaudet, inquit Theophrastus, calcari pedibus: ideoq; iuxta semitas & fontes pulcherrimus exit. Seritur depositis radicum bulbis.

Crocus absque flore.



Croci flores.



Optimus, inquit Dioscorides, Coryceus. secundum locum tenet, qui iuxta Corycum versus Lyciam & in Lyciæ Olympo deinde ex Ægibus Ætholiæ. Cyrenaicus & Centuripinus omnium in Sicilia viribus minus pollent. Qui ab Aquila Vestinorum vrbe adfertur, primum sibi locũ in Italia vendicare, Matthiolus ait: sed Aquilino tamen præstantior, qui circa Viennam Pannoniæ, siue, vt vulgò, Austriæ, nascitur. In Gallia nusquam vegetior quàm in Agenensi agro, & Narbonensi, Ruellio teste. Probatur etiam, in Britanniæ insulæ meridionali parte, quam Angliam vocant, natus: ex altera verò & Septentrionali, quam Picti & Scoti tenent, reprobus est

Optimus autem vbicumque natus, qui pinguissimus, recens, fragranti odore, colore rutilo: Pessimus squalidus & situm redolens.

Crocus Autumno florere incipit, statim, vt Theophrastus ait; primis imbribus, Vergiliarum occasu. Florem edit ante folia, quæ mox subsequuntur, & hyeme tota virent, æstate nullibi conspicua.

Græcis similiter *κρόκος*, Latinis etiam Crocum dicitur: Mauritanis *Zaffaran*; atque inde in Italia, *Zaffarano*: Hispanis *Açafran, Safra, Açafraon*: Germanis Saffran: Gallis *Safran*.


Cæterum Crocus paululum quid adstringens obtinet, sed superat in eo calefaciens qualitas, vt tota eius essentia secundi sit ordinis excalfacientium, primi exsiccantium: proinde & concoquendi vim quandam obtinet, adiuuante in hoc paucula illi adstrictione, vt Galenus ait. Sodam, id est, Cephalalgiam, inquit Auicenna, facit, & capiti nocet: id quod non exiguo, sed nimio suo vsu efficere potest. Vigilias siquidem copiosus inducit, quæ modum excedẽtes capiti & sensibus obsunt. Moderatus autem Croci vsus cerebro prodest, sensus vegetiores reddit, somnum & torporem excutit, lætitiam gignit. Corroborat quoque Crocus cor, thoracis crudos humores ad concoctionem perducit, pulmones aperit, & ab obstructione expedit; & ad hæc tam efficax remedium, vt subinde phthisicis in summo vitæ discrimine, & propemodum animam agentibus, spiritum reducat, & vitam ad aliquot dies proroget, scrupuli dimidij, aut ad summum integri pondo, cum passo aut vino Pramnio, vel alio dulci exhibitus: quo modo etiam datus, grauissimas subitò irruentes, citra febrim dyspnœas, statim & momento temporis tollere, non semel à nobis compertum est. Crapulam etiam arcere, hoc modo sumptum, Dioscorides refert. Laudatur ad hepatis & fellis obstructiones, nec

non

non ad Regium morbum,atque hunc bonum colorem Crocum efficere, Dioscorides scribit. Additur eodem auctore ad omnes,quæ intercaneorum causa temperantur potiones: sed nostra ætate ad eas potissimum,quæ menses,fœtus & secundas educunt. Vrinam cit: Venerem excitat. ad vuluæ & sedis cataplasmata additur, nec non ad emplastra & cerata, veteres tumores & dolores discutientia inflammationes erysipelarodes mitigat. compositionibus auricularibus vtiliter admiscetur. Oculos ab ectimatis & exanthematis cum lacte, aut fœniculi, Rosarúmve liquore præseruat illitus,& humorum in eos influxiones reprimit.

De Croco syluestri. CAP. XVI.

Crocus syluestris Autumnalis.



Crocus syluestris Vernalis prior.



Crocus syluestris Vernalis alter.

1.



2.


PRÆTER Crocum qui staminum caussa colitur,sunt & complures syluestres alij, satiuum æmulantes, sed haud vtiles. Vnus Autumno floret: reliqui Vere: Inter Vernales nonnulli maiores, latioribus foliis: alij minores,tenuifolij.

Primus siue Autumnalis folia habet oblonga, virentia, Croci æmula, sed in quibus striæ quædam inalbicant: flos dilutioris coloris Nouembri viget stamina crocea: succedunt Maio siliquæ angulosæ, in quibus semen: bulbus satiuum refert.

Montanum hunc appellant: Lusitani *Rz de borro*. Meminit Croci montani Theophrastus lib. vi. Crocus, inquit, tam montanus inodorus,quàm satiuus: autumno statim primis imbribus florent.

Inter Vernales agrestes Crocos maiores, ac latioris folij, prior satiuo foliis respondet, sed tamen paulò breuioribus: flosculus forma similis, albicans, cuius exteriora foris saturatæ purpu-

Croci syluestres Vernales minores priores.



purpuræ ac violacei coloris lineolis striata: semen in siliquis angulosis. pro radice bulbus instar aliorum: stamina lutea veluti Autumnalis.

Proximus, foliis est paulò latioribus ac breuioribus: species huius duæ. vnius flosculus 3. albidus, purpureo nititur pediculo: alterius purpureus est: stamina pallescunt: bulbus minor quàm Croci satiui.

Minorum syluestrium prior folia oblonga & gracilia promit, angustiora quàm satiui: flos- 4. culum in breui pediculo minorem, subinde candidum, sæpe purpureum; foris tamen albicantem, & qua parte calyci insidet luteolum. bulbus Auellanæ magnitudine albus, gustu adstringens.

Alter minorum foliis antedicto similis: in breui admodum pediculo ex terra prominet 5. flosculus, ex octo foliolis compositus, (cùm aliorum senis constent) ex albido purpurascens. radix gemina, vna alteri imposita, instar Gladioli; quarum superior dulcis ac edulis, inferior flaccida.

Tertius horum foliis paulò pluribus, & paulò crassioribus assurgit: flosculus exiguus pur- 6. pureus, foris tamen exterioribus foliolis dilutius quasi virescentibus.

Externi autem hi omnes Belgio sunt: Autumnalis in Lusitaniæ quibusdam rupibus haud procul à mari nascitur: Reliqui partim ex Italia missi: partim ex Hispaniis, opera ac diligentia Doctiss. C. Clusij ad nos peruenerunt. ex cuius obseruationibus horum descriptiones huc transtulimus.

Syluestres Croci Vernales flores subinde Ianuario aut Februario in natiuo solo proferunt.

Inutiles omnes hi Croci sunt, idcirco syluestres verè dicuntur. Minorum ille, cuius radix veluti Gladioli gemina, existimatur aut πετιῶν, vel βολβίνη, vel κύξ esse, quorum Theophrastus lib. VII mentionem facit. Recenset & quædam horum Plinius lib. XIX. cap. V. Genera, inquit, Græci hæc fecere. Bulbinem, Setanion, Pytion, Acrocorion. In tanta autem horum breuitate, sola nomina recensentium, quid potest certi colligi aut statui?

De facultatibus quoque horum, hac de causa nihil adferri potest.


De Hyacintho non scripto. Cap. XVII.

HYACINTHVS apud Veteres duplex reperitur. Vnus à Theocrito scriptus cognominatur, qui maior est, & Lilio forma similis: de quo supra cap. huius lib. II. alter minor, non scriptus dici potest.


Non scripto autem Hyacintho folia sunt oblonga, angusta, læuia & splendentia, Porri foliis angustiora & minora: caulis foliis viduus, glaber, teres, cuius coma florum pōdere & mole, cum primum dehiscere incipiunt, grauata, deorsum recuruatur: flores oblongi, teretes, concaui, in latius se pandunt, per oras reflexi, colore vt plurimum cærulei, subinde albicātes, aut candidi siue niuei, aliquando etiam Violæ nigræ dilutam purpuram referentes. semen in siliquis triangularibus paruum, rotundum. radix bulbosa, candida, perennis, lento succo, vti & tota herba, plena.

Gignu-

Hyacinthus non ſcriptus.



Hyacinthus Orientalis maior.



Hyacinthus Orientalis minor.



Gignitur Hyacinthus iſte in pluribus regionibus, & in nonnullis maior ac præcocior, in aliis minor & magis ſerotinus.

Is etenim, quem Italia Orientalem nominat, folia habet pinguiora & latiora, caules craſſiores, flores patentiores maioresque, acutius prodeuntes: horum verò vnus maior, plures profert flores. alter minor, pauciores.

Germanicus & Belgicus vtroque minor, flores plures gignit, ſed ſerius exit. Reperitur in Germania, vt Cordus ait, in apricis quibuſdam tumulis: in Belgio verò etiam in aruis, & iuxta agrorum margines, fruticibus aut arboribus conſitos: & præcipuè quidem prope Mechliniam vrbem, vbi copioſius naſcitur.

Floret Aprili & Maio menſe: Orientalis etiã Martio: & ſubinde multò antè.

Ὑάκινθον Græci, Latini ſimiliter Hyacinthũ, vt Dioſcorides auctor, Vaccinium quoque appellant. Vaccinium autem à nonnullis etiam Viola dicitur nigra, vt ſuperius ſcripſimus. Cognominatur autem hic Hyacinthus non ſcriptus, ad differentiam nempe alterius ſuperius deſcripti, qui luctus notas inſcriptas habet.

Dioſcorides hunc Hyacinthum, extra adiectionem, nominat: nam alterum Hyacinthum Lilij purpurei nomine expreſſiſſe videtur. Meminit huius Columella lib. 10. diuerſitatẽ coloris, quę in floribus, vno verſiculo complexus:

Nec

Nec non vel niueos vel cæruleos Hyacinthos.

Belgæ Hyacinthum istum Græcam appellationem retinentes, Hyacinthen appellant. Ruellius, Gallis, *Vaciet* dici, auctor est. Sunt vero & aliæ multæ huiusce modi Hyacinthorum species, vt recentiores iudicant, de quibus capite sequente.

Huius porrò Hyacinthi radix ordinis est primi in desiccando: secundi verò completi, aut tertij incipientis in refrigerando.

Semen leuiter extergit & adstringit, ordine quidē tertio quadantenus exsiccans, cæterum in medio consistens caliditatis & frigiditatis, auctore Galeno.

Radix, inquit Dioscorides, cum vino albo pueris imposita, diu impuberes seruare creditur: aluum sistit: pota vrinam ducit, & à Phalangio commorsis opitulatur.


Semen contra serpentes auxiliatur. cum vino potum Regium morbum expurgat.

De alijs recentiorum spurijs Hyacinthis. CAP. XVIII.

Hyacinthus racemosus.



Hyacinthus spurius recentiorum alter.



DVOS Hyacinthos superioribus capitibus descripsimus, vnum Lilij effigie scriptum, alterum minorem non scriptum. Præter verò hos & alij multi, recentiorum iudicio sunt Hyacinthi. Nam omnes ferè anonymos flores è bulbis exeuntes, aut Hyacinthos, aut Narcissos iudicant, maiores siquidem Narcissos, minores verò Hyacinthos.


Inter Hyacinthos itaq; neotericos, primus folia habet angusta quasi rotunda, benè virentia, per terram plurima parte strata: cauliculos inter ea rotundos, glabros, palmo longiores, in 1.
quorum summo flosculi parui, rotundi, caui, hiantes, colore cæruleo, aliâs diluto, aliâs saturato: subinde candido, aut ex albido dilutè admodum purpurascētes: post quos siliquę membranosæ triangulares, in quibus semen paruum nigrum: radix subest bulbosa. 2.

Plerisque Italiæ, Germaniæ, Galliæ, ac etiam Hispaniæ locis hic Bulbus exit: reperitur & in Belgio in Atrebatum ac Morinorum finibus, in syluis ac nemoribus. In hortis satus facilè comprehendit, inque plures bulbos citò multiplicatur.

Folia eius, qui ex Hispania in Belgium allatus est, antē hyemem exeunt; Germanici verò ac Belgici non ante Ver. flores Martio vigent, aut Aprili.

Hyacinthum autem hunc Bulbum Fuchsius facit, secundam eius speciem statuens. Botryoiden siue Racemosum nonnulli cognominant. Italorum plerię; eum, qui candicantis est

 floris,



Hyacinthus comosus spurius tertius.



Hyacinthus Autumnalis maior.

floris, barbaro ac peregrino nomine Dipcadi appellitant. Ex esculentorum autem bulborum genere aliquis esse videtur.

Repeniuntur autem esculenti bulbi complura genera, vti Plinius & Theophrastus scriptum reliquere.

Et genera quidem, inquit Plinius, Græci hæc fecère. Bulbinen, Setanion, Pytion, Acrocorion (nonnulli Acroscorodon legunt) Ægylopa, Sisynrichion. Quæ & Theophrastus, sed tamen non omnia, lib. 7 cap. 13. refert. Sunt autem quorum ipse meminit, λευκόϊον, καὶ βολβίνη, καὶ ὁ πυτιὼν καὶ κύϊξ, καὶ ἕτερόν τινα τὸ σισυρίγχιον. Leucoion inferius describetur. Bulbinen, Plinius Bulbine ait; Græcos appellare herbam porraceis folijs, rubicundo bulbo. Setanium, Cepæ quoddam genus est, vt Theophrastus & Plinius testantur. De Sisynrichio iam antè scripsimus. Pytion, Cyix, Acroscorodon, Ægylops, cuiusmodi bulbi sint, nondum certò reperire licuit: suspicandum videtur, Κύϊκα & Acroscorodon idem esse. Apud Theophrastum enim κύϊξ πυτίωνι: apud Plinium eundem Acroscorodon ordine succedit.

Ex horum autem bulborum numero aliquem esse, hoc Hyacinthi vulgò dicti genus verisimile videtur, sed quis tamen sit, propter nimiam veterum breuitatem explicari nequit. Si coniectura vti licet, bulbus iste Acroscorodon est: si non, Acroscorodon Allij genus sylvestre est. Nam folia, Allij quandam similitudinem habent: nomen autem Acroscorodon similitudinem aliquam cum Allio indicat.

2. Huic autem similis est & alter quidam spurius Hyacinthus, folijs similiter per terram stratis, sed latioribus & Porri folijs similioribus, caule crassiore, floribus candicantibus, maioribus quàm alterius.

Floret eodem quo prior tempore.


Qui tertius est inter neotericos Hyacinthos, folia habet longa, pinguia, aliquantulum la-
3. ta, caules longos, subinde dodrante altiores: flores à medio sursum versus, vndequaque circa caulem multos, paruos, cauos, primùm purpureos; vbi verò flaccescunt, obsoleti coloris, (reperiuntur & candidi) cacumine comoso: radicem, vti aliorum, bulbosam, subrussam, ac subpurpurei coloris.

In Germaniæ quibusdam prouincijs, vti in Norico siue Bauaria, frequenter in pratis gignitur.

Hyacinthus Autumnalis minor



Hyacinthus Fuchsij.



gnitur: quandoque verò etiam iuxta agrorum margines. Vt autem Matthiolus, apud Italos inter segetes & in syluis.

Aprili ac Maio, subinde & Iunio flores eius vigent: semen postea perficitur.

Hyacinthi speciem, & quidem primam, Fuchsius, Tragus & Matthiolus faciunt: nonnulli Hyacinthum syluestrem nuncupant: alij Comosum. Germani alicubi Breuning appellant, alibi Hons knoblauch/ id est, Allium Caninum. Non est tamen Allij aliqua species, sed bulbi esculenti genus quoddam, veluti Bulbina, cui certè simillimus est. Bulbo enim Bulbina tuber, & Porri folia, Plinio auctore, habet. Videtur autem Bulbina ex Africa bulbus esse, quem Afrum cognominant. Hunc siquidem Dioscoridis πυῤῥὸν, id est, ruffum bulbum esse ait. Sunt tamen qui velint hunc tertium spurium Hyacinthum Scillę aut Pancratij speciem esse: quorum iudicium ea propter à nobis non probatur, quòd Scillæ & Pancratij bulbi grandes sint, huius autem paruus, & illorum comparatione exiguus.

Quartus appellatus Hyacinthus, qui serotinus est, foliis est angustis, paruulis, & minori- 4.
bus, quàm primi: cauliculis breuibus, tres aut quatuor digitos altis, flosculis in summo raris, cæruleis; staminibus in medio exiguis: semine in siliquis triangularibus exiguo: radice parua & bulbosa.

Nascitur in Hispaniæ & Galliæ quibusdam prouinciis, vt iuxta Parisiorum Lutetiam: reperitur verò & quandoque maior, subinde minor.

Sub ęstatis finem Augusto aut Septembri florem profert, & maturius quidē, qui maior est.

Autumnalem Hyacinthum ea de causa & serotinum nominant; neque aliud eius nomen cognitum habemus.


Præter hos & alium quendam pro Hyacintho bulbum Leonhartus describit Fuchsius, 5.
foliis modò binis, modò ternis aut pluribus, latiusculis, Porri minoribus: floribus circa cauliculi summum sparsis, multùm & radiantis stellæ ferè similitudine, patentibus, colore cæruleis aut candidis. quos succedunt capitula rotunda, ochri magnitudine, in quibus semen Milio simile: radice bulbosa, rotunda.

Reperitur plerisque Germaniæ locis & alibi, læto, pingui, sed inculto solo.

Martio, quandoque etiam Februario flos exit.

Germani blo Mertzenblūmen/ & blo Hornungs blūmen appellant. Fuchsius pro Hyacinthi specie depinxit. Plerique Hyacinthum stellatum ab ipsa floris effigie vocant. Existimauimus

Lilium Persicum





aliquando Satyrium esse, verùm hæc modò opinio displicet. Satyrio enim caulis est cubitalis, folia Lilij, bulbus mali magnitudine: Bulbo verò isti, folia paruula, angusta, bulbus exiguus, & cauliculus breuis

6. Ad spurios Hyacinthos pertrahi quoque potest, à nonnullis Lilium vocatum Persicum. Folia huic oblonga, virentia, quàm Lilij angustiora, inferiorem caulis partem conuestiunt; qui rectus, rotundus, ac admodum procerus, bicubitalis, & non rarò altior ferè tricubitalis multis hic floribus sursum versus vndequaque circumfusis ornatur, qui modò ex longioribus, quandoque breuioribus pediculis deorsum nutantes dependent, quinquefolij, colore Violæ nigræ dilutiore ac magis rubente purpurei, staminibus aliquot medijs, paniculatim & ab imo sursum versus florentes. bulbus subest magnus, vna parte rotundioris formæ, ab altera planioris, ex quo subtus nonnullæ fibræ demittuntur.

Peregrinus est flos, & à paucis annis in Belgij paradisos illatus. Appellatur vulgò *Panated di Persiano*, & à quibusdam, vt scripsimus, Lilium Persicum. flos nouus, veteribus, vt creditur, incognitus.

Cæterùm quòd ad vsum attinet horum spuriorum Hyacinthorum, nostris quidem aut in cibatu, aut in medicamentis nullus est, proinde & vires ac facultates eorundem inexploratæ: soli flosculi in hortis gratiam inuenêre.

De bulbo Leucanthemo, siue Ornithogalo.

CAPVT XIX.

1. LEVCANTHEMO bulbo folia multa sunt & angusta, graminis minora: caulis inter hæc exit dodrante minor, rotundus, glaber, absque folijs: flores in summo dispersi emicant sex aut septem, foris herbacei viroris, intus candidi, ex sex foliolis commissi, exiguis lilijs, præsertim prius quàm adaperiuntur similes, qui Sole quidem splendente patent, noctu verò, & cùm aer nubilus etiam interdiu teclusi permanent: capitula succedunt triangularia, Cachryos semini similia, in quibus semen exiguum: radix bulbosa, lento succo plena, sapore vt plurimum insipida & aquea, cum obscura tamen quadam acredine.

Reperitur in agris frumentarijs, apud Brabantos locis compluribus.


Maio mense flores edit.

Huic

Bulbus Leucanthemus minor siue Ornithogalum.



Ornithogalum maius.



Huic autem similis flore est, & alius quidam bulbus Leucanthemus, sed tamen maior omninò & peregrinus. folia habet oblonga & angusta: caulem rotundum, læuem, ac glabrum, duos dodrantes aut cubitum altum; e cuius summo veluti ramuli exeunt, atque in singulis flores candidi, sex foliolorum, exiguorum Liliorum æmuli, e rotunditate angulosò in medio capitulo Cachryos modo, aliquot staminibus circundato. radix subest bulbosa, vti superioris, & candida. 2.

Vterque autem hic bulbus Ornithogalon est, quod à Plinio Ornithogale dicitur. sed maior descriptioni Dioscoridis similior videtur, vtpote longioris caulis. est tamen & minor Ornithogalon quoque. Nam & huic Ornithogali descriptio conuenit & præsertim Pliniana. Plinius siquidem ei non caulem ἀνατεθραμμένον, vt Dioscorides, sed semipedalem tantum tribuit, qualis est minoris bulbi.

Describitur autem Ornithogalon à Dioscoride hoc modo: Cauliculus est τρυφερὸς, siue tener, tenuis, subcandidus, instar duorum dodrantum, supernè propagines tres aut quatuor habens paruas, in quibus flores foris herbacei, intus verò lactei candoris, inter quos capitulum vt Cachryi incisum. radix bulbosa. A Plinio verò his verbis Ornithogale caule tenero, candido, semipedali, radice bulbosa, molli, tribus aut quatuor agnatis. Ornithogalon.

Appellatur porrò horum Bulborum qui minor est, vulgò Velt ajuyn. Maiorem verò plerique Lilium Alexandrinum nominant: veluti ab Alexandria primitus allatum. Alexandria autem Ægypti vrbs est, haud procul a Canopico Nili ostio. Est tamen & Alexandria quædam in Liguria.

Matthiolus maiorem hunc bulbum inter Narcissos retulit, & quartum Narcissum fecit, & aliud omnino ab istis Ornithogalon pictura expressit: caule videlicet foliosum, à Dioscoridis & legitimo, ea de caussa differens. Ornithogalon Matthioli.

Describit porrò & aliud Ornithogalon Ruellius lib. 2. cap. 77. quod à rusticis in Suessionum agris eruitur: radice, inquit, bulbaceam speciem præ se ferente; è cuius medio cauliculus exit, tribus aut quatuor adnatis in cacumine: foliis in capillamenta quædam extenuatis: floribus exiguis, foris herbaceis, intus lacteo candore candicantibus, qui simul coaceruati, veluti paniculæ quædam compactili callo squamatim cohærentes, in pilulam exuberant, nucamentum Pineæ nucis repræsentantem: radix in orbem ferè collecta est, cortice pullo, can- Ornithogalon Ruellij.

 didissima

didiſſima intus carne, pulpave perquàm odorata. Vere vel æſtate cum fronde viret: hyeme vel autumno cùm exarantur agri, radicitus velluntur. diu ſeruari poteſt: & vbi annonæ premit inopia, plebis ruſticæ famem & ieiunia Caſtanearum more ſatiat, nec aliud humo genitum promptius in cibos cedit, cum frugum penuria gliſcit. Mirè ſuibus expetitur: rura ex agris ſponte natum gratiorem cibum non norunt: lautiores etiam menſas ditiorum non reformidat. Pueris non incognitæ radices, qui propter aſtantes cùm aratro terra proſcinditur, aut in latiores porcas ſulcatur, erutos vomere, colligunt, multò Caſtaneis ſuauiores: quibus & Churls. crudis, & in cineribus incoctis veſcuntur. Sueſſionenſis ager, Churlos vocare conſueuit. Hactenus Ruellius.

At Ornithogali fructum, Dioſcorides ait, vnà cum pane coqui, vt Melanthium: radicem verò bulboſam, & crudam, & coctam edi.

De Bulbo ſylneſtri. CAP. XX.



Bulbus ſylueſtris.



Ornithogalum Narbonenſe.

1. BVLBO Leucanthemo minore ſuperiore capite deſcripto, non multum abſimilis videtur, quem Leonhartus Fuchſius, & Hieronymus Tragus, ſylueſtrem agnominant. ſunt tamen huic folia pauciora, & vnicum aut duo tantùm, anguſta & porracea: caulis breuis, tener, rotundus, dodrantalis, aliquot in ſummo adnatis, in quibus floſculi ſtellatim radiati, bulbi Leucanthemi minores, colore ex herbaceo in luteum elangueſcentes; ſtaminibus in medio capillaceis, capitula ſemen ferentia triangularia: radix bulboſa, lenti ſucci, nullius odoris, ſapore aliquantulum, ſed perobſcurè Cepam referens.

In Germania locis vmbroſis ad margines pratorum & aruorum, ac ſecus riuulos, exit.

Martio ac Aprili floret, fructumque perficit.

Germani Feldzwibel/ackerzwibel appellant; quaſi dicas Cepam agrariam. Ex ſylueſtrium & ſpontè naſcentium bulborum eſt numero. Quo nomine à veteribus nuncupatus fuerit, non conſtat.

Recentiorum nonnulli Ornithogalon luteum appellant, à ſimilitudine cum Ornithogalo
2. minore albo. Oſtendunt verò & hi aliud quoddam Ornithogalon, non modò ab iſto, ſed & à ſuperioribus duobus valdè differens. quod Narbonenſe cognominant.

Sunt

Sunt folia huius oblonga, & tenuia, quamque aliorum angustiora: caulis tenellus, cubitalis aut procerior, nullis foliis conuestitus, floribus verò exornatus quàm plurimis, à medio fastigium petentibus, qui foris & extrinsecus herbacei sunt, patentes verò interius lactei candoris visuntur, Phalangij flores referentes. fructus triangularis est lobus, in quo semina. oblongus est bulbulus.

In Narbonensi Gallia ac iuxta Monspelium in agris frumenti feracibus nasci fertur.

De nomine huius non constat: nam legitimum Ornithogalon esse non videtur. Nec facile fuerit Scillam Epimenidiam affirmare, in tanta Plinij breuitate, qui solus huius meminit; nisi idcirco Scillæ species habeatur, quòd Scillæ modo flores haud dissimiles proferat.


Facultates autem horum incognitæ sunt. Hieronymus tamen Tragus, ex lutei bulbo sub cineribus cocto, cum melle cataplasma, vlceribus depascentibus vtiliter imponi refert.

De Narcisso. CAP. XXI.

Narcissus medio purpureus.



Narcissus medio luteus.




NARCISSI genera, Dioscoride auctore, duo sunt. Vtriusque flos albus est: sed vnius medio purpureus, alterius luteus.

Medio purpureus, folia habet virentia oblonga, Porri foliis similia: caulem angulosum, 1.
absque foliis, dodrante aut pede altiorem, & in summo florem è membrana erumpentem, vt plurimum vnicum, subinde geminum, mediocriter amplum, odoratum, ex sex candidis foliolis congestum, in quorum medio breuis calyx est circinatæ rotunditatis, purpurei per oras coloris, intra quem stamina breuia, cum apicibus subluteolis: capitula inde angulosa: semen in his nigrum: radix bulbosa, Cepæ similis, quæ nucleos ex se demittens, in multos facile bulbos multiplicatur. Reperiuntur autem huius generis tres, forma, colore, aut odore nequaquam, sed florendi tempore differentes; magnitudine etiam nonnihil, sed parum, dissidentes. Maiores medij; præcoces & serius prodeuntes, minores sunt.

Alter Narcissus medio luteus, folia habet longiora, latiora, & aliquantulum minus vi- 2.
rentia: caules proceriores, crassiores, & in singulis flores, tres aut quatuor, prioribus similes, sed medio calyce luteo; semen & radicem bulbosam similia.

Huius generis & alius quidam tertius Narcissus est, foliis non modò quàm primus, verùm 3.
etiam

Narciſſus medio luteus alter.




Narciſſus totus albidus.



Narciſſus multiplex.

4.

5.



etiam quàm Aſphodelus, latioribus longioribusque, floribus in ſingulis caulibus quatuor aut pluribus, candidis, minoribus, medio eorum luteo, calyce eminentiore, multo tamen quàm Narciſſi lutei ſylueſtris breuiore: radix ſimilis eſt & bulboſa.

Iam & quartus quidam eſt Narciſſus antedictis forma ſimilis, ſed per totum florem & medio quoque candidus.

Sunt & Narciſſi multiplicibus floribus, cùm primi, tum alterius generis, foliis & bulbis aliis haud diſſimiles. Ita varia ſemper natura, & ad ſtirpium herbarumq́; genera multiplicanda fœcunda; tum ad ea permutan̄da prona, præſertim ſi cultus mangonio adiuuetur, vel in aliú locum ſtirpes transferantur. Hæc etenim plurimú poſſe ad ſtirpium mutationem, & alibi ſcripſimus.

Exeunt qui medio purpurei ſunt pleriſq; Galliæ locis, & apud Heduos ac Sequanos, in pratis. Dioſcor. in montibus potiſſimùm naſci tradit. Theocritus in pratis Narciſſum gigni teſtis eſt, Eidyllio 20. vbi Europam cum ſuis prata ingreſſam, bene ſpirantem Narciſſum carpſiſſe, canit his verſibus:

Αἱ δ' ἐπεὶ οὖν λειμῶνας ἐσήλυθον ἀνθεμόεντας,
Ἄλλη ἐπ' ἀλλήλοισι τότ' ἄνθεσι θυμὸν ἔτερπον,
Τῶν ἡ μὲν νάρκισσον ἐΰπνοον, ἡ δ' ὑάκινθον id eſt,
Florida ſed poſtquam venêre in prata puellæ,
His illa, hac aliis ſe floribus oblectabant, (thi.
Narciſſo illa quidē bene olente, atq; illa Hyacin-
Florentæ

Florent in Belgij hortis, prioris generis præcoces Narcissi, initio Aprilis · medij sub finem, seriores Maio mense medio lutei eodem fere, quo primi generis medij, tempore.

Græci huiusmodi flores Ναρκίσσους, Latini similiter Narcissos nuncupant. Belgæ Narcissen/Spaensche Jenetten: Germani Narcissen roßlin: Hispani Narciso. Dictum autem Narcissum Plutarch. in Sympos. quasi neruos hebetantem, & torpidas facientem grauitates, refert. Quapropter & Sophocles magnorũ subterraneorum deorum coronamentum eum vocat, quòd s defuncti & morte torpidi, torpido flore merito coronarẽtur. Appellatur autem Narcissus etiã λείριον, & Apuleio teste, ἄνυδρος, βολβὸς ἐμετικός, αὐτογενής. Lirium autem Theophrastus eum appellat, cui latius est herbæ folium, & flos melinus longior, qualis vtique tertius est, quem & ait sponte germinare qua de causa αὐτογενής, id est, à seipso genitus, vel per se nascens, dici potest. Sunt vero & alia Liria sui generis, de quibus suprà scripsimus · & Lilium quoque Linum est. Iulius Pollux, Homerum Lirij appellatione, complecti omne florum genus, auctor est. Ἄνυδρος autem Narcissus proprie montanus est, eo quòd ab aquis remotus proueniat βολβοῦ ἐμετικοῦ nomen ab effectu habet. Dioscoride siquidem auctore Narcissus etiam vomitum concitat. Est tamen & alius bulbus vomitorius propriè dictus, de quo capite subsequente.

Prior autem horum Narcissorum medio videlicet purpureus, ille est, quem Plinius lib. 21. cap. 19. purpurei floris esse scribit. Narcissi duo genera, inquit, medici in vsum recipiũt: vnum purpureo flore, alterum herbaceum. Nam purpurei floris Narcissum nuncupat, cui medium purpureum, vt eiusdem lib. cap. 5. seipsum explicans ostendit. Huius alterum, ait, genus flore candido, calyce purpureo. Calycem autem dicit, quod in medio flore, circuli instar, & stamina ac apices continet. De hoc etiam Narcisso Virgilius in Bucolicis Æcloga quinta·

Pro molli Viola, pro purpureo Narcisso,
Carduus & spinis surgit Paliurus acutis.

Secundi verò & potissimum tertij Narcissi, Ouidius tertio Metamorphoseon lib. meminit, vbi Narcissi formosi adolescentis mutationẽ in florẽ sui nominis describit, hoc carmine:

Nusquam corpus erat, croceum pro corpore florem
Inueniunt, folijs medium cingentibus albis.

De tertio etiam scripsit Theophrastus lib. 6. De alio siquidem hoc loco, quàm lib. 7. agit. Libro siquidem 7. folium ei tribuit angustum, quale vtique primus habet: sexto verò, latius quàm Asphodeli, vti tertij est, quod diuersis locis, de differentibus Narcissis eum scripsisse, conuincit. Scribit autem Theophrastus lib. 6. Narcissi florem esse luteum, siue melini coloris, quod de medio floris calyce accipiendum esse, Ouidij testimonio iam ostẽdimus. Ex eius siquidem de hoc Narcisso carminibus, quæ attulimus, id manifestissimum est. Florẽ etenim, ait, Croceum, albis tamen folijs cinctum. Exẽplaria Theophrasti penè omnia μέλανα τῇ χροιᾷ habent, quod Hermolao & Marcello occasionem dedit, vt Narcissi florem nigrum esse existimauerint. Sed pro μέλανα reponendum est μήλινα. Est autem Melinus color, idem quod ochræ, siue luteus. *Theophrasti locus emendatus.*

Putatur autem & hic Narcissus serotinus à Theophrasto haberi, & Autumno demũ florere, propterea quòd in iis quæ extant exemplaribus, huius descriptionem mox subsequantur hæc verba: μετὰ γὰρ ἀρκτοῦρον ἡ ἄνθησις, καὶ περὶ ἰσημερίαν, id est, post Arcturum productio floris est, & circa æquinoctium. Verum ad Narcissi historiam hæc non faciunt: inter Narcissi siquidem descriptionem & verba ista, defectus ac hiatus est. Nec spectant etiam ad Croci, vti Conradus Gesnerus in appendice scribit, quam Germaniæ suis hortis subiecit: sed ad Lirij alterius historiam pertinent, quod eodem libro, paulò inferius Theophrastus vnà cum Croco τοῖς πρώτοις ὕδασι, hoc est, primis imbribus, siue Autumno, florere ait, vt diligenter vtrumque locum expendentibus manifestum statim fiet.

Ac totidem quidem, quos proprie Narcissos dici opinamur, obseruare nobis contigit. Sũt tamen & alij lutei appellati Narcissi, de quibus in mox sequentibus capitibus.

Matthiolus verò & aliorum quorundam Icones exhibet, qui tamen non Narcissi, sed omnino alterius generis flores sunt. Nam quem quartum facit, Ornithogalon est, maius à nobis agnominatum. Quintum Gesnerus & omnes passim Tulipam vocant. Sextus ac septimus Leucoia sunt bulbosa.

Cæterùm Narcissi radix, vt Galenus ait, vsque adeò exiccandi facultate pollet, vt & maxima vulnera glutinet, vel ad incisiones vsque, quæ circa tendones accidũt habet verò quidam abstersorium & attractorium. Eadem, auctore Dioscoride, siue estur, siue bibitur, vomitus mouet: prodest ambustis ab igne cum melle trita· præcisos quoq; neruos agglutinat imposita. luxatis item malleolis, diuturnisque articulorum doloribus trita cum melle, & imposita subuenit· expurgat ephelin & alphum cum vrticæ semine & aceto, at cum Eruo & melle

vlcerum

vlcerum sordes expurgat, & abscessus qui ægrè maturantur rumpit: educit & aculeos infixos cum Lolij farina & melle.

De Narcisso luteo Iuncifolio, siue Bulbo vomitorio.

CAP. XXII.

Narcissus Iuncifolius maior.



Narcissus Iuncifolius minor.



PRÆTER Narcissos superiore capite descriptos, & alios superesse luteos diximus. vnus Iuncifolius alter syluestris & Pseudo-Narcissus est: tertius Autumnalis.

Iuncifolio Narcisso, folia sunt oblonga, angusta, crassa, interim propemodum rotunda, admodum læuia & flexibilia, Iuncis cùm læuore, tum colore, & quodammodo flexibilitate, nec non rotunditate similia; inter quæ medius exit caulis, in summo cuius, flosculi tres aut quatuor, vel plures, odorati, Narcissis forma similes, verùm minores, & colore per totum florem lutei. radix bulbosa, candida, tenui nigra membrana integitur. In plerisque humentioribus herbosis Hispaniæ montosis locis gignitur. vno vero loco lætior & pluribus folijs floribusq́; luxurians: altero autem minor, & flores pauciores proferens Vterq; Belgis hortensis est.

In Belgio Aprili mense florem vterque promit. & Martio, si hyems clemens fuerit.

Hispani à similitudine, quam folia cum Iuncis habent, *Ionquillias* nuncupant: nos Narcissum Iuncifolium dicere possemus. Dioscoridis est Βολβὸς ἐμετικὸς, siue Bulbus vomitorius. Id quod ex ipsa Bulbi vomitorij descriptione colligi potest, quæ sic habet: Βολβὸς ὁ καλούμενος ἐμετικὸς ἔχει τὰ φύλλα ἱμαντωδέστερα, καὶ πολλῷ μακρότερα τοῦ ἐδωδίμου, ῥίζαν ἐοικυῖαν βολβῷ, ἀφ' ἧς φλοιὸς μέλας. Id est, Bulbus nuncupatus vomitorius folia habet flexibiliora, & multò longiora quàm esculentus, radicem bulbo similem, circa quam membrana est nigra. Quæ descriptio huic Narcisso Iuncifolio simillima est: folia ei siquidem sunt multò, quàm alicuius bulbi ἱμαντωδέστερα siue flexibiliora, vtpote iuncei propemodum lentoris, & perquàm longa, longioraque multò, quàm esculenti Bulbi, & radix in tenui nigra membranula reconditur.

Quibus autem facultatibus Narcissus Iuncifolius præditus sit, nullo recentiorum experimento aut testimonio constat. Dioscorides verò Bulbi vomitorij radicem, si edatur, aut illius decoctum eius bibatur, vesicæ malis auxiliari, & vomitum facere, memoriæ prodidit.

De Narcisso luteo syluestri, siue Pseudonarcisso.

CAPVT XXIII.

Narcissus luteus syluestris.



Narcissi syluestris altaicon.



Narcissus syluestris multiplex.



LVTEVS Narcissus syluestris, folia Porri aut Narcissi similia promit, sed breuiora ac minora: caules dodrantales, atque in singulis flores singulos, Narcissi similes, sed medio eorum calyce longiore, oblongioris calathi similitudine, colore per totum luteo, absque odore: capitula rotunda, oblonga, in quibus semen: radix bulbosa, vt aliorum Narcissorum.

Contingit verò & huic, quod alis quandoque floribus, & candidis Narcissis accidit, vt videlicet floris foliola multiplicentur. & talis quidem flos medio calyce caret, compluribus foliolis mediū occupantibus. folia autem ac bulbi cum alterius conueniunt: flos quoque totus luteus.

Reperitur nō paucis Belgij locis, circa margines agrorum & veruactorum, humido præsertim solo, & in syluis locisque arboribus consitis: & similibus quoq. cùm in Germania, tum in Hispania: transfertur etiam in hortos.

Floret Februario & Martio quandoq. mense: Germani ea de causa Geel Hornungs blumen/ id est, nostrate dialecto, geel Sporckel bloemen nuncupant. Februarius enim Germanis Hornungs mont/ Belgis, Sporckelle.

Appellant verò & hunc Narcissum Belgæ, geel Tydeloosen: Latinè autem vulgò Narcissus luteus & Pseudo-Narcissus dicitur.

Cæterùm

Cæterùm quòd ad vires attinet, recentiorum quorundam experimento exploratum est, Narcissi huius syluestris radicum decoctum, per aluum lentos & pituitosos humores, nec nõ serosos expurgare, & his prodesse, qui crudorum copia grauantur humorum, semine Anisi & Zinziberis nõnihil additis: quæ, vt minus noceat, minusq́ molestũ sit ventriculo, adiiciũtur.

De Narcisso Autumnali. CAP. XXIIII.

Narcissus Autumnalis maior.



Narcissus Autumnalis paruus.



1. QVEM nostra ætas Narcissum Autumnalem nominat, folia promit oblonga, læuia, resplendentia, saturatè virentia: inter quæ pediculus assurgit breuis, fastigio florem vacuum adferens, haudquaquam Narcissis aliis similem, sed veluti Colchici aut Croci, ex sex foliolis compositum, colore autem luteum: in cuius medio sex stamina, & eiusdem coloris pistillus. subest bulbus mediocris magnitudinis, fibras aliorum modo deorsum demittens.

In Hispania ac Italia gignitur: & vno loco longioribus ac angustioribus, alio verò breuioribus ac latioribus foliis: amat humentia & pratensia, ac etiam montana.

Autumno sub finem Augusti, ac Septembri mense florem huius videre in Belgio contigit: eodem ferè in Italia tempore floret.

Autumnalẽ hac de causa Narcissum appellant: Hispanis *Cibollina Alborana* dicitur Narcissi autem nomen accepit, quòd Marcellus Vergilius in commentariis suis in Dioscoridem, hunc pro Narcisso describat. Nos, inquit, in Apenninis montibus frequentẽ vidimus florem, Augusto ac Septembri mense florentem, figura Lilij, dodrantali altitudine: foliis qualia in Narcisso describuntur, singulari caule, qui nec candidus, nec purpureus, vt Plinius docet, sed inter luteum & candidum colorem: nullius, aut exigui odoris Vidimus & in mitioribus collibus enatum, sed non tam speciosum, & magis albicantem: Hæc Marcellus.

Narcissus Marcelli Vergilij.

Videtur autem λειρίου siue Lirij ea species, quæ à Theophrasto Autumno, mox post primos imbres, vnà cum Croco florere refertur, quod λειριόνθεμον, siue Linum alterum ab ipso nominatur.

2. Præter hunc verò & alium quendam Narcissum Autumnalem C. Clusius describit, foliis viduum: pediculo breui flosculo paruo candido, odorato, Narcissi æmulo, sex videlicet foliorum, & calyce medio paruo luteo. bulbus exiguus est.

De Narcisso marino. CAP. XXV.

PRIVS autem quàm Narcissos deseramus, describendus & vnus adhuc bulbus, ad Pseudo-Narcissi genus pertinere apparens. folia huic quina senáue, oblonga, latiuscula, veluti

vinus

Narcissus marinus.



vnius Narcissi, sed duriora: caulis pede non tardò altior, in cuius fastigio è tenui membrana terni, quaternive, aut plures emergunt flores, Pseudonarcissi æmuli, longis e medio calycibus prominentibus, stamina quibus continentur, sed colore albidi: subsequuntur angulosæ valuulæ, in quibus semen. magnus subest bulbus, candidus, nigra membrana circumtectus, quibusdam subinde adnatis, quibus multiplicatur.

In maritimis, non modò Narbonensis Galliæ, verum & Hispaniæ, præsertim Valentini regni, gignitur: tum & alibi, sabulosis & aridis locis, quæ subinde marina rigantur aqua.

Maio mense florentem, Iulio verò ac Augusto semine iam maturo, huius bulbos se eruisse iuxta Monspelium C Clusius in Obseruationibus suis refert.

Hispani huiuscemodi bulbum *Amores myos* appellant: Italorum nonnulli *Giglio marino*: Nostri temporis plerique Scillam vocant, & ex ea Trochiscos de Scilla formant: aliis placet esse Pancratium, & quidem Marinum. Pancratij autem bulbus, vt Dioscorides refert, ὑπόπυῤῥος ἢ ὑποπόρφυρος, id est, subrufus aut subpurpureus est: istius verò, vt diximus, albidus. Matthiolus, quantum ex icone colligere licet, inter Narcissos numerat, & Constantinopolitanum cognominat. Et præstat inter Narcissos retineri, & Marinum dici, quàm vel Scillam, vel Pancratium temerè affirmare.

Facultate autem Pseudonarcisso luteo assimilis videtur: nam & gustatus tantummodo bulbus nauseam excitat: vt Lobelius auctor est.

De Leucoio bulboso. Cap. XXVI.

LEVCOII bulbosi tria nobis obseruare genera contigit: vnum Trifolium, alterum Hexaphyllon: tertium Polyanthemon cognominari potest.

Primum folia ex singulis bulbis bina promit, oblonga, angusta, in virore albicantia, foliis 1.
Pseudo-Narcissi lutei colore proxima, inter quæ medius exit cauliculus palmaris, in cuius summo flos è vaginula oblonga erumpit, à tenui pediculo deorsum dependens, foliolis tribus constans maioribus, candidis, intra quæ alia tria breuiora ac minora, pallide virentia, & aliquantulum striata, in medio floris stamina cum apicibus luteis: radix bulbosa est, foris obscuri & eiuscuius Castaneæ nucleus, coloris, quæ facile in plures bulbos multiplicatur.

Peregrinus Belgio flos, sed Italiæ & aliis regionibus familiaris.

Exit præmature Februario mense, reliquos omnes ferè flores antecedens.

Leucoion videtur bulbosum Theophrasti, cuius meminit lib. 7. vbi bulbos recenset: & quod lib. 6. primum sese ostendere ait, & emicare vbi cælum clementius est, statim etiam nondum hyeme exacta, vbi verò immitius postea. Nos ad differentiam sequentium, non inconcinnè Leucoion bulbosum Triphyllon, & Violam bulbosam trifoliam, nuncupari posse existimauimus, à tribus nempe floris foliolis.

Proximo generi folia similiter sunt angusta, Porri & Pseudo Narcissi similia, sed breuio- 2.
ra, virentiora, læuiora & magis resplendentia, versus terram aliquatenus reflexa: cauliculi tenues, palmares, flores in singulis singuli, rarissimè gemini, deorsum quoque penduli, colore candidi, ex sex foliolis aliquantulum striatis commissi, staminibus in medio cum luteolis apicibus: semen in rotundis capitulis paruum, rotundum, læue, & colore flauum: radix candida & bulbosa in plures facilè propagatur.

Plerisque Germaniæ superioris locis in vmbrosis & humidis syluis reperitur: apud Belgas hortorum areas exornat.


Floret eodem, quo superius, tempore, aut non multò pòst.

Germani weiß Hornungs blůmen: Nostri witte Tydeloosen appellant.


Leucoion bulbosum triphyllon.



Leucoion bulbosum hexaphyllon.



Leucoion bulbosum polyanthemum.



Leucoion bulbosum Autumnale minimum.



Leucoij bulbosi genus esse manifestum est: quod Hexaphyllum, non abs re, à sex floris foliolis cognominatur. Matthiolus cum istud, tum superius Narcissi speciem facit, vt cap. De Narcisso scriptum est.

Tertium Leucoion bulbosum caule & folijs secundo simile est, maius tamen ac proce- 3.
rius: florem in singulis cauliculis non vnicum, sed quinque aut sex & particulatim quidem florentes, profert, alterius floribus forma & magnitudine per omnia similes.

Est & hoc nobis hortense tantùm.

Non primo Vere, cum alijs duobus, sed multò pòst, Aprili videlicet demum mense, vnà cum Narcissis floret.


Violæ siue Leucoij bulbosi species haud dubiò quædam est, sed serotina.

Annumeratur verò & istis Leucoijs Bulbus quidam paruus, ex multis tunicis compactus, cui folia exeunt exilia, & cauliculus gracilis palmum altus, è cuius fastigio flosculus vnus aut alter dependet paruus, albidus, senum foliorum, Leucoio altero similis, sed minor multò, odore destitutus, & non Vere, sed Autumno prodiens.


At de facultatibus horum Leucoiorum nihil quod adferamus habemus, cùm à veteribus de ijs nihil reperiatur proditum, & à recentioribus nihil quoque obseruatum.

De Tulipa. CAP. XXVII.

Tulipa.



Tulipa cum semine.



EX bulbosorum florum numero & Tulipa est flos peregrinus; cuius differentes sunt species: quædam maiores sunt, aliæ minores.

Maioribus forma eadem satis omnibus est: folia eius bina aut terna, crassa, oblonga, lata, 2.
per oras subinde modicè reflexa, quæ cùm primum erumpunt, modicè rubere videntur, adulta verò albicát: caulis inter ea exit pedalis aut paulò altior, cui vnicus flos insidet sursum spectans, è senis foliolis, patenti profundiori & aliquantulum angustioris oris cyatho, aut inuerso huius formæ pileo quodammodo similis, staminibus in medio croceis: color flori subinde luteus est, nonnunquam candidus, aliquando dilutè quasi purpureus, non rarò rubet: Varietatem autem in his non exiguam etiam admittit, margines siquidem foliorum, & non rarò vngues siue inferiores particulæ, aliter quàm foliola subinde colorata sunt: transeunt verò per

 hæc

Tulipa minor Narbonensis

2.



hæc & quandoque stiriæ alterius coloris: odor nullus est, nisi luteo cuidam, qui odoratus sentitur. semen cartilaginosum, planum, in capitulis nascitur, quæ maturato semine in tres dehiscunt partes. radix bulbosa est, Narcissi bulbis haud dissimilis.

Minores Tulipæ foliis sunt angustioribus, & ferè porraceis, cauliculis tenuioribus ac breuioribus. floribus minoribus & minus in latitudinem sese pandentibus, colore luteis: bulbis minoribus.

In Thracia & Cappadocia Tulipa exit: Italiæ & Belgio peregrinus est flos. Minores alicubi in Gallia Narbonensi ac in Italia nasci feruntur.

Aprili mense Tulipæ florem Belgium videt: Thracia verò etiã Ianuario. veluti testis est Augerius Busbequius in itinere Constantinopolitano, in quo inter Hadrianopolim & Constantinopolim ingentem vbique florum copiam, media planè hieme, Ianuario mẽse, sese obtulisse refert, Narcissorum videlicet, Hyacinthorum, & eorum quos Tulipam Turcæ vocant.

Turcico & peregrino nomine Tulipam recẽtiores nuncupant, à Dalmatico pileo Tulipa dicto, cuius formã referre patens flos videtur. Quo nomine à veteribus hic flos dictus fuerit, nõ constat. Suspicari quis posset, [illegible] esse, si edulis bulbus esset, & cogẽdo lacte efficax. Nam [illegible] quidem à Theophrasto inter edules bulbos refertur, & herba est, qua lac cogitur, vt ait Hesychius. Conradus Gesnerus Tulipam Satyrium esse existimauit, & quidem Erythronium, quòd videlicet flore vna species rubeat; aut omnino Satyrij aliquam speciem referat. Cum quibus an cõueniat, & quantum, ex subscriptis Satyriorum descriptionibus relinquimus diligentius considerandum.

Minor à nonnullis Hermodactylus flore luteo dicitur, sed perperam tamẽ. Neque etenim Hermodactyli species aliqua esse videtur.

De viribus autem & facultatibus Tulipæ nihil compertum habemus, aut à quoquam scriptum reperimus.

De Meleagride. CAP. XXVIII.

QVI latè Narcissi nomen extendunt, non modò Tulipam, sed & Meleagridem eò referunt, quæ tamen à Narcissis differens est, Tulipæ verò similior. flos elegans, paulò minor Tulipa, & non sursum spectans, sed deorsum dependens, e senis quoque componitur foliolis; violaceo colore purpurascit, quem dilutè admodum purpureæ, ac quasi inalbicantes, ordine continuo digestæ, ac intermixtæ maculæ, elegantissimam varietatem conferentes, cõmendant, & foris quidem: interiore verò parte nigricantibus sparsim dispositis lituris exornatur. stamina quoque huic sex sunt, & medius pistillus, colore sublutea. caulis tenuis, circa quem subinde quina, raro plura, longa, angusta foliola è virore candicantia. bulbus subest rotundus & albidus.

In Gallia Celtica prope Aurelios repertum accepimus: in Belgij hortis feliciter adolescit, & subinde florem geminat.

Vnà cum Tulipis Aprili mense flos huius viget.

Nonnulli Fritillariam vocant, ab abaco siue alucolo, in quo Scacorum appellatus ludus exercetur, quem Fritillum dici existimant, quod non constat. Martialis siquidem Fritillum appellare videtur abacum, in quo alea luditur; Epigrammaton lib. v ad Gallam


Iam tristis, nucibus puer relictis,
Clamoso reuocatur à magistro:
Et blando male proditus fritillo
Arcana modo raptus è popina
Aedilem rogat vdus aleator.

Nobis rectius Meleagris nominari videtur: Meleagridis siquidem auis plumas, si non colores

Meleagris.



Meleagridis altera icon cum fructu.



lorisſpecie, attamen varietate & diſpoſitione, magnitudineque macularum refert. Meleagrides enim aues colore variatis ſunt plumis.

De facultatibus autem huius floris nihil contingit adferendum, exploratas ſiquidem nullas habet.

De Satyriis ex Dioſcoride & aliis. CAP. XXIX.

PRÆTER Orchies dictos, quos etiam Satyria Plinius & Apuleius appellant, duo Satyrij genera Dioſcorides eſſe tradit: vnum τρίφυλλον ſiue Trifoliũ, alterũ cognomento ἐρυθρόνιον. Trifolium folia fert tria deorſum reflexa, Lapatho, aut Lilio ſimilia, verùm minora & rubentia: caulem ψιλὸν, id eſt, tenuem ſiue nudum, cubitum longum, florẽ Lilij ſpecie, album: radicem bulboſam, vti malum, πυῤῥὸν ſiue fuluam, intus vt ouum candidam, guſtu dulcem, & ori gratam. Idem Satyrium Plinius lib. 26. cap. 10. etiam, ſed paulò aliter deſcribit: Folia ei ſiquidem non Lapathi aut alterius Lilij, ſed rubri Lilij eſſe ait, quę multò anguſtiora & minora ſunt, quàm candidi Lilij: & radices ei geminas, cõtrà planè quàm Dioſcorides, facit. Verba Plinij ſunt. Græci Satyrion foliis Lilij rubri minoribus, & tribus non amplius è terra exeuntibus tradunt caule læui, cubitali, nudo· radice gemina, cuius inferior pars & maior mares gignat, inferior ac minor feminas. Pertinent autẽ quod de gemina radice additur, ad Orchion, non verò Satyrij hiſtoriam. Radicem autem huius Satyrij Dioſcorides ait oportere ex vino auſtero coctam ad opiſthotonon bibi: & ei qui velit cum muliere concumbere, hac vtẽdum fore, fertur enim ipſam ad Venerem potentiam excitare. 1

Plinij lotus animaduertitur.

Erythronium Satyrium ſiue Erythraicum, ſemen habet Lini ſemini ſimile, ſed maius, robuſtum, ſplendens & læue, quod & ipſum narratur Venerem excitare, vti Scincus: eſt radicis cortex ſubtenuis & fuluus, interna verò pars candida, guſtu ori grata & dulcis. Naſcitur in ſoli expoſitis & montanis locis. Fertur ad Venerem incitare radix, etiam ſi manu teneatur: cum vino verò ſumpta multò magis. Eadem ferè de Erythronio Plinius, niſi quòd ſemen ei non Lini, ſed Viticis maius ac læuius tribuat, & vires ei plures, ex aliorum tamen relatu, adſcribat · arietibus ſcilicet quoque & hircis ſegnioribus in potu dari, & à Sarmatis, equis ob aſſiduum laborem pigrioribus in coitu: quod virium proſedamum vocant. 2.

 Sed

Sed postea quàm tam magnas Erythronio Satyrio, ad venereas libidines incitandas, vires & Dioscorides & Plinius tradi scribant, suspicandum non temere videtur, Satyrium istud, herbam esse eam, quam Indum quendã attulisse Theophrastus lib. 9. ait, ad rem Veneream efficacissimam, potissimum cum nec huius, nec alterius Satyrij, Theophrastus vspiam meminerit. Si etenim Erythronio tam efficax vis est, vt etiam in manu sumptum libidinem excitare queat, non multum ab Indi illius herba (si non eadem est) facultate differens esse oportet. Ad rem siquidem Veneream mirum in modum herba pollebat, quam Indus attulerat. nec enim solum edentibus, sed etiam tangentibus tantum, genitalibus vim dixere adeò vehementem fieri, vt quotiens vellent coire valerent, vti refert Theophrastus. Verùm hanc eadē caussa cum Erythronio eandem esse affirmari certò non potest, cum non rarò dissimiles eiusdem aut similis facultatis stirpes reperiantur. Coniecturam nostram indicauimus, iudicium exactius studiosis permittimus.

De Orchi. CAP. XXX.

Cynosorchis prior.



Cynosorchis alter.



ORCHIES, Dioscoride auctore, duo sunt: Vnus Cynosorchis, alter Orchis Serapias dicitur. præter verò hos & eorum multę, alię ac differentes reperiuntur species. quas, quia duobus illis complecti non posse videbantur, nos quinque generibus comprehendendas putauimus. Primum genus Cynosorchin, siue Canis testiculum: proximum testiculum Morionis: Tragorchin tertium: quartum Orchin Serapian: quintum Testiculum odoratum, siue Testiculum Pumilionem cum Cordo appellauimus.

Cynosorchis.

Cynosorchios complures reperiuntur species.

1. Prima folia habet lata, pinguia, Lilij foliis propemodum similia, caulem pedalem aut altiorem, angulosum, & in eo flores copiosos, spicatim digestos, colore rubentis dilutę purpurę, cucullo aut galeæ patenti similes, ex quibus parte inferiore laciniosum quiddam, canis aut alterius animalis quadrupedis exuuio simile dependet, dilutè & ipsum purpurascens, punctulis magis purpureis respersum: pro radicibus præter fibras suprà adhærentes, gemini sunt bulbi veluti testiculi, forma aliquantulum oblongi; quorum vnus plenior ac vegetior, alter rugosior.

2. Altera species foliis similiter læuibus, oblongis & latis est, sed quàm antecedentis minoribus

Cynosorchis tertius.



Cynosorchis quintus.



nibus & angustioribus, quinque aut sex, nonnullis caulem amplectentibus, qui dodrantalis est: spica densa, breui, in qua flores multi, colore ex candore purpurascentes, multis purpureis punctis, & interiore parte obscurioribus copiosis exiguis lineis ornati, forma galeam aut hiantem cucullum quoque referẽtes, dependente ex singulis veluti animalculi quadrupedis, aut homunculi extensis brachiis & diuaricatis cruribus absque capite corpusculo, eodem ferè modo, quo ex Saturni ore depingi solent dependentes puerulí: radices subsunt duæ globosæ, nuclei nucis Myristicæ magnitudine, adhærentibus ad annexum fibris aliquot crassis.

Tertia Cynosorchios species, folia edit angusta, striata, Plantaginis angustifoliæ foliis modo quodam similia: caulem dodrantalem: flores in breui densaque spica copiosos, colore foris punico & obscuriorem purpuram referente, intus verò albicante; eiusdem cum superioris formæ, sed tamen minores; dependente quoque ex ipsis rudi ac informi exiguo quadrupedis veluti animantis rudimento: radices subsunt aliorum Orchion similes. 3.

Huic & alius floribus per omnia similis quidam Cynosorchis est, foliis tamen latioribus, & secundum referentibus, quem Cynosorchios speciem quartam non ineptè quis fecerit. 4.

Iam & quinta quædam species reperitur, foliis vti secundus Canis testiculus: caule pedali, spica longa, floribus colore herbaceo subuirentibus, ex quibus quod laciniæ simile dependet, oblongum est, & quasi quadrangulum. 5.

Ex horum numero primus vel secundus, vel vterque, Cynosorchis est à Dioscoride descriptus. Vterque enim horum folia habet læuia, Scillæ mollioris siue Epimenidiæ foliis similia, quædamque horum erecta caulem amplectentia: alia verò versus terram inclinata: caulem non rarò altiorem dodrante: flores purpurascentes. bulbos radicum oblongis Oliuis similes, præsertim qui primus est. Talem etenim Dioscorides Cynosorchin esse scribit: Ὄρχις, ὃν καὶ κυνὸς ὄρχιν καλοῦσι, φύλλα ἔχει κατὰ γῆς ἐστρωμένα, περὶ τὸν καυλὸν καὶ τὸν πυθμένα, σκίλλῃ μαλακῇ ὅμοια, στενότερα δὲ καὶ λεῖα, μακρότερα· καυλὸν σπιθαμιαῖον τὸ μῆκος, ἐφ' οὗ ἄνθη πορφυροειδῆ· ῥίζαν βολβοειδῆ, ἐπιμήκη, διπλῆν, στενὴν ὡς ἐλαίας, τὴν μὲν ἄνω, τὴν δὲ κατωτέρω· καὶ τὴν μὲν πλήρη, τὴν δὲ μαλακὴν καὶ ῥυσσήν: hoc est, Orchis quem Cynos orchin appellant, folia habet & per terram strata, & circum caulem ac spicam, Scillæ mollis similia, angustiora, mollia & minora: caulem dodrantis altitudine: in quo flores purpurascentes: radicem bulbosam, oblongam, gel- Cynosorchis Dioscoridis.

Testiculus morionis mas.



Testiculus morionis fœmina.



minam, angustam vt Oliua, vnam superiorem, alteram inferiorẽ, & vnam quidem plenam, alteram mollem & rugosam.

Dioscorides locus restituitur. In qua descriptione deprauatè in Græcis exemplaribus legitur ἐλαίᾳ μαλακῇ, pro σκίλλῃ μαλακῇ: Nulla siquidem appellata est mollis Olea, & Oleæ folia multò & minora & angustiora sunt, quàm Orchios. Scillarum autem quædam mollior. Hanc Dioscorides mollẽ Scillam appellat, eiusque foliis Cynosorchios mollia ac læuia folia, similia & angustiora esse ait.

Confirmat hanc lectionem Theophrastus De historia stirpium lib. 9. vbi de Orchi scribẽs ait; ἔχει δὲ φύλλον σκιλλῶδες, λειότερον δὲ καὶ ἔλαττον, hoc est, folium habet Scyllæ simile, sed læuius ac minus. Et similiter Plinius lib. 26. cap. 10. Quidam folio, ait, Scillæ esse dicũt, læuiore ac minore. Est tamen in vtroque auctore huius Orchios descriptio deprauata. *Theophrasti & Plinij loca corrupta.* Pro σκιλλῶδες siquidem, vt Marcellus legit, in nonnullis Theophrasti exemplaribus (quæ Gazæ malæ conuersionis occasionem dedere) perperam legitur σιλφῶδες. Sequitur deinde: τὸν δὲ καυλὸν ἰσομήκητον ἀσπίῳ, ἤτοι ἀπύρῳ, ἤτοι ἀκάνθῃ, quod penitus corruptum videtur. Apud Plinium legitur, caule spinoso, & similiter deprauatè: Orchios siquidem caulis spinas non habet. Cornarius tamen hac Plinij lectione fretus, Theophrasti locum hoc modo putauit restituendum: τὸν δὲ καυλὸν ἀκανθώδη, ὄρχιν δὲ ὁμοιότατον ἀπίῳ. Quomodo autem hæc Theophrasti & Plinij corrupta loca restitui debeant, ac emendari, diligentius expendendum relinquimus.

Testiculus Morionis duplex est, mas videlicet, & femina.

Testiculus Morionis mas. Man folia sunt quinque, aut sex, longa, lata, læuia, Lilij foliis similia quidem, sed minora, superius maculis aliquot subnigricantibus signata, quorum vnum & subinde alterum caulem quoque circumplectitur: caulis dodrantalis: flores in spica purpurei, circa vmbilicum albidiores, odorati, & aspectu grati, posterius corniculum habent propendens, simile ferè corniculo Regij floris, anterius verò cucullum auriculatum & cristatum Morionis referunt. Nam cuculli cuiusdã & patentis galeæ modo flosculus hiat, & angusta foliola, quę à lateribus surgũt, auriculas, quod verò è medio attollitur, cristam refert: radices gemini sunt globuli, nucleo nucis Myristicæ similes, supra quos fibræ exeunt.

Testiculus Morionis fœmina. Femina folia habet similiter læuia, sed angustiora & aliquantulum venosa siue striata, Plantaginis angustifoliæ quodammodo similia: flores hiantes quoque, & veluti patentes cuculli,

Tragorchis, Tefticulus hirci.



Orchis Serapias primus.



culli, à tergo dependente fingulis corniculo, fed foliolis, quæ criftæ aut auricularum modo adnafcuntur non erectis, fed ipfi floris cucullo ita incumbentibus, vt non facilè obferuentur. gemini & his tefticulis fimiles globuli, exeunt & fupra annexum aliquot fibræ.

Et vni quidem huius generis flores funt purpurei Violæ ferè nigræ colore, in medio candidiores, punctis aliquot variegati, pluresq; denfiore in fpica, caulisq; quàm reliquorum lõgior. 1.

Alteri flores dilutè rubent, cauliculus breuior eft, & folia aliquantulum minora. 2.

Tertij, flores purpuram referunt exquifitè rubentem, & vermiculum colorem, denfa huic breuisq; fpica, flores minores folia nonnihil ftriata, pleraq; erecta & caulẽ circũ amplectẽtia. 3.

Hunc Tefticulum funt qui velint Satyrion effe Erythronion, fed parùm ifti attenderunt, Orchies à Satyriis differre.

Sunt verò & huius generis minores tefticuli, quibus cauliculus breuis eft. folia paruula quina aut fena, vno aut altero circum cauliculum erecto, flores in fpica breui rari, colore nunc in cæruleo purpureo diluti, nunc candidi, quandoque rubentes, fed coloris obfoleti & odoris ingrati. 4.

Tragorchis folia fimiliter læuia, lata & lõga fert, Liliaceis proxima, maiora quàm aliorum Orchion: caulem cubitalem, fæpe foliis nonnullis inferius implicitum: flores fecundũ caulem in longa veluti fpica multos, fœtidos & hircum olentes, quorum forma patenti quoque galeæ fimilis eft, ex quibus tamen non exuuio fimile, fed longa aliquantulum retorta veluti lacertæ cum medio corpufculo cauda propendet, coloris eius cuius eft caulis, purpureis aliquot punctulis circa annexum maculata: femen in valuulis oblongis & ftriatis gignitur per exiguum: tefticuli fubfunt grandes, fibræ aliquot fupra adhærent. *Tragorchis*

Tefticulum leporis plerique appellant. nos ab odore, quo hircum dum in flore eft, refert, τραγόρχιν & Hirci tefticulum dicere maluimus.

Tefticuli Serapiadis à nobis cognominati, tria obferuauimus genera, flos vnius papilionem: alterius fucum. tertij mufcam refert. *Tefticulus Serapias.*

Primum itaque genus folia profert duo aut tria, læuia, latiufcula, at Lilij foliis multo minora: caulem dodrantalẽ aut altiorem, flores in eo raros, candidos, papilionibus expanfis alis quodammodo fimiles, è foliolis fcilicet tribus commiffi, vno fuperiore, duobus lateralibus 1.

alas

Orchis Serapias secundus maior. Orchis Serapias secundus minor. Orchis Serapias tertius.







alas referentibus; & longiore, tenui, veluti papilionis corpore propendente, melleum & dulcem liquorem continente; qui contorto aliquantulum pediculo, cauli adhærent: globuli subsunt gemini, candidi, & rotundi, & supra eorum annexum fibræ aliquot pro radicibus.

2. Alterum & secundum genus quinis senisve constat foliis, venosis, aliquantulũ latis, Plantaginis angustifoliæ quadantenus similibus, sed minoribus, quibusdam terrã versus reflexis, aliis circum caulem, qui palmaris aut dodrantalis est: floribus in summo quinque aut sex ex aliquot foliolis compositis, quorum inferius forma, & colore subnigro sordido fucum proximè referre videtur: testiculi subsunt vt aliis gemini.

Reperiuntur huius species duæ. vnius flos superiora foliola maiora, candidiora, & aliquantulum e rubido purpurascentia habet: alterius omnino minora & subuirentia. Huius caulis breuior; illius altior.

3. Tertius testiculus Serapias foliis est minoribus, & paucioribus, cauleq; breuiore ac tenuiore quàm secundus, cui alioqui satis similis apparet: flores huic tres aut quatuor, ex tribus exiguis superioribus foliolis, & quarto inferiore oblongiore, colore in purpura tristi subnigro, nonnihil variegato, forma muscæ cuiusdam corpori simili: testiculi veluti geminæ paruæ pilulæ sunt.

Tria autem hæc genera Serapiades nuncupauimus, propterea quòd eorum flores insecta quædam referunt fœcunda & lasciua, tanquam à Serapide nomen habentia Alexandrinorũ olim Deo, cuius excellens Canopi templum erat, vbi lasciuiis & cantibus & saltationibus colebatur: vt videre est apud Strabonem lib. 17. Fuchsius etiam ante nos, genus illud, quod flore fucum refert, Serapiada feminam fecit. Dioscorides item Orchin Serapiada describens, vnum istorum satis manifestè exprimit. Verba eius sunt: Ὄρχις ἕτερος, ὃν σεραπιάδα ἔνιοι καλοῦσιν, φύλλα ἔχει ἐοικότα πρασίῳ ἐπιμήκη πλατύτερα δὲ καὶ λιπαρά, ἐπικεκαμμένα ἐν ταῖς μασχάλαις, καυλία σπιθαμιαῖα· ἄνθη δὲ ὑποπόρφυρα· ῥίζα δὲ ὕπεστιν ὀρχιδίοις ὁμοία, id est, Orchis alter, quem Serapiada alij nominant, folia habet Marrubio similia, oblonga, sed latiora & pinguia, per extrema recuruata, cauliculum dodrantalem; flores subpurpureos: radix subest paruis testiculis similis. Cum qua descriptione si secundus noster Serapias, præsertim qui maior est, conferatur, conuenire omnino reperietur. Folium etenim ei Marrubij folio longius latiusque & læue, quod

Testiculus Serapias Dioscoridis

Testiculus odoratus maior



Testiculus odoratus minor.



quod reflectitur: cauliculus dodrantalis. florum superiora foliola, dilutè in candore rubentē purpuram referunt: testiculi exigui sunt. Meminit huius eiusdem & Plinius, sed folia ei non Marrubij sed Porri tribuit, quod & Dioscoridis interpretibus occasionem præbuit, vt pro ὅμοια πρασίῳ, reddiderint, Porro similia.

Inter pauca, inquit Plinius, mirabilis est Orchis herba, siue Serapias, folijs Porri, caule Palmeo, flore purpureo, gemina radice testiculis simili. Paulus Ægineta, Serapiada etiam Triorchin nuncupari scribit, veluti tres testes habentem. Vnde Fuchsius Serapiadi tres affinxit bulbos. Plinius tamen huic non nisi geminos bulbos tribuit: neque nobis plures quàm duos esse, vel huic, vel illi quem Fuchsius depingit, vel alijs Orchis, obseruare contigit.

Quintus testiculus odoratus siue Pumilio nuncupatus, omnium folijs minimus est, ei siquidem foliola omnino paruula sunt, eaq; venosa & Plantaginis aliquatenus similia, sed minutis ac paruulis eius folijs minora, virentia; caulis tenuis est, palmi altitudine, circa quē flosculi paruuli candidi, suauiter odorati, ordine digesti, ac spiræ modo caulem ambientes: bulbi subsunt gemini, parui, oblongi hic nonnullis locis maior ac lætior. alijs minor gignitur. *Testiculus odoratus.*

Exeunt Orchies locis vt plurimum palustribus ac humentibus, in syluis ac pratis: quidam pingui & argilloso solo, veluti Tragorchis dictus, qui solo pinguissimo gignitur: alij etiā macriore nascuntur: Odoratus, editis, incultis & aridis locis plurima parte reperitur.

Maio & Iunio mensibus omnes florent, excepto odorato Pumilione, qui Augusto demum aut Septembri flores promit.

Omnes à Græcis Ὄρχεις, & à Latinis Testiculi nuncupantur. Germani Knabenkraut & Standelkraut: Belgæ Standelcruyt: Galli *du Satyrion* appellant, Officinarū nomē retinentes. Officinæ siquidem Orchies Satyria nominant, & eorum bulbos, pro Satyriorū medicamentis ac compositionibus admiscent. Præbuisse his occasionem videtur Apuleius, qui nullam inter Orchies & Satyria differentiam facit, sed vtrumque Satyrium, cum vtroque Orchi, Canis videlicet dicto, & Serapiade cognominato cōfundit. Græcis, inquit, dicitur Satyrion, alijs Cynosorchis, alijs Entaticos, Panion, Serapion; alijs Orchis. Galli *Vram*: Itali *Priapiscon*: alij Orminalem: alij Testiculum leporinum nominant.

Vis autem Cynosorchios radicibus calida est & humida: cæterùm maior quidem multam videtur habere humiditatem excrementitiam, ac flatuosam, & ea propter epota Venerē excitat.

citat. Altera verò minor, econtra, vt sit eius temperamentum ad calidius & siccius vergens: itaque hæc radix, tantùm abest vt ad coitum stimulet, vt etiam plane contrà cohibeat ac reprimat. auctor Galenus. Et de radice, inquit Dioscorides, narratur, maiorem si viri edant, mares generare, minorem si feminæ, feminas. Addunt in Thessalia mulieres teneram cum lacte caprino bibendam dare, vt Venerem excitent: aridam verò ad inhibendum.

Serapiadem, Galenus ait, sicciorem facultatem obtinere, nec perinde ad Venerem accommodum esse.

Nostra ætas omnium Orchium bulbis, ad Venerem excitandam vtitur: & pharmacopœi compositionibus eò facientibus indifferenter quosuis admiscent: præstantiores tamen sunt Tragorchios bulbi. Assumendi autem non sunt ambo bulbi, sed durior, plenior, ac succi plus habens: flaccidior ac rugosior minus aut non idoneus est.

Est autem plenior, non semper qui maior, sed non raro minor: si videlicet bulbi colligantur priusquam stirps defloruerit, aut cùm primum caulis erumpit. Nec etenim succulentior, alterum magnitudine superat, prius quàm semen maturari cœperit. Nam cùm alternis annis vnus bulbus intumescat, alter verò resideat ac pereat, fieri non potest vt durior ac succo plenior semper maior sit. Quando siquidem folia erumpunt, tunc demum vel non multò antè plenior crescere incipit, quo paulatim incrementum sumente alter flaccescit, rugasque contrahit, donec maturato semine vnà cum foliis & cauliculis subinde totus subsideat ac pereat; eo qui interea creuit vegeto ac succi pleno.

De Satyrio Basilico. CAP. XXXI.



Satyrium Basilicum mas.



Satyrium Basilicum femina.

QVOD recentior ætas Satyrium basilicon nominat, non vnius est generis. Est etenim maius genus vnum, alterum minus: maioris, quoddam folio non maculato, mas, aliud maculato, femina.

1. Maius Satyrion Basilicon, quod marem appellant, folia habet oblonga, lata, & læuia, Lilij foliis minora, nullis aut omnino vix apparentibus maculis respersa: caules pedales vel altiores, non absque adnatis foliis: flores in summo spicatos, colore dilutè purpureos, exiguis punctis saturatæ purpuræ respersos, forma testiculi Morionis maris, nisi quòd ipsis crista desit: sub quibus

Satyrium Basilicum foliosum.



quibus singula acuminata nascuntur foliola: radices geminę veluti palmę sunt, singulę in quatuor digitos distributæ, quarum vna flaccidior & quasi fungosa. altera vegeta ac solida, paucis ab annexu exeuntibus fibris.

Alterum maius genus, quod feminam vocãt, priori tamen minus, folia eiusdem formæ promit, sed minora & multis nigris maculis conspersa: flores cucullis similes, cristatos & hiãtes, vti testiculi Morionis maris, colore nunc candidos, aliàs in purpura vel rubentes, vel dilutè ad cæruleum inclinantes, semper magis purpureis punctulis ornatos ac variegatos: radices alterius similes. 2.

Horum verò & species quędam adeò multis secundum caulem foliis, vt etiam inter ipsos flores, sed tamen minora, exeant. 3.

Minus genus, foliis est angustis, &, vt Matthiolus inquit, Croci: caule dodrantali iunceo, læuique, in cuius cacumine flos emicat purpureus, Amaranti æmulus, qui recens odorem quàm suauissimum reddit: radicibus aliorum similibus, sed quæ magnitudine ipsis cedant. 4.

Nascuntur Satyria hæc, locis vt plurimùm humentibus, palustribus, in pratis subinde & in syluis.

Florent Maio ac Iunio: ratò serius.

Nostra ætas Satyria nuncupat Basilica siue regia: item & Palmas Christi. Est tamen & alia huius appellationis herba, Ricinus videlicet, hunc etenim & Palmam Christi vulgò plerique nuncupant. Germani Satyrion Basilicon, Cruyßblum nominant: Belgæ Handekens cruyt: Galli *Satyrion royal.*

Sunt qui velint *Buzeiden* siue *Buzidan* Arabum esse. Sed Auicenna *Buzeiden* ait esse medicinam ligneam Indam. Et Serapio *Buzeiden* ait radices esse duras, albas, similes Behen albo, & medicinam esse Indiæ. Satyrij autem huius Basilici radices nihil minus quàm ligneæ sunt, & non ex India petuntur, sed in omnibus Europæ prouinciis passim reperiuntur: tantùm à *Buzeiden* absunt.

Matthiolus Satyrium Basilicum Digitos citrinos Auicennæ esse vult, & Monachos qui in compositiones Mesue commentaria edidere, dubitantes & penes lectorem iudicium relinquentes, ea de causa reprehendit. Nobis tamen magis placet Monachorum hæsitatio, quàm Matthioli assertio. Neque enim Satyrij huius radices duræ sunt, sed recentes quidem vegetæ ac succulentæ, & arefactæ omnino flaccidæ: nulla etiam omnino citrina aut puluerulenta est.

Digiti autem citrini, auctore Auicenna, duri sunt, & quidam citrini cum puluerulentia. Verba eius sunt: Asabasafra siue digiti citrini quid est? Eius figura est sicut vola manus, commista ex citrinitate & albedine, & est dura, in qua est parum dulcedinis, & ex ea est citrinã cum puluerulentia absque albedine. *Digiti citrini.*


Iam & Rhasis libro Continentis vltimo, digitos hos croceos, vt exemplaria habent, appellat, & esse gummi seu venam tinctorum ait. At Basilici Satyrij radices nihil minus quàm croceæ sunt, & ad tingendum nequaquam vtiles habentur.

Quæ vtique Satyrium Basilicum vulgò nuncupatum, à Digitis citrinis Auicennæ & Rhasis differre, manifestè ostendunt.

At Satyrij Basilici radices, Orchion sapore & gustu referunt; proinde & facultatibus similes existimantur. Nicolaus autem Nicolus cap. De curatione quartanæ, vim habere ait, & per superiorem, & per inferiorem ventrem purgandi; & aduersus quartanas febres inueteratas post purgationes, radicis partem pollicis longitudine tusam, cum vino ante accessionem vtiliter exhiberi; hocque remedio ter sumpto, Biliotum quendam post 44. aut 45. accessionem, à quartana fuisse liberatum.

De Pseudoorchi, siue Bifolio. CAP. XXXII.

Pseudoorchis, Bifolium.



Ophris.

AD Orchies recentior ætas etiam refert, quod Bifolium nominant, Orchion nothum & adulterinum quoddam genus. folia habet non plura quàm duo, eaque ad caulem sibi mutuò opposita, lata, neruosa, Plantaginis latifoliæ foliis similia, sed minora: caulem dodrantalem, flores secundum ipsum ordine digestos, testiculi Serapiæ tertij quodammodo similes, sed subuirides, aut in viridi albicantes, & angustiores, culicum formam proximè referentes: radices fibrosas in diuersa tendentes.

Exit locis humidis ac palustribus.

Floret vna cum Orchiis Maio ac Iunio.

Nostra ætas Bifolium appellat. Germani, Zweyblat, Nostri, Tweeblat. Putatur esse à Plinio appellata Ophris, quam ait herbam esse denticulato Oleri similē, foliis duobus. Sed veram esse Ophrim asseri non potest, quàm diu quale sit illud Olus denticulatum, cui Ophris similis, ignoratur. Aliis videtur esse Alisma, sed & quàm parum cum Alismate conueniat, ex his quæ superius cap. De Saponaria scripta sunt, cuius promptum est colligere, vbi quale sit Alisma ostensum est. Nobis noua aliqua stirps esse videtur, veteribus præterita.

Vtilem autem hanc herbam recentiores ferunt, ad rupta & vulnera glutinanda.

LIBRI SECVNDI PEMPTADIS SECVNDÆ FINIS.

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTADIS SECVNDÆ LIBER TERTIVS,

DE SYLVESTRIBVS FLORIBVS, AC NONNVLLIS ALIIS.

PRÆFATIO.

SYLVESTRES *nobis dicuntur flores, qui in aruis, agris, eorumq́ marginibus, syluis, pratis, ac palustribus gignuntur locis; ad hortos verò rarius admittuntur, vtpote ad horum ornatum nihil aut exiguum facientes; nec idcirco magnoperè desiderati. Sunt tamen ex his plerique coronarij, quibus ad coronas nectendas rusticæ virgines vtuntur: multi ad medicamentorum materiam faciunt. Præter hos verò sunt & hortenses nonnulli admißi, quos concolores & congeneres ad se pertraxerunt.*

Prætermißi autem in hoc libro aliquot syluestres, qui propter nominis cum Violis, aut Rosis communionem & affinitatem, aut primò accesserunt, aut ad aliam operis partem simili de causa translati sunt. Ita fit vt ad vnam aliquam classem subinde referantur, quæ alio describi potuissent loco. Quod obiter modò iterum monuisse satis sit.

De Iride. CAP. I.

Iris.



Iridis altera icon.



IRIDIS species, colore floris differentes, complures esse Dioscorides manifestè ostendit. Flores siquidem, aut, varij, aut candidi, aut lutei, aut nigri, aut purpurei, aut cyanei. Quam coloris diuersitatem, non in vno flore, vti Andreas Lacuna existimauit, sed in differentibus reperiri, ipsa obseruatione cõstat. Αὐτόπτης etiam testis est Antonius Musa, qui à se conspectos in Illyrico Iridis flores, ple-

 rosque

Iris biflora Lusitanica.



Iris minor.



rosque candidos, alios pallidos, nonnullos luteos, quosdam purpureos, in Examine simplicium scriptum reliquit.

Differunt verò Irides, nō modò floris colore, sed & stirpis magnitudine: quædam etenim maiores ac proceriores: aliæ humiliores ac minores sunt Irides.

Folia maioribus oblonga, ensis aut gladij similitudine: caules rotundi, teretes, glabri, læues, cubitales, vel altiores; in quorum summo flores παράλληλοι, siue alterno ordine positi, terni, quaterni ve, odorati: constant flores senis potissimùm foliolis, quorum tria deorsum repanda arcus modo reflectuntur, alia tria sursum & contra se mutuò curuantur. Color candidæ per totum quidem florem candidus est; luteæ, luteus; cæruleæ siue nigræ in saturata cærulea purpura nitet, μελανίου siue Violæ nigræ colorem referens; purpureæ verò in cæruleo purpureus, sed eius tamen quæ Belgio vulgaris est, non in omnibus foliolis, neque ab omni parte similis, sursum etenim reflexa, pallidiora sunt & colore dilutiore, præsertim vnius, cuius hæc pallidissima & ad aquæ κυάνεον colorem accedunt, deorsum curuata inferiore parte pallent, superiore verò pulcherrimum purpureæ siue nigræ Violę dilutum colorem proximè exprimunt, intermixtis interim lineis candidis, quæ ab ipso folij exortu ac veluti base, tum & ab ipsa flaua fimbria exorientia, gratam coloris mixturam & varietatem efficiūt. Oritur fimbria ab ipsa inferiorum foliorum in singulis floribus parte, qua calyci inhærent, & inde sursum ad medium producitur, multis, tenuibus, breuibus, luteolis, rarissimè candidis, veluti pilis concreta, humani ferè supercilij, aut Erucæ hirsutæ similitudine. Præter sex autem hæc, quæ propriè folia, sunt & tria alia oblonga, angusta foliola, extrema summaque parte bifida, quæ fimbriam illam quodammodo contegunt: sub his singula stamina. Radices Iridi subiacent longæ, solidæ, nodosæ, ac veluti geniculatæ, digitali aut ampliori crassitudine, subinde in plures propagines, ipsis ex lateribus adnascentes distributæ, & summa terra hærentes, intus candidæ: quibus adhuc recentibus & nondum resiccatis, nonnihil inest feruentioris saporis, qui tamen non statim, sed paulò pòst quàm mansæ sunt, deprehenditur: tunc etenim fauces & linguæ radicem impetens, igneæ qualitatis vestigium, ac πυρῶπεσόν τι, quod non facilè eluitur, ipsis imprimit: siccæ verò gratiore sunt odore, & qualitate gustabili minus acri

Minores

Minores Irides, foliis, floribus & radicibus aliis similes, sed folia tantùm dodrantalia, latiora tamen, quàm Chamæiridis, aut Iridis minoris tenuifoliæ: flos eiusdem cum aliarum formæ, sed minor paulò, colore, vel è luteo languescente, vel cæruleo eoque nunc saturato, aliàs diluto.

Post flores siliquæ succedunt crassæ, triangulares, in quibus semen subluteum, rotundo oblongius, Ochro minus, quod resiccatum rugas contrahens nigrescit.

Nascitur Iris in Illyrico, Macedonia, Africa, & in complurimis Europæ prouinciis. In Belgio, purpurea quædam familiarissima est, & non modo in hortis, sed & quibusdam palustribus locis sponte exit, præsertim cuius flores dilutiorem purpuram, & aquę cyaneum colorem referunt. Candida, hortensis tantum est veluti & cærulea.

Sunt & minores Irides Belgio hortenses. Luteam apud Hispanos etiam in palustribus reperiri accepimus.

Optima Iris apud Illyricos prouenit, & melior quàm in Macedonia, non tamen parte maritima, sed mediterranea, magisque ad Septentrionem sita, vt Theophrastus ait. Plinius Illyricam reliquis quoque præfert, & quidem non in maritimis, sed in palustribus (exemplaria, ferè syluestribus, minus rectè habent) Drylonis, & Naronæ natam: quam etiam Nicander in Theriacis commendat, sic scribens: *Plinij locus restitutus.*

Ἶριν θ' ἣν ἔθρεψε Δρύλων καὶ Νάρωνος ὄχθη. Id est,
Iridem quam aluit Drylon & Naronis ripa.

Sunt autem hi fluuij Ptolomæo in Dalmatia prouincia Illyrico vicina. Nicandri verò scholiastes, Drylonem fluuium esse ait Illyriorum & Narorum, qui Illyricos & Liburnos segregat, vbi Cadmus & Harmonia habitarunt, in serpentes transformati.

Dioscorides inter Illyricas & Macedonicas præstantissimam Iridem esse ait, quæ radice est densa, minuta, frangi contumace, subruffo colore, multum odorata, gustu feruido, odore integro, non situm redolens, & sternutamenta, dum tunditur, mouens.

Proximi bonitate, Plinio auctore, Macedonica est, quæ apud Galenum lib. 7. κατὰ γένη in acopo quodam Asclepiadis recipitur, cùm tamen in aliis compositionibus Illyrica ferè admisceatur.

Tertio loco Africana est, quam Galenus lib. primo De antidotis, multò inferiorem Illyrica testatur. Nam si, inquit, conferas eam quæ ex magna Libya Romam copiosissima adfertur, tantum ab Illyrica abest, quantum mortuum corpus à viuo.

Quę in frigidioribus reperiuntur regionibus, deteriores ac viribus infirmiores sunt. Theophrastus has omnino absque odore esse existimauit. In Thracia, inquit, cæterisque frigidioribus locis, ac minus cocturæ idoneis, odore Iris penitus caret: quod tamen non absolutè verum est. Nam & Belgica Iris resiccata, non omnino absque odore est, licet tamen odore, quàm Italica inferior, quæ hac ætate in Germania & alibi, reliquis præfertur, & Florentina cognominatur.

Iridis flores mense Maio prodeunt: folia ferè semper virent: radices diuturnæ, vix vlla hyemis iniuria offenduntur, nisi fortassis externarum, quarum nimio hyemis rigore, subinde radices in Belgio intermoriuntur.

Est tamen & inter Irides, & quidem maiores, quædam ex Lusitania Belgis aduena, non modò Vere, sed & Autumno florem producens, quam idcirco rectè bifloram Clusius appellat, ac in Obseruationibus suis Hispanicis latè describit.

Iris Græcis ἶρις appellatur. Athenæus & Theophrastus ἱερὶς legunt, quasi consecratrix, quo nomine etiam Latinis dicitur: nonnullis radix Marica, vel potius radix Naronica, a Narone fluuio, circa quem optima & copiosissima, vt diximus, nascitur. Item οὐρανία, cælestis, ab arcu cælesti, & ab eadem occasione θαυμαστὸς, admirabilis, θαυμαντίαν enim arcum cælestem Poetæ aliquando vocant. Nominatur & θελπτικὴ aut θελπτήριον, καθαίρειν purgans, ὀπωροτρέπτης. Philinus Iridis flores λύκους, id est, Lupos vocari tradit, quòd deorsum arcus modo curuata, labiorum Lupi speciem quandam reddant. Germanis Gilgen/ Schwertel/ Nostris Lisch ouer Zee: Gallis *Flambe*: Italis *Giglio* & *Iride*, Iris nominatur.

Iridis species flore candido olim in officinis gignẽdi casu Græco ἴρεος nuncupabatur: Germani Violwurtz/ weiß Violwurtz: Nostri, wit Lisch: Galli, *Flambe blanche* appellant. Hanc multi reliquis præferunt, & odoratiorem eius radicem affirmant. 1.

Alia Iridis species, Iridis nomenclaturam retinet: plerisque tamen Lilialis, & in Apulia Spatula, vt Franciscanæ familiæ fratres Angelus Palea & Bartholomæus ab Vrbe veterum scribunt: Itali, *Giglio azurro*, & *Giglio celeste*: Hispani, *Lilio Cardeno*. Germani, blauw Gilgen/ blauw Schwertel/ himmel Schwertel: Brabanti, blauw Lisch ouer Zee. Huius speciem, quæ flore est dilutiore, plerique syluestrem Iridem nominant, ad differentiam candidæ, cum alterius 2.

terius hortensis. Sunt tamen & aliæ apud veteres syluestres Irides, Xyris videlicet, & Ephemeron non lethale.

Aloisius Anguillara Iridem à Palladio Hyacinthum vocari existimat: alius Hyacintho, Iridis ac Gladioli nomen tributum dixerit. Verba Palladij sunt, lib. 1. De apum castris, titulo 37. Herbas nutriat, Origanum, Thymum, Serpyllum, Satureiam, Melissophyllum, Violas agrestes, Asphodillum, Citraginem, Amaracum, Hyacinthum, qui Iris vel Gladiolus dicitur, similitudine foliorum, &c.

Porrò Iridis radices recentes, & adhuc succo plenæ, impensè calidæ sunt, & ad quartum ferè caliditatis gradum peruenientes. Succus earum non modò bilem, sed potissimùm aquosos humores potenter educit, & hydropicos insigniter purgat, cum lactis sero, aut alio liquore, qui caliditatem eius nonnihil contemperet, epotus.

Aridæ in secundo sunt ordine intenso calefacientium & teficcantium: crassos & lentos humores, qui ægre ac difficulter educuntur, attenuant: respirationis difficultati, tussi veteri, & omnibus thoracis vitiis, quæ hinc oriuntur, multùm in eclegmate prosunt. Auxiliantur etiam lienosis, conuulsis, à serpentibus demorsis perfrictionibus, rigoribus, & his quibus genitura profluit, cum aceto, inquit Dioscorides, potæ: cum vino menses ducunt. Decoctũ ad insessus muliebres vtile est, emollit etenim & locos aperit: ad coxendicum verò dolores, infusum: fistulas ac sinus carne implet. Instar collyræ siue pessi cum melle subditę, fœtus extrahunt: strumas & veteres duritias molliũt, coctæ & impositæ: aridæ vlcera replent, cum melle repurgant, & nudata ossa carne operiunt. Prosunt capitis doloribus cum aceto & rosaceo impositæ: lentes & ephelidas abstergunt, cum Veratro albo & duplo melle superpositę. Admiscentur pessis & malagmatis: in vniuersum multi vsus.

De Iride minore, siue tenuifolia. CAP. II.

Iris minor, siue tenuifolia.



PRÆTER Irides superiore capite descriptas, reperiuntur & aliæ quædam Irides, de quibus deinceps agendum. harum vna minor, & tenuifolia non temere appellatur: altera Chamæiris.

Est autem tenuifolia Iris aliis similis, sed minor ac tenuior. folia habet breuiora, angustiora, nigrioraque, aut cæsij quasi coloris, quæ confricata, grauiusculum reddunt odorem, Spatulæ fœtidæ propemodum persimilem, sed tamẽ minus graueolentem: caules similiter breuiores, sæpe vix cubitales in quo flores bini, terniue, alterni, colore cæruleo saturato, subinde Violaceo purpureo, forma aliarum Iridum propemodũ similes, nisi quòd ipsius foliola singula angustiora sint, & superiora contra se mutuo nõ adeò recuruentur, sed ferè erecta consistant. inferiora verò ac deorsum reflexa fimbriam non habeant, sed solam lineam luteam, qua tamen parte calyci proxima, nonnihil hirsuta est. radices quoque obliquæ, nodosæ, & sibi inuicẽ implicitæ, & quandoque quàm aliarum densiores, longas, multasq; fibras inferius demittentes, foris ruffæ, intus subcandidæ aut subluteæ, gustu feruido, vti aliarum.

Reperitur in Germaniæ apricis planisq; pratis, frutetosis ac humentibus campis, teste Valerio Cordo, & non procul, vt Gesnerus ait, Tiguro. Apud Belgas non nisi in hortis prouenit.

Floret eodem quo aliæ ferè tempore.

Iridem minorẽ & tenuifoliam, vt diximus, appellant. Videtur nonnullis Plinij Rhizotomos, quòd radice videlicet sit subruffa, breui, densaque. Sed Rhizotomos Illyricæ est species, & quidem præstantior, Plinio auctore, hæc verò contra, aliis odore & potentia inferior, nec in Illyride, sed in Germania reperitur. Proinde non Illyrica aut Rhizotomos, sed sui generis Germanica & tenuifolia quædam Iris, quæ

Spatulæ

Spatulæ fœtidæ species haberi posset, si semen quod in siliquis gignitur, nō vti aliatū Iridum planum, sed veluti Spatulæ fœtidæ rotundum esset. Plinij autē de Rhizotomo hæc sunt verba: Illyrica duorū generū est Raphanitis à similitudine, & quę melior Rhizotomos subrufa.

Cæterùm potentia huius radix vehementer calida feruensq; est, facultate & viribus alijs Iridibus non inferior: ad eadem, ad quæ illæ, ea propter, præsertim recens, vtilis.

De Chamæiride. CAPVT III.

Chamæiris.



CHAMÆIRIS inter Irides minima est, folia habet Gladiolo minora, angustiora, pinguiora: caulem palmi altitudine, folijs breuiorem: in quo flores non alterno ordine ac situ, vt in alijs, sed è summo cauliculi simul, singuli suis insidentes pediculis, erumpunt, odorati, & maturi pruni odore & aliquatenus colore, tenuifoliæ Iridis floribus minores, forma alioqui similes: foliola siquidem & huius floris angustiora sunt, & deorsum reflexa, fimbriam illam humani supercilij non habent. radices paruæ & obliquæ sunt, foris ruffæ, intus candidæ, duræ, gustuq; feruētes.

Peregrina hæc Iris non modò Belgio aut Germaniæ, sed & Italiæ, vt fertur, est: & non nisi in hortis reperitur.

Floret Maio mense: folia hyeme pereunt: Vere erumpunt noua.

Iridem esse Illyricam Hermolaus existimauit Barbarus, cùm eam olim in horto Felicis Sophiæ Patauij conspiceret, sed ab Illyrica & legitima Iride eam differre, Antonius Musa in examine simplicium, satis ostendit. Nos Chamæiridem nuncupauimus, antiqua destitutam appellatione; nisi fortè Iris sit Astragalites dicta, cui aliquatenus similis est. Nam veluti Astragali siue tali, paruæ, nodosæ, duræque huius Iridis radiculæ sunt. Astragalitidis Iridis meminit Soranus apud Galenum κατὰ τόπους lib. 7. & Aetius sermone 13. cap. 3. in emplastro venatorum.

Facultate autem & viribus, hæc quoque Iris acris & impensè calida est, alijsq; Iridibus similis.

Spatula fœtida.



De Spatula fœtida. CAP. IIII.

SPATVLA fœtida, caule, folijsq; Iridi similis, folia tamen nigriora, grauem fœdumq; odorem spirant, præsertim si confricentur atque digitis atterantur: flores quoque similes, sed minores, purpurei, sed sordidi & obsoleti coloris. vel, vt Valerius Cordus, saturata purpura arridentes; qui siliquarum rudimentis triangularibus, quasi ab ipsis exoriētes, insident, quæ tandem, defluentibus floribus, maiores factæ dehiscentes in tres finduntur partes. semen in his rotundum Ochri siue Eruiliæ magnitudine, rubens, splēdens, quod resiccatum contrahitur & nigrescit. Radices nouellis plantis rotundæ, & veluti bulbi aut Cepæ alicuius caput, ex qua crassiores fibræ dependent: veteribus verò & multorum annorū plantis, multæ longæ, geniculatæ sibi inuicem implicitæ, magnum veluti cespitem constituentes, gustu feruidæ, vt & ipsum est semen.

In Hetruria & aliis Italiæ locis sponte exit; apud Belgas vix aliis locis, quàm in hortis reperitur.

Florem edit Iulio & Augusto: semen Autumno maturatur.

Passim Spatulam fœtidam appellant: plerique etiam Iridem syluestrem: Germani, Wandtleußkraut/ à potentia qua cimices enecat: Galli, *Glayeul puant*: Belgæ, Wantluyskruyt/ stinkende lisch.

ξυρὶς autem Græcè & Latinè dicitur: à nonnullis Xeris, Galeno teste. Item ἶρις ἀγρία siue syluestris Iris, & χαμὸς siue χαμπτός: Hispanis *Lirio spadanal*.

Tenuium partium, inquit Galenus, attractoriæ, digerendi, ac nimirum etiam desiccandi, est facultatis cum radix, tum multò etiam amplius fructus, qui quidem & vrinam ciet, & lienes induratos sanare potest.

Dioscorides ait Xyridis radicem contra capitis vulnera & fracturas facere, aculeos educere, & telum omne citra dolorem extrahere, admixta floris æris tertia parte, & Centaurij radicis quinta, & melle: sanare & œdemata ac inflammationes cum aceto impositam: bibi ad conuulsa, rupta, coxendicum dolores, stillicidia vrinæ, & diarrhœas cum passo tritam: fructum vrinam potenter mouere trioboli pondere ex vino bibitum: Lienem verò minuere cum aceto potum.

Xyridis radix, Plinio auctore, strumas vel panos vel inguina discutit. Præcipitur, addit, vt sinistra manu lecta, ad hos vsus seruetur, colligentesque dicant, cuius hominis, vtriúque causa, eximant. Quæ & inter vana numeranda sunt.

De Pseudoiride, siue syluestri Iride lutea.
CAP. V.

Pseudoiris.



PSEVDOIRIS folia quoque Iridis gerit, sed longiora & angustiora, dorso aliquantulum vtrinque extante: caules glabros, Iridis haud dissimiles, subinde bicubitales, atque in iis flores cõplures, vt aliarum Iridum, nisi quòd horum superiora foliola omnino paruula sint, & corũ quæ in veris Iridibus visuntur, quædam veluti tãtum rudimenta, ac prima lineamenta: siliquæ succedunt crassæ, oblongæ & triangulares, in quibus semina multa simul compressa, ordine digesta, plana, cartilaginea, lentibus maiora: radices obliquæ, longę, geniculatę, cirrosę, in propagines diuisæ, colore pallidè rubentes, gustu adstringentes.

Palustribus locis, humidis & riguis tractibus, Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Belgioque familiaris.

Floret Maio & Iunio.


Vulgò, Germani gel Schwertel & Drachenwurtz: Nostri, geel Lisch: Galli *Glayeul ou Flambe bastarde*. Officinę perperam olim Acoron appellauêre: & maiore cum errore radicibus eius pro legitimo Acoro vsæ sunt. Nam non forma modò, quæ fortasse in aliquo conuenire potest, sed viribus potissimùm, ab Acoro plurimũ dissidet. Plerique hac occasione Pseudo-Acoron nominant: nos Iridem luteam syluestrem, aut potius Pseudo-Iridem nuncupare maluimus, vtpote Iridi quàm Acoro similiorem.

Facultatem habet radix huius adstringẽtem, frigida & sicca secundo excessu; dysentericas & alias ventris fluxiones cohibet: menses sistit, & sanguinem vndequaque manantem supprimit, in potu, aut aliter sumpta. Sunt etiam qui solùm gestantem eam, ab omni sanguinis fluore tutum affirment.

De Iride tuberosa. CAP. VI.

AD Irides pertinet & quam tuberosam cognominari contingit: folia huic sunt oblonga & angusta, ferè Chamæiridis referentia: tenuis cauliculus: flos in cacumine erumpit, forma

Iris tuberosa.



forma Iridis, verumtamen & minor & angustiorum foliolorũ, qui obscure viret, ac quo Iridis floribus fimbria loco, nigricat capitulum satis magnum perfecto semine dependet, in tres rimas fatiscens semen rotundum, Ochro minus, initio inalbicat. non vnius formæ radix, ante florem duo aut tres veluti bulbuli cohærent; hoc verò enato in plures singuli extuberát propagines, quarum nonnullæ digitum referunt.

Peregrina stirps est, quæ ex Orientis partibus, & vicinis Constantinopoli regionibus, & in Italiam, & in Belgium illata fertur.

Iridis sylvestris genus esse videtur: atque idcirco à forma radicum, Iris tuberosa dici potest. Matthiolus Hermodactylon esse: alius Lonchitim priorem esse suspicatur. Cum Hermodactylo, quo Officinæ vtuntur, à Serapione sic appellato, haudquaquam respondet. Si autem idcirco Hermodactylus, quòd radix digiti figuram quandoque referat, alium esse à Serapionis Hermodactylo oportet. Nam Colchicum Dioscoridis Serapioni est Hermodactylus: ab hac Iride autem differens est Colchicum. Lonchitim verò hanc esse priorem, non ita quoque constat. Si etenim ex eo Lonchitis nomen habet, quòd semen triquetrum lanceæ cuspidi simile sit, hæc Lonchitis esse nequit; cùm semen non sit triangulare.

De facultatibus autem huius Iridis nihil scribendum occurrit.

Acorus.



De Acoro, ex Dioscoride, Theophrasto, & aliis. CAP. VII.

ACORO cognatio & similitudo cum Iride est. folia ei sunt Iridis longiora & angustiora, virentia: radices haud dissimiles, sed tenuiores, oblique secundum terræ superficiem proserpentes, geniculis veluti interseptæ, foris interiusq́; albicantes, gustu cum quadam amaritudine acres, odoris haud iniucundi, præsertim resiccatæ.

Prouenit Acoron in Colchide, Galatia, & Creta insula. Optimæ, inquit Plinius, Acori radices Ponticæ: dein Galaticæ: mox Creticæ: sed primæ in Colchide iuxta Phasim amnem, & vbicunque in aquosis.

Inuentu rarum Apuleius scribit, & non nisi cùm flosculum produxerit agnosci posse. Theophrastus Acoron inter eas stirpes refert, quæ cum seminibus flores edunt.

Ἄκορος καὶ Ἄκορον Græcis: Latinis Acorum dicitur: nonnullis, teste Apuleio, *Ἀφροδισίας*, & Venerea, item radix Nautica, Singentiana, Vnguentaria. Officinæ Europæ magno cum errore Calamum Aromaticum appellarunt, & Calami odorati loco habuerunt: pro Acoro Pseudoiridis radices perperam substituentes, vt suprà ostendimus.

Est verò & Acoros quibusdam Oxymyrsines

radix:

radix: Ideoque hanc quidam ἄκορον ἄγριον vocare malunt, vt Plinius ait.

Acori autem radix, auctore Galeno, in calfaciendo & resiccando tertij est ordinis. Decoctum eius, Dioscorides inquit, vrinas mouet: auxiliatur ad lateris, thoracis, & hepatis dolores: item ad tormina, rupta, & conuulsa: Lienem absumit: prodest stillicidio vrinæ affectis, & à serpente demorsis: succus radicis, quæ oculorum claritati officiunt, extergit. Miscetur etiam Antidotis vtiliter hæc radix. Nostra ætate & eclegmatis non absque fructu additur, quando crassi, crudi, frigidiq; humores pulmonem & pectus occupant.

Præstat verò, auctore Dioscoride, Acorum densum, candidum, non canosum, plenum, odoratum. Plinius Creticas candidiores Ponticis ait: Sunt tamen, vt ipse inquit, Creticæ Ponticis minus probatæ.

De Cyano flore. CAP. VIII.

Cyanus flos.



Cyanus maior.



1. CYANO flori caules angulosi: folia verò oblonga sunt, acuminata, profundis incisuris vtrinque diuisa, Erucę fere similia, in virore albicantia: capitula in summis cauliculorum fastigiis turbinata, & in angustius se contrahentia, ex multis paruis veluti squamis sibi inuicé impositis, coni alicuius exigui modo composita; è quibus flores erumpunt ex multis quasi fimbriis, ac staminibus medijs, pulchra serie in ordinem digestis, colore cærulei: semen paruum, forma oblongum, læue, splendidum, superiore parte barbarulum, Centaurij maioris semini simile, sed minus & candidius, quod in ipsis capitulis siue calycibus, inter eas, quę in ipsis gignuntur mollibus pilis, reperitur: radices tenues, fibris quibusdam capillatæ.

Nascitur in agris frumentarijs, vnà cum Tritico, Secali, Hordeo, & alijs frugibus seritur & in hortis, qui culturæ mangonio colorem sæpè permutat, modò albicantis, modò purpurei, & eius, aliâs dilutè rubentis, aliâs ad puniceum inclinantis.

Maio vnà cum frugibus florere incipit, deinde Iunio & Iulio floret.

Cyano flori, ab ipso cæruleo colore, nomen veteres dedere. Recentiorum plerique vernaculam Germanorum appellationem secuti, Florem frumentorum nuncupant. Germani etenim kornblůmen/ & blauw kornblůmen: & Belgæ similiter Corenbloemen appellant. Galli *Blaueole, Aubifoin*, aut *bluet*, dicunt. Ab Italis *fior Campese*, & *Battisecula* siue *Baptisecula* nominatur.

Cyanoides flos.



minatur quasi Blaptisecula, quòd metentibus & secantibus officiat, retusa in eius occursu falce.

Præter verò & hunc, & alius est Cyanus maior, foliis oblongis, pollice latioribus, mollibus, lanuginosis, albicantibus, Verbasci tamen foliis & minoribus & nigrioribus: cauliculis dodrantalibus: capitulis etiam squamosis vti alterius: floribus quoq. similibus & cęruleis, sed ad purpuram nonnihil vergentibus, ac maioribus: radicibus, quæ crassis hæreant fibris, & durabilis naturæ, singulis annis regerminent. 2.

In syluis & montosis, Trago teste, reperitur: nostri in hortis serunt.

Æstate floret. Germani wald kornblůmen appellant.

Cyanus maior appositè dici potest. Thryallis Verbasci species nonnullis esse videtur, sed Thryallis, vt superius scripsimus, flore ruber.

Ad Cyani floris genus pertinere & alius quidam haud ingratus flos videtur, qui tametsi cęruleus aut cyaneus non sit, forma tamen Cyanum aliquatenus refert: vnde & κυανοειδὴς appellari potest. folia autem huic sunt oblonga, candicantia, in partes dissecta, cauliculi teneri in ramulos cōplures diuisi, foliis perquàm exiguis circa eos, & in summo flores singuli Cyani forma, sed ambientibus foliolis in purpura rubentibus, staminibus verò mediis ex luteo, candido, purpureo permixtis coloratis. capitulum floris simile Cyani, sed asperius, exeuntibus à singulis squamis exiguis spinulis. radix subest crassa aliquantulum. 3.

Porrò facultates horum florum, nondum satis compertæ sunt; cùm nullum in medicina vsum habeant. Videtur tamen Cyanus prior, siue frumentorum flos, refrigerantis nonnihil esse potentiæ, atque hinc oculorum inflammationibus posse prodesse, quod à plerisque ei asscribitur.

De flore Regio. CAP. IX.

REGIO flori caules exeunt cubito altiores, rotundi, in ramulos complures diuisi; circa quos folia tenuia, multiplici sectione diuisa, Abrotoni foliis maiora, è virore nigricantia: & ad superiores eorūdem partes, flores pulchri, ordine & spicatim digesti, quibus à tergo paruum veluti corniculum, angustum & acuminatum veterum calcaris similitudinem referēs: colore aut candidi, aut purpurei, aut cærulei: siliquę inde oblongę, rotundę, subnigræ, in quibus semen angulosum & nigrum.

In hortis & colitur & singulis annis seritur, qui maior est. 1.

Exit etiam in agris frumentariis, lætiori solo, syluestris: qui foliis, floribus, siliquis, semine, satiuo similis, humilior tamen; in singulis etiam ramulis flores pauciores, & colore tantùm cæruleos. 2.

Floret vterque æstiuis mensibus, & diutissimè hortensis.

Appellatur à Germanis Ritter sporn: à nostris Ridder spooren/ hoc est, Equitis calcar, & Italicè *Sperone de caualiere*: à Gallis *Pied d'alouette*, id est, Pes Alaudæ: Anglice Larkes clawe: Latinè Flos equestris, & Flos regius: à nonnullis Consolida Regalis, qui hanc stirpem inter Consolidas appellatas referunt. Valerius Cordus Calcatrippam nominat: sed Ioannes Ruellius Calcatrepam siue Chaucetrepam, in spinosarum stirpium numero censet. Videtur etiam esse Delphinium, cuius apud Dioscoridem lib. 3. descriptio occurrit, cum quo conuenire potest, si τὸ δελφινοειδὲς non ad folia, sed ad flores contrahatur. Quo modo in vetustis quibusdam exemplaribus legi, memini me olim audire ex Gerardo à Veltwijck Caroli V. Imp. apud Turcorum Imp. Oratoris qui sibi Constantinopoli visum exemplar referebat, quod Delphinio, non folia, sed flores Delphinorum specie esse, haberet. Quæ lectio si vera est, florem Regium, Delphinium esse satis euidenter commonstrat. Nam flores quidem & potissimùm

Flos Regius.



Flos Regius syluestris.



num prius quàm completi sunt, speciem quandam ac similitudinem eorum Delphinorum exhibent, quos recurua, repandaque figura, veteres picturæ, & nobilium aliquot familiarum auita insignia, exprimunt, qua etiam imagine cælestis Delphin repræsentatur. Neque refert quòd spurium aut adulterinũ de Delphinio caput existimetur: tametsi enim alterius cuiusdam & non Dioscoridis sit, est alicuius tamen veterum, ex quo Dioscoridis libris accessit.

Delphiniũ. Describitur autem Delphinium his verbis: Δελφίνιον κλῶνας ἀνίησι διπιθαμιαίους ἢ καὶ μείζονας ἀπὸ μιᾶς ῥίζης, περὶ οὓς φυλλάρια ἐπεσχισμένα, λεπτά, ἐπιμήκη, δελφινοειδῆ, ὅθεν καὶ ὠνόμασται· ἄνθος δὲ ὅμοιον λευκοΐῳ ἐμπόρφυρον· σπέρμα ἐν λοβοῖς κέγχρῳ ἐμφερές. Deinde inferius & alterum Delphinium. Δελφίνιον ἕτερον καὶ αὐτὸ ἐμφερὲς τῷ πρὸ αὐτοῦ. τοῖς δὲ φύλλοις καὶ τοῖς κλωνίοις ἰσχνότερον πολλῷ. Quorum verborum hic est sensus: Delphinium surculos emittit duorum dodrantum, aut maiores ab vna radice: circa quos folia fissa, tenuia, oblonga, Delphini specie: vnde & nomen accepit: flos similis Leucoio purpureus: semen in siliquis Milio proximum. Delphinium alterum, etiam ipsum simile superiori, sed folijs & ramis gracilius multò.

Harum duarum descriptionum prior, voce δελφινοειδῆ ad florem relata, mutanda, & hunc in modum legenda veniet. Delphinium surculos ab vna radice emittit duorum dodrantum, aut maiores: circa quos folia fissa, tenuia, oblonga: flos similis Leucoio, purpureus, Delphini specie, vnde & nomen accepit: semen in siliquis Milio proximum.

Atque hoc modo descriptione se habente erit satiuus flos Regius similis primo Delphinio: syluestris verò secundo. Sunt verò Delphinio & nomenclaturæ quædam aliæ, sed quarum plurimæ pro nothis habentur, vt διάχυσις, διάχυτος, παράλυσις, κάμμαρος, ὑάκινθος, ... & apud Latinos, Bucinus siue Bucinum, & Bucinus minor.

Sed vt ad florem Regium reuertamur, non desunt qui & ipsum Cuminum syluestre alterum Dioscoridis esse velint, quæ Matthioli est sententia, & veritati multùm consona. Cum eius siquidem descriptione similitudinis tantum, quãtum quæ plurimum, habet. Est etenim folijs tenuibus, satiuo Cumino satis similibus, & à singulis floribus cornicula in sublime erigit: semen deinde Melanthij profert: quale syluestre Cuminum alterum esse Dioscorides

Cuminum syluestre alterum. tradidit, ipsum his verbis delineans. ἔστι καὶ ἕτερον γένος ἀγρίου κυμίνου ἐμφερὲς τῷ ἡμέρῳ, ἐξ ἑκάστου δ᾽ ἄνθους ἀφίησι κεράτια μετέωρα, ἐν οἷς ἐστι σπέρμα ὅμοιον μελανθίῳ. id est, Est & alterum genus

sylvestris Cumini, satiuo simile, ex singulis floribus cornicula sublimia proferens, in quibus semen Melanthio simile.

Et esse potest, vt idem sit Cuminum syluestre alterum, & pariter Delphinium, præsertim Delphinij descriptione accessoria, & ex aliquo alio auctore in Dioscoridis exemplar translata. Crebrò siquidem eædem stirpes, aliis nominibus, a diuersis scriptoribus appellantur.

Cæterùm syluestris alterius Cumini semen potum, ad serpentium morsus remedium est optimum: auxiliatur & iis, qui vrinæ stillicidio laborant, calculosis, & his, qui sanguinis grumos mingunt: sed his Apij semen seruefactum postea bibendū est: auctor Dioscorides. Delphinij vero semen potum in vino a scorpione ictos, vt nullum aliud, auxiliatur. Aiunt scorpiones apposita herba resolui, ignauosque ac torpidos fieri; semota verò, sese recolligere.

De flore Ambaruali. CAP. X.

Flos Ambarualis.



AMBARVALI flori perquàm tenues, sed duriusculi sunt coliculi, palmum aut semipedem longi, plurima parte procumbentes, aut humum versus reclinati, qui foliolis conuestiuntur exiguis, oblongis, acuminatis, particularium Lentium similibus, sed tamen aliquanto angustioribus: flosculi à medio sursum versus ordine digeruntur exigui, colore vel Violæ saturato purpurei, vel cęrulei, vel candidi, odore carētes: valuulę succedunt minores quàm Bursę pastorię, tenuibus membranulis vtrimque valde minutulis stipatæ. radix dura, lignosa, tenuis, restibilis est, singulis annis regerminans.

In collibus herbosis, quæ nec aratro proscinduntur, nec pedibus atteruntur, in pluribus Germaniæ ac Belgij regionibus, læto ac mediocri solo spontè gignitur.

Maio mense præcipuè cum flore reperitur.

Nomen accepit apud Germanos Creutzblumlin, id est, Ambarualis flos: Appellari siquidem sic contingit, quòd festis Ambaruali um diebus præcipuè vigeant, ac rusticę virgines ex his, plerisque locis, tunc coronas sibi nectant. Ambaruilia autē festa sunt, quę Romana Ecclesia dies appellat Rogationum: Germanis Creutztaghen, tunc enim arua à sacerdotibus & populo lustrantur. Hieronymus Tragus Polygalon esse existimat: nec sumus quandoque ab hac sententia alieni: sed cùm apud Dioscoridem & Plinium breuissima huius extet descriptio, quid affirmandum? præsertim cùm ad lactis abundantiam facere hanc non constet.

Polygalon, Dioscorides ait, palmi altitudinem perit, foliis lentis, gustu adstricto, quod potum lactis abundantiam facit. *Polygalon.*

De Calendula, siue Caltha. CAP. XI.

CALENDVLÆ folia dilutè virent, oblonga, aliquantulum lata, mollia, nonnihil lanuginosa: caules foliosi, striati, fungosa intus medulla, in plures alas diuisi: flores in summo pulchri, rotundi, multiplices, cum grauitate quadam aliquantulum odorati, diluti croci aut siue punicis colore, in quorum medio multa breuia, simul compressa, lutea vel subnigra stamina, semen a singulis floribus numerosum, recuruum: radices fibrosæ.

In hortis & cultis prouenit: circa Monspelium etiam suæ sponte, Gesnero teste.

Ab Aprili aut Maio mense in hyemem vsque floret: qua etiam clemente flos eius emicat.

Calendulam recentior ætas appellat, quòd fere singulis mensium Calendis florere cōspiciatur. Germani Ringelblumen: Belgæ Goudtbloemen, ab auri æmulo floris colore. Galli *Soucie & Soulsie*. In Hetruria, inquit Matthiolus, *Fior-rancio*. Angli Marygold: Bohemi Mesysek. Sunt qui Solsequium vocitent, quia sub vesperam flos contrahatur: non est tamen Heliotropium, multò etiam minus Scorpioides, vt plerique temere crediderunt: sed veterum potius

Calendula.



Caltha Alpina. 2.

Flos Aphricanus.



est Calrha. Virgilius etenim & Columella Caltham florem esse ostēdunt, luteum aut flauum colore. Et Virgilius quidem in Georgicis Ægloga secunda, sic scribens:

Mollia luteola pingit Vacinia Caltha.

Columella verò in hortis libro decimo, his verbis: *Cādida Leucoia & flauētia lumina Calthæ.*

Plinius autem lib. 21. cap. 6. Caltham etiam grauiter odoratam esse ait, qualis in totum Calendula est, quę, vt diximus, cum grauitate quadam odorata, & auri colore luteo splendet.

Cæterùm facultate flos quidem Calendulæ calidus est, secundo propemodum ordine, præsertim resiccatus & aridus: creditur cor corroborare, venenis resistere, & aduersus pestilentes febres, quocunque modo sumptus, efficax esse. Fuchsius ex vino potū menses ciere, & suffitum secundas educere, scriptum reliquit.

Herbæ autem folia calidiora sunt, acrimoniā enim quandam feruidam habent, sed quæ propter humiditatem ei coniunctam non protinus se exerit, ratione cuius in olere sumpta, aluum mouent & leniunt. Fuchsius succum dentium dolores sedare scribit, si os eo colluatur. Alij ad idem puluerem foliorum cum xylino dentibus admouent. Sunt etiam qui herbam acetariis admisceant.

Est verò & alia præter hanc Caltha, Alpina à Gesnero cognominata, foliis Plantaginis, radice acri & aromatica, flore Calthæ aureo. nascitur copiosè in summis Alpium pratis.

De flore Africano. CAP. XII.

INTER Calthas numerandus etiam videtur flos cognomento Africanus. Huius duæ sunt species; vna minor, humilis, ramulis cubitalibus, per terram plurima parte stratis: altera maior, procera & erecta, ad tres vel amplius cubitos assurgens.

Folia vtrique sunt secundum caules striatos multa, oblonga, ex multis singularibus per ambitus crenatis coniuncta, Tanaceti foliis propemodum similia, quæ cribri modo, Soli aut lumini opposita, perforata cernuntur: flores in summis ramorum surculis ex longis calycibus ampli, rotundi, ex octo aut decem foliolis congesti, inferius luteis, superiore verò parte in fuluo rubentibus, & obscurè rubens villosum holosericum æmulātibus, inter quæ media exeunt stamina lutea: semen nigrum, forma oblongum & tenue: pro radicibus fibræ. Est vtraque species, cum foliis, tum floribus grauiter odorata. Vtriusq; etiam flores, sed maioris frequentius, subinde multiplicantur, quorū foliola ab vtraque parte vt plurimum lutea.

Apud Belgas, Germanos & alibi, in hortis colitur, & singulis annis seritur. In Africa plerisq; locis sponte prouenit: vnde primum in has regiones inuectus: quādo videlicet D. Carolus V. Roma.

Roma. Imp apud Tunetum celebri potitus eſſet victoria: ex quo illi & Africano aut Tunetenſi cognomen. Minor Iunio, deinde & reliqua æſtatis parte: maior Auguſto demum menſe flores edit.

Brabanti Flandrique vulgò Thunis bloemen nuncupant: Germani Indianiſch blumen & Indianiſch negelin, id eſt, florem aut caryophyllum Indicum: vnde & Gallis *Oeilletz d'Inde*. Cordus Tanacetum Peruuianum appellat: à ſimilitudine videlicet Tanaceti & Peru Americæ prouincia, ex qua primùm in Europá illatus, à Germanis creditus eſt. Geſnerus Caltham nominat Aphricanam, & Punica lingua Pedua, ait, vocatur. Sunt qui velint Plinij Petilium eſſe florem. Sed Petilius flos eſt autumnalis, circa vepres naſcens, tantùm colore commendatus, qui eſt Roſæ ſylueſtris: folijs paruis quinis, calyce paruo, verſicolore, luteum ſemen includente. Mirum eſt in eo flore, inflecti cacumen, & non niſi retorto folia naſci. Plinius lib. 21. cap. 8. *Petilium flos*

Andreas Lacuna, Othonnam herbam eſſe, ſuſpicatus fuit, cum cuius tamen deſcriptione, haud per omnia flos iſte conuenit: niſi fortè ſqualidior, & paucioribus folijs, Erucæ ſimilioribus, manifeſtiusque perforatis in Aphrica, quam in Europa naſcatur. In hac etenim amplus, multifolius, folijs Tanaceto, quam Erucæ ſimilioribus, iiſque non verè perforatis, ſed quæ talia lumini oppoſita tantummodo apparent, gignitur.

Et non raró quidem euenit, vt ex feruenti, calida ſiccaque regione, & ſterili, aut inculto, & aprico ſolo, in humidius cultiusque, vbique cælum clementius, tranſlatæ ſtirpes luxuriant. Nam ſoli cælique mutatio, ad ſtirpium mutationem plurimum habet momenti; & maximè accedente culturæ mangonio. Quæ tamen an tantum potuerit, vt florem hunc totum penè transformauerit, expendendum relinquimus.

Eſt autem Othonna, Troglodytica quædam herba, in eo Arabiæ tractu naſcens, qui ad Ægyptum ſpectat. ἔχει δὲ, Dioſcorides ait, τὰ φύλλα εὐζώμῳ ἐμφερῆ, πολύτρητα ὥσπερ σητόκοπα, ψαφαρὰ, ὀλιγόφυλλα. ἄνθος δὲ φέρει κρόκινον, πλατύφυλλον. ὅθεν ἔδοξαν ἀνεμώνης αὐτὸ τινὲς εἶδος εἶναι: hoc eſt, folia habet Erucæ ſimilia, foraminoſa, veluti à tineis eroſa, ſqualida, paucifolia: florem fert crocinum, latifolium: quare quidam Anemones ſpeciem eſſe putauerunt. *Othonna.*


Galenus lib. 4. de ſimpl. medic. facult. Lycoperſij cuiuſdam herbæ meminit, cuius ſuccũ Centurio quidam ex Barbarica circa Ægyptum regione comportauerat, odore adeò graui, adeoque inamœno, vt ne guſtare quidem ipſe auſus fuerit Galenus, ſed lethalem eſſe coniiceret. Vtebatur autem eo Centurio ille ad vrgentes articulorum dolores: atque ipſis etiam laborantibus refrigerandi facultate pollere viſus eſt. Eſt autem, Galenus ait, colore ſubflauo: odore tam graui, quàm Cicuta niſi quòd leuem quandam inſtar aromatum odoris adferat gratiam. Nomen herbæ ex qua ſuccus hic exprimitur, Lycoperſium eſſe dicebat. Quali autẽ præterea ſit forma, Galenus non addidit: ideoq; etiam an Lycoperſium flos Aphricanus ſit, definiri abſolutè non poteſt. Videtur tamen illi, ſi non idem, ſimillimus. folia etenim, & præſertim flores graui admodum & ingrato prædita ſunt odore: qualitateque venenoſa, Cicutæ proxima. Cuiuſmodi autem eius expreſſus & reſiccatus ſuccus, nondum quidem obſeruaſſe nos confitemur: veroſimile tamen eſt, ex floribus haud alterius, quàm flaui aut ſublutei coloris, & graueolentem futurum. *Lycoperſiũ.*

Venenoſa autem & refrigerandi potentia, florem Aphricanum donatum eſſe, odor ingratus, caput aggrauans, Cicutæ ſimilis, qualis Lycoperſij ſucco, oſtendit: deinde & experimentis nonnullis conſtat. Memini etenim in puero, qui flores mandere inceperat, labia & os inflata me videre, ſicuti crebrò iis accidit, qui Cicutæ fiſtulis ludentes aut modulantes, intra labia eas aliquandiu continuerunt. Feli etiam flores cum calycibus, recenti caſeo permiſtos olim dedimus, quæ mox valdè inflata, & paulò pòſt mortua fuit. Mures quoque qui ſemen arroſerant, mortui feruntur reperti. Quæ omnia venenoſam & deleteriam huius herbæ facultatem oſtendunt: & non audiendos eſſe eos, qui hanc Tanaceti vel Artemiſiæ ſpeciem, aut innoxiam ſtirpem fore autumant.

De Tragopogone. CAP. XIII.

TRAGOPOGON folia habet oblõga, anguſta, acuminata, Croci folijs latiora ac minora: caulem rotundũ, in plures diuiſum, in cacumine calyces magnos, à quibus flores exeunt magni, multiplices, & multorum foliorum, Dentis leonis appellatæ herbæ, floribus magnitudine ac forma ſimiles, vel etiam ampliores, colore vel lutei, vel in purpureo punicantes, qui oriente Sole panduntur, ipſa verò meridie recluduntur, & tandem pereuntes in caneſcentes pappos abeunt, quibus ſemen ſubeſt oblongum, ſubnigrum, acuminatum. radix candida & longa eſt. Tota autem herba vnà cum folijs, cauliculis, ac radice ſuccum præbet lacteum, qui vulnerata ea effluit.

Tragopogon.



Tragopogon cum pappo.



Nascitur ita sponte in compluribus vtriusq; Germaniæ incultis & humentibus, veluti in pratis, & præcipue lutei floris. In hortis verò procerior, amplior, floribusq; maioribus ac speciosioribus conspicitur, præsertim purpurei floris.

Scorzonera.



Huius flores potissimum Iunio ac Iulio mensibus vigent.

Τραγοπώγων & κομὴ Græcis nuncupatur. item & πετεραπώγων: Latinis Hirci barba, Coma: Germanis Bocksbart: Belgis Bockbaert/Josephs bloemen: Gallis *Barbe de bouc*. Italis, Matthiolo teste, *Sassefrica*: Hispan. *Barba cabruna*: Anglis Buckes bearde.

Herba autem, vt Dioscorides ait, esui apta est: nostra quoque ætate radix hybernis mensibus à plerisque vnà cum acetariis infertur ac editur.

De Scorzonera. CAP. XIIII.

AD Tragopogonis genus referenda, quam Hispania Scurzoneram aut Scorzoneram vocat: foliis oblongis, subcandidis, carnosis, acuminatis, latioribus & per ambitus subinde parum sinuatis: caule rotundo, pedali vel altiore: flore luteo multiplici, omnino simili, qui etiam in pappos resoluitur: semine oblongo, subcandido, & minore: radice longa, singulari, candida, quæ cortice obtegitur tenui & nigricante.

Nascitur *Scurzonera* in Hispaniæ plerisque montibus, locis humentibus obscuris & vliginosis: reperitur & in Germaniæ Thuringia, ac Bohemia in syluis ac montibus locis similibus.

Apud Hispanos flos Maio mense prodit: in Germania verò serius, Iunio videlicet & Iulio.

Hispani

Hispani *Scorzoneram* appellant, quod Latine Viperinam siue Viperariam aut Serpentariam sonat, sic dicta, quòd contra venena viperarum ac serpentũ efficax habeatur. Nam Hispani Viperam *Scurzo* appellant. Apud Germanos & alias nationes nomen non inuenit.

Ferunt autem hanc pestis contagia arcere, & omnibus venenis resistere venenatorum, & præcipue viperarum morsibus mederi, epoto vel radicis, vel herbæ succo: prodesse item cardiacis, & syncope molestatis, nec non comitiali morbo obnoxiis & vertiginosis: radicẽ commanducatam hilaritatem facere, tristitiamque omnem discutere: lacteum radicis succum oculis inditum, visum exacuere.

De Chamæmelo vulgari. CAP. XV.

Chamæmelum vulgare.



CHAMÆMELI flos tametsi coronatius non sit, propter frequentem tamen quem in medicina vsum habet, inter flores locum vendicauit.

Sunt autem Chamæmelorum complura genera. Vnum legitimum, medicinæ aptissimum, vulgaris vsus, quod ea de causa vulgare Chamæmelum nuncupatur: alia deinde syluestria, nullius aut exigui vsus: tertium hortense odoratum. De eo autem quod familiarissimum est, primùm agemus.

Sunt huic cauliculi tenues in alas multas diuisi, cubitales. folia tenuia, dissecta, numerosa: flores in summo, medio lutei, forinsecus verò candidi; ambientibus videlicet luteũ ipsius floris, multis exiguis cãdidis foliolis, quorum singula angusta sunt & forma oblonga: radices tenues & fibrosæ.

Exit passim in aruis vna cum segete: & vniuersæ Europæ familiare est.

Colliguntur flores Iunio potissimùm mense.

Camomillam Officinæ nuncupant vulgò Camille & Camomille bloemen: Germani Chamill: Hispani *Mançanilla, Macela*: Itali *Camamilla*: Galli *Camomille*: Bohemi Hermanek. Veterum est χαμαίμηλον siue Chamæmelum, & Anthemidis genus, quod ab ipsis candidis, floris medium circundantibus orbẽ, foliolis, λευκάνθεμον dicitur. Sunt etenim Anthemidis, Dioscoride auctore, genera tria, & quidem floribus in medio luteis omnia, per ambitum aurẽ & circumferentiam, vnum candidis, alterum luteis, tertium purpureis. Quod luteis per ambitum foliolis constat, χρυσάνθεμον nominatur: tertium autem purpureis, ἠράνθεμον, quod scilicet Vere floreat. Alexander Trallianus Chamæmelum etiam Anthemisium dici scribit lib. VIII. cap. II.

Chamæmelum verò dicitur, quoniam flores μήλου, siue mali odorem habeant, quem in vulgaris vsus Chamæmelo euidens & manifestum est sentire; ita vt vel hinc vulgaris vsus Chamæmelum, verum & legitimum esse conicere liceat, quod & ipsæ etiam facultates euidentius ostendunt. Tales siquidem vulgaris Chamæmeli facultates omnino sunt, quales Chamæmelo Galenus tribuit.

Chamæmelum, Galenus ait, calfacit & desiccat in primo ordine, & tenuium est partium, digerendi, laxandi, & rarefaciendi vim habet. Item & alio loco tenuitate Rosę persimile est, calore ad Olei vires magis accedens, homini familiares & temperatas. Quapropter lassitudini, si quid aliud, cum primis confert, doloresque sedat & mitigat: præterea tensa remittit & laxat quæque mediocriter dura sunt, emollit, quæque constipata, rarefacit. Omnes autem has facultates nostro vulgari Chamæmelo inesse, ipsa quotidiana commonstrat experientia. Nam moderatè quidem ipsum excalefacit, parum resiccat, valde tenuium est partium, digerendi, relaxandique singulari, ac mirifica potentia præditum est: multi breuiter ad omnia vsus, quæ clementer calefieri, resolui, discuti ac leniri desiderant. Calculi & colicos dolores lenit: vrinam moderatè prouocat: tormina & torsiones ventris sedat: laterum dolores mulcet: duros tumores emollit, & crudos humores discutit. Idem præstat oleum ex floribus compositum, quod aduersus lassitudines omnes remedio est, & omnibus vtiliter admiscetur, quæ sopiendi alicuius doloris causa adhibentur.

De syluestribus Chamæmelis, siue Cotulis.

Capvt XVI.

Cotula alba.



SYLVESTRIVM Chamæmelorum, Cotulas quas passim nominant, tria sunt genera: vnum fœtidum, duo alia non fœtentia. quorum vni flos per circumferentiam candidus, alteri verò totus luteus.

1. Chamæmelum syluestre fœtidum, siue Cotula fœtida, caules promit rotundos, virentes, fragiles & succulentos, in alas multas diuisos, crassiores & sæpenumero altiores quam Chamæmeli: folia similiter ampliora, in virore nigricantia: flores forma & colore similes. Fœtet herba tota, grauemq́ue odorem spirat: vnde illi fœtidæ cognomen datum.

Nascitur in aruis, iuxta semitas, & agrorum margines.

Floret eodem quo Chamæmelum tempore.

Officinæ & Herbarij passim Cotulam fœtidam nuncupant, plerique Camomillam fœtidam. Germani Krotendill/ Hunſsdill/ Hunſsblum: Belgæ Paddebloemen/ stinckende Camille. Galli *Espargoutte*: à nonnullis κυνάνθεμις, ab aliis κυνοβοτάνη. Leonhartus Fuchsius Parthenium esse voluit. Sed Parthenium verum & legitimum est vulgò dicta Matricaria, quæ odore longè est grauiore, & sapore admodum amaro, foliis tenuibus & Coriandri similibus. Cotula autem fœtida minus grauiter olet, & foliis Coriandrum non æmulatur.

2. Altera Cotula alba non fœtida, quę à plerisq; etiã Oculus bouis dicitur, cauliculos edit complures, tenuiores, duriores, flexibilioresq́ue quàm Cotulæ fœtidę, & circa eos folia tenuia, Chamæmeli foliis paulò longiora & candidiora: flores in medio luteos, per circumferẽtiam candidos, Chamæmeli & Cotulæ fœtidæ floribus similes, sed maiores, exigui aut nullius odoris: radices duras & lignosas non absque adnatis fibris, quę aliquot annis permanentes, Vere regerminant.

In aruis & agris frumentariis vnà cum Chamæmelo reperitur.

Æstiuis mensibus floret.

Nostra ætas Cotulam non fœtidam appellat, & Cotulam albam, plerique Oculum bouis & Buphthalmum. Germani Kudil/ hundsaug/ kuaug: Belgæ, Cordille/ Coeooghe: Hispani *Mançanilla loca, ojo de buey*. Itali *Occhio di boue*. Et verum quidem esse Buphthalmum Leonharti Fuchsij sentẽtia fuit. At nobis verum & legitimum solũ illud esse videtur, quod infra sub Buphthalmi nomine describitur. Nam Buphthalmo quidem, vt Dioscorides auctor est, folia sunt μαραθρώδη, id est, fœniculi foliorum similitudinem habentia, & flos melinus. Huic verò folia non sunt fœniculi similia, neque flos totus luteus siue melinus, sed plurima parte, per circumferentiam videlicet candidus, qui etiam vel solus Matthiolum mouit, vt Cotulam hanc albam, siue vulgare Buphthalmum, verum & legitimum esse Buphthalmum negauerit. Proinde non Buphthalmum, quod hoc nomine à plerisque appellatur, sed Cotulæ & Chamęmeli syluestris species quædam est. Plinius lib. 26 cap 7. Melandrij herbæ meminit, in se-

Melandriũ gete ac pratis nascentis, flore albo & odorato: an Melandrium autem istud Cotula non fœtida sit, diligentius inquirendum, propter etenim Plinij breuitatem, nemo facilè qualis herba Melandrium sit, affirmauerit.

3. Tertia Cotula lutea, cauliculis exit non paucis, foliis Cotulæ albæ maioribus, crassioribus, candidioribusq́; : flores & medio & orbiculato ambitu, melini siue lutei sunt: radix dura, lignosa, diuturna.

Nascitur in Germania & Gallia, iisdem ac similibus quibus Cotula alba locis: apud Belgas, hortensis est. Iunio ac Iulio florem promit.

Germani

Germani Streichblümen & Steinblümen appellant. Belgæ Strychbloemen. Fuchsius Anthemidis speciem, & Chamæmelum Chrysanthemum facit folio tamen parum, odore nullatenus Anthemidem siue Chamæmelum Leucanthemum refert. Matthiolus pro legitimo Buphthalmo depinxisse videtur: desideratur tamen in eo folium Marathroeides, quod Buphthalmo esse Dioscorides testatur. Nos his de causis inter Cotulas & syluestria Chamęmela potius reponendam duximus, quàm alterutrum temere asserere.

Vsum autem hæ Cotulæ in medicamentis aut cibatu nullum habent, proinde earum facultates incompertæ. Videntur tamen omnes calidæ aliquantulum & siccæ, Chamæmelo vulgaris vsus viribusquodammodo similes, sed longè tamen inferiores, imbecillioresq; Quę fœnda dicitur, ad vteri morbos commendatur, sed ab iis præsertim, qui Parthenium esse existimant, & Parthenij vires ad hanc transtulerunt. Est tamen non omnino Cotula hæc inutilis, quando fœtida omnia, ex vtero strangulationibus prosunt.

De Chamæmelo odorato. CAP. XVII.


Chamæmelum odoratum.


Chamæmelum Chrysanthemum odoratum.

ODORATVM Chamæmelum duorum est generum: vnum Leucanthemum, alterum Chrysanthemum cognominari potest.

Leucanthemo odorato Chamæmelo, caules exeunt multi, non erecti, sed procumbentes, 1.
& quasi per terram repentes: folia tenuia, dissecta, vti Chamæmeli vulgaris, sed maiora virentioraque: flos quoque similis, medio videlicet luteus, & per circumferentiam candidis foliolis cinctus: radix fibrosa, durabilis naturæ. Referunt folia & flores pergratum ac iucundum cum grauitate quadam odorem, aromatum odoribus persimilem, qui etiam in arida diutinè permanet.

Est & huius generis quoddam, foliola medium floris ambientia densissimè multiplicans, luteo in angustum orbem coacto, quod odore & forma præcedenti per omnia simile aliâs est,

Chrysanthemum odoratum Chamæmelum, cauliculos similiter profert tenues inuali- 2.
dos, & in terra prostratos: folia quoque tenuia, vti prioris, sed candidiora & paululum minora: pro flore, qui aliis omnibus Chamæmeli ac Cotularum generibus medius, luteus est orbiculus; nudus & nullis circumambientibus foliolis cinctus, radix similis. Et huius herba odorata quoque est, odore & facultate priori similis.


Vtrumque in Belgio hortense est. Floret Iulio & Augusto mensibus.

Chamæmelum odoratum propriè appellatur. Tragus Chamæmelum nobile nominat: Vulgus nostrum, Roomsche Camille, id est, Chamæmelum Romanum: Germani edel Chamill. Quod flore candet, Leucanthemum; alterum Chrysanthemum dici potest. Sed tamen ea esse quæ à Dioscoride, Galeno, aut aliis veteribus in vsu recepta fuêre, non omnino videtur asserendum: verisimilius est ab ipsis fuisse præterita aut incognita.

Nam facultas eorum multò intensior, quàm Chamæmelo à Galeno tribuitur. Caliditate siquidem & siccitate qualitatem illam viuenti familiarem ac temperatam, quæ Chamæmelo à Galeno tribuitur, quamq́ue ipsum habere quotidiana ostendit experientia, multum excedunt: vtpote secundo ordine calida & sicca. Cùm autem & ipsa substantia tenuitatem habeant coniunctam, digerendi ac rarefaciendi potentiam habent ampliorem: molliendi verò, doloresq́ue sedandi, aut mitigãdi, remissiorem. Proinde vbi magis, quàm vulgaris vsus Chamæmelum potest, incalfacere aut rarefacere opus est, vtiliter adhiberi possunt: vti in balneis, quæ sudoris euocandi & rarefaciendæ cutis causa parantur, in quibus horum Chamæmelorum vsus haud est negligendus. Nam & cutim nimis adstrictam rariorem faciunt, sudorem euocant, bonumq́ue corpori odorem conciliant.

De Eranthemo vulgari. CAP. XVIII.

Eranthemum.



FLOS, quem Eranthemum nuncupauimus, cauliculos profert à radice complures, in alas subinde diuisos, striatos, virentes: folia tenuia Chamæmeli, aut potius Cotulæ fœtidę similia: flores non magnos, forma Ranunculi florũ, pulchros, minij colore rubentes, quos capitulum sequitur oblongum, ex multis collectum seminibus, rotũdis, acuminatis, colore in virore subnigricantibus. radices fibrosæ. Odorem herba herbaceum habet, aliquantulum grauẽ, sed minus quàm Cotulæ fœtidę, Chamæmeli verò odor: nequaquam similem.

Nascitur compluribus Europæ prouinciis, in aruis vnà cum Zea, Tritico aut aliis frumentis: Belgæ in hortis serunt.

Æstiuis mensibus floret, Maio, Iunio & Iulio: subinde & serius.

Nostri sua lingua, Bruynettekens appellant: Germanorum nonnulli, Feldröslin: multi hac ætate ἠράνθεμον. Esse tamen tertium Anthemidis genus, quod propriè Eranthemum dicitur, nemo facilè affirmauerit. Nam Eranthemo, si fides Dioscoridi, flos est forma Chamæmeli, in medio aureus vel luteus, orbiculato verò ambitu purpureus. Istud autem florem quidem habet purpureum, sed medium eius non est luteum: quod ipsum non esse Anthemidis speciẽ ostendere videtur.

Hieronymus Tragus Asteta Atticum, cuius flos medio luteus, & per circumferentiam cęruleus est, Eranthemum facit: Fuchsius verò Consolidam regalem, siue florem Regium, de quo superius egimus.

In Astere Attico autem, quem Virgilius Amellum florem nominat, desideratur herbæ folium Chamęmelo simile, & floris color: in flore Regio verò & color, & forma floris. Vtriusque huius flos cęruleus est. Eranthemi autem, roseo colore rubet, vt testis est Plinius, lib. 21. cap. 8. qua de causa & neutrum horum Eranthemum esse potest.

Matthiolus Eranthemum istud præsens, Adonidis florem nuncupat, sed Adonidis flos Anemone esse creditur. Adonidis siquidem florem vento excuti Ouidius scribit, Metamor.
Anemone. lib. 10. in fine. Venti autem flos Anemone est. Nam Anemone ἀπὸ τοῦ ἀνέμου, id est, à vento nomen habet, vt Plinius auctor est, lib. 21. cap. 23. Flos, inquit, nunquam se aperit, nisi vento spirante: vnde & nomen accepit. Cum Anemone autem Eranthemum quod descripsimus, non conuenire, manifestum est.

Cæterùm Eranthemi istius nullus in medicina vsus, quantum autem gustabilis qualitas eius ostendit, alicuius caliditatis particeps est, sed tamen non magnæ.

De Buphthalmo. Cap. XIX.

Buphthalmum.



STIRPI cui Buphthalmo nomen dedimus, cauliculi è radicibus exeunt tenues, tres, quatuor, aut plures, pedales vel altiores, circa quos folia, virentia, tenuiter dissecta, similitudine foliorum Fœniculi, sed multò quàm illius minora: flores in summo cauliculorum magni, Calendulæ satis similes, colore luteo magis diluto, staminibus in medio luteis, post quos capitulum succedit, veluti suprà descripti Eranthemi, ex multis seminibus simul congestis commissum: radices tenues sunt & fibrosæ, Veratri nigri radicibus similes.

Nascitur sua sponte plerisque Germaniæ & Bohemiæ prouinciis, locis incultis: apud Belgas hortensis est.

Maio aut Iunio floret.

De huius autem stirpis nomenclatura, recentiorum variant sententiæ. Sunt qui velint Veratri nigri speciem esse, nonnulli Consiliginem; quidam Sesamoides: Elleborastrum alius.

Veratri autem nigri, duo apud veteres repe- *Veratrum* riuntur genera. vnum folio Laurino, fructu Se- *nigrum.* samaceo: alterum folio Platani, semine Cnici.

Cum neutro autem horum Buphthalmum istud, à nobis hoc loco descriptum, conuenire, notissimum est.

Consiliginis herbæ qualis forma sit, apud Ve- *Consiligo.* teres non reperitur. Plinius ait, sua ætate in Marsis inuentam, & pulmonum vitio, suum & omnis pecoris remedium præsens esse, vel traiecta tantum auricula. lib.26.cap.7. Columella lib.6.cap.5 In Marsis montibus plurimam nasci, etiam ait, omnique pecori maximè esse salutarem: & qua ratione ac modo auriculæ inseri debeat, docet. Feruntur & Buphthalmi nostri radices pecorum morbos quosdam curare, si per auriculam perforatam inserantur: sed ea de causa Consiliginem esse consequi non debet. Diuersas siquidem stirpes similis vel eiusdem facultatis reperiri non est alienum. Nam & nigri Veratri radices idem posse testatur Plinius lib.25.cap.5. Pecorum, inquit, & iumentorum pituitas sanat, surculo per aurem traiecto, & postera die eadem hora exempto. Quod & experimentis nostræ ætatis rusticorum compertissimum est: qui Veratri nigri vulgaris radicibus, pecorum suorum morbis medentur. Præstant simile & Veratri albi radices, vti Absyrtus, & post eum Hierocles scribit qui tamen Veratri albi radiculas non in aurem, sed sub pectoris cutim infigunt. Quo modo etiam Vegetius Renatus, Consiligine vtitur, Veterinariæ suæ lib.1.cap.12. De cura morbi subcutanei tametsi lib.3.cap.2. De Malleo, ipsas etiam auriculæ inserendas scribat. Quæ satis ostendunt, diuersas stirpes similes subinde habere facultates, & ea de causa nequaquam consequi, Buphthalmum nostrum esse Consiliginem, quòd perinde ac Consiligo pecorum morbis medeatur. Quod si ex facultatibus coniectura facienda est; Consiligo erit Veratrum albũ. Nam Vegetius eo omnino modo Consiligine vtitur, quo Veratro albo Absyrtus & Hierocles. Auget hanc suspitionem, quòd Vegetius hanc curandi rationẽ à Græcis accepisse putetur. Qua de causa, etiam plerisque nihil aliud, quàm Veratrum album, Consiligo videtur. Quod si ita est, multum à Consiligine præsens Buphthalmum differens erit: Veratro siquidem albo nequaquam assimile est.

Idẽ verò, Sesamoides, siue primum, siue alterũ, non esse, notius est quàm vt refelli debeat. *Sesamoides*

Helleborastrum verò & hoc ipsum impropriè nũcuparur: propriè etenim Helleborastrũ *Helleborastrum.* dici potest, quod Hellebori siue Veratri speciem ac similitudinem habet: istud autem Buphthalmum Veratri nullam speciem habet.

Quibus omnibus de causis nullam harum appellationum huic stirpi cõuenire visum est,

sed

ſed ſolum Buphthalmi nomen, cum cuius deſcriptione, quæ apud Dioſcoridem extat, quia exquiſitiſſime hæc ſtirps cõuenit, proprium ac legitimum Buphthalmum eſſe exiſtimamus. Buphthalmum ſiquidem cauliculos, vt Dioſcorides ait, emittit molles & tenues: folia μαραθροειδῆ, id eſt, ſpeciem ac ſimilitudinem foliorum Fœniculi referentia: florem melinum, Anthemide maiorem, qualis omnino præſens ſtirps eſt, quæ tenuitate & multiplici ſectione foliorum, ſpeciem illam foliorum Fœniculi tam exquiſite exprimit, vt nulla alia, parui folij, melius poſſit: ita vt citra omnem dubitationem hæc ſtirps legitimum Buphthalmum eſſe videatur.

Nominatur autem Buphthalmum etiam Cachla, aut potius Caltha. Caltha autem eſt Calendula, quam flore Buphthalmum noſtrum proxime referre diximus.

Sunt verò & qui velint Buphthalmum idem cum Chryſanthemo eſſe, Dioſcoridemque ſeparatis locis, ſub diuerſis nominibus eandem herbam tradidiſſe. Sed hi ſi paulò diligentius Dioſcoridis verba expendiſſent, aliter ſentirent. Licet etenim in multis vtriuſq; deſcriptiones conueniant, non abeſt tamen proprietas aliqua, quæ differentes eſſe ſtirpes oſtendat. Folia Chryſanthemi πολυσχιδῆ, id eſt, in multas partes diuiſa & diſſecta traduntur: Buphthalmi verò μαραθροειδῆ. Non omnia autem quæ laciniosa ſunt, & in multas partes diſſecta, Fœniculi foliorum ſpeciem habent. Iam florem proferre Chryſanthemum Dioſcorides ait χρυσῶς στίλβοντα, hoc eſt, multùm relucentem. Buphthalmi verò relucentem eſſe non tradit, neq; etiam eius quod à nobis pingitur, flos ita ſplendet, vt multùm relucens dici queat, aut debeat. An ne hęc euidentem Buphthalmi & Chryſanthemi differentiam oſtendunt, & legitimum eſſe à nobis depictum Buphthalmum confirmant? Sentiant qui velint aliter, nobis ita videtur, & qui Chryſanthemum idem cum Buphthalmo eſſe volunt, aliud Buphthalmum, ſi iſtud eſſe negent, requirant. Nam quod & ab alijs & à nobis pro Chryſanthemo depingitur, legitimum Buphthalmum eſſe nequit: folia enim eius non ſunt μαραθροειδῆ, qualia omnino legitimi Buphthalmi eſſe debent.

Quod verò ad facultates attinet: Matthiolus ait, in Bohemia omnes medicos & pharmacopœos huius radicibus, pro Veratri nigri vti, priuatim ad pecorum morbos: ſed in medicamentis radices huius ἀντεμβαλλομένας radicum Veratri eſſe non affirmat. Memini ego obſeruare me olim, à quibuſdam medicis, huius radices, in quantitate ſatis magna adiectas fuiſſe decoctis, ad purgationem per inferna præparatis, ſed nihilo plus ea aluum mouiſſe, quàm ſi non additę fuiſſent. Quod mihi ſuſpicionem mouit, nulla purgandi potentia huius herbæ radices donatas eſſe: & alia omnino facultate, quàm Helleborum, per auriculas tranſmiſſas pecorum morbis mederi. Gentianæ radices ora fiſtularum nimis anguſta egregiè dilatant; idem poſſunt Ariſtolochiæ & Bryoniæ radices, ac ſpongiarum partes, quæ tamen viribus alias multùm inter ſe differunt. Quamobrem licet Buphthalmi radices ſimile aliquid Veratro nigro queant, idcirco tamen non omnia, quæ illud, poſſunt. Spinæ, aculei, ramenta lignorum & ſimilia, dolorem inferunt, inflammationem excitant, vicinarum partium humores alliciunt, ſi in partem aliquam adigantur. Partem aliquam lædi abſque dolore non contingit: is tranſmiſſa aut impoſita vulneri re quapiam intenditur. Fortaſſe etiam ſi quiduis aliud in auriculam perforatam imponeretur, idem qui huius ſtirpis radice immiſſa, effectus ſubſequeretur. Nos nihil hic affirmamus, curioſis, vt diligentius vires huius explorent, viá aperimus.

Dioſcorides Buphthalmi, ait, flores cum cerato tritos œdemata & duritias diſcutere, & dici, ſi ſtatim ab exitu à balneis bibatur, bonum colorem ad aliquod tempus Ictericis facere. Videntur autem hæc ex cap. de Chryſanthemo huc tráſlata ab his, qui inter Buphthalmum & Chryſanthemum differentiam nullam eſſe exiſtimarunt. Non aliter quàm nonnullę ex Aſteris Attici facultatibus, Violæ nigræ apud Plinium acceſſere: & Dolicho legumini, in Dioſcoridis exemplaribus, quædam Smilacis læuis: vt ſuis annotauimus locis. Quæ autem propriæ ſint Buphthalmi vires, nondum compertum habemus.

De Chryſanthemo. CAP. XX.

CHRYSANTHEMO caules ſunt ramoſi, læues: folia oblonga, digiti ferè latitudine, diſſecta & multifida: flores Anthemidis ſed maiores, & non medio tantùm vmbilico, ſed & orbiculato ambitu lutei & auri quodammodo fulgore ſplendentes; odore non inſuaui: radices fibroſæ.

Reperitur in aruis, in hortis inter olera, & alibi paſſim: & quibuſdam quidem locis, folijs magis conſectis, alijs minus.

Iunio, Iulio, & ſubinde Auguſto floret.

A Germanis Sant Johans blum / & Gelſblum appellatur: à noſtris vulgò Boterbloem / & quandoque Geel ganſche bloemen. Græci ab aureo florum fulgore χρυσάνθεμον nuncupant. Eſt

tamen

Chryſanthemum



Chryſanthemum latifolium.



tamen & Chryſanthemū Anthemidis quędam ſpecies, vt ſupra ſcripſimus. Batrachion etiam Chryſanthemum dicitur, teſtis Democritus in Geoponicis. Item & Elychryſum Chryſanthemum eſt. Sed hæc Chryſanthema ab iſto præſenti differunt.

Nominant verò & iſtud Chryſanthemum plerique Buphthalmum & Caltham, quæ eius Buphthalmi propria nomina ſunt, quod capite præcedente deſcriptum eſt. Non deſunt quoque qui Bellidis ſpeciem faciant, & luteam Bellidem dicant. Eſt autem Bellis alterius generis herba.

Caules autem Chryſanthemi olerum modo, Dioſcorides tradit, eduntur.

Flores cum cerato triti, ſteatomata diſcutere dicuntur. Ipſa herba pota in balneis poſt exitum de ſolio, morbo Regio correptis, breui bonum colorem inducit.

De Chryſanthemo Latifolio.

CAP. XXI.

LATIFOLIVM Chryſanthemum mox à radice folia promit oblonga, lata, virentia, ſuperiore parte aliquantulum aſpera, inferiore verò læuiora, dilutiusque colorata, inter quæ ſcapi exeunt tenues, cubitales, aliquantulum hirſuti, duobus aut tribus geniculis articulati, à quorum ſingulis bina contra ſe poſita folia, atque ſubinde pediculi exeunt; in quorum faſtigiis ampli orbiculati flores, Buphthalmi aut Chryſanthemi æmuli, ſed maiores coloratioresque, & medio diſco, & circumambientibus foliolis; luteo reſplendentes colore, quorum medius diſcus tandem in pappos vaneſcens, oblonga, tenuia, nigricantiaque ſemina mittit. radix fibroſa eſt.

In Germaniæ incultis ac ſyluoſis locis frequenter reperitur.

Iunio menſe in hortis Belgij cum flore conſpici poteſt: ſequenti menſe ſemen cum pappis à vento rapitur.

Germanis Waldtblume dicitur. Sunt qui Aliſma Dioſcoridis eſſe velint: Sed vbi Plantaginis neruoſum folium, & thyrſoides caulis? Aliſmati ſiquidem, quod Damaſonium etiam dicitur, Plantaginis ſimilia ſunt folia, & caulis thyrſo ſimilis; quæ huic non adſunt. Chryſanthemum idcirco Latifolium citius appellandum, quàm temere Aliſmatis nomen ei tribuendum.

De facultatibus verò huius nihil conſtat.

De Chryſanthemo Peruuiano.

CAP. XXII.

AD Chryſanthemi genus referendus quoque qui occurrit, peregrinus raræ magnitudinis flos, quem Solis florem quidam vocat. procera admodum ſtirps eſt, hominis proceritatis ſtaturam

Chrysanthemum Peruuianum.



Bellis.

statutam longè sæpenumerò superans. caulis eius rectus, brachij ferè crassitudinis: folijs circumuestitur magnis, latissimis, non minoribus quam Bardanæ, ambitu crenatis: in alas nullas diuiditur: fastigio autem florem edit vnicum, prægrandem, Chrysanthemo forma similem, sed multò ampliorem, medius siquidem eius discus pedem latitudine non rarò excedit, singula verò orbiculariter ipsum ambientia folia, Lilij purpurei floris satis similia, aut quoque luteo colore nitentia, quibus tandem pereuntibus, semen in disco gignitur oblongum, planumque, quod tamen vix in Germania ad frugem & maturitatem peruenit.

Huius verò & aliud quoddam reperitur genus, cuius caulis breuior ac minor, in ramos distributus subinde duos, e singulis flores promit prioris similes, sed multò minores.

In Peru aliisque nonnullis Americæ prouinciis spontè gignitur. Satum Madritij apud Hispanos in horto regio ad XXIIII. pedes adoleuit.

Solem nonnulli appellant Indianum: alij Florem Solis: nobis placuit Chrysanthemi Peruuiani nomenclatura. Existimari posset hic flos Plinij esse Bellio, si credibile foret, illa ætate Romæ vel visum, vel vllo modo agnitum: per ambitum siquidem luteus est, & plus quàm quinquaginta folijs medius eius orbis cingitur, Plinius siquidem lib. XXI. cap VIII. Luteus, inquit, Bellio patulicantibus quinquagenis quinis barbulis coronatur. Sed verisimilius Bellionem omnino alium esse florem.

Pediculos autem foliorum teneros adhuc, pilisque derasis, in craticula coctos, sale oleoque conditos, esui suaues esse sunt qui affirment, orique gratos; & ad Venerem promouendam plurimum posse.

De Bellide. CAPVT XXIII.

1. FOLIA Bellis è radicibus promit multa, parua, leuia, pinguia, in rotunditate oblonga, leuissimè crenata, per terram plurima parte strata, inter quæ flosculi exeunt, singuli sui tenuibus insidentes pediculis, Chamæmeli florum pene forma, sed minores, medio corimbo luteo, quod multa exigua orbiculariter cingunt foliola, candida, aliquatenus rubētia, ac in candore veluti purpurascentia: radices subsunt fibrosæ.

Nascitur in pratis & similibus perinde palustribus ac humidis compluribus locis.

Veris mensibus floret.

2. Huic similis est, & alia species, sed hortensis tantùm, & floribus multiplicibus, speciosissimis, tam denso exiguorum foliolorum contextu, vt vix vllo, aut nullo, apparente luteo orbiculo, vniuersum & ambitum & medium floris occupet; colore aliâs rubentibus, subinde candidis, nonnunquā ex vtroque permixto varijs, rarò herbaceis aut virētibus, odoris nullius. Circundant hos quandoq;, sed tamen non frequenter, alij parui, sub ipsis, aut ex ipsis florū calycibus exorti quini seniue vel plures flosculi, matricibus suis similes, sed tamē minores.

Floret hæc Bellis Aprili quoque & Maio mensibus.

Germani Maßlieben & Massüßlein nūcupant: Belgæ Madelieuen / Kersouwen / Margrieten: Itali *Margarite, & fiori di primaveri gentile:* Galli *Pasquettes & Marguerittes:* Bohemi Matternyk / Sedmikraßa: Plinius Bellidem, eiusque meminit lib. 26. cap. 5. Bellis, inquit, in pratis nascitur, flore albo, aliquatenus rubente. Recentiores Bellidem etiam Consolidam nominant minorem; alij Brunellam Consolidam minorem faciunt: plerique herbam Margaritam; alij Primulam veris. Sunt tamen & aliæ nuncupatæ Primulæ veris, Phlomidum species, de quibus alibi.

3. Ad Bellidis genus referunt & nonnulli syluestrem quandam, maiorem nuncupatam Bellidem; caules hæc profert tenues, cubitum altos aut longiores, folia circa eos oblonga, nonnihil serrata, digiti ferè latitudine: flores in summo cauliculorum per circumferentiam candidos,

Bellis syluestris.



Bellis hortensis.



Bellis maior.



didos, medio luteos, Chamæmeli Leucanthemi & Cotulæ albæ similes, nullius odoris, radices fibrosas.

Nascitur in pratis, & secus margines agrorum locis non apricis.

Bellidem, vt diximus, maiorem appellant: Germani, Fuchsio auctore, Genßblum nonnulli etiam Consolidam mediam. Alia tamẽ & Consolida media, vt Bugula quæ pro medij generis Consolida habetur.

Cæterùm Bellidis minoris folia humectandi refrigerandique facultate donata sunt, & humectant quidem ordine secundo intenso, refrigerant verò eodem remisso. Dolores omnes, sed præsertim articularios ac podagricos, ex calido siccoque humore, mitigant, cum butyro recenti & insulso trita, ac locis dolentibus imposita, potissimum additis Maluæ folijs. Eadem oleribus addita, facilem aluum faciunt, & in causonide febri, ac in intestinorum inflammationibus, magna vtilitate enematis admiscentur.

De Astere Attico. CAP. XXIIII.

ASTERIS Attici duæ sunt species; vna purpurei, alia lutei floris.

Purpurei floris Aster cauliculos promit erectos, rotundos, aliquantulum duros, fragiles, asperos, nonnihil pilosos, dodrante altiores: folia oblongiora, præsertim iuxta cauliculos enata, dura quoque & asperiuscula & latiuscula; est tamen species quædam angustioris folij flores in summo virgularum emicant, forma fere florum Chamęmeli, medio lutei, sed orbiculato ambitu 1.

Z cæruleo

Aster Atticus.



Aster Atticus supinus.



cæruleo purpurei, qui in pappos vanescunt, semen quibus subest exiguum. radix fibrosa est.

2. Lutei floris, rotundis, fragilibus, ramosis cauliculis, foliis item duris, & vtrinque asperiusculis priori similis est, aliquantulò tamen maior. floris & medius orbiculus & circumambientia foliola luteo splendent colore. in pappos & hi, sed tamen non æquè citò, abeunt. semen quoque exiguum, & radix haud dissimilis.

3. Huius generis & supinus quidam inuenitur, cuius cauliculi non eriguntur, sed deorsum reclinati decumbunt sunt hi rotundi quoque ac duri colore subrubentes, folia verò & caetera similiter, aliorum similia. flos paulò maior.

Apud Germanos, Bohemosque, in Italia & alibi asperis & incultis reperitur locis, in syluis, in collibus; non rarò etiam in pratis, & cum flore quidem Augusto mense. Apud Belgas nusquam sua sponte Aster iste exit.

Ἀστὴρ Ἀττικὸς καὶ Βουβώνιον Græcis, Latinis Aster Atticus, Bubonium, & Inguinalis dicitur. Nominatur vero & à nonnullis Asterion, Asteriscon, & Hyophthalmon: Germani Meyerkraut/ Bruchkraut/ Scartenkraut & Sternkraut appellant: Hispani *Bobas*, & *Estrellada* Galli *Estoille* & *Aspergoutte menue*. Putatur & is, qui purpurei est floris, à Virgilio Amellus nuncupari flos, de quo Georgicon quarto:

Amellus flos.

> *Est etiam flos in pratis, cui nomen Amello*
> *Fecere agricolæ, facilis quærentibus herba;*
> *Namq; vno ingentem tollit de cespite syluam:*
> *Aureus ipse, sed in foliis, quæ plurima circum*
> *Funduntur, violæ sublucet purpura nigræ.*

Cæterùm Aster Atticus digerentis, vt Galenus tradit, mediocriter est facultatis, modicè videlicet calidus, & non vehementer desiccans: maximè cùm etiamnum mollis ac recens fuerit.


Dioscorides æstuanti stomacho prodesse Asterem Atticum impositum tradit, tum & oculorum inflammationibus, bubonibus & sedi procidenti. Tradi etiam refert, purpureum florem cum aqua potum, anginis auxiliari, & comitialibus puerorum morbis: eumque recentem adhuc ad inflammationes bubonum conducere impositum: aridum verò, si sinistra dolentis manu decerpatur, buboni adalligatum, dolore liberare.

Di

Elichryson.



Stœchas citrina.



De Elichryso.

CAP. XXV.

ELICHRYSON cauliculos promit graciles, virentes, lignosos, in alas quasdam subinde diuisos: folia confecta, Abrotani similia, aliquantulum candicantia: flores in summo cauliculorum in vmbellis cohærentes, luteo auri colore fulgentes, forma florum Tanaceti vel medij orbiculi siue disci florum Anthemidis, qui priusquàm flaccescat decerpti, speciem suam ac pulchritudinem diutinè seruant. Qua de causa & deorum simulacbra eo coronari solere, & Ptolemæum Ægypti regem diligentissime hoc seruasse, Plinius tradit.

Exit plerisque Italiæ ac Hispaniæ locis incultis, in pratis solo gracili, ac circa fluuiorum ripas.

In Belgij hortis floret Augusto, aut Septembri mense. Theophrastus tamen & Plinius Eliochryson inter veris flores numerant.

Dioscorides ἑλίχρυσον appellat, nonnulli etiam χρυσάνθεμον, alij, inter quos Galenus est, ἀμάραντον, propter floris diuturnitatem. Alius tamen & Amarantus est, purpureus, de quo suprà scriptum. Plinius hanc stirpem Heliochryson nuncupat. Theophrastus similiter ἑλειόχρυσον, Gaza Aureliam vertit.

Facultatis, inquit Galenus, est incidentis & extenuantis. Prodest coma, Dioscoride auctore, è vino pota contra vrinæ difficultates, serpentium ictus, coxendicum dolores, & ad rupta; menses etiam prouocat: sanguinis grumos & in ventre, & in vesica cum vino mulso sumpta dissoluit: defluxiones à capite sistit, trium obolorum pondere ex vino albo diluto ieiunis data: vestibus inserta incorruptas eas conseruat. Theophrastus Eliochrysum ad ambusta etiam torrefactum, & melli permixtum valere tradit.

De Stœchade Citrina, siue Chrysocome.

CAP. XXVI.

AVREI coloris coma Eliochryso similis est, a recentioribus Stœchas citrina nuncupata. Cauliculos hæc edit dodrantales, tenues: folia oblonga & angusta: vtraque incana & lanuginosa: flores in summo cauliculorum, in dissoluta inconditaque veluti vmbella, odoratos, exiguis bullis similes, colore luteo splendentes, qui priusquam plenè maturuerint collecti, colorem & pulchritudinem non marcescentes, diu retinent: radices graciles ac nigras. I.

Nascitur locis asperis & sabulosis & in conuallibus, frequens iuxta Rhenum, præsertim inter Spiram & Vormaciam.

Iunio mense & post Solstitium floret.

Germani, quod in regionibus, quæ Rheno vicinæ sunt, proueniat, Rheinblumen nuncupant: Item & Jungling/ Mottenn blume/ Motten kraut: Belgæ, Rhijn bloemen / Motten cruyt: Latinè Tineariam: Officinæ Stœchadem siue

Stichadem citrinam: Fuchsius & Tragus Eliochrysum faciunt. Nihil autem, aut omnino parum, cum eo conuenire, ex iis quæ superiore capite scripta sunt, palam est. Ageraton esse, etiam sunt qui sentiant, propterea quòd flos bullarum instar globosus sit, & nō facilè autem marcescat: ἀγηρατον siquidem flos πομφολυγώδης, id est, bullæ modo tuberosus est, & diutissimè in sua coloris specie conseruatur: sed folium Agerati, Origani folio simile est: tale autem nequaquam Stœchadis citrinæ, quod diximus, oblongum & angustum esse; vnde etiam non esse Dioscoridis Ageraton, euidens est. Nobis Stœchas citrina cum Chrysocome, quæ & Chrysitis, similitudinis plurimum habere videtur; breuis siquidem est herba, coma aurei coloris, eaq; diuulsa & corymborum similitudinem referente, radices tenues sunt & nigræ, qualem omnino Chrysocomen esse Dioscorides scriptum reliquit. χρυσοκόμη, ait, ῥαβδίον ἐστὶ σπιθαμιαῖον, ἔχον κόμην κορυμβοειδῆ, ὁμοίαν ὑσσώπῳ· ῥίζαν δασεῖαν, λεπτήν, ὡς ἐλλεβόρου μέλανος, γευσαμένῳ οὐκ ἀηδῆ, κυπέρῳ ἴσην οὖσαν, id est, Chrysocome herbula est dodrantalis, comam habens corymborum specie, similem Hyssopo, radicem hirsutam, tenuem, vt Veratri nigri, gustu non iniucundam, Cypero similem.

Chrysocome.

In qua descriptione occurrit obseruandum, verum & legitimum antiquorum Hyssopum, corymborum quandam similitudinem summis cauliculis proferre; atque ea de causa vulgaris vsus Hyssopum, nequaquam esse genuinum: vtpote quòd flores non in corymbis aut corymborum specie ferat, sed secundum cauliculos iuxta singula foliola edat, Thymbræ videlicet modo, cuius haud dubiò species, & maior quidem est.

2. Stœchadi autem citrinæ & aliam similem obseruare contigit herbam, ramulis à radice multis, tenuibus, foliis angustis, aliquantulum, sed minus multò quàm Stœchadis citrinæ albicantibus: floribus in vmbella luteis, non tamen globosis, sed medio orbiculo florum Chamæmeli similibus, sed minoribus.

Quo loco spontè exeat compertum non habemus, in Belgij hortis à nobis visa est.

Anonymos quoque & absque nomine est.

Eliochrysi speciem angustifoliam nonnulli faciunt.

Cæterùm Stœchadis citrinæ flores in vino decocti, potu ventris lumbricos expellere feruntur: & cum lixiuio pediculos & lentes delere.

Chrysocomes radicem, Dioscorides ait, excalfacere & adstringere, conuenientemq; esse hepaticis & peripneumonicis: sumi & cum hydromelite decoctam ad vteri purgationes.

De Santolina. CAP. XXVII.

AVREI coloris corymbos Santolina quoque veluti Eliochryson & Stœchas citrina profert, odorata est, & coronis non rarò admiscetur. Eius aliquot sunt genera.

1. Prima caudice surgit lignoso, ex quo virgulæ, ramulorum instar, tenues, cubitales complurimæ, foliis circundatæ paruis, oblongis, angustis, denticulatis: è summo virgularum, singuli eminent orbiculi, ex breuibus staminibus farcti, Tanaceti floribus, & mediis discis florum Chamæmeli similes, sed tamen aliquantulum latiores, colore lutei, qui in semina obscurioris coloris permutantur: radix lignosa. Est ipse frutex cauliculis & foliis albicans, & suauiter cum grauitate quadam odoratus.

2. Huic similis est, & altera species, foliis tamen longioribus, virentioribus ac minus candidis, flore pallidiore.

3. Tertia foliis breuissimis, tenuissimis & Ericæ proximis: floribus luteis, & aliarū similibus.

4. Quarta foliis est minus denticulatis & Cupresso similioribus: floribus perinde vt aliarum.

5. Quintæ cauliculi non eriguntur, sed procumbentes per terram repunt: folia denticulata, crassiora, & lanuginosiora magis canescunt. flores in corymbis aurei, aliarum Santolinarum similes.

In Belgio omnes peregrinæ sunt, neque alibi quàm in hortis reperiuntur. Primum genus familiarissimum: reliqua rariora.


Florent Iulio & Augusto.

Appellantur hæ omnes vno Santolinæ nomine. Belgæ vulgò Cypres nominant. Chamæcyparissum plerique faciunt; sed de Chamæcyparisso adeò breuis & succinctus est Plinius, vt ex eo, horum sententia nec reiici, nec probari queat. Hallucinantur autem non parum, qui Santolinam Abrotanum feminam esse volunt. Abrotanum siquidem femina, foliis est marinis, Seriphij videlicet similibus, sed procerius, & fruticis modo arborescens. Santolina humilior est, & non Seriphium, sed proximius Ericam folio exprimit. Plus similitudinis cum Abrotano femina Eliochryson habet, folio namque Abrotanum refert, odoreque ei vicinum est, non tamen Abrotanum, sed sui generis herba.


Chamæcyparissus.

Est

Santolina.



Santolina alteri.



Est autem Santolinæ semen, gustu amarum, potentia calidum siccumque tertio ordine: ventris lumbricos sumptum interimit, & aduersus eosdem efficax est.

Plinius Chamæcyparissum herbam, ait, ex vino potam, contra venena serpentium omnium, scorpionumque pollere.

LIBRI TERTII PEMPTADIS SECVNDÆ
FINIS.

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTADIS SECVNDÆ LIBER QVARTVS,

DE ODORATIS AC CORONARIIS HERBIS.

PRÆFATIO.

POST flores odorata occurrunt herbæ, quas coronis & corollis addi sæpenumerò contingit. Veteres ramis arborum aut fruticum in sacris certaminibus coronari, primum fuisse morem ex Plinio cognoscitur: Posterior deinde, ac nostra quoque ætas, herbarum etiam frondes in coronas admittit ac recipit: si modò odoris aliqua gratia sint commendabiles. Atque harum quidem historias hoc libro prosequimur: arbores & frutices suis locis describentur.

DE MAIORANA SIVE MARO.

CAPVT PRIMVM.

Maiorana siue Marum.



MAIORANA humilis & fruticosa est stirps, candicans, & suauis admodum odoris, sesquipalmum aut pedem alta, cauliculis siue surculis tenuibus, in plures alas diuisis; circa quos foliola sunt penè rotunda, mollia & incana, & in summo flosculi candidi perpusilli, è spicis Heracleotici Origani similibus exeuntes, exiguis videlicet, oblongis, & squamatim compactilibus. radicibus nititur tenuibus. Reperitur hæc quandoq; maior, subinde tenuior ac minor, odoreque præstantior.

Hortensis vtraque est.

Vtraque æstate quoque floret.

Itali Persam, & minorem Persam gentilem nominant: Germani, Mayoran & Meyoran: Belgæ, Marioleyne: Hispani *Moyorana, Moradux, Almoradux*: Itali similiter *Maiorana*: Galli *Mariolaine & Marone*. Officinæ & passim Maioranam. Creditur veterum Sampsychum. Sed Σαμψύχον herba est, Dioscoride auctore, per terram repens; Maiorana verò non repit, sed in rectum & altum assurgit; quod eam non esse Sampsychum, vel solum, manifestè innuit.

Scripsimus aliàs, Maioranam legitimum Marum esse: confirmat sententiam nostram Maioranæ nomen, quod à Maro videtur deriuatum; sed apertius ipsa Mari descriptio, cum qua exactissimè conuenit. Herba siquidem est fruticosa, flore, vt diximus, Origani, foliis candidioribus, flore odoratiore. Cuiusmodi Marum esse

Marum. Dioscorides scriptum reliquit. Μάρον, ait, ὑσώπειον, πόα γνώριμος, φρυγανώδης, ὅμοια τῷ ἄνθει ὀριγάνῳ, τὰ μέντοι φύλλα τούτου λευκότερα πολλῷ, καὶ τὸ ἄνθος εὐωδέστερον: hoc est, Marum siue Hysobum non nota est herba, surculosa, flore Origano similis: folia tamen huius candidiora multò, & flos odoratior.

Et substitutam pro Sampsycho Maioranam, alienum putari non debet, quando & ipso Galeni tempore Marum Sampsychi loco in Amaracinum vnguentum fuerit immissum vt lib. 1. De Antidotis ipse testatur, vbi ait, Marum longè odoratius esse Sampsycho, & ea de causa hoc omisso, Marum fuisse compositionibus additum. Præbuit istud occasionem posteris, vt Marum siue Maioranam, Sampsychi loco habuerint, eiusq; nomine appellauerint.

Excalfacit autem Maiorana & resiccat, & in vtraque qualitate secundi est ordinis auctarius

tut cetebri & capitis frigidis morbis quouis modo assumpta naribus imposita sternutamentum facit & pituitam euocat. dentium dolores lenit commanfa aut apposita, vrinas & aquosos humores in potu sumpta ducit, & menses mouet: admiscetur antidotis.

De Sampsycho, siue Amaraca ex Dioscoride, Theophrasto, & aliis.

CAP. II.

SAMPSYCHON, Dioscorides inquit, herba est πολύκλωνος, siue multū ramosa, serpēs per terram, folia habens hirsuta & rotunda, similia Calaminthæ tenuifoliæ. multum odorata & calida, quæ in coronis nectitur. Cyzicenum & Cyprium laudatissimum. Secundum locum habet Ægyptium. Appellatur autem a Cyzicenis & Siculis Ἀμάρακον siue Amaracum.

Theophrastus Amaracum in censu φρυγανικῶν siue suffruticum satiuorū ac coronariorum lib. 6. enumerat, & præstare ait, seminis copia, quod εὔοσμον, id est, boni ac suauis est odoris; nasci semine & auulsione: ex æstiuis esse, vnguentisq; misceri.

Plinio lib. 21. cap. 2 auctore, Amaracum Diocles medicus & Sicula gens appellauere, quod Ægyptus & Syria Sampsychum: seritur vtroque genere, & semine & ramo: copiosum Amaraco æque ac Abrotano semen.

Virgilius Æneid. 1. Amaracum fruticem floriferum esse ostendit, sic scribens:

——vbi mollis Amaracus illum

Floribus, & dulci aspirans complectitur vmbra.

Idem testatur Catullus in Epithalamio Iuliæ & Mallij:

Cinge tempora floribus *Suaue olentis Amaraci.*

Galenus Amaracum & Sampsychum differentes facit stirpes, de vtroque locis agit separatis, & suas cuique tribuit vires. Sed Amaracus Galeni Parthenium est: veluti Pempt. 1. lib. 11. cap. xv. scriptum. Iam vt & Dioscorides testis est, Parthenium quidam Amaracon vocāt, & in libris De simpl. Medica facult Galenus nusquam Parthenij meminit.

Porrò Sampsychum, vt Galenus ait, tenuium est partium & digerentis facultatis, desiccat & excalfacit tertio ordine. Dioscorides decoctum eius potum tradit, conuenire hydropicis in morbi initio, & vrinæ difficultate, ac torminibus laborātibus: arida verò folia cū melle apposita, tollere suggillata, & menses ducere subdita, ad Scorpionū ictus cum sale & aceto imponenda; ad luxata verò cum cerato excepta, & similiter œdematis, ad oculorū verò inflāmationes cū tenuissima polentę farina apponenda: misceri acopis & malagmatis calfacientibus.

Marum vulgare, Clinopodium.



De Maro vulgari, siue Clinopodio.

CAP. III.

QVOD à plerisque modò Marum nominatur, frutex paruus est, odoris admodum suauis, sesquipedem aut duos dodrantes altus: surculos habet tenues, ramosos, lignosos, & foliola circa eos exilia, durioris Thymi aut Serpylli vulgaris foliis similia, sed albicātia, candidiora, & aliquantulum maiora, ac in summo veluti lanuginosa capitula, & ambientes similes verticillos; è quibus perpusilli flosculi exeunt albidi: radices tenues & lignosas.

In Hispania passim vnà cum Stœchade locis aridis desertisque gignitur: apud Belgas & alibi, non absque studio, & cura in hortis seritur.

Æstate verticilli & capitula lanuginosa, cum floribus emicant.

Multi hac ætate Marum vocant, Marum autem nequaquam est, verum Dioscoridis Clinopodium. Clinopodium autē Dioscorides θάμνιον, id est, exiguum fruticem esse refert, φρυγανῶδη, siue surculaceum, duorum dodrantum; in petris nascentem: folia habentem Serpyllo similia; flores verò lecti pedibus, ex interuallis vti Marrubij. Cum qua descriptione hæc odorata stirps satis cōuenit. Surculacea etenim est, & ad duorum dodrātum altitudinem assurgit;

 flores

flores ita habet per verticillos digestos, vt quibusdam caulem veluti Marrubij ambientibus, alij in summo instar globosum lecti pedis capitulum emineant. folia Serpylli veri folijs colore similia, nempe candicantia: (qualia Serpylli esse Dioscorides ostendit, quando candidiora ea, quam Origani esse ait) sunt eadem tenuia, veluti Serpylli esse Theophrastus testatur. Quæ omnia maximam huius stirpis cum Clinopodio similitudinem ostendunt. Appellatur verò κλινοπόδιον, à quibusdam etiam Cleonicum, Ocimoides, Zopyron, Latinis Lectipes.

Vim autem, vt Galenus, Clinopodium excalfaciendi obtinet, cum essentia subtili, & in tertio est, cùm excalfacientium, tum resiccantium ordine. Dioscorides bibi herbam scribit, & decoctum eius aduersus venenatarum bestiarum morsus, conuulsa, rupta, & vrinæ stillicidia: ducere menses: fœtus, & acrochordonas eicere aliquot diebus potum: aluum idem sistere ad tertias decoctum & bibitum, non febricitantibus in vino, febrientibus in aqua.

De Rosmarino Coronaria. CAP. IIII.

Rosmarinus Coronaria.



CORONARIA Rosmarinus frutex est lignosus, caudice subinde tres aut quatuor pedes alto, ramis multis tenuibus. folijs crebris, oblongis, angustis, duriusculis, subtus cãdicantibus: superius verò saturi viroris, cum grauitate nõ ingrata odoratis: floribus paruis ex cęruleo albicantibus, è foliorum sinubus prodeuntibus: semine exili & nigro: radicibus tenuibus, fibrosis, non alte descendentibus.

In Gallia, Hispania, & alijs prouincijs locis syluestribus & incultis nascitur; tantus eius in Narbonensi Gallia prouentus, vt haud temerè aliud incolæ lignum vrant. In Italia hortorum septa teas: Belgarum etiam exornat.

Floret primo quoque Veris tempore.

Λιβανωτὶς στεφανωματικὴ Græci, Latini Rosmarinum coronariam, nominant. Coronaria autem cognominatur, ad differẽtiam aliarum vmbelliferarum Libanotidũ. Libanotidũ siquidem species cõplures sunt, quædam vmbelliferæ, vna non vmbellifera, forma ab alijs differens, coronaria, de qua nũc agimus. Germani hanc *Rosmarin*; & similiter Galli nuncupant. Itali *Rosmarino coronario*: Hispani *Romero*. Bohemi Rosmaryn. Angli Rosemary.

Calida autem & sicca Coronaria Rosmarinus secundo est ordine, & simul adstringentis facultatis particeps; vtpote ex differentibus partibus & terrestri quadam essentia copiosius admixta, composita. Proinde & omnes vteri diuturnos fluxus sistit, & sanguinis profluuia supprimit. Conuenit etiam, & præsertim flores, omnibus capitis ac cerebri ex frigida humidaq; causa malis: cerebrum etenim hi desiccant: sensus & memoriam acuunt: neruosas partes confortant.

Serapio Rosmarinum, qua Coronarij vtuntur, calfacere & multum resiccare, testis est, & ex auctoritate Abin Mesuai, conferre, ait, corizæ frigidæ cerebri.

Dioscorides regium morbum sanare tradit, si quis ipsam in aqua coctam, ante exercitationem bibat, deinde exercitatus lauet, & vinum bibat.

De Lauandula. CAP. V.

ODORATA & coronaria stirps Lauandula est, sed humilis, ramulos siue virgas profert tenues, quadrãgulares, geniculatas, cubitales aut longiores: folia circa singula genicula bina, oblonga, carnosa, vtraque parte albicantia, Rosmarini coronariæ folijs multò longiora latioraque, & in summo spicas oblongas tenues, floribus refertas cæruleis: radices lignosas in fibras diuisas. Spirant flores & folia copiosum caputq; implentem odorem.

Vna huius species folijs est maioribus, crassioribus & longioribus, quę odoratior. altera minoribus & tenuioribus: inuenitur & flores candidos habens.

Lauandula.



Lauandula altera.



Vestiuntur in Hispania & Narbonensi Gallia pleríque montes & campi deserti Lauandula. In reliqua Gallia, apud Germanos, & alibi in hortis seritur.

Iunio ac Iulio flores exeunt.

Itali maiorem, Nardum Italicam, & Spicam, vulgarique lingua *Spigo* nuncupant: minorem, Lauandam & Lauandulam. Germania & Belgium vtramque Lauandulam & Lauendulam vocat: & maiorem quidem Lauandulam marem; minorem feminam: vulgò Lauender. Existimatur esse Casia odorata herba, cuius Virgilius subinde meminit, vt Bucolicon Æcloga secunda:

Tum Casia atque aliis intexens suauibus herbis
Mollia luteola pingit Vacinia Caltha.

Et similiter Georgicon quarto, vbi agit de statione & sedibus apibus deligenda, apiarioque constituendo, his verbis;

Hæc circum Casia virides, & olentia latè
Serpilla, & grauiter spirantis copia Thymbræ
Floreat.

Est tamen & alia Casia σύριγξ siue fistula, quæ passim hoc tempore Cinamomum & Canella appellatur: & Casia quædam nigra quam Officinæ Cassiam fistulam vocant. Plinius Casiam ab Hygino Cneoron appellari refert. Sunt autem Theophrasto ac Plinio auctoribus Cneorum.
Cneora duo: vnum cãdidum, folio carnoso, oblongo, figura quodammodo Oleagino simili, odoratum: alterum nigrum, nullius odoris. radix vtrique altè descendens, grandis. ramuli permulti, crassi, lenti, germinant florentque post Autumni æquinoctium, & multum denique temporis florent. Talis autem nequaquam Lauandula est, quæ nec crassa est radice, nec altè descendente, ramulis non lentis, & non Autumno, sed Æstate flores profert: proinde etiam nec Cneori aliqua species.

Est autem Lauandula, potentia ac viribus calida siccaque, & ordine quidem tertio, tenuium item partium & ex multis aëreis spirituosisque partibus constans: frigidis ea de causa capitis morbis quouis modo adhibita confert, & præsertim iis, qui non ex copioso humore, sed ex sola potissimùm qualitate originem ducunt.

Proinde

Proinde & stillatitius eius liquor odoratus, & temporibus ac fronti illitus, Catalepsi, leuiori Hemiplexia, & subinde Comitiali morbo, ac nõ rarò syncope laborantes reficit. Sed vbi humorum copia adest, præsertim sanguini permixtorum, non satis tutus huius vsus est: sicuti neque compositionis, quæ ex stillatitio vino in quo huiusccemodi herbæ, flores, semináve, & aromata quędam macerata sunt, conficitur, quam plerique temere & indifferenter exhibent.

Nam calidorum huiusccemodi caput implentium vsu, & morbus intenditur, & ęger in periculum inducitur: pręsertim quando sanguinis missio aut purgatio non pręcesserunt. Quod ideò monendum duximus, quia passim nonnulli medici indocti, & temerarij audacesque nimium pharmacopœi, aliæque stolidę mulieres statim similes compositiones, & id genus alia non modò apopleticis, sed & Catocho cum febri occupatis infundunt, quibus nihil potest peius dari, cùm plurimum obsint, & non rarò ipsos ægrotantes perimant.

De Stœchade. CAP. VI.

Stœchas.



Stœchas in Belgio nata.



1. STOECHAS caudice est vti Lauandula breui & lignoso, sed tenuiore: ramulis sine virgulis multis ac tenuibus, foliis circumuestitis oblongis, angustis, candicantibus, minoribus quàm Lauandulæ, comantibus in summo capitulis, siue spicis densis, compactis, breuibus & crassis, e quibus flores purpurei & pusilli exeũt; semen in his subnigrũ: radices lignosæ.
2. Huius verò & genus quoddã est, foliis foliolis differens, quod hæc margine serrata profert.

Hispania, Narbonensis Gallia, & Stœchades insulæ e regione Massiliæ, Stœchade herba siue frutice redundant.

In Germania ac Belgio è semine sata prima æstate facilè adolescit; sed hyeme, nisi intra ædes aut penuarias cęllas transferatur, perit; Hyemis siquidem & frigoris impatiens est.

A Dioscoride στίχας, ab aliis, ac à Galeno στοίχας, per οι diphthongum syllaba secunda: Latinè Stœchas Germani Stichas kraut: Hispani *Tomani, Cantuesso, & Cantuello*: Itali *Stechade*: Angli Frentch lauender vocant.

Florem Officinæ Stœcados nuncupant.

Cæterùm Stœchadis, Galenus inquit, temperies composita est, ex terrena essentia frigida exigua, vnde adstringit, & extenuata altera terrena copiosiore, à qua vtique amara est, obstructorumque

Stœchas folio serrato.



rumque verò conuenientiam, obstructione liberare, extenuare, extergere, roborareque tum viscera omnia, tum totum corpus est nata. Dioscorides decoctum eius tradit, velut Hyssopi, ad pectoris vitia facere, & antidotis vtiliter admisceri.

Posteriores medici Stœchadem, & præsertim flores eius, aduersus capitis dolores, & omnes eius ex frigiditate ac frigida causa morbos, valde efficaces esse affirmant: miscentur ea propter, omnibus ferè compositionibus, quæ aduersus Cephalalgiam diuturniorem, Apoplexiam, Catalepsin, Epilepsin, & similes affectus adhibētur.

De Thymo. CAP. VII.

THYMI duo apud veteres sunt genera: vnũ Cephaloton dictum; alterum durius.

1. Cephaloton multis exilibus ac tenuibus fruticat virgis, foliis exiguis & copiosis circundatis: capitulis in cacuminibus Stœchadis ferè similibus, sed minoribus, è quibus flosculi exeunt purpurei.

In Creta insula copiosum nascitur: vnde illi Cretico cognomen datum est. Dioscorides gracili solo & petroso prouenire scribit.

2. Durius Thymũ surculosum quoq; est, & perpusilla habet foliola; colore, quod vulgatissimũ est, virētia, & suaue odorata, cādida vero & graueolētiora, quod rarius est: flores verò nõ in capitulis aut spicis, sed iuxta foliola: radices tenues.

Thymum cephaloton.



Thymum durius.



Huius generis Thymo, Hispaniæ & Narbonensis Galliæ loca deserta & inculta abundant: In Germania, Belgio, & alibi in hortis studiosè colitur.


Græcis θύμος dicitur, Latine Thymus, & Thymum. Prior κεφαλωτός, id est, capitatus, & θύρσιον: Alter σκληρότερος, id est, durior, à Dioscoride, cap. De Epithymo, cognominatur. Plinius Thymi duo genera esse tradit: vnum candidum, alterum nigrius, ac nigricans appellat: & candidum præstare ait, ac in collibus nasci, lib. 21 cap 21. Vtrumque ad durius genus referendum videtur, nam vt scripsimus, durioris Thymi quoddam folia habet candicantia, aliud verò virentia, quod nigricans dicitur, quia saturo colore & non candicante vireat. Germani ac Belgæ Thymian/ Thymus: Galli *du Thym*: Itali *Thymo*. Hispani *Tomilho*. Angli Tyme nominant.

Thymum autem, vt Galenus tradit, in excalfaciendo exiccandoque in tertio statuendum est ordine, incidit & calfacit vehementer; ob id & vrinam & menses prouocat, fœtum excellit, viscera expurgat, educendis ex thorace & pulmone confert.


Potum, Dioscorides scribit, cum sale & aceto pituitam per aluum ducit. Decoctum eius cum melle Orthopnoicis & Asthmaticis prodest. Lumbricos vētris, menses, fœtus, & secundas pellit: vrinam cit. Mixtum melli & delinctum, faciles è thorace excreationes facit. Oedemata recentia cum aceto impositum discutit, sanguinis grumos dissoluit: thymos & ἀκροχορδόνας siue pensiles verrucas tollit. Ischiadicos cum vino & polenta impositum iuuat. Hebetibus oculis in cibo sumptum prodest. Vtile etiam pro condimento tempore sanitatis.

De Serpillo vulgari. CAP. VIII.

Serpillum vulgare.



Serpillum alterum.



1. VVLGARI Serpillo multi sunt exiles cauliculi, duri tamen & lignosi, nonnullis rectum palmi altitudine surgentes, alij repentes, & alicubi terræ superficiei exiguis fibris annexi: folia exigua, virentia, Thymi similia: capitula in cacuminibus rotunda, e quibus flosculi exeunt, colore rubente purpurei, non rarò etiam albidi: radices tenuissimæ ac fibrosæ.
2. Huius verò & species quædam, cuius cauliculi non serpunt: radix crassior, lignosa, tenui lanugine hæc quandoque tota incanescit, vt in Bohemiæ nonnullis collibus ac locis desertis.

Nascitur passim locis incultis, iuxta agrorum margines, pingui præsertim & fœcundo solo sub-

lo: subinde etiam locis petrosis: & non modò in Germania, Bohemia, aut Belgio, sed & in Italia ac Gallia sponte exit.

Tota ferè Æstate floris eius prouentus.

Germani Quendel/ Kunnel/ & Kienlin: Belgæ Quendel/ wilden Thymus/ & onser Vrouwen bedstroo: Hispani *Serpol* & *Serpillo*: Itali *Serpillo* Galli *Pillolet* Angli wild Tyme: Bohemi Materij Dausska Officinæ, Serpillum; plerique verò etiam Pulegium montanum nuncupant. Et passim quidem Serpillum veterum existimatur: non tamen tam Serpillis, quàm Saxifragæ Dioscoridis respondens. Si etenim diligenter, & ad Serpilli vtriusque, & ad Saxifrangæ descriptionem expendatur, exiguum Serpillis, plurimum verò Saxifrangæ simile esse comperietur. Veterum etenim Serpillum, quod quidem prius, præter quòd ramulis & foliis Origano simile est, in quantamcunque altitudinem adminiculo fultum, aut vicinis stirpibus innixum, crescit, & quandoque ex Ocimo per nimiam siccitatem mutato gignitur: alterum verò non serpit, & folio est Rutę, id est, Hyperici aut Centaurij minoris (vt alibi ostendimus) longiore. Serpillum verò vulgare humile est, frutices non conscendit, ex Ocimo non prouenit, & foliis est, multò quàm Hyperici aut Centaurij minoris, minoribus & breuioribus, omnino videlicet exiguis, ac Thymi, vt diximus, foliis similibus. Ex his Serpillum vulgare, non Serpilli veterum aliquam speciem, sed Saxifrangam Dioscoridis esse, palam est. Saxifrangam enim, ait, esse herbam Thymo similem, in petris nascentem. Serpillum autem vulgare Thymum foliis & capitulis refert, & non rarò in locis petrosis reperitur: propter eam siquidem quam cum Thymo similitudinē habet, syluestre Thymum & à Belgis, & ab aliis nominatur.

Verba Dioscoridis de Saxifranga sunt. Σαρξίφαγον, οἱ δὲ σαρξίφραγον, οἱ δὲ ἔμπετρον· Ῥωμαῖοι σαξίφραγα, θάμνος ἐστὶ φρυγανώδης ἐν πέτραις καὶ τραχέσι τόποις φυόμενος, θυμῷ ἐμφερής. hoc est, Sarxiphagon, alij Sarxiphrangon, alij Empetrum, Romani Saxifranga, frutex est surculaceus in petris & asperis locis nascens; Thymo similis. Exemplaria quædam ἐπὶ θυμῷ ἐμφερής legunt, sed emendatiora θυμῷ habent. *Saxifraga.* *Locus Dioscoridis restitutus.*

Facultate autem Serpillum vulgare calidum & siccum est, tertio penè ordine, tenuium item partium & incidens: menses euocat, vrinam cit: calculos expellit, & in balneis ac fomentis adhibitum, sudorem euocat.

Eadem ferè de Saxifranga Dioscorides memoriæ prodidit: cocta, ait, in vino febricitantibus opitulatur, stranguriæ prodest: singultum sedat. calculos vesicæ frangit: & vrinam cit.

De Serpillo ex Dioscoride, Theophrasto & aliis.

CAPVT IX.

SERPILLVM, Dioscoride auctore, duorum est generum: hortense & syluestre.

Hortense coronarium est, & odore Sampsychum refert: folia habet & ramulos Origani similia, multò candidiora; iuxta sepes relictum procerius assurgit.

Alterum non serpens sed erectum, ramulos emittit tenues surculosos: foliis refertos Rutę similibus, angustioribus tamen, oblongioribus, durioribusq́; flores gustu acres, odore suaues: radix inutilis. Nascitur in petris efficacius, & magis excalfaciens satiuo.

Theophrastus De historia stirpiū, lib. 6. Serpillum tradit ex suffruticibus esse, lignosis ac coronariis ac ramis & foliis tota sua natura odoratum, veluti Helenium & Sisymbriū: apud nonnullos etiam Thymum penitus redolere: summæ terræ adhærere, radice multifida tortidaq́; peculiarem illi auctionem germinum, quippe cùm in quantumuis longitudinis procedere valeat, nactum adminiculum, aut iuxta sepes aliquas satum: squalorem pati, atq; aquę paucæ indigum: nasci ex Ocimo per immodicam siccitatē degenerante; lib. De causis quinto, Ocimo videlicet ipso, minoris folij, sed odoris potentioris facto. Vnde colligendum, Serpillum Ocimo esse odoratius, & foliis minoribus.

Syluestre Serpillum idem, quoddam esse ait, quod deferentes ex montibus serunt, vt apud Sicyonem fieri solet, atque etiam Athenis ex monte Hymetto: apud alios verò, vt in Thracia montes & plana omnia Serpillo scatere. Syluestre autē istud, à Dioscoridis syluestri aliud est: sola etenim cultura ab hortensi differt: veluti Theophrastus ipse ostendit, ex montibus translatum seri referens.

Dioscoridi aduersatur Plinius lib. 20. cap. 22. vbi syluestre ait serpere, satiuum verò minimè. Serpillum, inquit, à serpendo putant dictum, quod in syluestri euenit maximè in petris. Satiuum non serpit, sed ad palmi altitudinem increscit.

Meminit Serpilli Ælianus variæ historiæ lib. 9. & ipsum inter flores numerare videtur. Dionysius Iunior, inquit, in Locrensium vrbem veniens maximas ciuitatis domos occupauit, easque Rosis, Serpillis, aliisque id genus floribus strauit. Virgilius tamen Bucolicōn Ecloga secunda, Serpillum herbam esse manifestissimè testatur his verbis:

Testylis & rapido fessis messoribus æstu
Allia, Serpillumq́, herbas contundit olentes.


Ex quo loco colligêdum sunt qui putent, vulgare Serpillum, verum & legitimum esse, quod videlicet non aliud passim in Italia sponte gignatur: quasi nullibi quàm in agro repens, & non in hortis seri potuisset.

Serpillum autem Græcis ἑρπυλλος καὶ ἑρπυλλον dicitur. Marcellus vetus auctor, à Gallis antiquitus Gilarú nominatú affirmat. vt verò Plinius Valerianus, ab iisdé Laurionuncupatur.

Excalfacit verò vsque adeò Serpillum, vt Galenus dicit, vt & menses & vrinas moueat: gustu multum est acre. Prodest etiam, vti Dioscorides addit, ad tormina, rupta, conuulsa, iecinoris inflammationes, & ad serpentium morsus, & potum, & impositum: capitis dolores mitigat coctum rosaceo permixtum: cum aceto irrigatum maxime quidem lethargicis, sed & phreniticis conuenit: sedat & sanguinis vomitus quatuor drachmis potus cum aceto succus eius.

De Ocimo. CAP. X.

Ocimum.



Ocimum minus.



1. 2. SATIVI Ocimi species magnitudine differentes duæ sunt vulgares, ambæ surculosæ, dodrantis aut pedis altitudine attolluntur, ramulis rotundis in plures alas diuisis. Et maior quidem folia habet lata, per margines leniter crenata, Mercurialis herbæ magnitudine & forma similia: minor verò minora: vtraque splendida, & dilutè virentia: flosculos exiguos, colore vel candidos, vel obscurius purpurascentes: semen exiguum, nigricans: radices oblongas, duras, non absque adhærentibus fibris: odor vtrique similis, nisi quòd maioris, species quædam reperiatur, quæ Citrium malum odore refert, quod Ocimum citratum appellant.

3. Matthiolus præter hæc duo Ocima, etiam tertium quoddam maximum reperiri, memoriæ prodidit, foliis Amaranti maioribus, longis, latis & crassis, Citriæ mali foliis similibus.

Seritur Ocimum in hortis & in fictilibus; celerrimè, vt Theophrastus auctor est, prouenit. Quod Soli expositum est, eodem teste, transit in Serpillum; quia vehementius siccatur; folio namque minus, odoreq́ue vehementius redditur.

Iunio ac Iulio Ocimum floret, & particulatim quidem, ac diu, ab imo incipiens.

Ὤκιμον, & per ω prima syllaba Ωκιμον Græci appellant, nonnulli etiam ὤζιμον: Latini Ocimum. Differt ab Ocymo, quod ostendimus in Frumentorum historia pabuli genus esse, & ad diffe-

Ocimum tertium maximum.



ad differentiam huius per *v* secunda syllaba scribitur, tametsi & per *v*, odoratum Ocimum quandoque scriptum reperiatur. Recētiores Βασιλικὸν, Latine Regium id est, quoque nominant: Officinæ, Basilicum: Germani Basilgen: Belgæ Basilicom: Hispani *Albahaca*: Galli *Basilic*: Angli Basill: Bohemi Bazalika: Itali *Basilico*, & quod minus est, *Basilico gentile*. Hispani idem *Albahaquilla*: plerique Basilicon Gariophyllatum hoc vocant.

Ocimum autem, auctore Galeno, ex secundo quidem est ordine excalfacientium, sed humiditatē habet recrementitiam adiunctam, ob quam commodum non est vt intra corpus sumatur: sed foris adhibitum ad digerendum concoquēdumque idoneum est.

Dioscorides Ocimū, ait, si multum edatur, visum hebetat, aluū mollit, flatus mouet, vrinā cit, lac euocat, sed ægre cōficitur: impositū verò cum polentę tenui farina, rosaceo & aceto, inflāmationibus medetur, & Draconis marini ac Scorpionis plagæ; per se & cū vino Chio, oculorū doloribus.

Succus oculorum caligines purgat, & defluxiones exiccat.

Semen potum prodest atram bilem colligentibus, suspitiosis, & vrinæ difficultate laborantibus: facit idem sternutationes frequentes, si per nares attrahatur: idem ipsa herba facit. Claudere autem oculos oportet, sternutatione vrgente.

Sunt qui Ocimū vitant, & non edunt, eò quòd commansum & in sole positū vermiculos gignat. Aphri adiciunt eos qui à Scorpione icti sunt, & ipsum comederunt, absque dolore permanere.

Recentiores, inter quos Simeon Zethy est, Ocimum tradunt olfactu cordi capitique prodesse: semē cardiacis affectibus succurrere: animi mœrorem ab atra bile ortum discutere, & hilaritatem lætitiamque procurare.

Ocimum syluestre Acinos.



De Ocimo syluestri vulgari, siue Acino.

CAP. XI.

QVOD recentiorum plerique Ocimum syluestre nuncupant, cauliculos promit complures quadrangulares, infirmos, terram versus reclinatos: folia ex interuallis bina contra se posita, parua, longiuscula, ac latiuscula, aliquantulū hirsuta & aspera, vti & cauliculi: flosculos è foliorum sinubus exeuntes, paruos, orbiculatim cauliculos ambientes, colore è candido nōnihil purpurascentes: semen exile: radices fibris cohærentes. Odore herba hæc multò quàm Ocimum est infirmiore; vtpote exili ac obscuro, sed tamen cum grauitate quadam non insuaui ad Calaminthes aut Ocimi accedente.

Exit multis Germaniæ ac Italiæ locis sua sponte, præsertim incultis & arenosis.

Æstate tota floret, & non tarò Septembri etiam mense.

Ocimum syluestre, vt diximus, appellant plerique recentiorum. Quod autem Ocimum syl-


uestre Plinio, alijs est Ocimastrum & ὠκιμοειδές. Ocimoides verò multum à præsente herbula differt. Siliquas siquidem Ocimoides habet, Hyoscyami siliquis similes, semine nigro, quale est Melanthij, prægnantes: huius autem semina minima sunt, & vasculis omnino exiguis continentur, nullam cum Hyoscyami cytinis similitudinem habentibus ita vt hinc herbulam istam, non esse legitimum Ocimum syluestre siue Ocimastrum euidens sit. Quam ob causam ab alijs non pro Ocimo syluestri, sed pro Clinopodio habetur. sed nec horum sententia laudanda videtur. Nam si propter florum secundum cauliculos ambitum, Clinopodium dici meretur, multæ aliæ eodem nomine nuncupandæ erunt vt, Calaminthes, Oruale, Hormini, Lamij, Dictamni, & Marrubij species quædam, Pulegiũ, Saluia, Scordium, Melissophyllon, Sideritis, Galeni Alysson, recentiorum Bugula & Cardiaca, similesque aliæ, quarum omnium flores orbiculatim cauliculos circundant, nulla tamen Clinopodium dicitur.
Acinus. Nobis hæc herba Acino haud dissimilis videtur. Acinon etenim Dioscorides ait, πόαν λεπτόκαρφον siue herbam tenuium sarmentorum, coronariam, Ocimo similem, sed hirsutiorem, & odoratam. Cum qua descriptione præsens nostra satis conuenit.

Facultate autem aliquantulum calida est & sicca, non absque adstringendi vi ac potentia.

Acinon verò Dioscorides tradit, menses & aluum sistere potum: impositum verò Phygethla & erysipelata curare.

De Dictamno. CAP. XII.

Dictamnum verum.



Dioscoridis error.

Officinarũ error.

DICTAMNO rotundiuscula, maiora quàm Pulegij, & spissa lanugine candicantia sunt folia: cauliculi tenues, in alas nonnullas diuisi, in quorum summo è squamulis compactæ dependent veluti spicæ, maiores crassioresque quam Heracleotici Origani, à quibus exigui flosculi exeunt. semen inter squamulas recõditur. Odorata tota est herba.

Nascitur in Creta insula, nec alibi tequirendam, non modò Veterum, sed & recentiorum est sententia. Dioscorides flore & semine carere contra omnem veritatem scribit. Floriferum esse post Theophrastum testatur Virgilius Æneidos XII.

Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem folijs, & flore comantem
Purpureo.

Δίκταμνος Græcis dicitur: Latinis Dictamnum, & Dictamnum Creticum, a nonnullis, vt Dioscorides testatur, γλήχων ἀγρία, siue Pulegium syluestre. Inter nothas appellationes extat & hæc eius nomina, ἔμβακτρον, βελονίκος, ἀρτεμίδιον, κρητική, ἐφήμερον, ἔλβιξ, βελοτόκας, διάβδιον, ἐλβούνιον, Vstulago rustica.

Officinæ pro Dictamno per c prima syllaba Diptamnum per p legunt, & leuis momenti error hic esset, nisi pro Dictamni folijs Fraxinellæ radices in vsum ducerent, quam falsò Dictamnum appellant.

Calidum ac siccum tertio excessu Dictamnum est, Pulegio facultate simillimum, sed essentiæ tenuioris. Fœtus mortuos & in potu assumpta, vel in pesso apposita, vel etiam suffitu educit: menses euocat: secundas expellit.

Succus cum vino contra serpentium ictus præsidio est. Tanta verò ei huius vis fertur, vt & olfactu bestias abigat venenatas. Produnt & in Creta capras sagittis vulneratas, huius pastu eas excutere.

De Pseudodictamno. CAP. XIII.

PSEVDODICTAMNVM legitimo Dictamno aliquatenus folijs est simile, quæ & candida lanugine conuestita promit. flores verò habet in verticillis cauliculos ambientibus, dilutè purpureos. cauliculis istud luxuriat complurimis, geniculatis, albida quoque lanugine hirsutis.

Pseudodictamnum.



hirsutis. radix tenuis, lignosa, altè descendit fibras spargens. Odor huic nullus, aut perquam exiguus est.

Multis in terris, Diosc. ait, nascitur, sed tamen in Germania ac Belgio non nisi satum prouenit, & in paucorũ hortis olim repertum.

A similitudine Dictamni ψευδοδίκταμνον nomen accepit: Latini similiter Pseudodictamum vocant: Officinis incognitum esse parum refert.

Calidum quoque ac siccum est, sed longè quàm legitimũ Dictamnũ facultate inferius. Præbet eosdem, Diosc auctore, effectus, sed inefficacius multò.

De Pulegio. CAP. XIIII.

PVLEGIO caules exeunt abunde multi, teretes, & veluti geniculis articulati, plurimi procumbentes, ac proserpentes, sese tamen, qui flores proferunt, attollentes. folia è singulis geniculis bina, subrotunda, quàm Maioranæ nigriora, læuioraq́, è quorum sinu vel exigui cauliculi, vel minutula prodeunt foliola: flores verticillatim cauliculos iuxta folia ambiunt colore cærulei, rarissime albidi. radix multis fibris cohæret. Odore tota herba potens est, & præsertim cùm in flore est, quem & stillatitius eius liquor retinet, si per vitrea organa extractus fuerit.

Pulegium.



Reperitur verò & huius aliud genus superiori cauliculis, flore, colore, læuore, & odore simile, cuius folia oblonga ad Polygoni accedunt. 2.

Locis gaudet palustribus, & quæ hybernis mensibus rigantur, incultis tamen.

Iulio & Augusto floret, & tunc quidem colligendum.

Græci γλήχων, quandoque & βλήχων & βλήχων appellant. Latini Pulegium: Officinæ Pulegium quoque, & subinde Pulegium Regale, ad differentiam vulgaris Serpylli, quod, vt diximus, Pulegium vocant montanum: Italis *Pulegio*: Hispanis *Poleo:* Germanis ac Belgis Poley aut Paleye: Gallis *Pouliot*.

Pulegium valde, vt Galenus ait, excalfacit, tertio nempe ordine, tum & valenter reficcat ac extenuat. Menses euocat, secundas & mortuos fœtus eicit in potu datum. crassa lentaq́; pulmonu pectoriq́; infarcta, eclegmatis admixtum, excreatu facilia reddit

Contra serpentum ac virulentorum animalium morsus vtilissimè in vino bibitur. Animo linquentes odore, addito aceto, reficit. Podagricis doloribus ex causa frigida, & præsertim coxendicis impositum prodest, si donec rubescat locus relinquatur, vt Diosc. scribit. Contra duritias vteri in desessionibus conuenienter adhibetur.

De Polio. CAP. XV.


Polium.



Polium tenuius.



Polium repens ac Polium tertium.



1. POLIO cauliculi assurgunt numerosi, tenues, teretes, duri, ac lignosi, palmo haud multo altiores: folia per interualla hos conuestiunt oblonga, latiuscula, sed quàm Chamædryos angustiora, per margines serratim incisa. in virgularum fastigiis flosculi candidi, quos capitula proferunt vnà cum foliis ac cauliculis albida lanugine incanescentia. semen pusillum nigricat. radix fibras demittit.

2. Alterum superiore minus ac tenuius est: cauliculi quoque teretes ac duriusculi: folia minora & angustiora: flosculi è capitulis eminentibus albidi. Incanescit & istud, ac tenui candidaq; lanugine pubescit. Vtrumq, od oratum est, sæpenumero, quod minus, odoratius. C. Clusius & minus quoddam odore infirmius refert.

Præter

Polium quartum etiam repens.



Præter hæc verò & quoddam ἐπιγειόκαυλον est Polium, cuius numerosi cauliculi humi plurima parte decumbunt: folia latiora quàm primi, ambitu quoque serrata: capitula in summis virgis, è quibus flosculi quoque candidi. Tota quoque hæc lanugine tomentosa inalbida, & cum grauitate quadam odorata. 3.

Huic simile, cuius cauliculi teneriores repunt, & fibris quandoque demissis terræ sese affigunt: folia huius & breuiora ac minora, sed non minus serrata: Copiosa & hæc lanugine vnà cum capitulis conuestitur: flosculi non è capitulis modò, sed & secundum folia exeunt purpurei, aut albidi: Duo siquidem huius genera, sed coloris floris tantummodo differentia. Odore autem hæc reliqua superant. 4.

Est verò & inter hæc quoddam medium, cuius tenues cauliculi partim rectè assurgunt, partim terram versus inclinantur. huius tenelli ac recens nati, molles, lanuginosiq; ramuli è virore lutei apparent: flores quoque pallide lutei, sed reliqua stirps aliorum more incanescit. 5.

Hæc Polij genera olim me obseruare memini Mechliniæ in ampliss. horto generosi viri Ioannis Brancionis: Nascuntur verò horum quædam 1. 2.
in Italia, Thracia, Macedonia, ac nõnullis in Hispania locis. Tertium C. Clusius in maritimis 3.
Valentini regni, ac in Hispania Bętica à se repertum scribit: quartum verò in agro Murciano: 4. & 5.
quintum in Granatensi & Valentino regnis.

Florent quædam Martio: alia serius; præsertim in Belgij hortis, vbi Aprili aut Maio demum flores videre contingit.

A canitie Græcis πόλιον nomen accepit: Latini vocem seruant: Dicitur verò & Officinis Polium.

Primum à Plinio Campestre appellatur: Duo, inquit lib. XXI. cap. VII. Polij genera, Campestre maius: syluestre, quod minus est. ab Hispanis *Altamiza*.

Alterum Diosc. πόλιον ὀρεινὸν, id est, Polium montanum, & πύθειον dicitur & spuriis vocabulis φαλαγγίτιδιον, ἀχαιμενίς, ἐβενίτης, μάλοσμον, θέλιον, λεοντόχαιρον. Atque horum duorum Diosc. Galenus, Paulus, Aetius, & inter Latinos Plinius tantummodo meminerunt.

Suspicantur nonnulli Polium Leucadem esse, & de ea herba sub diuersis nomenclaturis Diosc. bis egisse: conueniunt genera, nominis occasio & facultates. Leucadis duæ, vna ὀρεινὴ, id est, montana, altera ἥμερος, quæ latioribus foliis, veluti Polium campestre, traditur: Ab albido colore λευκὰς dicitur: πόλιον à canitie, quòd canis hominis simile appareat: Quicquid autem incanescit albidum est. Facit huc quod Aëtius Leucadis non meminerit, veluti à Polio haud differentis. Plinius lib. XXVII. cap. XI. Leucem quandam herbam nominat, quam fortasse eandem esse cum Leucade dicta scribit. Leucem autem Mercuriali similem esse, & nomen ex causa accepisse, ait, per medium folium linea candida transcurrente: quare Mesoleucon quidam vocant. Ostendit his verbis se Leucadem herbam qualis sit ignorare: Sicuti neque de Polio sese explicare satis potuit. lib. siquidem XXI. cap. VII. vbi de Polio, quędam Tripolio à Dioscoride attributa interserit, Polium cum Tripolio confundens.

Λευκάς. *Plinius notatur.*

Tertium autem Polium fortassis non abs re παράλιον ac marinum cognominari poterit. 3.

Quarum vtrumque apud Hispanos pro Chamæpity vulgò haberi, luculentissimus testis est Carolus Clusius, dicique ab ipsis Zamarilla. 4.

Cæterùm facultate Polium, quod minus, auctore Galeno, ex tertio est ordine desiccantium: secundo verò completo excalfacientium; & acrius ac amarius quàm maius, quod & amarum gustantibus & modicè acre est.

Hydropicis, inquit Dioscorides, regio morbo, & lienosis auxiliatur: Vrinas & menses cit. substratum ac suffitum serpentes abigit. magna vulnera recens nondumq; resiccatum glutinat impositum: aridum verò ad rebellia vlcera facit. Ad antidota minoris est vsus.

Origanum Heracleoticum.



Origanum syluestre.



ORIGANI duo prima genera Dioscoridi sunt, Heracleoticum scilicet, & syluestre.

1. Heracleoticum cauliculis erigitur rotundis, quandoque subrubentibus, ramosis, pedem plus minus altis: foliis latis, rotundis paulò longioribus, quàm syluestris Origani minoribus & albidioribus: in fastigiis virgularum squamatim compactæ, paruæ, oblongæ prominent veluti spicæ, è quibus exigui flosculi candidi exeunt: semen exiguum est.

Origanum Onitis. Huic simile, genere haudquaquam differens Dioscoridi Origanum Onitis est. Quæ Onitis, inquit, appellatur, candidiore est folio, & hyssopo similior: semen veluti coniunctos corymbos habet.

2. Syluestre Origanum tenues quoque ac rotundos habet cauliculos, dodrante altiores: folia subrotunda, maiora & hirsutiora quàm Pulegij: flores in vmbellis dilutè rubentes, quandoque albidos; quibus succedunt semina parua subrubentia.

3. Præter hæc verò & aliud Origani genus in Belgio colitur, quod Anglicanum cognominant: humilius istud quàm cætera: folia quoq; minora, virentiora, & minus aspera; vmbellæ similiter contractiores, è quibus flosculi purpurascentes. radix duriuscula.

1. Nascitur Origanum Heracleoticum in Creta, ac aliis calidioribus regionibus, inter quas sunt Hispaniæ regna, vnde Antuerpiam resiccatum infertur.

2. Syluestre Origanum non modò in calidioribus regionibus, sed & in Germania repetitur secus margines agrorum, viarum, & hortorum: transfertur etiam ad hortos & loca culta.

3. Anglicarum cognomento non memini me alio loco, quàm in hortis videre.

Æstiuis mensibus Origana florent. semen deinde perficitur.

1. Origanum Græcis ὀρίγανος. & quod Heracleoticum cognominatur ὀρίγανος ἡρακλεωτικὴ à nonnullis Cunila: In Officinis Belgij Origanum Hispanicum: huius verò altera species ὀρίγανος ὀνῖτις, vt in Dioscoridis exemplaribus: In Galeni verò ὀνίτις: apud Plinium similiter Onitis est, per ἰῶτα.

2. Syluestre Origanum ἀγριορίγανος dicitur; quod aliqui Panaces Heracleum, πάνακες ἡράκλειον, & Cunilam appellant, inter quos est Nicander Colophonius, auctore Dioscoride. Differt tamen non parum ab eo Panace Heraclio, ex quo Opoponax colligitur. Officinis Or-

Origani vox nota est: Italis *Origano:* Hispanis *Oregano, Orenga:* Germanis Wolghemut/ & Dosten vocatur: Belgis Groue marioleyne: Gallis *Origan, & Mariolaine bastarde:* Bohemis Dobramysl.

Tertium vnde Anglicani cognomen admiserit non constat: Heraclij est species, si modò, Plinio auctore, plures huius fuerint. 3.

Heraclium, inquit lib. xx. cap. xvii. tria genera habet. Nigrum latioribus foliis, glutinosum. Alterum exilioribus mollibusque, Sampsucho non dissimile, quod Prasion aliqui vocare malunt: Tertium inter hæc medium. Cum altero autem Heraclij Panacis genere, tertium nostrum conuenire apparet.

Omnia autem Origana incidendi, extenuandi, resiccandi, calfaciendique facultatem, & quidem tertio ordine obtinent, & syluestre quidem valentius esse Galenus tradit. Est tamen Heracleoticum, quod ex Hispanis resiccatum adfertur, acrius syluestri, vel in hortis, vel in agris apud Germanos nato.

Cæterum cum vino Origanum exhibitum aduersus venenatorum morsus & ictus prodest, & iis qui Meconium aut Cicutam biberunt, cum passo.

Decoctum Origani vrinas cit, menses euocat, & vtiliter hydropicis exhibetur.

In eclegmate veteri tussi medetur, & pulmonem expurgat. Scabiem, pruriginem, psoras in balneo insessu curat; emendatque à Regio morbo colorem. Aridum acetabuli mensura cum aqua mulsa sumptum, per aluũ atros humores educere, Dioscorides & Plinius scribũt.

Succus cum lacte infusus aurium dolores sedat: cum oleo verò Irino permixtus, & per nares attractus pituitam detrahit. herba substrata serpentes fugat.

De Tragorigano. CAP. XVII.

Tragoriganum.



Tragoriganum Clusij alterum.



TRAGORIGANO caulículi sunt tenues, duri, ac lignosi, colore subnigricantes: folia minora quàm syluestris Origani, quàm vulgaris Serpylli maiora, odorata, aspera, & nonnihil hirsuta: flosculi exigui in verticillis cauliculos superna parte ambiunt, colore purpurascentes. radix parua ligni duritiem habet.

In Foroiuliensi agro Tragoriganum nasci Matthiolus tradit: verùm an illius, cum isto idem sit, in tanta ipsius breuitate incertum relinquitur. Sunt qui existiment quod descripsi-

mus,

mus, à Matthiolo pro Maro ostendi, à quo multum differt; Marum enim non in orbiculatis verticillis floret, sed Origani Heracleotici modo ab exiguis veluti spicis flosculos promit.

Apud Belgas in hortis φιλοβοτανῶν, & stirpium cognitionis studiosorum olim obseruatum memini, in quibus Augusto mense cum flore conspiciebatur.

1. Exhibentur verò & alia duo Tragorigana à Clusio in Hispaniæ regnis reperta. Vnum lignosis, cubitalibus ferè cauliculis: foliis mediæ inter Origanum & syluestre Serpyllum magnitudinis: floribus orbiculariter cauliculos ambientibus (quale quod descripsimus) sed folia eius incanescunt, & flores candidi sunt, quibus differt.

2. Alterum tenerioribus surculis humilius, foliis angustioribus aliquantulum incanis: floribus albidis, quandoque purpureis, & quàm alterius maioribus, eodem modo iuxta summas virgulas enascentibus. Nec repugnat duo esse Tragorigana: Dioscorides siquidem Tragoriganum vnum latius virentiusque, alterum exilibus surculis ac tenuibus foliis, inueniri refert.

Dicitur autem hæc stirps Græcis τραγορίγανος: Latinis similiter Tragoriganum: quod verò tenerius πράσιον, Prasium, Officinis & vulgò incognitum est.

Facultate Tragorigana tertij quoque ordinis sunt resiccantium ac excalfacientium, veluti Origana: adesse, ait Galenus, adstrictionis quippiam.

Tragorigani, ait Dioscorides, potio mitis & grata est cibum fastidientibus, acidum ructantibus, imbecillo ventriculo, etiam vbi à maritima iactatione nausea & æstus præcordiorum excitantur. Lienosis ex aceto bibere prodest.

Contra Ixiæ venenum in vino bibitur: vrinam cit: menses ducit: in eclegmate tussientibus datur. Decoctum epotum bilem expurgat. Cum polenta œdemata discutit impositum.

De Hyssopo vulgari. CAP. XVIII.

1. Hyssopus ex Codice Cæsareo.



2.

HYSSOPVS vulgaris vsus caules erigit dodrantales, aut altiores, duros, ac lignosos, in virgulas aliquot diuisos, ab imo ad fastigium vsque foliis circumuestitos oblongis, veluti Polygoni aut Lauandulæ, sed minoribus, saturatius virentibus, ac odorans, quæ sursum versus sensim minora fiunt. flosculi è suis conceptaculis, quinis senis septenisve iuxta folia consurgentibus, à medio fastigium petunt, cauliculos tamen non orbiculariter ambientes, sed ad vnum tantum latus exeuntes, colore eleganter cærulei, quandoque, sed rarò, albidi, Echij floribus quodammodo similes, sed minores; staminibus etiam aliquot mediis, è quibus minutissima stamina dependent purpurea. radix dura, lignosa aliquot annis restat.

Passim in hortis Germaniæ ac Belgij colitur.

Floret Iulio ac Augusto mensibus.

Huic similem aliam reperiri quidam ferunt cauliculis breuioribus, & plurima parte humum versus reclinatis: foliis paulò nigrioribus ac crassioribus: flosculis verò in cacumine in breuis spicæ modum digestis, colore quoque pulchrè cæruleis, & superioris forma similibus. Verùm hæc species rarissima.

Hyssopum hanc passim Officinę & vulgò appellant. Germani ac Belgæ Ispen aut Hysope. Itali *Hyssopo*: Hispani *Isopo*: Galli *Hyssope*. An autem veterum legitima Hyssopus sit, non parùm, nec temerè, ambigitur: Tametsi enim Hyssopi veluti omnibus cognitæ nullis notis Dioscorides exposuerit, extant tamen quædam de eius forma alibi, quæ vulgari Hyssopo nequaquam respondent. Origanum Heracleoticum folium habet Hyssopi similitudine. Chrysocome comam habet corymboidē similem Hyssopo. Plinius lib. XXVII. cap. XII. Stœchade eo, ait, odoratam herbam, coma Hyssopi. Accedit icon ipsius Hyssopi, quæ in perquàm vetusto Cæsareæ bibliothecæ exemplari reperitur, foliis latis, Origani similibus, & capitulis in summis virgis cæruleo-

Hyssopus Codicis Cæsarei.

eminentibus. Atque ex his non esse legitimam, quæ vulgò pro Hyssopo habetur, manifestum est.

Cæterùm quod ad facultates vulgaris Hyssopi attinet, gustabilis huius qualitas acris, cum nonnulla amaritudine coniuncta, calidam ipsam esse ostẽdit, & siccam 3°. ordine, tenuis quoque essentiæ, ac expurgandi vim habere. Non inutiliter idcirco, imò efficaciter, ad omnes pulmonis ac thoracis frigidos morbos in eclegmate, aut alio modo vulgaris Hyssopus adhibetur. Obstructiones aperit; crassa incîdit lenta attenuat, & vt facilius expuantur, præstat.

Cum carnibus bubulis decocta non insuauiter ex iure editur, ori ac ventriculo grata: vrinas verò etiam mouet, & ad vrinæ stillicidium vtilis est.

De Thymbra. Cap. xix.

Thymbra.



THYMBRA vulgari Hyssopo similis esset, nisi humilior ac tenerior foret: virgulas emittit complures foliis vndequaque circundatas angustis & acuminatis, longioribus quàm Thymi: inter quæ flosculi, è paruis vasculis ab imo fastigium vsque exeunt, candidi, aut dilute purpurei, hoc modo veluti herbaceam spicam efformantes, quæ, postquàm flosculi emarcuerunt, manifestior. radix dura ac lignosa.

In Germania ac Belgio temerè fuerit alibi quàm in hortis quærere. Fertur in Narbonensi Gallia locis quibusdam asperis & incultis prouenire. Bellonius huic haud dissimilem, si non eadem, in Tyrrheni maris littoribus nasci refert, ex obsoleta tamẽ purpura albicantem.

Iulio ac Augusto apud Germanos ac Belgas cum flore reperitur.

Græcis θύμβρα est, nec aliud Latinis nomen verè habet. Nam quòd Satureiam interpretes dici velint, Columellæ Latino scriptori repugnat, qui inter Thymbram & Satureiam manifestum discrimen ostẽdit lib. x. vbi Satureiam Thymi ac Thymbræ saporem præ se ferre scribit:

Et Satureia Thymi referens Thymbræq́ saporem.

Quod & lib. IX. cap. IIII. satis manifestis verbis docet: Tum etiam Thymbræ, inquit, vel nostrates Cunilæ, quam Satureiam rustici vocant. A vulgo, aut in Officinis, Thymbra nullum nomen accepit

Facultas autem Thymbræ calida & sicca tertio excessu: attenuat, incîdit, meatus expurgat: breuiter, omnia quæ Thymum potest & præstat.

De Satureia. Cap. xx.

SATVREIA tenui ac fragili cauliculo assurgit, pedem plus minus alto, & in ramulis diuiso: foliis angustis, minoribus quàm Hyssopi, Thymbræ æmulis, sed iuxta ramulos tatioribus: flosculi secundum folia candidi sunt aut dilutè purpurei: semina parua subnigricant: radix fibrosa.

In hortis vbique ferè seritur: annua est herba.

Eodem quo sata est anno floret, semen facit, ac deinde perit.

Latinis Satureia appellatur: à Columella verò etiam Cunila: Dicitur & syluestre Origanum à nonnullis Cunila, sed legitima Cunila Satureia est: Germanis Garten ysope/ Kunell/ Saturey/ & Sadaney: Brabantis Cuilen, nomine vt apparet à Cunila detorto, item Saturey: Italis *Sauoreggia*: Hispanis *Axedrea, Sagorida*: Gallis *Sariette, Sarrsette*.

Non dissimilis autem Satureia ab illa Thymbræ specie, cuius Dioscorides cap. De Thymbra

Satureia.



I.

bra meminit; γίνεται, inquit, δ' ἡ καὶ ἀσπερμὴ θύμβρα. Hæc etenim verè ἀσπερμὴ, id est, ex semine nata dici potest, singulis etenim annis, vt diximus, seri debet: altera verò durabilis naturæ radicem obtinet.

Porrò Satureia calida quoque ac sicca, & tertio quoque ordine, sed minus tamen quàm Thymbra, qua mitior est: atque idcirco etiam, vt Diosc. ait, εὐχρηστοτέρα πρὸς βρῶσιν, id est, in cibis commodioris vsus.

Attenuat autem & flatus insigniter discutit, proinde vnà cum Faselis, & aliis leguminibus flatuosis vtiliter coquitur ac editur: Imò ventrem calens in fomento apposita, vteri ex flatu strangulatus mox sedat.

De Saluia. CAP. XXI.

RECENTIORVM obseruatione duplex Saluia est; maior videlicet, & minor.

Maior quadrangularibus, lignosis caulibus, in alas effusis luxuriat, circa quos folia lata, oblonga, rugosa, aspera, subalbicantia, Verbasci syluestris foliis satis similia, sed scabriora, ac minus candicantia, attritorum ex lana vestimentorum scabritiem referentia. flores in summis ramulis eminent falcati, Lamij aut Oruala similes, colore cæruleo purpurascentes; succedente in receptaculis semine subnigricante. radix dura ac lignosa fibras demittit.

Huius vna reperitur species nonnullis foliis,

Saluia maior.



Saluia minor.



vel totis, vel partim albida: item & alia, cuius foliorum pediculi ac neruî, tum & recens enata foliola rubent.

Minor Saluia fruticosa quoque stirps est, alas in latitudinem expandens priori similis, sed 2.
minor. caules huius teneriores sunt: folia oblonga, minora, angustiora, sed non minus scabra; quibus, parte qua pediculo insistũt, duo hinc inde foliola exigua adnascũtur, pinnarũ aut auricularum quadam similitudine: flores spicati, veluti superioris cærulei: radix quoque lignosa. Cum grauitate quadam, sed minimè molesta, odorata vtraque est, & præstat, quæ minor.

Locis asperis, & incultis nonnullis spontè nascitur: & minor in campestribus Hispaniæ: in Massiliensi agro: in compluribus Italiæ prouinciis: in Creta quoque insula gignitur, vbi subinde quædam cauliculorum pars, præsertim inter genicula media, in tantam crassitudinem extuberat, vt Gallarum magnitudinem & similitudinem assequatur. Cuiusmodi Saluiam memini mihi olim ab excellentiss. viro Iacobo Antonio Cortuso missam.

Maior Saluia subinde locis asperis & rudératis in Germania repetitur.

Vtraque autem ad hortos à Belgis transfertur, sed minor frequentiùs.

Florent Saluię Iunio ac Iulio, vel etiã serius. Martio commode transferũtur ac plãtantur.

Saluia Græcis ἐλελίσφακος: à nonnullis ἐλαφόβοσκον, & σφακόν: Officinæ vna cum Italis ac Hispanis Latinam Saluiæ appellationem retinent: Germani Salbey: Galli *Sauge*: Belgæ Sauedeunt. Inter nothas verò appellationes & hæc nomina occurrunt, κίοσμις, φάγνον, βέκιον.

Excalfacit autem Saluia euidenter, & non minus reficcat: ad tertium vtriusque qualitatis ordinem pertinet, aut secundum intensum: adstrictionis quoque non exiguum obtinet.

Foliorum ramulorumque Saluiæ decoctum vrinas mouet: menses item & fœtus extrahit, auctore Dioscoride. Sed sanior Aëtij sententia, qui hanc menses compescere & conceptum retinere memoriæ prodidit. Tradunt, inquit, quidam suffitam Saluiam menses immoderatè fluentes, & omninò muliebre profluuium compescere. Agrippa sacram herbam vocauit, quam prægnantes mulieres, si fluidæ laxæque fuerint, vtilissime comedunt, continet enim conceptum, vitalemque reddit: ac si succi huius heminam cum modico sale quarto à secubitu die mulier potauerit, deinde viro misceatur, procul dubio concipiet. Hæc ille. Vtilis autem imprimis Saluia capiti ac cerebro est: sensuum ac memoriæ vim intendit: neruos roborat, humoreque resolutos sanitati restituit, tremores tollit: naribus indita pituitam è capite elicit. Commendatur verò & sanguinem expuentibus: tum & aduersus tussim laterisque dolores, & ad serpentum morsus.

Saluia agrestis siue Sphacelus.



De Saluia agresti, siue Sphacelo.

CAP. XXII.

AGRESTIS quæ Saluia appellatur, cauliculos erigit quadrangulos, nonnihil hirsutos, circa quos folia Saluiæ quidem æmula, sed breuiora, latiora, molliora que: flosculi è cauliculi & adnatorum ramulorum vno erumpunt latere hiantes, ac falcati, veluti Lamij, sed minores, in albido pallentes. succedunt semina in singulis pericardiis quaterna nigricantia. radix fibrosa: stirps annua est. Odore minus quàm Saluia graueolet, & vinosum quiddam spirat.

In syluis frequenter reperitur, & iuxta sepimenta & agrorum margines. Solo gaudet aliquantulum macro, non tamen omnino sterili aut sicco.

Iunio, Iulio, ac Augusto mensibus cum flore ac semine viget; & tunc quidem colligenda ac reponenda est.

Recentior ætas Saluiam appellat agrestem: nonnulli verò & Ambrosiam, sed vera Ambrosia ab hac differens est. Valerius Cordus Scordoniam nominat. Ruellius Galliæ rura *Boscsaluiam* vocare refert. & Polemonium esse iudicat, quod veritati repugnans est. Germanis waldt salbey: Brabantis wilde saue.

σφάκελος. Videtur autem Theophrasti esse σφάκελος, cuius folium contractius, & minus quàm Saluiæ squallens esse, ait, quale huius esse ostendimus. addit Saluiæ folium βαρύτερον siue grauеolentius ac scabrius esse, quod ita se habet: Nam Saluiæ vtriusque odor grauior quàm huius, & folium scabritie attritis vestimentis similius. Nec est quod minor Saluia pro Sphacelo habeatur, vt quibusdam videtur, cum non minus sit scabra quam maior, qua & odoratior.

Calida autem & sicca facultate Saluia agrestis est, minus tamen quàm Saluia, in secundo idcirco vtriusque qualitatis ordine consistens. Commendatur ad rupta, cæsa, ac vulnerata datur & ex atro præcipitatis decoctum eius. vrinas verò etiam prouocat. Sunt qui huius decoctum lue venerea infectis non infeliciter propinent: Nam & sudores mouet, vlcera siccat, humores digerit, tumoresque discutit ac resoluit, si triginta aut quadraginta diebus assumatur.

De Oruala. CAP. XXIII.

Oruala.



Oruala altera.



1\. ORVALÆ species prior (eius etenim tres aut quatuor numerantur) quæ propriè Oruala nuncupatur, caules promit crassos quadrangulos, duos pedes longos, in alas diuisos: folia & è radicibus multa, & secundum caules ex interuallis bina contra se posita, magna, palmum lata vel ampliora, aliquantulum aspera, inæqualia, albicantiaque, ac nonnihil vti & caules hirsuta: flores forma florum Saluiæ aut Lamij, colore ex diluto cæruleo candicantes, post quos oblonga denticulata vascula pro siliquis, in quibus semen nigrum: radices verò fibrosas. Tota herba grauem fortemque spirat odorem caput opplentem, & maturato semine interit, quod altero fit à satione anno.

Seritur ab olitoribus in hortis. Iunio ac Iulio floret.

Gallitricum Officinæ nuncupant. Dicitur & Oruala siue Oruala, Tota bona, Sclarea, Scarlea, Centrum Galli, Matrisaluia: ab Italis *Sclarea*: à Gallis *Oruale*: à Germanis Scharlach: à Belgis Scharleye: ab Anglis Clarye. Falluntur qui Alectorolophon existimant. Alectorolophon in Frumentorum siquidem historia multum ab Oruala differentem ostendimus. Videtur autem hæc Orualæ species, Horminum syluestre, quod Dioscorides ait, viribus magis pollere. Inter omnes etenim Orualæ ac Hormini species, nulla odore aut viribus hac potentior est.

Altera

Oruala tertia.



Oruala syluestris, species quarta.



Altera Oruala species, caules habet similiter quadrangulares, cubitales: folia quoque aspera, scabra, sed minus albida, ac minora: flores similes colore purpureos aut cæruleos: radices vti prioris. Odore hæc minus pręstat, omnino exiguo prędita. In Pannonia, Norico, Bauaria, siue Vindelicia, plerisque & aliis Germaniæ ac Galliæ, locis gignitur herbosis, subinde saxosis. 2.

Floret eodem quo prior tempore.

Baccharim esse, sunt qui putent, eorum autem sententia quàm sit probanda, ostendet Baccharis descriptio, quam à subsequente proximum dabit caput.

Tertiæ Orualæ, caules quoque quadrangulosi & nonnihil hirsuti sunt: folia per ambitus serrata, Orualæ prioris similia, sed minora: flores lutei: semen subflauum, nigricans: radix fibrosa, durabilis naturæ, & multis annis permanens 3.

Apud Belgas à nonnullis in hortis seritur; in Alpibus autem Italiæ iuxta Tridentum, sponte gigni fertur. Æstate floret.

Horminum luteum & Horminum Tridentinum à plerisque appellatur.

Potest his, & quarta addi species, quæ pro syluestri Hormino à Fuchsio depingitur: cauliculi huic breuiores, cæterùm hirsuti quoque & quadrangulares: folia minora, oblonga, profundius incisa: flores cærulei odorati, sed quàm Orualæ minus: siliquæ per maturitatem deorsum nutant: semen nigricans: radices similiter nigræ & fibrosæ. 4

In Bohemia herbosos conuestit colliculos & aruorum margines: Fuchsius Germaniæ prata exornare scribit, suaq; sponte in iis nasci.

Tempore florendi cum superioribus conuenit.

Orualæ & Hormini hæc quoque species, sed iners, & nullius facultatis esse videtur.

At prior, quam diximus propriè Orualam dici, calida & sicca est ordine tertio, menses modo quouis sumpta mouet: secundas eiicit: ceruisiæ aut vino permixta ebrietatem facit, caputque implet.

Anthonius Mizaldus semen Orualæ vtile tradit, ad excutiendam oculorum caliginem, & educenda ea, quę in illos inciderunt: in oculum siquidem immissum, & multa reuolutione circa bulbum eius circumductum, tandem humore prægnans, & tenuibus membranulis ac sordibus onustum elabitur.

De Hormino. CAP. XXIIII.

Horminum.



HORMINVM Orualæ etiam quædã species est, sed reliquis minor. caules promit complures, dodrantem aut pedem altos, angulosos similiter, subhirsutos folia lata, rotúdiuscula, subaspera, Orualæ multo minora, Marrubij ferè similia, quorũ quatuor aut sex superiora, purpureo nigræ Violæ colore, sed tamen diluriore emicãt. flores iuxta folia cauliculos ambientes, colore purpureo diluto albicantes semen exiguum, oblongum, nigricans, in oblongis receptaculis, veluti siliquis, quę maturato semine radicem versus spectant. radix lõga, tenuis, non absque fibris.

Peregrinum Belgio Horminum est, & aliunde in hortos illatum.

Æstiuis mensibus florum eius productio, semen interea maturatur.

Ὅρμινον Græci · Latini Horminum & Geminalem appellant.

Calidum autem, vt inquit Paulus Ægineta, Horminum est, mediocriter siccum & abstergens. Hormini semen, Dioscorides ait, putatur cum vino potum Venerem excitare: verum cum melle, argema & albugines oculorum depurgat· cum aqua impositum œdemata discutit, & aculeos extrahit. Idem herba imposita facit. Galenus in libris De alimentorum facultatibus, de Hormino· Hoc quoque, ait, frixantur, deinde eatenus læuigant, vt farina euadat, mel quoque ei admiscent. Parum in sese habet alimenti, vt quod mediæ inter Erysimum & Cuminum sit naturæ.

De Bacchare, ex Dioscoride & aliis. CAP. XXV.

BACCHARIS, auctore Dioscoride, odorata & coronaria est herba, cuius folia τραχὺ, ἀλλὰ est, aspera, aliâs δασέα, hoc est, densa sunt, magnitudine inter Violam & Verbascum media· caulis angulosus, cubitalis, subasper, παραφυάδας, id est, iuxta adnatas propagines habens: flores purpurei, subalbicantes, odorati: radices Veratri nigri similes, odore Cinamomi.

Amat aspera & squalida loca Gracili solo nec humido prouenit: Plinius.

Βάκχαρις Græcè dicitur, aut πάκχαρις quasi πάνχαρις, vt plerisque placet: à quibusdam Nardum rusticum appellatur, vt Plinius lib. 21. cap 6 testatur. Quin & ipse Plinius lib 12. cap 12. Nardum rusticum appellat Sed lib. 21. cap 19. perperam ita dici refert, statim videlicet, vt quosdam errore falso Barbaricam eam appellare scripsit Sed eorum quoque error, inquit, corrigendus est, qui Baccar, rusticum Nardum appellauere. Est enim alia herba sic cognominata, quam Græci Asaron vocant. Idem eodem lib. cap. 21. Baccharim quosdam Perpensam appellare ait Perpensa autem si Asarum est, veluti inter nothas & ascriptitias voces reperitur, non minus horum error, quàm priorum refellendus. Nam Baccharis & Asarum

non parum differunt, vti Plinius testis est, & ex vtriusque descriptionibus collatis euidens. Proinde & perperam Officinæ Asarum, Asaram bacaram nuncupant, nomine ex Asaro & Bacchari composito, quasi idem sit Asarum & Baccharis. Qui error ex eo videtur manasse, quòd inter nothas Asari appellationes, Baccharis vox etiam reperiatur: aut quòd Baccharim Crateuas Asarum nuncupauerit. Quod siquidem Crateuas Asarum nominat, Dioscoridi nequaquam Asarum, sed Baccharis est. Nam Asarum Dioscoridis caule caret: odoratum non est, nisi solis radicibus: nec etiam coronarium, si, vti Plinius ait, vocitatum sit Asarum, quoniam in coronas non addatur. Asarum autem Crateuæ caules facit, & odoratum ac coronarium est. Patet ex ipsa descriptione, quæ sic habet. *Officinarũ error.*

Asarum odorata & coronaria est herba: caules eius geniculati: folia *δασέα*, id est, densa: flores purpurei. radix boni odoris, similis Veratri nigri, odore Cinamomo similis. Nascitur in asperis & squalidis. *Asarum Crateuæ.*

Ex quibus verbis manifestissimum est, Asarum Crateuæ idem cum Dioscoridis Bacchare, & ab Asaro eiusdem esse differens: & malè inter nothas voces Asaro Baccharis nomen attributum. peius verò adiectum Asarum coronariam & odoratam esse herbam, quod inter notha, etiam asscriptum reperitur.

Meminit Baccharis etiam Virgilius in Bucolicis Æcloga septima, & nõ modò coronariam eam esse stirpem ostendit, verumetiam fascini depulsoriam:

——Bacchare, inquit, *frontem*
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Est & Baccharis vnguentum apud Athenæum lib. 15. quod à Bacchare odorata herba nomen habere potest. Nam, vti Plinius, vnguenta ex ea radice fieri solita, apud antiquos Aristophanes priscæ Comœdiæ Poëta testis est.


Cæterum Baccharis, vt Paulus Ægineta paucis complexus est, radicis decoctum meatus obstructos aperit, vrinam & menses citat. Folia ipsius cùm sint adstringentia, fluxionibus opitulantur.

De Balsamita. CAP. XXVI.

Balsamita maior.



Balsamita minor.



BALSAMITA coronaria herba non est, sed foliorum eius cum grauitate quadam gratus est odor. Eius duo sunt genera, foliis multum differentia: Maior videlicet & minor.

1. Maior caulibus assurgit rotundis, duris, sesquipedalibus: folia eius oblõga, lata, leniter per oras crenata, Lapathi foliis ferè similia, minora tamen & viroris magis albicantis: coma aurei coloris ex multis flosculis veluti corymbis, Tanaceti ac Elichrysi modo in vmbella cohærentibus, quorum singuli ex multis exiguis staminibus luteis simul farctis, compositi sunt, radices lignosæ, durabilis naturę, non absque multis adhærentibus fibris.

Apud Belgas hortensis est, passimque etiam ab olitoribus colitur.

Æstiuis mensibus aurei coloris vmbellas promit.

Germani, Frauwenkraut: Itali, *Herba di S. Maria*: Belgæ Balsême: & eorum Officinæ Balsamitam, ac Balsamitam maiorem nuncupant. Est tamen & alia Balsamina, quæ & Charantia ac Momordica; item Balsaminum genere neutro, herbæ ab hac Balsamita differentes ac dissimiles. Matthiolus Mentham Græcam nominat: alij Saluiam Romanam, item herbam Lassulatam, Costum hortensem, Mentham Saracenicam, herbam D. Mariæ. Sunt qui volũt Panaces Chironium esse. Plinius etenim, & vulgaria Theophrasti exemplaria Chironiũ Panaces folio esse referunt Lapathi, floreq; aureo, cuiusmodi hæc herba est. Sed Dioscorides, & Nicandri interpres testem citans Theophrastum, folio illud aiunt esse Amaraci: cuius folium Balsamitæ nequaquam simile est.

2. Minor Balsamita colore, odore, sapore & flore in vmbellis aureo, maiorem refert: cauliculos promit numerosos, tenues, rotundos: folia parua, oblonga, serrata, ac profundè incisa, comam aurei coloris, sed corymbos minores: radices vti prioris.

Rarior hæc est, nec alibi quàm apud cognitionis herbarum studiosos reperitur.

Floret eodem, quo præcedens tempore.

Eupatoriũ Mesua. Balsamitæ haud dubio species minor est. Itali *Giulam* vocant. Valerius Cordus Mentham Corymbiferam minorem appellat. priorem verò Mentham, Corymbiferam maiorem. Plerique Eupatorium Mesuæ: alij Dioscoridis Ageraton esse volunt. Eupatorium autem Mesuæ idem cum Auicennæ Eupatorio est: vires etenim vtrobique eædem: sed formæ descriptio in vtroque auctore corruptissima: vt satis ostendunt Auicennæ exemplaria, cuius posteriora ex Bellunensis correctione, à prioribus hoc loco multùm differunt. Eupatorium autem Auicennæ à Dioscoridis Eupatorio nequaquam differt, quod vulgò Agrimoniam nominãt: herba ea notissima est, cum qua Balsamita minor, sine Giula, similitudinis nihil aut perexiguum habet. Ageraton verò hanc herbam esse, non est quoque verisimile. Nam Agerato folia Dioscorides tribuit Origani: at Origani folium subrotundum est: huius verò longum & serratum, ab Origani forma multum differens; quod Giulam & Ageraton dissimiles esse stirpes ostendit.

Cæterùm Balsamita vtraque calida & sicca est secundo ordine, cum amaritudine & adstringendi haud obscura facultate. Auxiliatur foliorum eius quam Conseruam appellant, diuturnis capitis doloribus matutino tempore sumpta: defluxiones è capite reprimit ac resiccat: crudos humores ad concoctionem perducit. Prodest item Cachexia aut Leucophlegmatia laborantibus, præsertim in initio, ac omnibus quibus iecur debile ac refrigeratum est. Semen non secus ac Santolinæ lumbricos & ventris tineas expellit.

LIBRI QVARTI PEMPTADIS SECVNDÆ
FINIS.

PEMPTADIS SECVNDÆ LIBER QVINTVS

DE VMBELLIFERIS HERBIS.

PRÆFATIO.

QVINTVS huius Pemptadis labor circa umbelliferas versatur, quæ Coronariis odoratisq; herbis ac φρυγάνοις, haud perperam succedunt. Vmbellas siquidem circinata rotunditatis & coronarum instar proferunt. Semina verò & nonnullarum odorata sunt: ut, Anisi, Fœniculi, Ammios, Cari, &c. Profluit ex nonnullis odoratus liquor. ut, ex Panacis & Laseris generibus. Quarundam etiam radices inter odoramenta haberi possunt: ut, Angelica, Astrantiæ, Mei. Non describuntur autem hoc loco omnes umbelliferæ, ad olera siquidem pertinentes, sua classi relicta. A Fœniculo autem omnibus notissimo exordium sumptum, sic enim ad reliquas facilior ac expeditior via patebit.

DE FOENICVLO.
CAPVT I.


Fœniculum.

FOENICVLVM ferulacei generis herba est, hominis non rarò proceritatem superās. caules eius digitalis crassitudinis, geniculati, læui, tenui, ac virente cortice conuestiuntur, fungosa interius candida medulla, in alas quasdam circa fastigium diuiduntur. Folia è radicibus, tum ab singulis geniculis, ampla, ramosa, in tenuissima segmenta dissecta, colore virentia, odoris iucundi, quorum singulæ particulæ teretes sunt, extremæ verò etiam capillamentorum instar tenues. Vmbellæ latæ in cacuminibus cauliculorum ac ramulorum eminent rotundæ, ac in orbem circinatæ. flosculi lutei. semen oblongum, nudum, nullaq; membrana implicitum. radix candida, recta, altè descendit, neruo lignoso intus medio. 1.

Huius quædam species subnigricātibus foliis rubet: odore & sapore à superiore haud differēs. 2.

Est & alia cuius semina & quandoque folia dulciora sunt. Hæc in hortis Belgij sata non diu dulcedinem retinet, sed citò in vulgare Fœniculum transit. 3.

Locis apricis etiam saxosis, bene proficit Fœniculum: hortos quoque amat ac loca culta. radix viuax est, & in plures annos restat.

Vere erumpunt folia, deinde caulis assurgit, sequuntur cum floribus muscaria. semen sub finem Augusti ac Autumno perficitur.

Græci μάραθρον appellant: Latini Fœniculum: Officinæ nomen retinent: Germanis Fenchell: Belgis Venckell: Italis *Finocchio*: Hispanis *Hinojo, & Funcho*: Gallis *Fenoil*: Bohemis Wlaßkykopr.

Præter verò istud & syluestre quoddam Fœniculum Dioscorides refert satiuo grandius, foliis maioribus, caule tantæ amplitudinis, vt in Mauritania duodecim cubitis assurgat, cuius semen Cachryi simile. Hippomarathron istud appellat, & μάραθρον ἄγριον, à nonnullis μαραθρίς, aut Mysineum. *Hippomarathrum.*

Traditur & aliud Hippomarathri ab eodem genus, folio angusto, exiguo, oblongo: semine rotundo vt Coriandri. *Hippomarathrum alterum.*

Cæterum Fœniculi vulgaris, semen quidem, calidum est, sed secundo, siccum verò primo ordine.

ordine. Ventriculum assumptum roborat, nauseam sedat, tormina mitigat, flatus discutit. In vino potum ad serpentum & scorpionum ictus ac morsus valet cum sacharo puluis huius ieiuno ventriculo assumptus aciem oculorum conseruat: lac quoque nutricibus auget. quod & ipsius herbæ succus efficaciter præstat, tum & ipsa comesta ac in olere sumpta, quæ minus calida ipso semine. Vtilis verò renibus, ac vesicæ. vrinam cit, & calculos expellit.

Radices ad eadem valent, & potentiores, vtpotè calidiores: proinde nō modò vrinam prouocant, sed & hepatis ac quoque lienis infarctus expediunt, & viscera ab obstructione liberant: menses quoque promouent. Feruntur eædem cum melle contritæ canum morsibus mederi impositæ.

De Anetho. CAP. II.

Anethum.



ANETHVM cubitali aut procerîore cauliculo, terete, ac geniculato consurgit. foliis tenuissimè dissectis, & in stamina penè extenuatis: flosculis in muscario luteis: semine deinde rotundo, plano, tenui, ac foliato: radice fibrosa. Grauiter autem vnà cum floribus ac seminibus odoratum est, & colore. minus, quàm Fœniculi, folium huius viret.

In hortis seritur simul cum oleribus.

Flores & semē æstate perficit. hybernis mensibus intercidit.

Ἄνηθον Græcè: Latinè similiter Anethum appellatur à nonnullis Ἀνίκηθον Conseruarunt Anetli nomen Officinæ: Italis *Anetho*: Hispanis *Eneldo*: Germanis Dyllen: Belgis Dille: Gallis *Anet*. Bohemis Kopr.

Est autem Anethum, auctore Galeno, excalfaciens quidem secundo ordine intenso, exiccat verò eodem remisso, vel primo desinēte. Vstum verò tertij est ordinis tum excalfacientium, tum resiccantium. Anethi aridæ comæ seminisque decoctum potum lac euocat: tormina & inflationes sedat: vrinam cit: singultus lenit, vt quidem Dioscorides. Sedat autem singultus semen & odoratu, præsertim si in vino decoquatur, sed potissimum si Absinthio ac Rosis rubris additis, & pariter in vino decoctis, ventriculus hoc foueatur. Promouet verò & semen, lactis copiam, veluti Fœniculi.

Vstum, Galenus ait, vlceribus admodum humidis impositum prodest, potissimùm iis quæ in pudendo consistunt: Quæ verò in præputio sunt inueterata, iis probe cicatricem inducit. Vuam etiam in faucibus, vt Plinius ait, leuat.

Oleum in quo decoctum Anethum digerit, sedat dolores, somnum conciliat, crudos ac inconcoctos humores ad concoctionem perducit.

De Aniso. CAP. III.

ANISI rotundus & leuiter striatus, ac inanis caulis in ramulos nonnullos diuiditur. folia inferiora rotunda ac latiora sunt, superiora dissecta veluti Apij, sed candidiora. vmbellæ flosculos candidos. deinde semen inalbicans proferunt, odoris iucundi ac saporis grati.

In Creta, Syria, Ægypto, aliisque Orientis regionibus feliciter gignitur. Seritur quandoque in Germaniæ hortis, vbi Iulio ac Augusto floret, ac semine prægnans.

Anisum Latini ac Officinæ appellant: Græci ἄνισον, aut ἄννισον, vt quidam volunt: Germanis Aniß: Italis *Aniso*: Hispanis *Matahalua* & *yerua dulce*: Gallis *Anis*: Anglis Aniese & Anyse: Bohemis Anyz.

Galenus Anisi semen tertij esse ordinis exiccantium & calfacientium scribit, quia, vt ait, acre, subamarum, & ad vrentium caliditatem accedat. Tanta tamen acrimonia, vt vrentium caliditati quasi simile sit, in eo haudquaquam gustu sentitur. nam dulcedo quædam in eo percipitur grata, acrimoniæ verò quam exiguum aut nihil, atque idcirco secundum caliditatis gradum non excedit: siccitatem verò etiam habet multò quàm tertij ordinis minorem.

Anisum.



Carum.



norem. Nam ad lactis generationem confert; quod non faceret, si admodum desiccaret, Gal. cap. de Marathro, vel murto, teste: Ex eo siquidem quòd lac procreet, hoc non excedere primi ordinis siccitatem iudicauit, quod & de Anisi semine, cum hac de causa, tum quòd dulce sit, censendum. Est igitur semen Anisi ex primo exiccantium gradu: excalfacientium verò secundo. *Galenus notatur.*

Discutit verò idem flatus, tormina sedat, vrinas clementer promouet, lactis copiam facit, ad venerem extimulat, aluum, & album muliebre profluuium sistit: commanducatum oris bonum reddit odorem: aduersus spirandi difficultatem conducit: suffitu capitis dolores sedat; venenis resistit. Fertur & sitim arcere, atque idcirco hydropicis vtile.

De Caro. CAP. IIII.

CARVM cauliculo assurgit cubitali vel altiore, quadrangulari, geniculis intercepto, glabro, intus inani, ac in ramulos distributo, circa quos foliola Pastinacæ syluestris, sed teneriora ac minora: flosculi exigui candidi in laxis muscariis: semen subnigricans, longius quam Anisi: radix dodrantalis, carnosa, sed gracilis, sapore Pastinacæ, sæpius candida, raro lutea.

In pinguibus ac lætis campis herbosis, & pratis, quæ subinde rigantur, apud Germanos Bohemosque frequens nascitur. Gignitur & in Caria, auctore Dioscoride, vnde nomen accepit.

A Maio mense vsque ad Augustum, & flores, & semen profert.

Græcis Κάρος, Latinis Carum vel Careum: Officinis Carui nominatur. Carnabadion Simeon Zethy vocat. Germani Kym/ Kymmel/ weyß Kymmel: Itali *Caro*: Hispani *Carauea*, & addito articulo *Alkarauea*. Angli Carowayes.

Cari autem semen, vt Galenus ait, excalfacit & resiccat tertio quodammodo ordine, & acrem moderate qualitatem possidet. flatus verò idem discutit. ventriculo & ori gratum, concoctiones adiuuat vrinam cit: Antidotis admiscetur.

Radix elixa Pastinacæ modo edendo est.

De Cumino. CAP. V.

SATIVVM Cuminum vnum Dioscoridi est: syluestria verò & alia.

Dodrantalis autem & rarò pedem excedens satiuum Cuminum herba est, vnicaulis, ramis tamen aliquot brachiata: folia Fœniculi modo in tenues particulas dissecta, sed breuiora ac minora multo. vmbellæ in alarum cauliculorumque fastigiis semen proferunt acuminatum, coloris sordidi, graucolens, sapore acre. radix tenuis est, quæ post seminis maturitatem perit.

In Italia & Hispania colitur ac seritur: aliisque calidis regionibus familiare, vt Æthiopiæ, Ægypto, Galatiæ, Ciliciæ, ac vniuersæ minori Asiæ. Putridis & calidis maxime locis gaudet.

Medio

Cuminum satiuum.



Cuminum syluestre.



Medio Vere serendum: imber succedens sationi multum officit, vt habet Ruellius.

Κύμινον Græcis, & ad differentiam syluestrium, κύμινον ἥμερον, id est, satiuum Cuminum vocatur. Latini Cuminum: Officinæ Cyminum. Germani Roomische kymmell: Itali *Comino*. Hispani *Comixchos*. Galli *Comin*: Belgæ & Angli Comijn dicunt. Bohemi Kmijn. Præfertur reliquis Æthiopicum, quod Hippocrates Regium appellauit.

Syluestre Cuminum primum. Syluestria autem Cumina à Dioscoride duo describuntur, vnum θύμιον esse ait, caule dodrantali, tenui, ternis quaternisve foliolis, οἱονεὶ κατεσχισμένοις, id est, quasi dissectis, Gingidij diuisura: capitulis in cacumine quinis aut senis, rotundis, ac mollibus, in quibus καρπὸς ἀχυρώδης, siue paleaceum semen. Nasci ait in collibus, efficaciusque in Lycia, Galatia Asiæ, ac Carthagine Hispaniæ: verùm tale Germaniæ ac Belgio parum cognitum: rarò & in paucorum hortis reperitur.

Syluestre Cuminum alterum. Alterum satiuo haud dissimile (folijs videlicet) esse refert, quod à singulis floribus corniculа profert μετέωρα, hoc est, sublimia siue erecta, in quibus semen Melanthio simile. Atque istud est quod Pemptadis huius secundæ lib. tertio cap. IX. floris Regij nomine descriptum est, vt & eo loco latius explicatum.

Cæterùm Cumini satiui semen, vt Galenus, ex tertio est excalfacientium ordine, tesiccat verò non minus. Dios. verò & ipsum adstringere ait, non tamen adstrictionem habet. *Dioscorides notatur.* Attenuando siquidem ac digerendo tumores discutit, non autem adstringendo reprimit, veluti testium ac scroti ex flatu aut aquoso humore, quos cataplasmatis additum citò tollit. Nec modò extrinsecus auxiliatur, sed & intrò assumptum flatus extinguit, tormina torsionesque sedat. Vtile quoque pectori & pulmonibus refrigeratis, ac crudorum humorum copia grauatis, in sorbitione aliqua sumptum. De morsis à serpentibus ex vino propinatur. fluorem muliebrem sistit: sanguinis e naribus profluuium, cum aceto tritum & odoratú, reprimit. Quod in cibis flatulentum, Cumino addito corrigitur.

De Ammi. CAP. VI.

AMMIOS duo genera posteritas obseruauit: vnum latioris folij maius, quod vulgare est: alterum tenuifolium ac minus.

Ammi vulgare.



Ammi alterum paruum.



Vulgare Ammi cubitali aut proceriore altitudine assurgit: alas è caule rotundo spargit: *Ammi vulgare.*
folia è pluribus constant oblongis ambitu serratis. flosculi in vmbellis candidi. semen cum
acrimonia quadam amaricat, oblongum, Cumino minus.

Alterum herba est exigua, tenui ac breui cauliculo: folijs oblongis, creberrimis incisuris *Ammi alterum.*
tenuissimè dissectis, & sursum versus magis attenuatis. flores sunt in exiguis vmbellis candidi: semen minutissimum, acre, ac feruidum.

Ex Alexandria Ægypti in Italiam infertur, vbi & gignitur. fuit huius quondam in Ægypto domesticus ac quotidianus vsus, panibus enim conspersebant, ac alimentis admiscebant. Satum in Germania ac Belgio facile prouenit.

Floret in Augusto, semen deinde perficit.

Græci Ἄμμι, Latini similiter Ammi vocant: Nonnulli Cuminum Æthiopicum, alij Regium cognominant: Officinæ Ammios aut Ameos gignendi casu appellant: Germani Amey.

Prius maius dici potest. Hoc autem Officinæ passim vtuntur, in quo minimè redarguédæ, 1.
cùm ei omnes, quæ Ammi adscribuntur, facultates adsint, pro legitimo haberi potest.


Alterum minus, à nonnullis præstantius habetur. Quod tamen non pro Ammi, sed pro 2.
Sisone habendum, non desunt qui suspicentur.

Est autem Sison, Dioscoride teste, exiguum semen, in Syria natum, Apio simile, nigrum, *Sison.*
feruens, oblongum. Cui descriptioni Ammi paruum non malè respondet: semen siquidem exiguum est, Petroselini vulgò dicti minus ac tenuius, nigricans, ac gustu feruens, quod ex Syria ac ex Ægypti Alexandria aduehi fertur. Siue autem idipsum pro Ammi aut pro Sisone habeatur, nihil refert: Nam vtriusque cõsimiles sunt facultates, sic vt vnum alterius ἀντιβαλλόμενον, siue succedaneum, absque errore esse queat.

Est autem Ammios semen excalfactoriæ ac deficcatoriæ tertij ordinis intensæ facultatis, & partium tenuium. facit ad ventris tormina, vrinæ difficultates, serpentiumq́ue ictus ex vino, menses etiam prouocat. Suggillata cum melle impositum tollit. Hæc eadem & Sisonis semen potest, nam & vehementer, ac tertio gradu calidum siccumq́ue est, tenuium quoque partium, & vrinas ac menses prouocans.

De Coriandro. CAP. VII.

Coriandrum.



Coriandri altera icon.



CORIANDRO tenuis, teres, cubitalis & ramosus est cauliculus: folia laciniosa in partes diffecta, latiores quidem quæ inferiora, in tenuiores verò superiora: flosculi candidi in vmbellis laxis. semen globosum, nudum ac inane, quod initio viret, resiccatum ex lutco subalbicat. radix breuis paucis fibris cohæret.

In agris ac hortis multis seritur locis. solum amat lætum ac pingue; in macro tamen & prouenit.

Aprili aut Maio serendum. Sub Canis exortum florescit: semen maturum Autumno colligitur.

Græcis *κόριον ἢ κορίαννον*: Latinis Corion, & Coriannum similiter: Posteriores Latini & Officinæ Coriandrum appellant: Germani & Belgæ Coriander: Itali *Coriandro*: Galli *Coriandre*: Hispani *Culantro, Cilandro*: Bohemi Koryandr.

Coriandri autem herba recens cum semine admodum graui & iniucundo odore fœtet, & non modò insigniter refrigerat, verùm & perniciosum est venenum, præsertim eius succus epotus: vocem exasperat: mentem mouet: ebrietati similem insaniam adfert, tandem verò & mortem inducit. Remedio præter alia vinum est, meracum per se, vel cum Absinthio propinatum.

Coriandri verò resiccati semen, deposito non modò fœtido odore, sed & maligna ac deleteria qualitate, odoris haud iniucundi redditum, cum temperato calore manifestè resiccat, ac nonnihil adstrictionis obtinet.

Maceratur in aceto, deinde resiccatur, atque sic præparatum vsui magis idoneum. Ventriculo multum huiuscemodi confert, præsertim à cibo, per se, vel cum aliis permixtum, oms ventriculi humiditatem resiccat, saliuationem prohibet, ciborum concoctionem promouet. Cum vino sumptum lumbricos educit: remorantes etiam vrinas mouet. Tosti cum aqua epotus puluis ventris fluores sistit.

Mirum quod Xenocrates tradit, si vnum seminis granum femina biberit, vno die menstrua cohiberi: biduo, si duo: & totidem diebus, quot grana sumpserit.

De Melanthio. CAP. VIII.

Melanthium.



Melanthium syluestre.



Melanthium Damascenum.



TRIPLEX Melanthium est: Satiuum, syluestre, ac tertium cognomine Damasceno.

1. Satiuum Melanthium exigui instar fruticis assurgit, tenuibus cauliculis dodrantalibus, ramulis aliquot brachiatis. folia in minutulas partes dissecta, superioribus Coriandrinis ferè similia. flosculi in summis virgis candiduli, multis staminibus mediis. capitula succedũt quadrangularia intercursantibus membranis interius distincta, prominentibus superius exiguis veluti corniculis, in quibus semen acre, odoratum, angulosum, colore nigrum, quandoq; verò & subluteum, substantia oleosum ac pingue.

2. Syluestre caulem promit striatum: folia albidiora, teneriora magisq; dissecta, instar Anethi: flosculos prioris similes, sed tamen sæpe elegantiores, ac dilutè cæruleos hi non capitulum, sed cornicula aliquot coniuncta, vt plurimum quinque, Aquileiæ similia, post se relinquunt, in quibus semen nigrum exigui odoris.

3. Damascenum Melanthiũ longioribus quàm superiora cauliculis ac ramulis luxuriat. folia eius tenuiter quoque admodum diuisa. flosculi elegantes, cærulei, quinquefolij, totidem alabastris prominentibus, varieque dissectis, insident. capitulum veluti Satiui. semẽ forma coloreque nigro assimile, sed odore destitutum.

Satiuum in agris ac hortis seritur. Syluestria

ſtria in non paucis regionibus ſponte inter ſegetes & frumenta proueniunt.

Semen Iulio ac Auguſto ad maturitatem peruenit: flores prius apparent.

1. Melanthium Græci ſimiliter μελάνθιον vocant: In Officinis Nigella dicitur: à nonnullis Gith: ab aliis Saluſandria, & ſpuriis vocibus μήκων ἄγριος, & Papauer nigrum: Germanis Swartzkymmich: Belgis Nardus ſaet: Italis *Nigella*: Hiſpanis *Axenuz, Alipiure*: Gallis *Nielle*: Bohemis Czernykmijn. Satiuum iſtud cognominatur, tum quia ſeratur, tum quòd ſolum vſui ſit accommodum.

2. Sylueſtria Melanthia ſpuria ſunt, ac à ſimilitudine nomen inuenerunt. Primum Germani quandoque Sant Katarijnen blůmen, id eſt, Diuæ Catharinæ florem nuncupant. Placet nonnullis iſtud eſſe Cuminum ſylueſtre alterum, cum quo florem Regium ſatis conuenire, iam antea monuimus. Et poteſt quoque iſtud non temerè pro ſylueſtri Cumino altero haberi: Veterum breuitas ſæpe in cauſa eſt, vt certi definiri nihil queat.

3. Alterum ſylueſtre Damaſcenum Melanthium, ac Damaſcenam Nigellã appellant. Cum Iſopyro ſimilitudinem nullam habet, quæ quidem appareat; tametſi Matthiolus, cap. De Iſopyro, imaginem huius paulò aliter expreſſam, pro eo exhibeat: & quidem ſolam, nulla addita deſcriptione, vt & ſæpe aliâs.

Eſt autem Melanthij legitimi videlicet ac ſatiui ſemen excalfaciens & deſiccans tertio gradu, ac tenuium partium. Deſtillationes ex capite reſiccat calfactum & nodulo illigatum & aſſiduè olfactum: quo modo & torpẽtem odoratus ſenſum excitat & redintegrat. Aſſumptum flatus diſcutit, pituitam crudam incidit: pluribus diebus potum vrinas ac menſes prouocat, & cum vino datum ſpirandi difficultati medetur.

Tollit lentigines, lepras, vetera œdemata, durities, cum aceto impoſitum. In ſumma, inquit Galenus, vbi inciſione, extersione, deſiccatione, ac excalfactione eſt opus, præſtantiſſimum eſt remedium.

Phalangiorum etiam morſibus cum aqua denarij pondo hauſtum auxiliatur. Rotundos ventris lumbricos expellit, non modò aſſumptum, ſed & cum aqua vmbilico impoſitum. Suffitu ſerpentes fugantur. Tradunt, inquit Dioſcorides, largius potum enecare.

Pharmacopœorum error. Exprimitur ex ſemine iſto oleum, quo imperiti Pharmacopœi pleriq; pro oleo Nardino, non abſque graui vtuntur errore.

De Meo. CAP. IX.

Meum.



Plinij ignorantia.

MEo folia ſunt virentia, multiplicatis ſectionibus, quàm Fœniculi tenuiora, teneriora, anguſtioraque: cauliculi graciles, cubitales, in quorum faſtigiis vmbellæ, & floſculi candidi. ſemen anguloſum Cumino maius, odoratum, & cum acrimonia amaricans. radices dodrantales in plures partes in obliquum & altum diuaricatæ, foris nigricantes, interius candidiores, acri ſapore linguam vellicant, odore cum ſuauitate graui.

Naſcitur pluribus Italiæ, Germaniæ, Hiſpaniæ, ac Galliæ locis, montanis quidem, ſed campeſtribus ac apricis; deſcendit verò & ad plana.

Belgio rarum, ſed tamen haud peregrinum.

Laudatur Athamáticum, ac in Hiſpania natum.

Radix reſtibilis nouo Vere noua profert folia: cauliculi poſteà erumpunt cum vmbellis: Iulio flores ſeminaque perficiuntur.

Græci μεῖον vel μῆον: Latini ſimiliter Meum nominant: Italis *Meo*: In Apulia, vt Matthiolus refert, Imperatrix dicitur. In Hiſpaniis nonnullis locis *Sistra*, aliis *Pinello*: apud Germanos Beerwurtz. Ruellius Anethum, ait, tortuoſum & ſylueſtre in Gallia appellari. Belgij Officinæ quędam Fœniculum vocant porcinum: aliàs autem Fœniculus porcinus Peucedanos eſt. Impoſuit multis Plinius, Meum ſcribens non naſci in Italia, & à Medicis, iiſque paucis, ſeri, lib. xx cap. xxiii. hinc etenim creditum fuit Italiæ peregri-

peregrinum, ac diutinè, tametsi familiare & frequens, pro quouis alio citius habitum, quàm pro Meo agnitum. Vnus Daucum Creticum: alius Seseli Creticum siue Tordylion: quidam etiam Libanotidis speciem credidit; quod tamen verum est Meum.

At Mei radices quidem vtiles sunt, calidæ tertio ordine, siccæ verò secundo, & partium tenuium: proinde viscera expurgant, & ab obstructionibus liberant: vrinas prouocant: calculos excutiunt: menses ducunt. Sed si plusculum sumantur caput dolore afficiunt. Cùm enim plus calidi quàm sicci obtineant, crudam humiditatem & flatuosam caliditatem, vt Gal. ait, ad caput deferunt.

De Libanotide. CAPVT X.

Libanotis.



INTER Libanotides vna στεφανωματικὴ siue Coronaria dicitur, de qua suprà egimus, vbi de Coronariis herbis: reliquæ vmbelliferæ sunt; huius tria Dioscorides genera refert.

1. Caulem prior Libanotis vmbellifera cubitalem, quandoque bicubitalem edit, rotundum, nonnihil striatum, articulis geniculatum, & alis multis ramosum: folia in tenuissimas angustissimasque partes dissecta, veluti Ferulæ, maiora, latioraque quàm Fœniculi: vmbellas in fastigiis amplas, sed laxas, in quibus post flosculos fructus magni Cumini ferè magnitudine, aut, vt Dioscorides, σφονδύλῳ, id est, verticillo similes, per maturitatem albicantes, qui in duas sponte partes finduntur, atque in his semen oblongum, gustu acre, mordax, ac feruidum. radix candida, prægrandis, Thus redolet.

2. Altera κατὰ πάντα, siue in vniuersum priori similis, verum semen eius latum veluti Spondylii, & odoratum quidem, sed haudquaquam πυρῶδες, siue acre ac mordax. radix huius foris nigra, intus candida.

3. Tertia ἄκαρπος, siue sterilis, superioribus omnino similis, sed nec caulem, nec florem, nec semen fert, vt Dioscorides.

Meminit & Theophrastus Libanotidum, sed duarum tantum: vnius ἀκάρπου, siue sterilis, alterius fœcundæ.

1. Καρπὸν autem siue fructum fœcundæ κάχρυν vocari quoque ait, & folium hanc habere σελίνῳ ἐλείῳ, id est, Apio palustri simile: caulem cubitalem vel majorem: fructum verò album, τραχὺν, asperum, aut durum, & oblongum: radicem crassam, albam, & thus redolentem. Atque hæc eadem cum prima Dioscoridis, nisi folium differentiam adferat. Fructus vtriusque κάχρυς, siue κάγχρυς, oblongus, candicans, & durus: radices quoque assimiles.

2. Altera verò Theophrasti Libanotis folium habet θριδακίνης, amarú, sed τραχύτερον, id est, asperius & candidius, radice breui. Huius Dioscorides mentionem facit, & ad auctorem Theophrastum refert: Differens autem hæc est à sterili Dioscoridis.

Libanotidem autem nasci in saxosis & asperis Dioscorides: in aridis siue squalidis & petrosis Theophrastus. In calidis regionibus reperiuntur. In Germaniam aut Belgium quandoque semina primæ inferuntur, quæ vbi adoleuerint, altero à satione, vel tertio anno vmbellas proferunt: & si æstas calida fuerit, semen perficiunt: veluti olim in horto generosi viri Ioannis Brancionis Mechliniæ, obseruare me memini.

Λιβανωτὶς Græcè: Latinè similiter Libanotis dicitur. Quidam, inquit Plinius, alio nomine Rosmarinum appellát. Fructus à Dioscoride κάγχρυς, Plinio similiter Canchrys, sed Theophrasti, Galeni, & Pauli exemplaria κάχρυς habent. Est verò & κάχρυς pilula quædam, quæ in Robore, Abiete, Larice, Picea, Tilia, Nuce, Platano, postquam folia cecidere, nascitur, hyeme durans, Vere aperitur, caditque cùm folia ceperint crescere, vt Plinius lib. XVI. cap. VIII. De qua & Theophrastus lib. III. cap. VII. hanc Gaza Amentum Latinè reddit. κάχρυ.

Cæterùm Libanotidis folia temperatè calida sunt. Trita herba (Dioscorides ait) & imposita,

ſita, omnium communiter hæmorrhoidum profluuia ſiſtit: ſedis inflammationes & condylomata mitigat: chœradas & abſceſſus crudos concoquit.

Siccæ radices cum melle vlcera expurgant: torminibus ventris medentur, & à ſerpentibus demorſis cum vino: vrinas & menſes ciunt: vetera œdemata impoſita diſcutiunt. Radicis & herbæ ſuccus, adiecto melle, oculorum aciem exacuit. Fructus epotus idem poteſt: auxiliatur verò & comitialibus morbis, & veteribus thoracis vitiis. Regio morbo laborantibus cum pipere & vino datur. ſudores etiam mouet cum oleo inunctum: ſuccurrit ruptis ac conuulſis. Podagris tritum cum loliacea farina & aceto imponitur: purgat vitiligines ſiue alphos addito aceto quàm acerrimo. Semine autem ad abſceſſus vtendum eius Libanotidis, quæ Cachryn non fert.

Cachrys autem vim habet vehementer excalfaciendi ac reſiccandi, & tertio quidem ordine ſatis intenſo. Smegmatis ſiue expurgantibus additur, quæ capiti aduerſus oculorum fluxiones imponuntur, ſed die tertio auferendum: Dioſcorides.

De Spondylio. Cap. XI.

Spondylium.



SPONDYLION caule enaſcitur geniculato, veluti Fœniculi, ſæpè bicubitali vel altiore, rotundo, ſubhirſuto: foliis aſperis & nonnullis hirſutis, ex pluribus & frequentiſſimè quinque cohærentibus, per marginem & exiguis & profundis inciſuris diuiſis, Ficulnea aut Heraclij Panacis referentibus, attamen ipſis minoribus. latæ in ſummo eminent vmbellæ, in quibus floſculi candidi, ac deinde ſemen duplex, planum, latum, ac tenue. radix candida in diuerſa tendit.

Circa agrorum & pratorum margines, locis humidioribus ac paluſtribus apud Germanos ac Belgas frequens occurrit.

Flores Iunio menſe vigent: ſemen Iulio ac Auguſto ad perfectionem peruenit.

Σφονδύλιον Græci: Latini ſimiliter Spondylium: in Galeni exemplari σφόνδυλον legitur. Germaniæ ac Belgij Officinæ Brancam vrſinam olim appellarunt, & pro Acantho in decoctis ad enemata temerè acceperunt: atque inde perperam Germanis Berenclauw Brabantis Berenclauwe: & Gallis *Brance vrſine*. Extant autem huius inter ſpurias voces hæc eius nomina, Α᾽σφάγιν, φαλάγγιον, ἀστεριον, γίονες, σπονδυλις, χερσόδακον, οἰνάνθη, herba Rutinalis.

Spondylij ſemen acris ac incidentis eſſe facultatis, ad aſthma, epilepſim, & Regium morbum aptum eſſe medicamentum Galenus ait. pituitam per aluum detrahere Dioſ. refert, & iocinoris vitiis ac veteri ſtrangulationi prætetea mederi.

Radix contra iocinoris vitia, & Regium morbum ſimiliter commendatur: eadem circumraſa fiſtularum callos impoſita abrodit.

Poloni ac Lituani ex Spondylij foliis ac ſemine cum aqua, addito fermento, potionem coquere feruntur, quæ pauperibus ſit loco Cereuiſiæ.

De Panace, ac primum de Heraclio. Cap. XII.

PANACES, auctore Theophraſto lib. IX. multiplex eſt. Quoddam in Syria naſcitur: deinde & alia tria, Chironium, Heraclium, & Aſclepion: præter hæc verò & vnum πλατύφυλλον, Latifolium: & alterum tenuifolium, λεπτόφυλλον; Ita in vniuerſum apud Theophraſtum ſex Panacis ſpecies: Dioſcorides verò tantum tria deſcribit, Heraclium, Aſclepium, & Chironium.

Panaces Syriacum. Syriacum autem Panaces à Theophraſto quale ſit non exprimitur: Plinius lib. XII. cap.

Panaces Heraclium, vel potius Spondylium alterum.



cap. XXVI. foliis illud esse ait ampla magnitudine rotundis. Sed suspicio est, hæc ex Heraclij Panacis descriptione translata.

Panaces Latifolium, Centaurium esse magnum: & Tenuifolium, Centaurium minus non temerè existimatur: Teste siquidem Plinio, Panaces a Chirone repertum Centaurium cognominatur: vti latius scriptum Pempt. III. lib primi cap. XI.

Panaces Heracleum. Heraclium Panaces foliis est, vt Dioscorides, asperis, virentibus, ad ficulnea accedentibus, quinquepartitò diuisis, (magnis & amplis Theophrastus) caule ferulaceo lanugine quadam incanescente: musca rio Anethi: flore luteo: semine odorato, πυρωπῷ siue acri ac mordicante: radicibus ab vno capite pluribus, albis, graueolentibus, crassi corticis, & subamari gustus. Theophrastus radice, inquit, digiti crassitudine, bifida, aut trifida, gustu subamara.

Huic autem descriptioni respondens, excepto solo floris colore, in Belgij hortis subinde reperitur, quod Heraclium Panaces vocant.

Spondylium alterum. Spondylio verò istud adeò simile, vt maius, vel alterum genus eius esse appareat. Caules etenim promit crassos, geniculatos, subhirsutos, sed altiores, ad Ferulæ altitudinem accedentes: folia similiter aspera, maiora, ex tribus ferè cohærentia, quorum singula quinquepartitò diuisa, ficulnea proxime referunt: flores in vmbellis candidos: semen latum, planum, ac tenue veluti Spondylij: radicem candidam, in plures mox diuisam.

Ostenditur istud, vt diximus, pro Panace Heraclio, tametsi flos non luteus, verùm candidus sit. Lobelius tamen se floribus luteis istud vidisse scribit.

Matthiolus & tale aliquod pictura exhibet, quod in Apennini iugis, in Argentario promontorio, in maritimis Senensibus spontè nascitur, in Italiæ autem hortis colitur: Lachrymam autem ex hoc colligi in Italia, affirmare nequit, Nam Opopanax qui Venetiis vẽditur, ex Alexandria Ægypti, inquit, infertur. Quale autem Ægyptium Panaces non constat. Fortassis Syriacum illud, cuius Theophrastus meminit, quod ab Heraclio differens est.

Dioscorides Panaces Heraclium plurimum in Bœotia, & in Phocide Arcadię nasci refert: deinde multò inferius in Cyrene Libyæ ac Macedonia, atque inibi excipi succum excisa radice.

Quod verò Græcis πάνακες, Latinis similiter Panaces dicitur. Et primum quidem Dioscoridis πάνακες ἡράκλειον, Latinis Panaces Herculanum siue Herculeum. Nobis cum non constaret, quod depictum est legitimum esse Panaces Herculeum, maluimus id Spondylium alterum aut maius appellare, quam temerè pro Heraclio exhibere.

Herculei autem Panacis radicum cortex exiccatorium simul & excalfactorium est medicamentum, sed minus quàm succus, auctore Galeno. Radix in ramenta concisa, vt Dios., vteroque imposita partus extrahit: ad vetera vlcera eadem efficax: nudatis ossibus carnem superinducit. Fructus cum Absynthio menses pellit: cum Aristolochia prodest contra morsus animalium venenatorum: aduersus vteri strangulationes cum vino bibitur.


De Panace Asclepio ex Dios. & Theophrasto.

CAP. XIII.

PANACES Asclepion caulem à terra producit tenuem, cubitalẽ, geniculis articulatũ: atq; circa hunc folia, maiora quàm Fœniculi, hirsutiora item & odorata, (folio Thapsiæ, sed crassiore, Theophrastus) in fastigiis vmbellas, in quibus flores auricolores, acres, ac odorati.

 (aliàs

Panaces Asclepium vt existimatur.



Panaces peregrinum.



Chironium Panaces.

(aliàs δυσώδη, id est, graueolentes) radix, vt Theophrastus, dodrantis longitudine, candida, crassaque vehementer, cortice crasso & falso.

Incognitum istud est: Matthiolus iconem exhibet, sed descriptionem nullam addit. Proponit & haud absimilem, si non eadem est, Lobelius, quæ in Aduersariis lacteo succo multo turgere scribitur: veluti Ferulæ, sed minus quàm hæ, sapore sit acri.

Πάνακες ἀσκλήπιον, Latinis Æsculapium Panaces. Aliqui, inquit Dioscorides, Panaces vocant syluestre Origanum: cap. verò de Origano (vt suprà scripsimus) Syluestre Origanum vocari ait Panaces Heraclium.

At Panaces Asclepion minus calidum est Panace Heraclio, quamobrem floribus & semine melli mixtis ad vlcera, phymata, & phagedænas vtuntur, Galenus: quæ & Dioscorides, addens præterea ex vino aduersus serpentes bibi, & cum oleo illiniri.

De Peregrino quodam Panace, ac de Chironio.

CAP. XIIII.

PANACES istud quod Peregrinum appellamus, foliis est amplis, ex aliis pluribus commissis, nonnihil hirsutis ac asperis, quorum singularia longa, lata, acuminata, Lapathi folia quodammodo æmulantur, sed tamen minora. caulis geniculatus, ferulaceus, tres aut quatuor cubitos altus, in ramulos superius diuisus: flores in vmbellis amplis lutei: semen latum, planum, & subflauum. longa & candida radix. Ex huius vulnerato, præsertim circa radicem, caule, succus æstiuis mensibus manat, sponte concrescens, Opopanaci colore similis, odoris quidem exigui, sed gustu excalfaciens.

Non modò aut in Italiæ, aut aliarum calidarum regionum hortis, vbi quandoque seritur, succus e vulnerato caule exit, verùm & in Belgio obseruatum est, æstate feruida, huiuscemodi quoque lachrymam inciso scapo effluxisse. Atque hic quidem succus Panaces genus hanc stirpem esse euidenter ostendit: Quod & semen confirmat in Panacis lachryma repertum, ex quo Petro Coudenbergo Pharmacopœo Antuerpiensi hæc primùm in Belgio enata stirps est.

Cum autem Panacis multa existant genera, quodnam ex iis sit considerandum occurrit. Non esse autem Heraclium Panaces, nec similiter Asclepion, ex superioribus satis patet. relinquitur vt vel Chironium, vel Synacum sit.

Chironium autem Panaces folium habet Amaraco simile: florem aureum: radicem tenuem, non altè descendentem, gustu acrem, vt quidem Dioscorides. Cum quo & Apuleius conuenit: Panaces Chironium habet folia, ait, Amaraco similia, flores aureos: radicem tenuem, non altam, acerrimam.

Theo-

Theophrasti verò descriptio ab horum multum differens est. Chironium, inquit, folium habet simile Lapatho, maius ac δασύτερον, id est, densius, siue hirsutius: flores verò auricolores. radicem longam. amat loca τὰ πίονα, id est, pinguia.

Eadem & Plinius lib. XXV. cap IIII. nisi quòd radicem non longam, sed paruam tradat, facili lapsu ex μακρὰν in μικράν. Tertium, ait, Panaces Chironium cognominatur ab inuentore. Folium eius Lapatho simile, maius tamen ac hirsutius. flos aureus. radix parua. nascitur pinguibus locis.

Plinij locus corruptus.

Nicandri interpres verba Theophrasti de Chironio adferens, non Lapatho, sed Amaraco simile tradit τὸ δὲ χειρώνιον, ait, ὅμοιον ἀμαράκῳ, μεῖζον δὲ καὶ δασύτερον, ἄνθος δὲ χρυσοειδές, ῥίζα μακρά, φιλεῖ δὲ μάλιστα χωρία ταπεινά, hoc est, Chironium simile Amaraco, maius tamen ac hirsutius. flos aurei coloris: radix longa. loca maximè amat aquosa. Ex his cognoscere est, Veterum auctorum loca quædam esse corrupta, veluti Plinij & Interpretis Nicandri. Deinde duo esse Chironia, vnum folio Amaraci: alterum Lapathi.

Amaracus

Prius Panaces humilis ac tenuifolia stirps est. Amaracus siquidem (cui simile esse scribitur) herba est ramosa, per terram serpens, folia habens hirsuta ac rotunda, tenuifoliæ Calaminthes æmula, valde odorata, quæ coronis adduntur, vt Dioscor. sub Sampsuchi nomine ipsum describens, testatur. Theophrastus lib. VI. Amaracum inter vrbana coronaria reponit, quæ ξυλώδη, μικρόφυλλα, διὸ καὶ φρυγανικά, id est, lignosa, tenuifolia, & idcirco ad suffruticum naturam accedunt.

Helenium.

Alterum verò Panaces Chironium, quod folia habet Lapathi, maiora, ac hirsutiora, non temerè Helenium, siue Enula campana esse videtur: Apuleio enim auctore, Panaces Chironium Helenium & Inula campana quoque appellatur. Nec refert quod Dioscoridis adferes descriptionem folio ipsum esse tradiderit Amaraci. Non animaduertisse enim potuit aliter à Theophrasto quàm a Dioscoride describi; vt multa valdè oscitanter à multis veterum & obseruata & posteritati commendata, atque ab ipso quoque Apuleio, sunt.

Veterum negligentia.

Cum neutro autem horum Panaces Peregrinum conuenit, neque enim tenuifolio suffrutici Amaraco simile est, nec folium habet Lapathi maius, sed si particularia segmenta considerentur, multo minora. Iam & vulneratum æstiuis mensibus (vt scripsimus) lachrymā istud effundit, qualem à Chironio Panace profluere, à nullo veterum memoriæ proditum reperitur. Ex quibus sanè constat Peregrinum, quod descripsimus Panaces, non esse Chironium, & iisdem de causis Syriacum illud esse, vnde Opopanax colligitur, vel maximè apparet: Nullius enim alterius, præter enumerata, apud veteres memoria extat.

Effluere autem ex Syriaco lachrymam Plinius lib. XII. cap. XXVI. apertè scribit: Theophrastus verò innuit, dum per messem ipsum secari (succi videlicet colligendi gratia) refert. Quod autem succus huius Peregrini Panacis in Belgio, eo qui in Officinis reperitur, minus odore aut sapore præstet, regionis frigiditas in causa est. In calidis etenim regionibus omnia odoratiora & fortiora: in frigidis verò minus odorata, ac viribus imbecilliora gignuntur.

Opopanax.

Cæterùm succus, qui Græcis ὀποπάναξ & Latinis similiter Opopanax, Officinis Oppopanacum vocatur, ad plurimos vsus, ait Galenus, aptissimus, vtpotè excalfaciens, emolliens, digerens, in calfaciendo tertij ordinis, in desiccando secundi.

Auxiliatur, inquit Dioscorides, aduersus febrium circuitus & horrores, conuulsa, rupta, lateris dolores, tusses, tormina, vrinæ stillicidium. Contra vesicæ scabiem ex melicrato vel vino bibitur. menses ducit, fœtus excutit, vteri flatus ac durities digerit cum melle dilutus. Est verò & Ischiadicis, si inungatur, vtilis. Acopis & capitalibus medicamentis admiscetur. Carbunculos rumpit. Cum vua passa podagricis impositus prodest. Cauis dentibus inditus dolorem tollit. Vsus quoque eius ad aciem oculorum excitandam. Cum pice mixtus emplastrum vtile est contra morsus rabidorum.

De Silere montano. CAP. XV.

SILER montanum folia edit ampla, & in multas partes dissecta, quorum segmenta latiora multò sunt quàm Peucedani, atque semper terna ab vno pediculo cohærent, instar foliorum Trifolij aut Meliloti, ipsis tamen angustiora ac molliora, nonnihil si confricentur odorata: caulis tenuis, geniculatus, duorum subinde cubitorum, crassior & procerior est quàm Anethi: vmbellæ prægrandes: flosculi candidi: semen verò oblongum vt Fœniculi, sed longius & crassius, maiusculum quàm Cumini sed acrius, alioqui ipsum non modò colore, sed & sapore quodammodo referens. radix albida, odorata in altum descendit. 1.

In Liguria haud procul Genua in asperis montibus sponte nascitur, tum & alibi. In Belgij hortis satum prouenit, sed raro, & non nisi vbi æstas feruida semen perficit.

Siler montanum vulgò nominant: Galli ac Flandri nomine corrupto *Sermontaine*. Officinæ

Siler montanum.



Siler alterum pratense.



cinæ nonnullæ Seseleos. Non est tamen Seseli, nec Seselios species, vt ex sequentibus capitibus satis erit manifestum. Sed Ligusticum est, quod Græcis λιγυστικὸν à λιγυρία siue Liguria nomen accepit. Galenus λιβυστικὸν nominat; nonnulli verò πανάκειαν, alij πάνακες. Respondet Ligustici, quæ apud Dioscoridem, descriptioni: Conueniunt quoque natales, nam in Liguria plurimum nascitur.

Ligusticum

2. Superiori & alterum simile reperitur genus, bicubitalis nempe altitudinis, sed foliis amplioribus, nigrioribus, in multa similiter segmenta, sed angustiora, diuisis, alioqui superioris respondent muscaria: at semen minus est, parum acre, exiguique odoris. radix foris nigricans, intus candida, in plures subinde distributa; quibusdam in locis, veluti in hortis, fibras etiam emittens, quibus proserpens seipsum multiplicat.

In nonnullis pratis ac humidis locis in Gallia subinde gignitur. In hortis Belgij non infeliciter prouenit.

Nonnulli Seseli nuncupant pratense, aut Monspeliense: verùm huius species non est, Sileris montani siue Ligustici spurium ac ignauum genus est. Angli, vt Lobelius ait, huic similem, foliis tantummodo minoribus, Saxifragan appellát, quam aduersus calculos efficacem, atque eum confringere posse affirmant.

Saxifraga Anglicana.

Sileris autem montani seminis vis excalfactoria atque resiccans ordine est tertio. Vrinas & menses potu ducit: prodest ad intestinorum ex cruditate dolores: concoctionem promouet: flatus discutit: auxiliatur contra ventriculi inflationes ac tumores, serpentúque morsus.

Radix eosdem præbet effectus, sed minus efficaciter, vtpote minus calida siccaque.

De Leuistico vulgari. CAP. XVI.

QVOD passim Leuisticum, quasi Ligusticum, vocatur, à Silere montano differens est. Proceri ac geniculati huius caules, interius inanes, plures ab vna non rarò assurgunt radice, in ramulos nonnullos subinde diuisi. Folia laciniosa ac veluti in plures partes dissecta, eademque marginibus incisa, læuia admodum ac resplendentia, ex luteo colore, velut & ipsi caules, virent. Flores in vmbellis lutei: semen oblongum, striatum, geminum, sordidi coloris. grandis, torosa ac carnosa restibilis radix, foris nigricans, intus alba. Tota stirps graui ac aroma redolente odore prædita est, sed semen graueolentius.

In quam.

Leuisticum vulgare.



In quamplurimis apud Germanos ac Belgas hortis repetitur: amat loca pinguia & nonnihil humentia.

Æstate flores: Augusto magna ex parte semen ad maturitatem peruenit: primo Vere germina erumpunt.

Leuisticũ passim appellant, quasi Ligusticũ, cuius loco istud olim Officinæ in vsum recepere. Germanis Lybstöckel: Gallis *Liuesche*: Brabantis Lauetse Hollandis Lauas dicitur. Non esse Ligusticum ex superiore capite satis patet. Fuchsius Smyrnium esse iudicauit. Duo autem sunt Smyrnia. vnum à Theophrasto: alterum à Dioscoride describitur. Vtrumque cognitum est, cum neutro autem Leuisticum conuenit. Nec recipienda est eorum sententia, qui Hipposelinum appellant: nam quod Dioscoridi Hipposelinum, Theophrasto Smyrnion dicitur. Laserpitij aliquod genus esse potius videtur: nam vti differentes sunt Laserpitij succi, sic & diuersa esse genera, vnde hi profluant, veritati consonum.

Describitur Laserpitum caule ferulaceo, foliis Apio similibus: Nec ab hac forma Leuisticum alienum est. *Laserpitiũ.*

Est autem Leuisticum & radice & foliis, tum & semine excalfaciens ac resiccans ordine tertio incipiẽte, & tenuium admodũ partium.

Radix resiccata cum vino bibita ventriculo prodest, crudorum humorum concoctionem promouet, dolores sedat, inflationes discutit, sudores mouet.

Semen eadem potest: quod & vrinas ac menses cit, secundas remorantes abigit, aduersus vteri strangulatus prodest: item & contra serpentium morsus.

Herbæ folia in balneo sudores mouent, cutis fœditates tollunt, & menses promouent: eadem trita & recenti vulneri imposita ipsum citò curant.

De Seseli Massiliensi. CAP. XVII.

SESELIOS genera tria sunt Dioscoridi, Massiliense, Æthiopicum, & Peloponnense.

Massiliensi caulis sesquicubitalis, vel altior, ferulaceus, multis articulis geniculatus, durus, rarò rectus, sæpius modò in hanc, modò in illam partem reflexus: folia veluti Fœniculi, sed ampliora, latiora, crassiora, ac dilutius virentia: flosculi in muscariis candiduli: semina oblongioris formæ vt Fœniculi aut Anisi, gustu acria, non tamen ingrata: albida, altè descendens, iucundi odoris radix.

In Commonorum Prouincia, quæ à Rhodano ad Vocontios patet, vbi Massilia vrbs, frequens gignitur, tum & in aliis Galliæ, ac Italiæ quibusdam locis.

Græci *σέσελι μασσαλεωτικὸν*: Latini Seseli Massiliense quoque nominant. à natali loco cognomen accepit. à nonnullis & *σφάγνον*. Recentiorum quidam Fœniculũ tortuosum vocant.

Cæterũ Seselios & radix & fructus excalfaciũt ac resiccant secundo ordine, & tenuis sunt essentiæ. vrinas mouent ac stranguriæ medentur: menses & fœtus trahunt: orthopnœam & veterem tussim sanant: vteri suffocationibus & comitialibus prosunt.

Semen cum vino potum cruda concoquit, tormina discutit, epialis febribus, vt Diosc., vtile. Capris cæterisque pecudibus datur in potu, quò facilius suos fœtus enitantur, auctore eodem.

De Seseli AEthiopico. CAP. XVIII.


AETHIOPICVM Seseli lignosis fruticat cauliculis, subnigricantibus, rarò subrubentibus, bicubitalibus. alas profert cubitales: folia oblonga, læuia, mediocriter lata, dilutè & ex albido virentia, longiora quàm Hederę, ad Periclymeni Germanici accedentia. vmbellæ luteos edunt flosculos: semina verò maiora quàm Fœniculi. radix longa est, & restibilis, veluti & ipsa stirps.

Repetitur

Seseli Æthiopicum frutex.



Seseli Æthiopicum herba.



Reperitur & in saxosis, & in maritimis haud procul Massilia, tum & aliis Narbonensis Galliæ locis.

Iulio ac Augusto cum floribus ac seminibus in vigore est.

Α'ιθιοπικὸν σέσελι Græci: Latini Æthiopicum Seseli similiter appellant: Ægyptij Κύνος φρίκη, id est, canis horror.

Seseli herbaceum. Est verò præter istud & aliud ad hoc Seselios genus, vt existimatur, referendum, quod Herbaceum nõ abs re cognominatur. Caulis huius quandoq; bicubitalis, sed haudquaquam lignosus, nec hyemem sustinens: folia ampla sunt ex pluribus cohærentia veluti Palustris Apij, quorum singularia lata, ambitu serrata: flosculi in vmbellis candidi: semen membranosum ac paleaceum, latum, oblongum, candicans, odore & sapore seminis Angelicæ. radix foris nigricans, intus albida est, odoreque commendabilis.

Depinxere istud pro legitimo Æthiopico Fuchsius, Tragus, & quandoque Matthiolus: at verum ac legitimum Æthiopicum, fruticans solummodo est. Herbaceum ad Theophrasti *Libanotis Theophrasti.* Libanotidem citius referendum, quod folia ait habere σελίνῳ ἑλείῳ, id est, palustri Apio maiora; caulem ad magnitudinem cubiti: fructum candidum, τραχὺν siue asperum, & oblongum, quale herbacei Seselios semen.

Æthiopicum porrò Seseli iisdem, quibus Massiliense, viribus præditum existimatur.

De Seseli Peloponnensi ex Dioscoride. CAP. XIX.

SESELI Peloponnense folia habet Cicutæ similia, latiora, & παχύτερα, id est, crassiora siue pinguiora, (aliàs τραχύτερα, hoc est, asperiora.) caulem, quàm Massaleoticum, maiorem, ferulaceum; in fastigio muscarium latum; in quo semen odoratum, latius & carnosius (videlicet quàm aliorum.)

Nascitur in asperis, riguis, ac collibus· gignitur & in Ida.

Vim eandem, quam reliqua, obtinet. Pro huiusce modi autem Seseli nonnulli stirpem exhibent à C. Cusio in obseruationibus Hispaniensibus descriptam.

Ferulacea autem hæc est, caule cubito altiore, quandoque bicubitali, digiti crassitudine, nodoso, intus cauo, ac fungoso: foliis magnis, amplis, variè dissectis, subhirsutis. vmbellis

grandi-

Seſeli Peloponnenſe vt putatur.



grandibus, latis: flore luteo: ſemine lato, oblongo, plano · radice craſſa, longa, externus nigricante, internus albida, lacteo ſucco turgente, qui guſtu amarus ac acris nauſeam excitet, & non rarò vomitionem. Quæ ſi ita ſeſe habeant (vt C. Cluſio credimus) veriſimile non eſt, Seſeli, ſtirpem hanc eſſe, Peloponnenſe. Neque enim vllius Seſelios radix ſucco acri & amaricante prædita, ſed omnium odore commendabilis & vires ſimiles.

Proponitur verò & alia quædam à Matthiolo ferulacea ſtirps, verùm nec hæc legitimum eſt Peloponnenſe Seſeli, nam fœdo odore, ac Cicutæ ſimili moleſta eſt · omne verò Seſeli vel ſemine, vel radice, vel vtriſque odoratum. Quamobrem nec abs re & illa ex Seſelium claſſe ac numero reiicitur. Et Seſeli Peloponnenſe inter incognita habetur.

De Seſeli Cretico ſiue Tordylio.

CAP. XX.

TORDYLIVM humilis herba eſt, tenui cauliculo, dodrantali aut altiore: foliis diſſectis, ambitu crenatis: floribus in vmbellis albidis ſemine lato, rotundo, duplici, ambitu veluti limbum habente, clypeoli ſpeciem referente, aut, vt Dioſcorides, ἀσπιδίσκοις, id eſt, exiguis ſcutis ſimili, odorato, ac nonnihil acri. radix tenuis.

Seſeli Creticum.



In Narbonẽſi Gallia ſecus vias ac inter ſegetes ſpontè gignitur. Dioſcorides iuxta Ciliciam in Amano monte naſci refert.

Iulio ac Auguſto in hortis Belgij ſubinde ſemen ad maturitatem peruenit.

Græci Τορδύλιον, & Σέσελι κρητικόν: Paulus Ægineta Γορδύλιον ſcribit: Latini Tordylion, & Seſeli Creticum ſimiliter appellant: Officinis incognitum eſt.

Calidum eſt, inquit Paulus Ægineta, Gordylij ſemen. Ad vrinam & menſes prouocandos vtile habetur. Succus herbæ, ſeminiſque σὺν γλυκεῖ, id eſt, cum vino paſſo, decem diebus trium obolorum pondere ſumptus, nephriticos ſanat.


Radix cum melle in delinctu ad promouendas pectoris excreationes efficax: auctor Dioſcorides.

De Saxifragis. CAP. XXI.

SAXIFRAGIÆ duæ ſunt: Maior vna: altera minor.

Maior amplitudine foliorum cauliumque altitudine minorem ſuperat. folia variè ſciſſa, 1.
Paſtinacæ ſiue Elaphoboſci, aut Siſari aliquatenus æmulantur, ſed nigriora, aſperiora, minora, ambitu verò etiam ſerrata. caulis bicubitalis, angulosus, ſtriatus. candicantes exiguis floſculis vmbellę. ſemen quale Apij hortenſis,

Saxifraga magna.



Saxifraga parua.



tensis, acre, feruentisque gustus. radix oblonga, teres, candida, sapore acris, & saliuam commanducata ciens.

2. Minor primis ac radicibus proximis foliis priorem refert, sunt tamen multò teneriora ac minora, circa cauliculos verò tenuissima, nec prioribus similia: flosculi ac semina veluti Maioris. radiculæ tenuiores quoque ac minores, sed non minus acres.

Germaniæ ac Belgio vtraque satis familiaris, sed minor frequentior. Lætum & pinguem requirunt solum, sed tamen incultum, veluti agrorum margines, & alia similia, quæ aratro non proscinduntur.

Iulio ac Augusto flores ac semina perficiunt.

Vtramque recentior ætas Saxifragam aut Saxifragiam appellat: quidam Petræsindulam: alij Bibenellam aut Bipennulam: Baptista Sardus, deinde & Leonhartus Fuchsius Pimpinellam. Quam ob rem à nonnullis Pimpinella Saxifraga nominatur: Est etenim & alia Pimpinella cognomine Sanguisorba. Extat tamen & vetus versiculus qui Pimpinellam à Saxifraga differre ostendit, qui talis est:

Pimpinella pilos: Saxifraga non habet vllos.

Est siquidem Sanguisorba, quam Pimpinellam vocat, nonnihil hirsuta: Saxifraga verò hæc nequaquam: foliorum autem primorum Saxifragæ minoris & Pimpinellæ Sanguisorbæ quædam similitudo.

Maiorem Germani Bibernell: Brabanti Beuenaert. Bohemi Bedrnijk: Latinè Saxifragam magnam siue maiorem vocant.

Minorem Saxifragam hircinam quidam, alij Pimpinellam Saxifragam minorem. Brabanti Beuernelle. Qui autem Saxifragam hanc, Pyrethrum esse existimant, non parum à vero recedunt. Legitimum Pyrethrum Pemptadis tertiæ lib. primo descriptum est.

Quod si autem ad aliquam Dioscoridis referenda videatur, cum nullo citius quàm cum Bunio conuenire poterit. Caulis siquidem angulosus est, & maioris digitalis ferè crassitudinis: folia inferiora Apio comparati possunt, superiora, præsertim minoris, longè tenuiora: flores in vmbellis Anethi similibus: semen odoratum, minus quàm Hyoscyami, acre ac excalfaciens: quale Bunion esse, Dioscorides verbis istis ostendit:

Bunium. *Βούνιον καυλὸν ἀνίησι τετράγωνον, ὡς μήκει τὸ πάχος δακτυλιαῖον, φύλλα δὲ πρὸς τῇ ῥίζῃ ὅμοια σελίνῳ λεπ-*

λεπτότερα δὲ πολλῷ πρὸς τῷ ἄκρῳ· ἄνθος ἀνήθου, σπέρμα δ' ἀσθὲν, ὑοσκυάμου μικρότερον. Quæ Latinè sic reddi possunt: Bunium caulem edit quadrangularem, prolixum, digiti crassitudine: folia radici proxima Apio similia, tenuiora verò multo, quæ sursum: flos Anethi: semen odoratum, Hyoscyami minus. Habent exemplaria quædam aliter, verum nos emendatiora amplectimur.

Facultate autem Saxifragiæ semen ac radix vehementer & tertio ordine excalfaciens ac resiccans, & partium vnà tenuium.

Vtraque vrinas mouent, stranguriæ ac ischuriæ medentur: calculos cohærentes dissoluunt ac expellunt (vnde Saxifragiæ nomen acceperunt) præsertim si in balneo horum pulueris aut decoctum propinetur. Mouent eadem menses, ac secundas pellunt. iocinoris lienisq́; obstructiones aperiunt: ventriculi cruditates emendant: tormina coliq́ue dolores sedant: flatus discutiunt. Aduersantur etiam venenis, & contra serpentum morsus ex vino vtiliter dantur. Existimantur quoque aduersus morbos pestilentes prodesse.

Radix commanducata dentium dolores sedat, & multam ex ore pituitam elicit.


Aqua ex Saxifragia per organa vitrea destillata, oculorum caliginem discutere fertur: & succus lentigines ac faciei maculas delere.

De Saxifraga alba. CAP. XXII.

Saxifraga alba.



Saxifraga aurea.



NON est hæc vmbellifera, sed nomen illi cum Saxifraga commune, in societatem eius pertraxit.

Promit autem ista folia aliquot in hirsutis & mediocriter longis pediculis rotunda, per margines crenata, Hederæ terrestris molliora & albidiora, inter quæ cauliculi attolluntur teretes, tenelli, dodrante altiores, lanuginosi, in fastigiis quorum flosculi inalbicant. radix multas demittit fibras, cui superius veluti granula insident, seminis Coriandri magnitudine, aut paulò maiora, gustu amaricantia, colore partim purpureo rubentia, partim albida. Hæc semina huius Saxifragæ vulgò habentur.

Locis herbosis incultis, in montibus, collibus, in Germania, tum & in Bohemia multis locis gignitur. Et nonnullis quidem locis altior & maioribus foliis: aliis, & frequentius, minor.

Maio mense cum floribus reperitur, paulò post folia caulesque inarescunt, relictis circa radicem granis, quæ tempestiuè colligenda, alioqui & euanida futura.

Saxifragam recentiores appellant albam cognominant, ad differentiam eius, quæ cap. superiore descripta est. Germanis weiß steynbrech: Brabantis witte steenbreeck: Gallis *Saxifrage blanche.*

Saxifraga aurea. Huic autem foliis aliquatenus similis alia quædam Saxifraga dicta reperitur, quæ Aureæ cognomen accepit. folia siquidem ei quoque sunt rotundiuscula, & ambitu serrata: cauliculi autem omnino breues, palmi altitudine, in quorum ramosis cacuminibus flosculi exigui auri luteo colore resplendent. succedunt exigua rotunda vascula, in quibus rubens pusillumque semen.

Reperitur in quibusdam palustribus ac riguis Brabantiæ ac Flandriæ locis, solo arenoso ac sterili.

Maio ac Aprili cum flore ac semine viget.

Sed ad Saxifragam albam reuertamur. Grana huius quæ circa radicem reperiuntur, tum & folia ac radices, calida ac sicca sunt, vtriusque qualitatis ordine secundo. Feruntur autem hæc vesicæ ac renum vitiis ac doloribus mederi: calculos dissoluere: vrinas prouocare: stillicidioque auxiliari.

De Peucedano. CAP. XXIII.

Peucedanum.



PEVCEDANO caules tenues, geniculati, subinde cubitales; folia multò quàm Fœniculi ampliora, quorum singula segmenta lenta, oblonga, tenuia, Pini foliis similia apparent: flosculi exigui in vmbellis luteoli: semen oblongum, tenue, non carnosum. radix supernè comosa, mediocris crassitudinis, foris nigricans, interius albidior, succi plena, altè & ad duos quandoque cubitos descendit. Hæc flauum, grauеolentem, ὀπὸν, siue liquorem vulnerata emittit, qui mox concrescens citò resiccatur; colore sulphur referens.

In colligendo (inquit Dioscorides) capitis dolores & vertigines sentiuntur, nisi nares prius & caput rosaceo oleo perunguntur. Radix exempto liquore deinceps inutilis. Colligitur præterea ex caulibus, velut è radice Mandragoræ, χυλὸς id est, succus, sed minus efficax ipso ὀπῷ siue liquore, hic succus est, eiusque dissitis viribus ignauius redditur. Inuenitur verò & quandoque concreta Lachryma thuri similis, caulibus radicibusque adhærens: Dioscorides auctor.

In montanis gignitur, non rarò in apricis & pinguibus: In Italia, Narbonensi Gallia, Germania, tum & in aliis regionibus reperitur. Et subinde quidem nonnullis locis foliis densioribus, vmbellaq; angustiore: alibi foliis rarioribus, & singulis eorum segmentis longioribus ac angustioribus, vmbella verò laxiore & latiore.

O'πὸς siue Liquor Dioscoridi præfertur è Sardonia ac Samothraca; odoris grauis, rufus, feruensque gustu.

In Germania ac Belgij hortis Iulio Peucedanos floret: Augusto ac Septembri semen maturum legitur. radix hyeme restans, Vere noua folia caulesque promit.

Græcis πευκέδανος, Latinis similiter Peucedanos, tum & Pinastellum. Officinæ pleræque, tum & vulgò Fœniculum porcinum appellant: A nonnullis Stataria, ἄγειον, & ἀγριόμαραθον, vt inter notha; A prophetis ἀγαθὸς δαίμων, id est, bonus Genius: Germanis Harstrangk, Schwefelwurtz

Schwebell wurtzell / Sewfenckel: Brabantis Verkens venkel: Italis & Gallis *Peucedano*. Hispanis *Herbatum*. Anglis Horestrange. à πευκῆ quæ Latinis Pinus, Peucedano & Pinestello nomen accessit.

Liquor autem Peucedani siue ὀπὸς excalfaciens ac resiccans ordine est tertio. Radix minus quam liquor excalfacit, sed valde resiccat. Excalfaciens quidem ordine secundo completo, desiccans verò tertio incipiente, vt Galenus scriptum reliquit.

Prodest verò ὀπὸς siue liquor ex aceto & oleo rosaceo inunctus Lethargicis, Phreniticis, vertiginosis, comitialibus, diuturnis capitis doloribus, paralyticis, conuulsis, atque in vniuersum omnibus neruorum affectionibus cum aceto & oleo, vt Dioscorides scribit. Idem olfactu strangulatione vteri laborantes, & sopore occupatos, reuocat: suffitu serpentes fugat: aurium doloribus cum aceto instillatus prodest: cauitati erosorum dentium impositus dolores eorundem mitigat. In ouo sumptus aduersus tussim, difficultatem respirandi, tormina & inflationes auxiliatur ex crassitudine, addit Galenus, & viscositate humorum nata. Aluum leniter mouet: Lienem minuit, nempe incidendo, digerendo & crassos humores extenuando. Difficiles partus adiuuat: vterum aperit. Ad vesicæ & renum dolores bibitus facit.


Radix ad eadem vtilis, sed inefficacior: farina eius sordida vlcera purgat: carnem generat (Galenus addit) & vetera cicatrice obducit: squamas ossium celerrime detrahit. Ceratis malagmatisque calfacientibus admiscetur. Eligenda autem est recens radix, non cariosa, solida, odoris plena, vt auctor Dioscorides.

De Angelica. CAP. XXIIII.

Angelica maior.



Angelica syluestris.



ANGELICARVM vna maior est, quam Hortensem & satiuam nominant: altera minor, syluestris dicta.

Satiua procero caule, eoque læui, geniculato, atque interius inani assurgit, qui quandoq; 1.
brachij crassitudinem, & humanæ staturæ excedit altitudinem. Folia amplissima, alis multis, partibusque compluribus, latis, ambituque incisis luxuriant. Vmbellæ latæ sunt: flosculi albi-

Archangelica.



albicantes: fcemina sufflaua, lata, plana, membranosa. prægrandis est radix & crassa, foris minus, interius candidior, odorato grato aromate redolens, ex qua liquor oleosus, pinguis, subluteus fluit, odoris assimilis, quem & ipsa folia ac caules referunt.

2. Syluestris satiuam æmulatur, sed tamen omnibus partibus suis minor. caules breuiores ac tenuiores sunt. folia tametsi ampla, minora tamé ac nigriora. radix tenuior & minus oleosa, aut odorata.

1. Satiua in Belgij quidem hortis, sed alibi spontanea est, vt in Noruegia, & Islandia dicta Septentrionis insula, prægrandi vbi nascitur altitudine, & ab indigenis caulis detracto editur cortice, vt ab ipsis accepimus, quos in Islandia peregrinantes, hisce vesci alterius cibi quandoque coegit inopia. ferunt autem sapidum esse & palato esurienti gratum. Gignitur verò & in nonnullis Germaniæ, ac potissimum in Bohemiæ montibus.

2 Syluestris siue minor Angelica, passim in vtraque Germania locis repentur humidioribus, præsertim in syluis ac syluosis.

Vtriusque radix post seminis maturitatem marcescit, quod altero aut rarò tertio, ex quo sata est anno, accidit. Legenda radix priusquam caulis erumpat: fungosa alioqui & inefficax.

1. Recentior ætas Angelicam appellat: & maiorem quidem satiuam, quod quandoque in hortis seratur. Natura sua tamen & ipsa syluestris est. Minor verò passim syluestris dicitur ac habetur: Germanis Angelick/ Brustwurtz vel des heilighen geyst wurtzel/ id est, Sancti Spiritus radix, teste Leonharto Fuchsio. Belgis Angeliska: Gallis similiter *Angelic*.

Σιλφίου siue Laserpitij species esse apparet (si non ipsum genuinum ac legitimum Laserpitium) Nam si cum iis conferatur, quæ à Theophrasto prolixe satis de Silphio siue Laserpitio lib. vi. De historia stirpium scribuntur, respondere comperietur. Radix crassa, superius veluti in caput extuberat: caulis quantus Ferulæ, cibo, vt scripsimus, idoneus, qui post seminis maturitatem perit: folium Apij diuisura, sed longè maius. semen vero facilè abripitur, latum ac foliaceum, vnde aliæ stirpes rursus progignuntur: amat syluestria loca. Quale omnino Silphium à Theophrasto esse traditur, vt xxvi. subsequente capite latius ostenditur. Iam & memini olim me ab excellentissimo ac clarissimo viro Iacobo Antonio Cortuso Laser accipete, odore ac colore succo è radicibus Angelicæ incisis profluenti, simile: quod Angelicam Silphium esse quoque adstruit.

2 Syluestris verò Angelica an illa sit quæ à Theophrasto *μαγύδαρις*: Latini Magudaris, altera videlicet Laserpitij species, expendendum ac considerandum relinquimus.

Archangelica. Matthiolus & Gesnerus aquaticæ etiam cuiusdam Angelicæ meminêre, sed quandoque eam non descripsere, suspicandum videtur, eam hanc esse, quæ Archangelica apud nos dicitur. Est hæc & foliorum amplitudine, satiua haud inferior, sed tamen singularium frequentia numerosior: in plurima enim folia, huius diducuntur. caulis crassus, quandoque vnà cum foliorum pediculis rubés, geniculatus quoque, valdè ramosus, e singulis siquidem articulis tres aut quatuor alas promit, multis idcirco vndequaque vmbellis cingitur, quarum flores candicant: semen latum, longius & crassius quàm Angelicæ. alta radix & albida, exigui odoris, maioris tamen, quàm folia vel caulis, quæ nullius aut admodum obscuri.

At Angelicæ, & quidem maioris radix, cuius est vsus, excalfaciens ac resiccans est ordine secundo intenso, aut tertio incipiente. Proinde aperit, extenuat, digerit, & sudores mouet: venenis resistit. pestilentes morbos curat si tempestiuè exhibeatur. Datur auté pulueris eius drachma cum vino tenui, aut si febris vehementior, cum Cardui benedicti aut Tormentillæ

stillatitia

stillatitia aqua & exiguo aceti, & per se quidem, aut addita Theriace ex viperis. à contagio deinde horum & præseruat, in ore detenta, aut commansa solum. Lentos crudosque humores eadem ad concoctionem perducit, crassorum, quæ pulmonibus thoracique inhærent, expurgationem facilem procurat. hepar & lienem aperit: virginum remorantes menses euocat: secundas expellit. aduersus rigores febrium huius decoctum ex vino prodest. Valere etiam contra fascinationes radicem adfirmant, si quis eam secum gestarit. vt Fuchsius ait.

De Astrantia siue Imperatoria. CAP. XXV.

Astrantia.



Herba Gerardi.



ASTRANTIÆ magna & lata sunt folia, margine serrata, vt plurimum quæ radicibus proxima, præcipuè trifolia, non rarò verò & numerosiora. cauliculi cubitales, tenues, & geniculati inferius rubent. muscaria exiguis flosculis candicant. semẽ latum, planum, tenue, Anethi instar. obliquè serpunt radices, acres, odoratæ, & succo oleoso plenæ, foris e punico colore subnigricantes interius subflauæ, facili quæ fœcunditate stirpem multiplicant.

In nonnullis Italiæ montosis gignitur. tum & apud Germanos, quibus tamen sæpenumerò, veluti & Belgis, hortensis est.

Iunio flosculi apparent: semen succedit. hyemis patiens radix, multo tempore viuit, serpendo progrediens.

Non modò Astrantiam, sed & Imperatoriam recentiorum nonnulli hanc vocant: nonnulli verò Ostrutium, quasi Struthion: differt autem multum à Struthio siue Lanaria herba. Alij Asterition siue Osteritium legere malunt. qui voces has à Laserpitio deprauatas volunt, & Asterantiam Laserpitium, vel eius speciem esse. Laserpitium autem caule describitur ferulaceo, id est, magno atque procero: huius autem, vt scripsimus, tenuis ac breuis est cauliculus, qui solus à Laserpitio differentem esse, satis ostendit. Germanis est Meysterwurtz: Brabantis Meesterwortele.

Huius syluestris species est, quam vulgò Brabanti Geraert, id est, Gerardi herbam appellant. *Herba Gerardi.*

lant. foliis siquidem, floribus in muscatis candidis, latè serpentibus radicibus, priorem refert, omnibus tamen minoribus. graueolens herba est, & hortis molesta.

Feruentis admodum facultatis Astrantiæ radix, excalfaciens ordine tertio, nec minus resiccans tenuium similiter partium est: incidit, attenuat, digerit, sudores ac vrinas mouet, crassos frigidosque humores concoquit. flatus intestinorum, ac ventriculi, tum & vteri discutit: colicis ac nephriticis prodest: Vrinas mensesque prouocat: aduersus vteri strangulationes confert: secundas etiam pellit. Puluis drachmæ pondo aliquoties datus hydropicis bene facit, conuulsis item ac epilepticis: à quartana ante accessionem cum vino exhibitus liberat: venenis resistit: pestilentibus morbis subuenit. In vino austero decocta radix dentium dolores mitigat: commanfa saliuam cit, atque inter apophlegmatismos non postremo est loco, qui cerebrum per sputum a pituitosis liberant humoribus, & Apoplecticis, veternosis, aliisque huiuscemodi morbis laborantibus vtiliter adhibentur.

De Laserpitio & Magydari ex Theophrasto & aliis.

CAP. XXVI.

LASERPITIO folia exeunt Apio similia: caulis quantus Ferulæ, crassitudine proximus, ac similiter annuus, hominum cibo modis omnibus idoneus, assus etiam siue elixus, qui, posteaquam semen maturum, intercidit. semen latum, φυλλῶδες siue foliaceum, quod & φύλλον siue folium vocatur. radix multa crassaque, superne extuberans nigro cortice contegitur. Colligitur ex caule, tum & ex radice ὀπὸς siue liquor, qui Laser vocatur, quod & Dioscorides affirmat.

In Cyrenaica regione, quæ Libyæ siue Aphricæ prouincia est, gignitur: proinde rectè Catullus:

Laserpiciferis iacet Cyrenis.

Prius autem quàm Cyrenenses vrbem habitarent, illic Laserpitium natum. Peculiare huius fertur culta fugere loca. Nasci verò & in Syria, Armenia, ac Media, quæ Asiæ subsunt, à Dioscoride refertur.

Vere ineunte folium exit: deinde caulis editur: semen, cùm Auster post Caniculam flauerit, discutitur. vnde Laserpitium prouenit.

Quadraginta diebus (æstatis) succus capitur. Eodem anno radix & caulis perficiuntur.

Σίλφιον Græcis, Laserpitium Latinis dicitur. Folium Theophrastus Masperon vocari sentit: Dioscorides verò caulem μάσπετον dici refert: pòst tamen: Nonnulli caulem Silphion, ait, nominant: radicem μαγύδαριν: folia verò Maspeta.

Laser. Liquor Græcis ὀπὸς, Latinis Laser, Arabibus Assa appellatur. & qui è caulibus, καυλίας; è radicibus verò ῥιζίας: Gaza hunc Radicarium; illum Scaparium vocat. Præfertur à Dioscoride Cyrenaicum Laser, & quidem subrubens, transparens, Myrrhę æmulum, intensi odoris, non terrenum, suaue gustu, quod dilutum facilè albescat. Medicum & Syriacum Laser viribus minus valent, & magis virosum reddunt odorem. Existimatur autem Syriacum aut

Assa fœtida. Medicum Laser esse, quod Officinæ nostra ætate Assam fœtidam appellant.

Magydaris Fertur verò (Dioscorides scribit) & altera μαγύδαρις in Libya nasci. radix Laserpitio similis, minus crassa, acris, laxior, ὀπὸν siue Laser non habens.. De eadem & Theophrastus, quam tamen non in Libya, sed in Syria gigni refert. Quod Magydarim, inquit, vocant, ἕτερον δεῖ τοῦ σιλφίου, id est, alterum est à Silphio, tenerius enim, minus acre, & Laser non habet. Gignitur in Syria, non in Cyrene: fertur in Parnaso monte multum esse: Nonnulli id quoque Silphion vocant.

Cæterum Silphij liquor, Galenus ait, calidissimus est: verùm enimuerò & folia, & caulis & radix sat strennue excalfaciunt: Sed omnia flatulentæ magis essentiæ sunt, ac proinde coctu difficilia: foris tamen corpori imposita efficaciora, & omnium potissimum ὀπὸς siue liquor, admodum trahentem facultatem possidens. Attamen & excrescentias amoliendi & liquandi vim quandam propter propositam temperiem obtinet.

Efficacissimum Laser, Dioscoride auctore; deinde folia: postea caulis. addit verò & multas alias particulares facultates, quas consultò prætermittimus, Galeni compendio contenti. Theophrastus foliis pecus pinguescere vehementer, & carnes earum mirabilem in modum suaues reddi, ait. Purgari verò & hoc pecus quidam affirmant, sed contrarium, quòd videlicet minimè purgentur, alij iudicant. Mandi radices ex aceto recenter excisas, ex aliorum relatu Theophrastus quoque adfert.


De

De Ferula & Ferulagine CAP. XXVII.

Ferula.



Ferulago



VNIVS Ferulæ Dioſcorides meminit, ex qua Sagapenum colligitur: Chalbanum verò & Ammoniacum Ferulæ quoque ὀπούς ſiue liquores eſſe refert. Verùm an iſtæ cum priore differant, necne, non exponit. Fieri autem poteſt, vt ex vnius generis Ferula differentes ſucci colligantur, pro regionum videlicet, vbi naſcuntur, varietate. Veluti enim Laſer Cyrenis natum diuerſum eſt à liquore, qui in Media & Syria prouenit: ita Ferulam in Media Sagapenum, iuxta Cyrenen Ammoniacum, in Syria Chalbanum proferre poſſe apparet. Theophraſtus Ferulaceum genus in plures ſpecies diuidi ait, & vnam grandem, Ferulam nominat: alteram minorem, Ferulaginem.

Ferula autem caulem promit quatuor aut quinûm cubitorum, geniculatum, craſſum, & *Ferula.* ſub finem æſtatis durum, ac lignoſum, vnicum, ſed circa cacumen ramoſum: ex quo ſi prima germinatione futurorum foliorum ac vmbellarum rudimentum eximatur, oui coctum luteum magnitudine referet; quod Corculum Ferulę nonnulli appellant. folia grandia ſunt, mollia, & multifida, in capillamenti modum attenuata, multò quàm Fœniculi maiora, alterno ordine diſpoſita. vmbellæ cùm in faſtigio, tum in alis latæ: floſculi in his lutei: & deinde ſemina plana, lata, foliacea. radix magna, recta, altè deſcendit.

Ferulago minor & humilior quàm Ferula, alioqui ſimilis: caulis quoque vnicus, & folia *Ferulago.* huiuſmodi. Sunt tamen, inquit Theophraſtus, qui differentem à Ferula exiſtiment.

Naſcitur Ferula in compluribus Aphricæ ac Aſiæ regionibus: nec deeſt in Europa: nam in Apulia & Narbonenſi Gallia cognita eſt.

Iunio ac Iulio, vel etiam prius in calidis prouinciis floret, ac ſemen non multò pòſt perficit: perit inde caulis, qui annuus eſt.

Quæ maior eſt Græcis Νάρθηξ: Latinis Ferula appellatur: Italis *Ferola*: Hiſpanis *Canaheja.*

Minor Ναρθηκία & Ferulago nominatur.

Quod in tenello ac primæ germinationis caule reperitur Græcè ἐντεριώνη τοῦ νάρθηκος, ab interpretibus Medulla, à recentioribus Corculum Ferulæ dicitur.

Est autem medulla hæc, auctore Galeno, adstringentis qualitatis particeps, atque ideirco vtilis sanguinem spuentibus, & cœliacis: Dioscorides tritam & naribus inditam sanguinem illinc erumpentem sistere etiam ait, & contra viperarum morsus in vino eandem dari.

Nostra ætate fertur, præsertim in Apulia, à nonnullis sub cineribus tosta (foliis tamen aut panniculo prius inuoluta) edi, pipere & sale additis, esseque edulium suaue, quod etiam ad Venerem excitet.

Semen excalfacit & attenuat: torminosis auxiliatur: sudores mouet cum oleo corpori illitum.

Caules si edantur, capitis dolores faciunt; Muria condiuntur: Dioscorides auctor.

QVINTI LIBRI ET PEMPTADIS SECVNDÆ FINIS.

REM-

Autoris damnati, ex opere permisso

REMBERTI DODONAEI DE RADICIBVS, PVRGANTIBVS HERBIS, CONVOLVVLIS, DELETERIIS, AC PERNICIOSIS PLANTIS, FILICIBVS, MVSCIS, ET FVNGIS,

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTAS TERTIA.

DE RADICIBVS LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.

SVPERIORE Pemptade, flores, odoratas, coronariasq; herbas, vnà cum vmbelliferis, prosequi studuimus. hac verò tertia, quæ ad medicamentorum materiam faciunt reliqua occurrunt: veluti sunt, quarum ad multa vtiles radices: & quæ purgandi facultate pollent, quibus adminiculis sese conuoluentes accedunt, quòd plurima harum inter purgantes sint referenda. Pertinent & huc, quæcunque deleteriam ac exitialem vim aut naturam sortita: nec non Filices, Musci, & Fungi. Primum ordine locum radices occupant: proximum purgantes: conuolulua tertium: succedunt exitiales ac perniciosæ: posterior Filicibus, Muscis, nec non Fungis relictus.

Radicum autem classis, aut, vt nuncupare libuit, liber, non omnes, quæ comprehendi potuissent, complectitur: verùm eas tantummodo continet, quæ inter purgantes, conuoluula, vel oleracea, aut omninò alio loco, referendæ non sunt. Nam ex his, quæ magnas ac efficaces radices obtinent, non pauca in alias digesta sunt classes: propter similitudinem videlicet aut affinitatem cum iis, quibus accesserunt. Iris & Pæonia, quia floribus præstant, inter hos referuntur. Scammonium verò & Bryonia, & aliæ, quòd vicinis sese implicent, inter conuoluula numerantur: edules radices cum oleribus describuntur. Ita radicum classis pauciores complectitur, quàm posset, si efficaces radicibus omnes in hanc contraherentur.

DE ARISTOLOCHIIS. CAPVT I.


ARISTOLOCHIÆ, auctore Dioscoride, tres sunt: Longa, Rotunda, & Clematitis. Plinius Pistolochiam speciem annumerauit quartam. Posterior ætas quintam, Saracenicam dictam, adinuenit.

Longa Aristolochia multis à radice tenuibus ac viticulosis germinat cauliculis, circa quos folia hinc inde mollia, odorataque: flores iuxta folia oblongi, caui, vna parte longiores, coloris purpurei, odoris grauis: fructus turbinati, striati, exiguis Pyris conformes; qui semine maturato in quinque vt plurimùm partes dissiliunt, quod triangulum, ac nigricantis est coloris. radix subest dodrantalis, aut breuior, digitalis crassitudinis, buxei flauescentis coloris, odorata, sed perquàm amara ac ori ingrata.


Rotunda Aristolochia cauliculis foliisque priorem refert, sunt tamen paulò rotundiora folia eius præsertim, cuius fructus turbinatur. flos vnius (differentiæ etenim in hoc nónihil) oblongior & angustior, colore sublureus: alterius breuior, & qua reflectitur parte, in purpura subnigricans: fructus huius Pyri modo è latiore sede fastigiatur: illius in rotundo oblongus: vterq; striatus: semina qualia longæ. radices orbiculatæ ac tuberosæ, gustu & odore longæ.


Clematitis longis, prætenuibus, viticulosisq; suis cauliculis, ac nó rarò ramosis, vicina quæuis adminicula comprehendit, quibus se Smilacis modo implicat ac circumuoluit: folia longiori

Aristolochia longa.



Aristolochia rotunda.





Aristolochia Clematitis.

giori pediculo hærent, læuia, lata, acuminata, vti aliarum: flos similiter cauus, oblongus, luteus, aut ex purpura nigricans: fructus haud differentes. tenues autem radices sunt, & prælongæ, modò per summa serpentes, mox altius demissæ; colore præcedentium.

Dioscoridis locus emendatus. Dioscoridis exemplaria Clematiten foliis esse habent, ἀειζώου μικροῦ ἐοικόσι, sed legendum est ἀσάρου ἐοικόσι, μικρά.

Theophrasti locus restitutus. Deprauatus est de Clematite & Theophrasti locus. nam vbi legitur: τῇ χρόᾳ δὲ μέλανα, & mox: φύλλον δὲ ἔχει προσεμφερὲς τῇ ἐλαίνῃ, restituendum est: τῇ χρόᾳ δὲ μήλινα, id est, colore melina, & φύλλον δὲ ἔχει προσεμφερὲς τῇ ἑλξίνῃ.

Aristolochias autem nasci pinguibus & campestribus locis, Plinius refert. Hispaniæ agri harum trium feraces sunt. Longam & rotúdam in Italia ac Narbonési Gallia reperire quoque est.

est. Clematiten Petrus Bellonius in Ida Cretæ monte à se inuentam scribit. Carolus Clusius circa Hispalim, plurimisque aliis Bæticæ Hispaniæ locis, in dumetis & vepribus offendisse se hanc refert.

Florent Aristolochiæ in Belgio quidem Maio aut Iunio: alibi & in calidioribus regionibus prius.

Nuncupatur Aristolochia Græcis ἀριστολοχία; quoniam ἀρίστη ταῖς λοχοῖς, id est, optima puerperis sit.

Priorem ἀριστολοχίαν μακρὰν, id est, Aristolochiam longam, ab ipsius radicis forma, item & δακτυλῖτιν, μηλόκαρπον καὶ πύξιον nuncupant, & Aristolochiam quoque marem.

Altera femina existimatur, & ἀριστολοχία στρογγύλη, siue rotunda Aristolochia dicitur: à nonnullis etiam χαμαίμηλον, ceu terræ Malum. Cyclaminus tamen & terræ Malum appellatur, ab Aristolochiis multum differens.

Tertia Aristolochia κληματῖτις veluti sarmentitia cognominatur.

Reperiuntur porro & apud Apuleium Aristolochiæ & aliæ appellationes: vt, ἀδρὰ ῥίζα, ἐφίππα, ἐφέσιος, πύξιονος, δάρδανος, ὀπτητὶς; quæ cui speciei propriæ sint, non satis apparet, omnibus communes videntur.

Facultate autem omnes hæ Aristolochiæ excalfaciunt, resiccantq́ue, & ad tertium vtriusq́ue qualitatis ordinem pertinent, extergendi potentiam vnà habentes.

Dioscorides longam aduersus serpentes & mortifera, drachmæ pondo cum vino bibi, & vtiliter imponi refert: ac cum myrrha pipereque potum, expellere omnia in vteris à partu relicta, item & menses & fœtus, idemque cum pesso impositam posse.

Rotunda tum ad hæc omnia, cùm ad alia reliqua venena facit: item ad asthma, singultũ, rigorem, splenem, rupta, conuulsa, laterum dolores, cum aqua pota: aculeos & spicula extrahit: ossium squamas in cataplasmatis permixta adimit: putredines remouet: vlcera sordida expurgat, & caua cum iride melleque implet: gingiuas & dentes purgat.

Clematiten Galenus fragrantiorem esse ait, itaque ea ad vnguenta vnguentarios vti; sed ad sanationes infirmiorem.

De Pistolochia. Cap. II.

Pistolochia.



PISTOLOCHIA longæ rotundæque Aristolochiæ, & cauliculis & foliis similis est; minor tamen ac tenerior: folia eius lata ac hederacea sunt: flosculus oblongus, cauus, supréma ac extima parte nigricans: fructus subrotundus, veluti vnius rotundæ Aristolochiæ: pro radicibus tenues quàm plurimæ exeunt fibræ.

In Narbonensis Galliæ, nec non Hispaniæ quibusdam agris sponte nascitur.

Floret fructumq́ue perficit eodem, quo aliæ tempore.


Pistolochiam hanc speciem nuncupari, πολύρριζον verò cognominari, Plinius lib. XXV. cap. VIII. scribit. Est, ait, & quæ Pistolochia vocatur quarti generis (Aristolochiarum videlicet) tenuior quàm proximè dicta (nempe Clematitis) densis radicum capillamentis, iunci plenioris crassitudine: hanc quidam Polyrrhizon cognominant.

At facultate & viribus hæc aliis reliquis haud absimilis videtur, excalfaciens similiter & exsiccans, non adeò tamen intensè. Conuulsis, contusis, ex alto præcipitatis, ex aqua potam vtilissimam tradi, Plinius auctor est.

De Aristolochia Saracenica, Aristolochiarum specie quinta. Cap. III.

HÆc Aristolochia tenuibus foliis frondosisque ramulis, reliquis similis est, altior tamen ac procerior quàm longa aut rotunda: folia eius maiora quàm Asari: flores concaui, oblongi, vna parte prominentes, colore subluteo: fructus Pyrorum instar turbinantur: semina iri

Aristolochia Saracenica.



na in his interſepta, triangularia, ſordidè nigricantia. radix longiuſcula, mediocris ſubinde craſſitudinis, lutea, Buxi ligno colore ſimilis, amaritudine nec longa nec rotunda inferior. Eſt autem has interdum exiguas tenueſque reperiri, vbi videlicet quandoque & non ita dudum collectæ ac ſublatæ. Ex relictis ſiquidem radicum particulis nouellæ plantę, tenellas initio ac ſarmentitias radiculas promunt.

Multis in Germania ac Belgio, nec non in Italia & alibi locis, huiuſcemodi Aristolochia reperitur, iuxta vineas margineſque agrorum læto ac reſtibili ſolo. In hortis feliciter quoque adoleſcit. Quem ſemel occupauit locum, ægrè deſerit. Quantulacũque etenim radiculæ pars, licet altè atque in profundo abdita, germen tamen emittit: adeò pertinacis eſt vitæ.

Huius æſtate flores, autumno fructus colligi poſſunt.

Vulgò Saracenicam nuncupant: Galli *Sarasine*: Belgæ Saraſijn cruyt: Germani Oſterluzey: Officinę Ariſtolochiam longam. Atque pro hac olim ab omnibus habita fuit. tandem Clematitis appellari cœpit. Sed iam legitima Clematite reperta, quo hanc nomine alio quàm Ariſtolochię Saracenicę vel quintę Ariſtolochię compellabimus? niſi forte Clematitem alteram, vel Ariſtolochiam longam maiorem eam nuncupari magis placeat.

Vi autem & potentia hæc Ariſtolochia cuiquis etiam ſimilis, inſigniter amara & calida, longa non inferior: proinde & pro hac in omnibus compoſitionibus ſuccedere & recipi abſque vllo errore poteſt.

De radice Caua. CAP. IIII.

RADICES cauæ duæ ſunt. vna Maior, altera Minor.

Maiori folia ſunt Coriandri modo diſſecta, tenuia, dilutè virentia; cæſio videlicet Aquileiæ foliorum colore, quorum & formam aliquatenus referunt, minora tamen. pediculi teretes, tenues & læues, palmum longi, circa quos ſuperiore parte floſculi ordine digeſti, oblongi, in corniculum deſinentes, Linariæ floribus conformes, dilutè in rubro purpurei, ſubinde albidi. ſemen in valuulis latiuſculis exiguiſque nigrum, paruum & ſplendens. radix tuberoſa, inferiore parte ſeſſilis, & excauata, pulpa, dum recens, ſubluteа, vbi verò exaruit, a viroro ſubnigricante, guſtu cum amaritudine quadam auſtera.

Minor ſpecies foliis, pediculis, purpuraſcentibus oblongiſque floſculis, ſiliquulis, & ſemine maiori ſimilis eſt, humilior tantùm ac minor. radix huius non caua, verùm ſolida, globoſa verticilli ſpecie, colore ſubluteo, ſapore cum amaritudine adſtringente.

Exit vtraque circa ſepes, vepres, agrorum & vinearum margines, humilioribus locis ac ſolo pingui lætoque. Vtraque in Germania: minor Belgis frequentior.

Primo ſtatim Vere vtraque erumpit, florem mox facit, ſemenque breui perficit. Menſe Maio eius præter radices nihil supereſt: ita paucis hebdomadis apparet.


Officinarũ error. Germani Holwurtz: Belgæ Hoolwortele, id eſt radicem cauam appellant. Officinas perperam hac pro Ariſtolochia rotunda vſas notius eſt quàm referri, aut refelli debeat: & ſimiliter eorum manifeſtus error, qui temerè Piſtolochiam iudicarunt. Quo autem nomine dici debeat (ſi modò veteribus cognita fuerit) non parùm ambigendum videtur. Sunt qui Leontopetali ſpeciem faciant. alij Eriphion: nonnulli Theſium: plerique Capnon Chelidoniam.

Leontopetalon. Cum Leontopetalo autem tuberoſis radicibus & quadantenus foliis conuenire poſſe videtur: ſed cauliculorum alæ plurimæ, floreſque Anemones deſiderata, diſcrimen adferunt. Leontopetali etenim caulis ramoſus in alas multas diuiditur; flos verò qualis Anemones, vt quidem Dioſcorides & Plinius referunt.

Eriphion autem ſi vtique ἀπὸ τοῦ ἔαρος id eſt, à Vere nomen habet, [illegible] aut citius [illegible]

Vere, que

Radix caua.



Radix caua minor.



Vensque planta, non impropriè hæc radix nuncupari poterit. Veris siquidem tempore tantummodo apparet ac viret. Sed tamen ἐρίφιον ab hœdo dictum ea propter non est. Eriphion siquidem istud, longè aliud est: vt quidem describitur, tum ab Apuleio, cùm in libro ad Paternianum Galeno attributo.

Apuleius, Eriphion, ait, nascitur in Gallia, in monte Soracti: figuram habet Apij, floré purpureo similem: nascitur septem radicibus, totidemq; ramulis, ipsa autem patula humo omni florens tempore, semen habet tanquam faba. *Eriphion.*

In libro autem ad Paternianum hæc verba leguntur: Eriphion herba est, quæ in summis montibus inuenitur. folia habet similia Apio, & thyrsulum oblongum, in cuius summo flosculum quasi violaceum, & semen in medio radicem quoque ad magnitudinem & valetudinem cepæ oblongæ. habet & radices alias, quæ radiculas alias e radicibus emittũt, nigro cortice vestitas. Ex quibus manifestum, radicem hanc nequaquam huiuscemodi Eriphion esse.

De Thesio seu Θησεῖῳ, pauca apud veteres extant. Theophrastus radicem eius amaram esse, & rursum aluum purgare ait. Plinius lib. XXI. cap. XVII. radicem quę Thesium appellatur, bulbosis nõ dissimilem, & gustu asperam refert. Athenæus Timachidam citans auctorem Thesium florem tradit, ex quo Ariadnes corona composita fuit Conuenit e hæc satis radici cauæ apparent tuberosa siquidem radix, gustu non absque amarore austera, quę ad purgationes facere creditur. Sed in tanta veterum breuitate quid affirmandum? *Thesion.*

Capnos chelidonia, quæ iuxta sepes enascitur, atque hinc φραγμῖτις cognominatur, qualis sit, Aëtius non exponit. solùm nomen eius reperitur Tetrab. II. lib. III. cap. CX. in Collyrio Mamiani, & Tetrab III. lib. II. cap. primo, inter calfacientia & firmitatẽ iecinori cõferentia. *Capnos chelidonia.*

Quod si autem Capnos chelidonia illa est, quæ à Plinio lib. XXV. cap. XIII. prima Capnos nominatur, & ad oculorum caligines commendatur, satis manifestum Cauam radicem non esse Capnon chelidoniam. Prima etenim Plinij Capnos ramosa est, & vicinis sepimentis sese implicat. Caua verò radix ramulis adnatis caret, humilisque nullis sustinetur neque eget adminiculis.

Si autem alia est, Aëtij Capnos chelidonia, quàm Plinij (quod fortasse Chelidonię cognominatio innuit) non citra aliquam occasionem Capnos chelidonia appellari potest. Fumariam etenim foliis, tametsi maioribus, aliquatenus refert: & Vere quidem primo circa videlicet χελιδονιῶν, id est, hirundinum aduentum apparet. Sed tamen idcirco veram & legitimam

Capnon chelidoniam esse nō consequitur. Sunt siquidem & aliæ eodem tempore prodeuntes, breuique pòst pereuntes, quæ tamen Chelidoniæ non appellantur.

Cæterum Caua radix calida & sicca potentia est, magis tamen sicca quàm calida: vtpote tertio tesiccans, secundo verò ordine excalfaciens adstringit autem & abstergit, nonnihilque digerit. vtilis ad veteres diuturnosque tonsillarum fauciúmve tumores. valet etiam aduersus hęmorrhoidum cum rumore dolores cum vnguento ex Populo nigra, aut alio simili facultate permixta. Ferunt & hanc drachmæ vnius pondo sumptam aluum ducere, pituitamque detrahere.

De Aro. Cap. V.

Arum.



Arum Ægyptium



ARO folia aliquot sunt magna, læuia, splendentia, lata, acuminata, hederæ foliis multò ampliora, nigricantibus nonnullis lituris veluti suggillata scapus inter hæc exit semisessem altus, purpureis nonnullis punctulis subinde notatus, inuolucrum proferens oblongum, patens, leporinæ auriculæ æmulum, è medio cuius pistillo simile assurgit, membrana in purpura nigricante liuenteque contectum, qua tandem rimas faciente decidenteque, vua apparet, ex acinis pulchrè per maturitatem rubentibus & succosis. semē in his vnum aut alterum, exiguum, duriusculum. radix tuberosa, magnitudine maioris oliuæ aut exigui bulbi, candida, carnosa, fibris non carens, multis quibus se propagat adnatis exiguis veluti bulbulis.

Nascitur Arum in syluis, iuxta vrbium fossas, sub sepibus, locis vbique vmbrosis & quibusdam locis maius; aliis minus ac omnino paruum reperitur.

Erumpunt mox post Hyemem folia. pistillus verò e vaginula Iunio exit, foliis marcescentibus: quibus corruptis vuæ Iulio & Augusto maturantur.

Exit & in Ægypto Ari species, quę in Aphrica quoque reperitur, tum & in Lusitaniæ quibusdam locis iuxta riuulos & fluenta, quod ab Europæo differens est ampla & magna huius sunt folia, maiora quàm Nymphęæ: crassa ac tuberosa radix, inferiore sede crassior ac lanior, quæ edulis est: flore ac semine destitui fertur, propagari verò fibris à radice emissis.

Castellani *Manta de nuestra Senora* appellant: plerique Colocasiam esse volunt. Colocasiam autem Dioscorides radicem appellat Fabæ Ægyptiæ, quæ vtique haud sterilis. Herodotus Colocasiam rotundam radicem esse refert.

Arum à Græcis *ἄρον* nominatur: ab Officinis Iarus, & Barba-Aron; ab aliis Pes vituli; à Syris La-

ris Lupha: à Cypriis Colocasia: vt inter nothas voces, vbi & ἄλιμος ac δρακοντία appellari reperitur. Testatur Plinius lib. XXIIII. cap. XVI. Aron magnæ cum Dracontio litis esse, & quosdam eandem dixisse. Nonnulli Serpentariam minorem vocant: Germani Paffen pint & Teutschen ingbeer: Itali *Gigaro*: Hispani *Yaro*: Belgæ Calfsvoet: Galli *Pied de veau*: Angli Cockowpynt.

Cæterum Ari vires pro regionum varietate differũt. Nam, vt Galenus in lib. De aliment. facult. tradit, huius radix in quibusdam regionibus acrior prouenit, vt propè ad Dracontij accedat. Cyrenis contrà minimè medicamentosum est Arum aut acre: adeò vt & Rapis vtilius reputetur. Et tale in cibo est præstantius.

Si quis autem humores crassos vel lentos in thorace aut pulmonibus collectos, tussi expurgari velit, acrius ac medicamentosius magis conueniet. Acrius autem est in Italia, Germania, Gallia, Belgio, & in Asia quoque, Galeno teste. Estur verò in aqua elixum, sed dum ipsa radix coquitur effusa priore aqua, in aliam calidam conijcere ipsam conuenit.

Terrena autem ipsum Arum essentia constat, vt in lib. De simplicium medicamentorum facult. Galenus ait, sed calida: proinde extergendi vim possidet, verùm non valentem, sicut Dracontion. Est itaque in exiccando & calefaciendo primi ordinis. Radices eius maximè sunt vtiles siquidem comesæ crassitiem humorum mediocriter incidunt; adeò vt & excreationibus ex pectore idoneæ sint: sed magis tamen aptum est Dracontium.

Dioscorides folia etiam ad esum condiri, & arida per se decocta mandi refert: item radicem priuatim ex fimo bubulo illitam podagricis prodesse.

Visi post quadraginta dierum latebras & ab omni cibo abstinentiam, exeuntes Arum edunt: cuius natura ventosa intestinum diducit dilatatque, & facultatem recipiendi cibi adfert. Abstinentia siquidem tanti temporis intestinum eatenus lupi adducitur, vt propemodum cohæreat: vt quidem Aristoteles, Ælianus, Plutarchus, Plinius & alij scribunt.

De Dracontio. CAP. VI.

Dracontium.



Dracontium minus.



DRACONTIA duo sunt: vnum maius, alterum minus: & præter tertium quidem, quod aquatilibus locis gignitur.

Maius siue magnum Dracontium caule assurgit recto, sesquicubitali aut altiore, crasso,

 tereti,

tereti, læui, versicoloribus lituris veluti serpentum maculis resperso: folia magna & ampla sunt, è senis, septenis, pluribúsve simul ordinate coniunctis; quorum singula oblonga sunt & angusta, acuti rumicis foliis satis similia, at læuia & glabra. è scapi fastigio vagina exit oblonga & quàm Ari maior, foris herbacei, interius verò in punico colore vnà cum pistillo suo nigricante; qui longus, crassus, & cornu modo in acumen fastigiatus, cuius, seminis incremento, distenta dissilienteque membrana, fructus racemosus vuæ instar patet, primùm virentibus, deinde rubentibus succique plenis baccis farctus: in quibus semen duriusculum. radix subest perennis, crassa, bulbo similis, candida, tenui cortice indura, mediocris subinde mali magnitudine, multis candidis capillamentis fibrata, adhærentibus quoque non rarò exiguis aliquot bulbis, quibus multiplicatur.

Minus Dracontium, foliis, inuolucro siue vagina, pistillo, vuaque Ari simile est, foliis tamen non nigris, sed albicantibus maculis respersa. quæ non ita cito vti Ari pereunt, sed vnà cum vuis in Hyemem vsque perdurant. acini quoque minus saturato, sed ad croci inclinante colore, rubent. radix non absimilis Ari, candida, & bulbi specie, fibras habet adhærentes, exiguaque nouarum stirpium rudimenta.

Locis vmbrosis, in calidioribus præsertim regionibus, vtrumque Dracontium reperitur. Maius Germaniæ & Belgio satis familiare. sed minus rarius est.

Floret vtrumque vnà cum Aro aut aliquantò serius, vuæ Augusto perficiuntur.

Græci δρακόντιον καὶ δρακοντίαν, Latini quandoque Dracunculum appellant.

Et quod maius est, recentiorum plerique Serpentariam maiorem nuncupant: alij Bisanam; nonnulli Colubrinam: Cordus Dracunculum polyphyllon & Luph crispum: Germani Schlangenkraut / drachenwurtz: Brabanti Speerwortele: Galli *Serpentaire*. Itali *Dragontea* Hispani *Taragontia*. In censu notharum vocum etiam ἄρον, ἴσαρον, ἴαρον, ἱερόχιλος, βίαρον, μιάγειον, κύπρος, Sauriaria, & Sigingiaria, dicta etiam reperitur.

Matthiolus hunc Dracunculum minorem facit, & alium quendam pro maiore pingit; qui, si in rerum natura est, Bistortæ species videtur. Occasionem dedisse potuit vox ἀντιπεπλεκόμενα, pro qua, sibi inuicem implicata, Matthiolus, & ante eum Marcellus Virgilius reddidit. Nam Dracunculi huius folia λαπαθώδη ἀντιπεπλεκόμενα Dioscorides describit. Sed ἀντιπεπλεκόμενα dicuntur connexa & cohærentia. ἀντιπεπλοκὴ siquidem connexio est. Et talia quidem huius Dracunculi folia, quæ pluribus Lapathi similibus, vt diximus, connexis constant & cohærentibus.

ἀντιπεπλεκόμενα.

Dracontium minus, sunt qui Arum alterum, aut Arum minus vocent: Cordus Dracunculum henicophyllon, & Luph planum. potest etiam Serpentaria ac Colubrina minor nominari. Officinis autem Dracunculus iste non est cognitus.

Apuleius Dracontion Draconteam appellat, & multa eius peregrina adfert nomina, quæ an maiori vel minori aut vtrique conueniant, non explicatur. vt Pythonion, Asclepias, Anchomanes, Sauchromaton, aut Sauromaton, Therion, Schœnos, Dorcadion, Typhonion, Crocodilion, Theriophonon, Eminion.

Athenæus Amniam nuncupari Dracunculum etiam refert. & non impropriè minor, ἀμνία dici potest, cùm sit Aro similis.

Cæterùm viribus Dracontion quiddam Aro persimile, vt Galenus ait, obtinet, tum foliis, tum radice, illo tamen acrius & amarius: ac proinde excalfactorium magis tenuiorumque partium. Obtinet etiam leuiculam quandam adstrictionem, quæ quando quidem cum prædictis duabus qualitatibus, acri scilicet & amara, coniuncta est, medicamentum factum est vtique maximè efficax.

Nam radix viscera omnia expurgat, crassos potissimùm & lentos humores extenuans. Optimumque remedium est contumacium vlcerum, quæ κακοήθη nuncupantur. Expurgat extergitque strenuè, tum alia quæ extersionem desiderant, tum alphos cum aceto.

Folia quoque, vtpote similem facultatem habentia, vlceribus, vulneribusque recens infectis accommoda sunt, & quanto minus fuerint sicca, tanto magis conglutinant. Nam quæ sicciora, viribus sunt acrioribus, quàm vt vulneribus conueniant. Creditum est, caseum humidũ, si illis foliis tectus reponatur, ob temperaturæ illorũ siccitatem, à putredine cõseruari.

Fructus valentior est, non foliis tantum, sed & radice: proinde & cancros & polypos eliquare creditus est. Succus quoque eius oculorùm vitia expurgat.

Præter hæc autem Dioscorides, ferri narrat, à viperis non feriri eos, qui folia aut radicem manibus affricuerint.

Plinius Dracunculum habentem serpentes fugere etiam scribit. Et hæc quidem de vtroque Dracunculo in duobus Dioscoridis capitibus leguntur.

Meminit autem Dracunculi Galenus etiam in lib. De aliment. facult. vbi Dracunculi radicem

dicem bis térve elixam, quò omnem exuat medicamentosam vim, in cibo, aut, interdum Ari modo exhiben, cum crassi ac glutinosi thoracem pulmonemque infestantes humores fortiore vi expellendi veniunt.

Dioscorides verò minoris Dracunculi radicem refert, tum coctam tum assatam cum melle, aut per se in cibo acceptam, humores in thorace hærentes ad eductionem faciles efficere.

De Dracunculo aquatili. CAP. VII.

Dracunculus aquatilis.



AQVATILI Dracunculo non rotunda bulbi specie, sed prælonga, repens & geniculata, mediocrisque crassitudinis est radix; e cuius geniculis foliorum pediculi assurgunt teretes, glabri, intus fungosi, deorsum verò candidæ & tenues aliquot demittuntur fibræ. Fructus in breui pediculo supra, atque vnà cũ vno foliorum prodit, initio quidem exiguis candidisque staminibus (quæ pro flore sunt) circundatus. excrescit inde in racemum, primùm viridem, cum maturuit, rubẽtem, Ari vua minorem, at non minus acrem. folia lata sunt, virentia, glabra, læuiaq; , hederaceis conformia, sed tamen minora quàm Ari. illud verò cui racemosus fructus connascitur, etiam minus est, ac parte eũ versus, superiore nempe, cãdidum.

Nascitur Dracunculus iste in vliginosis palustribusq; locis, in ipsis frequentissimè paludibus ac residibus aquis. in Germania ac Belgio non infrequens.

Autumno vuæ maturantur.

Dracunculus aquatilis & palustris non abs re nominatur, à nonnullis Arum palustre; perperam verò Hydropeperi rubens dicitur. Germanis Wasser schlangen kraut: id est, nostratè dialecto, Water slangen cruyt.

Describitur autem Dracontion istud à Plin. lib XXIIII. cap. XVI. & tertia eius species est. quam demonstratam ait, folio maiore quàm cornus, radice arundinacea, totidem, vt affirmabant, geniculatam nodis quot haberet annos, totidemque esse folia. Conuenit foliorum forma & magnitudo, radicumque effigies. sed an tot annos quot genicula habeat, explorandum.

Facultas autem huius Dracunculi, aliorum atque ipsius Ari similis est, sed tamen minus potens minusque efficax videtur.

De Arisaro. CAP. VIII.

DVPLEX Arisarum est: vnum latifolium, alterum angustioris folij: vt nostra posterior ætas obseruauit.

Latifolium Arisarum folio est hederaceo, lato, & acuminato; sed multò quàm Ari minore: cauliculus eius tenuis & exilis est: vagina siue inuolucrum paruum: pistillus exiguus, in nigro purpurascens: vua matura rubet: acini minuti. radix candida, forma Ari, sed minor. 1.

Secundo Arisaro quina, sena, plurave sunt oblonga & angusta folia, læuia quoq; ac splendentia: vagina siue inuolucrum angustum & oblongum · pistillus, qui ex eo prodit, tenuis & longus, iunci crassioris modo, in purpura simul cum parte vaginæ interiore nigricans; ad quem tandem inferius iuxta terræ superficiem, ac subinde profundius, aliquot perpauci acini exiguam vuam conformantur, initio vt aliorum virentes, dein rubentes. radix globosa & candida, veluti prioris 2.

Peregrinum vtrumque Belgio ac Germaniæ. sed primum in Italiæ ac præsertim Tusciæ quibusdam locis alterum circa Romam, ac in Dalmatia, Aloisio Anguillara teste, reperitur.

Flores & fructus vtriusque eodem quo Ari & Dracontij tempore perficiuntur.

Atque primum horum Dioscorides ἀρίσαρον appellat, à Plinio autem ἄρις dicitur. lib. siquidem XXIIII. cap. XVI.

Arisarum latifolium.



Arisarum angustifolium.



Est & Aris, ait, quæ in Ægypto nascitur, similis Aro, minor tantùm, minoribusque folijs, & vtique radice, quæ tamen oleæ magnitudinem implet. Alterum Arisarum ignorasse veteres existimátur. Esse autē Arisari speciē, floris, fructus, radicumq; forma & qualitas ostēdunt.

At potentia ac facultate Arisarum Aro simile est: acrius tamen, vt Galenus ait. Nomis imposita radix sistit: fiunt ex ea collyria ad fistulas efficacia. corrumpit eadem genitale cuiuscuius animantis imposita: auctor Dioscorides.

De Bistorta. CAP. IX.

FOLIA Bistorta in longiusculis pediculis promit oblonga, lata & acuminata, Lapathi similia, verùm venosa, & superne quidem virentia, inferius verò in cæsio colore candicantia: inter quæ medij exeunt caules, pede altiores, rotundi, minoribus aliquot folijs circumuestiti, spica in fastigio exiguis flosculis è dilutiore rubore purpurascente, semina in quatandem triangularia, splēdentia, veluti Oxalidis. radix subest crassa, oblongior, geniculata, nonnunquam retorta, multis fibris capillata, foris nigricans, interiore verò pulpa non intense rubescens, gustu adstringens.

Fuchsius duas huius species facit: vnam folijs rugosioribus, aliam læuioribus: & radice hāc magis in se contorta, illam verò maiore & minus complicata, multumque fibrosa.

Reperitur Bistorta locis humentibus, in opacis syluis, pingui ac lutoso solo. Matthiolus in montibus exire refert. Adolescit etiam feliciter in hortis. perenni radice nititur.

Maio ac Iunio flores spicati vigent: semen postea maturescit.

Ab intortis & conuolutis radicibus nomen Bistorta habet. Germani Naterwurtz: Belgæ Hertstonghe: Galli *Bistorte*: Bohemi Hadij forenij appellant. Colubrina & Serpentaria à Germanica voce etiam dicitur: & à quibusdam Dracunculus. Sed à Dioscoridis Dracontio multum differt. Plinianorum autem Dracũculorum aliqua fortasse species est. Plinius siquidem lib. XXIIII. cap. XVI. id quod Greci Dracontion vocant, triplici sibi effigie demonstratum refert: folijs Betæ, nō sine thyrso, flore purpureo: alios radice longa, signata articulosáq; monstrasse: tertiam demonstrationem fuisse folio maiore quàm Cornus, radice arundinacea. Deinde infrà, lib. XXV. cap. II. in agro hospitis repertum ait, Dracunculum appellatum, caule pollicari crassitudine, versicoloribus viperarum maculis, quem ferebant contra omnium morsus esse remedium.

Arqua

Bistorta.



Atque primus horum Dracunculorum Aro, auctore ipso Plinio, similis est. Tertiũ aquatilem esse paulò antè scripsimus Posterior, Dracôtion maius Dioscoridis esse videtur. & Plinius hunc à reliquis tribus differentem etiã ostendit Alius est, inquit lib xxv. cap. 11. quam nos in priore volumine eiusdem nominis diximus, sed huic alia figura. Superest secũdus Dracunculus, qui si idẽ est cum eo, cui cap. xvi lib. xxiiii. statim initio, radicem tradit esse subrutilam & draconis conuoluti modo, multum cum Bistorta conuenit. Nam Bistortæ radix intorta & conuoluta est, ac colore, quem subrutilũ dicere liceat. Est eadem & veluti geniculis articulata, vt secũdi Dracontij quod coniecturam & suspicionem auget.

Sunt tamen ex recentioribus, qui Bistortam omnino aliam esse volunt. Matthiolus siquidem in epistolis medicinalibus Behen rubrum esse scribit. Gesnerus ad Limonium refert. aliis placet Britannicam esse.

Sed Behen tam rubrum quàm album (duplex etenim est) radices sunt odoratæ, potentia calidæ, ad venerea facientes: vt Auicenna & Serapio memoriæ prodiderunt. Bistortæ verò radix odore caret, refrigerans, adstringensque, venereis aduersatur. *Behen.*

Limonium autem folia habet, Dioscoride teste, Betæ tenuiora & longiora, semenque rubrum. Contrà Bistortę minora duriora que sunt folia, & semen Oxalidis. *Limonium.*

Britannica verò folio est Lapathi nigriore & hirsutiore, radice tenui & breui, Dioscoride & Plinio auctoribus. Bistortæ læuia folia, & inferna parte candidula, radixque multò maior quàm tenuis ac breuis appellanda sit. Iam & Britannicæ succum & folia in Hyemem reponenda Apuleius suadet, causam addens, quòd non semper appareat. At Bistorta viuax radice est, & nullo non anni tempore reperiri potest. Quæ Bistortam & ab Arabum Behen, & à Dioscoridis Limonio, nec non à Britannica differentem esse satis manifestè ostendunt. *Britannica.*

At facultate Bistorta frigida, & cum resiccatione valide adstringens. Radix menses & vndequaque profluentem sanguinem supprimit: aluum sistit, vomitum compescit, dysenteriis medetur, quouis modo assumpta. Tonsillarum, faucium, & oris inflammationibus succurrit, gingiuas firmat decocto aut succo eius ore colluto. Idem possunt folia & semen, sed tamen minus efficaciter.

De Bolbocastano. CAP. X.

BOLBOCASTANO folia sunt tenuia, dissecta, atque diuisa, Apij tenuiora ac minora, Crithmi aut potius Anethi similia: cauliculus tenuis & dodrantalis: flosculi parui in vmbellis candicantes: semen non magnum, oblongum, angustius quàm Fœniculi, odoratum, obsoleto Cymini colore nigricans. radix rotunda, exigui Rapi forma, foris nigra, & vbi inaruerit rugosa, intus pulpa candida, sapore inter Castaneam & Pastinacam medio.

In aruis & agris nonnullis Zelandiæ ac Hollandiæ Bolbocastanon reperitur: item & in Græcia, Chio ac Rhodo, auctore Guilandino. Fertur & in Britannia siue Anglia prouenire. Nec destituitur eo quoque Germania, si non fallimur. Nam radices quas ad Rhenum Moguntiæ in aruis & hortis inueniri Lonicerus tradit, Bolbocastani sunt, non autem, vt ipse opinatur, Ornithogali. Scribit autem has esse rotundas, Castanearum magnitudine, pullo extrinsecus cortice, intus carne candida, gustu dulci, crudas coctasque in aqua edi. cauliculum esse singularem, tenerum, ab imo nudum, folia Cumini, flores in vmbellis veluti Anethi. quale Bolbocastanum esse iam diximus.

Vigent Bolbocastani flores Iunio: semen postea ad perfectionem venit.

Meminit βολβοκαστάνου Alexander Trallianus lib. vii. inter ea, quæ purulentis vtilia sunt, cibaria ipsum referens. Guinterius dictionem existimauit corruptam, legendumque esse βαλανοκάστανον. sed tam peregrina hæc vox est, quàm βολβοκάστανον.

Bolbocaſtanon.



Βολβοκάστανον autem à forma bulbi & ſapore caſtaneæ nomen inuenit ſuum. Noſtra ætate plerique ἀγριοκάστανον nuncupant. Zelandi Cleyn eerdtnoten: Germani Kleyn eerdnuſſ. Sabaudi *Fauerottes*. Angli Kippernutz.

Eſt autem Bolbocaſtani radix moderatè calida & ſicca, ſimul & adſtringens. ſemen verò calidius & ſiccius. Editur illa cruda, ſed ſuauius cocta: ſanguinem ſpuentibus & mingentibus vtilis.

Semen aperiendi vi præditum, & [illegible] eſſe videtur.

De Centaurio, & primùm de maiore.

CAP. XI.

DVPLEX Centaurium, Dioſcoride auctore, Maius & Minus, quæ & forma, & magnitudine multum à ſe inuicem differunt.

Maius ſiue magnum Centaurium caules edit rotundos, teretes, duorum aut trium cubitorum: folia oblonga, in plures quaſi particulas diuiſa, Iuglandis foliis ea propter quaſi conformia, ſed ambitu crenato: flores capillacei ac ſtaminei in diluto cæruleo purpuraſcunt, & in ramulorum faſtigiis è capitulis emicant ſquamoſis, rotundis aliquantulum turbinatis, in quibus vna cum lanoſis pappis ſemina oblonga, glabra, ſplendentia. radix ſubeſt longa, carnoſa, craſſa, fragilis, foris nigricans, interius rubeſcens, ſucco

Centaurium magnum.



Centaurium magnum alterum.



ſangui-

ſanguinei coloris prægnans, cum dulcedine & adſtrictione nonnihil mordax.

Huius verò & alia reperitur ſpecies, folio non diſſecto, verùm Lapathi modo, longo, lato, ſimplici atque indiuiſo, per ambitum tamen ſerrato: caule breuiore: floribus, ſemine, radice priori conformis. Atque huius Centaurij maioris meminit auctor (qui Galenus fertur) libri De virtutibus Centaurij ad Papiam, Crateuam adducens teſtem, in libro eorum quæ effodiuntur. Vbi duæ Centaurij ſpecies referuntur, maior & minor: ac maior folijs deſcribitur Lapathi. Sed verba ipſa adferamus, quæ ſic habent: Vnum (videlicet Centaurium) folia habet ſicut Lapathum hortenſe, minora tamen, in circuitu verò ſciſſa veluti ſerra; caulem binum palmorum, ſuccum rubrum; in ſummitate caput lanuginoſum, radicem verò ſolidam & craſſam. 2.

Lætum ac pingue ſolum maius amat Centaurium, ac colles herboſos apricos. Copioſiſſimum, inquit Dioſcorides, in Lycia, Peloponneſo, Arcadia, Helide, Meſſenia, pluribusque circa Pholoen, Lyciam ac Smyrnam locis. Repetitur & in Apuliæ Gargano, nec non in Baldo agri Veronenſis monte, ſed quod in Baldo monte, vt Matthiolus ſcribit, Apulo cedit. Simplicis folij Centaurium maius Hiſpania mittit, atque hinc aduectæ Antuerpiam radices, terræque commiſſæ, ſubinde in hortis reuireſcunt.

Æſtate huiuſcemodi Centauria florent, radices autem Autumno legi expedit.

A Chirone Centauro inuentore κενταύρειον nomen habet.

Quod maius eſt, Græci κενταύρειον τὸ μέγα appellant: Theophraſtus etiam Centaurida. In Officinis nonnullis perperam Rha ponticum dicitur. Rha Ponticum ſiquidem Rha eſt in Ponti regionibus natum, ſtirps à Centaurio maiore diuerſa. Extant porrò & alia huius nomina, inter nothas & aſſcriptitias voces, tum & apud Apuleium, quarum nonnullæ ad Centaurium minus pertinere videtur, vt ſunt, ναρκὴ, μαρώνη ἢ μαρώνιον, νέοσιον, λιμνήσιον, λιμνῆτις, πλεισιὸ ἢ πλειστόνιον, χειρώνιον, αἷμα ἡρακλέους. Vnefera, Felterræ, Polyhydion ἡμερινόν.

At Theophraſtus & Plinius, Centaurium iſtud maius, tum & minus, de quo capite mox ſequente, inter Panacis genera referunt. Præter enim Syriacum Panaces, de quo vterq; ſcorſim agit, deinde & præter alia tria, quæ à Dioſcoride quoque deſcribuntur, & duo reliqua ſupereſſe oſtendunt. Et Theophraſtus quidem lib. IX. vnum πλατύφυλλον ſiue latioris folij: alterum λεπτόφυλλον, hoc eſt, tenuifolium eſſe ait. Quæ Theophraſti verba ipſe Plinius reddens à Chirone Centauro reperta, & Centauria cognominata, lib. XXV. cap. IIII. ſcribit, idem quoque cap. VI. affirmans, vbi vtrumque Centaurium latius explicans, à Chirone repertum repetit, atque inde Chironium vocari addit. Sed Plinium ipſum audiamus.

Quartum, cap. IIII. inquit, genus Panaces ab eodem Chirone repertum Centaurium cognominatur, ſed & Pharnaceon in controuerſiam inuentionis à Pharnace Rege deductum. Et paulo pòſt:

Huius genera fecêre duo, alterum latioris (exemplaria pleraq; læuioris perperam habent) folij: alterum tenuioris. Cap. verò VI. Centaurea curatus dicitur Chiron, cùm Herculis excepti hoſpitio, pertractanti arma ſagitta excidiſſet in pedem, quare aliqui Chironion vocant. folia ſunt lata, longa, ſerrato ambitu, &c. Et mox infrà: *Plinij locus emendatus.*

Eſt & alterum Centaurium cognomine λεπτὸν, minutis folijs, quod aliqui Libadion vocát.

Ex his apparet, Centaurium vtrumq; inter Panacis genera relatum; & maius Centaurium eſſe quarti generis πλατύφυλλον, ſiue Latifolium Panaces.

Cæterùm quod ad facultates attinet Centaurij magni radix (Galenus ſcribit) ſicuti guſtu contrarias qualitates, ita in vſu contrarios effectus præſtat. Secundum omnium autem qualitatum actionem ruptis, conuulſis, dyſpnϾæ & inueteratæ tuſſi conuenit.

Hæc eadem & plura quoque Dioſcorides tradit. Conuenit, inquit, radix ruptis, conuulſis, ſpirandi difficultati, veteri tuſſi, ſanguinem expuentibus, non febrientibus cum vino, febricitantibus cum aqua drachmarum duarum pondere exhibita: item & ad tormina, ac ad vteri dolores. Ducit etiam menſes ac fœtus collyræ forma vtero impoſita. Eſt & vulneribus idonea, recens tuſa, aut arida, prius madefacta contuſaque. coniungit etenim ea, ac glutinat: Quin & carnes coaleſcunt, ſi contuſa ſimul decoquatur.

Eadem, quæ radix, Galenus ait, & ſuccus ipſius efficit; quo & vice Lycij vtuntur.

De Centaurio minore. CAP. XII.

EXIGVA herba minus eſt Centaurium: cauliculo aſſurgit anguloſo, ſemipedem aut dodrantem alto: folijs Hyperici ſiue Perforatæ forma & magnitudine: flores in ſummis virgulis è punico colore in purpura rubent, Lychnidis ſatiuæ floribus minores, qui interdiu & exorto ſole patent, ſub veſperam verò recluduntur: Siliquæ ſequuntur exiguæ & oblongæ, grano Tritici ſimiles, in quibus ſemina minutiſſima. radix ſubeſt parua, dura, nullius vſus.

Loca

Centaurium minus.



Loca amat herbosa, aratro non proscissa, aliquantulum, sed tamen non omnino, rigua. Est non modò in Italiæ prouinciis, verùm & in Germania ac Belgio abunde frequens

Iulio & Augusto vnà cum floribus ac siliquis legitur.

Istud genus Græci κενταύριον μικρὸν appellant: item & λιμνήσιον καὶ λιμναῖον, quòd videlicet circa palustria nascatur. Plinius Libadion ab eadem occasione (si integra lectio est) ac propter summam amaritudinem, Fel terræ dici affirmat. Appellatur etiam, vt inter spurias voces reperitur, ἐλλεβορίτης, ἀμάραντον, αἷμα ἡρακλέους, Febrifugia, & Multiradix.

Theophrastus & Plinius, vti superiore capite ostendimus, inter Panacis genera reposuêre, inter quæ Panaces est λεπτόφυλλον, id est, tenuifolium. Itali in Hetruria *Biondella*: Hispani *Centoria*: Germani Tausentgulden kraut: Belgæ Santorie & cleyn santorie: Galli *Petite centaure* appellant: Bohemi Zemezluc.

Habent autem huius Centaurij cauliculi superiores folia floresque vincentem qualitatem amaram, & temperaturam calidam & siccam ordine secundo. Hepatis & fellis, necnon lienis obstructiones decocta in aqua & epota aperiunt: regio morbo medentur, diuturnis ac prorogatis febribus auxiliantur: ventris tineas & lumbricos interimunt: in summa abstergunt, expurgant, crassitiem humorum attenuant, & quidquid amara possunt, insigniter præstant.

Dioscorides, & post eum Galenus, bilem & crassa per aluum ducere, ischiadicisque infundi Centaurij minoris decoctum referunt. Nos autem tametsi frequenter ac feliciter hoc vsi, per aluum tamen expurgationem vllam facere, obseruare non potuimus. Quamobrem nullam huic Centaurio minori commouendæ aut expurgandæ alui vim ac potentiam adesse existimamus.

Reperitur verò hæc facultas in ea herba, quam vulgò Itali *Stanca Cauallo* vocant, alij Gratiolam. Quæ amaritudine Centaurio minori non cedit, atque eius species quædam videtur, ac non modò per inferiorem ventrem, sed & vomitione crassa & biliosa educit. Fieri autem potest, vt vires vtriusque inter se confusæ sint, & descriptiones permixtæ. id quod ex ipsis Dioscoridis verbis quodammodo apparet.

Centaurium siquidem, scribit, minus herba est Origani aut Hyperici similis, folijs Rutæ prælongis & paruis. At Centaurij nostri minoris folia non prælonga, sed rotundis modò, paulò longiora, veluti Hyperici sunt, Gratiolæ verò oblongiora sunt, & ad Polygoni accedentia: quod folijs Rutæ longioribus describitur.

Facit huc quòd Helleborines vox inter spurias Centaurij minoris appellationes superest. Centaurio siquidem minori nequaquam, sed Gratiolæ hæc optimè conuenit: vtpote quæ Hellebori ferè modo, per superna expurget, vt cap. de Gratiola latiùs, suo loco.

Glutinat autem istud Centaurium etiam vulnera recens virensque tusum ac impositum: vetera vlcera expurgat & ad cicatricem perducit. Succus ad oculorum medicamenta vtilis est: cum melle expurgat, quæ claritati eorum officiunt. In pesso admotus fœtus & secundas educit. Potus autem priuatim neruorum affectionibus conuenit. auctor Dioscorides.

Optimum, inquit Galenus, succus etiam medicamentum ad iecinoris obstructiones soluendas, bonumque lieni indurato remedium foris impositum, nec secius, si quis bibere sustineat.

Succi autem colligendi extrahendique rationem, & liber ad Papiam docet, & Dioscorides breuiter ostendit.

De Cy-

De Cyclamino orbiculari. CAP. XIII.

Cyclaminus orbicularis.



Cyclaminus orbicularis rotundifolius.



PRÆTER Cyclaminum se vicinis fruticibus aut adminiculis circumuoluētem, quē alterā Dioscorides cognominat, sunt eius, qui orbiculari est radice, à recentioribus aliquot obseruatæ species, & quidem foliis differentes.

Vna ac prima Cyclaminos foliis viret latis, angulosis ac hederæ similibus, ambitu leniter serratis, superiore parte in virore nigricantibus, albicantibus tamē maculis variegatis, & vmbilico siue medio folij subalbido, inferiore verò ac prona parte purpureis; & subinde colore saturato, aliàs dilutiore: flosculi ex tenellis pendent pediculis, deorsum nutantes; foliolis eorum sursum reflexis, & purpureo Violæ nigræ colore, non tamen intenso, splendent; odoris exigui: succedunt capitula seminifera, in spiras pediculis contractis. radix bulbi aut rapi modo in orbem circumacta & aliquantulum in latitudinem pressa, foris nigricat, intus candida, rugas inarescens contrahit. 1.

Alterius ac secundæ Cyclamini & lata quidem sunt, sed nequaquā angulosa, verùm quasi rotunda, & nullis superius aut omnino obscurissimis apparentibus maculis; saturato colore virent, inferius verò è punicante purpura rubent: flores prioris similes, at odoratiores. radix aliquanto minor. 2.

Tertia species foliis similiter est haud angulosis: sed ambitu eorum aliquantulum crenato maculata hæc sunt, sed vmbilico nigriore: flos intensiore colore purpurascit, odoris suauissimi radix quàm aliarum minor. 3.

Nascitur Cyclaminos locis vmbrosis sub arboribus & in syluis, in vepribus, Plinius ait. Et prior quidem harum in Veromanduorum, Verocassium, ac Atrebatum finibus; altera in Arduenna sylua, ac vicinis locis apud Belgas reperitur. Sunt Italiæ, Germaniæ ac aliis regionibus communes. Tertia rarior est, sed tamen Italiæ non peregrina.

Septembri fere mense Cyclamini florent: folia inde noua succedunt, Hyeme virentia. semen sub æstatem sequentem ad maturitatem peruenit.

Κυκλάμινον Græci appellant: dicitur & κισσόφυλλον, χυοσάνθεμον, χελώνειον, ἰχθυόθηρον, χυλίνη: à Zoroastre τεμμφαλίτης, vt inter nothas voces. item Tuber terræ, & Terræ rapum, à Marcello Orbicularis, ab Apuleio similiter Orbicularis & Palalia, Rapum porcinum, Terrę malum; in Offi-

in Officinis Cyclamen, Panis porcinus, Arthanita. Itali *Pan porcino*: Hispani nonnulli *Maçã de porco*: Germani Schweinbrot/erdtapffel: Belgæ Verckens broot/fueghen broot: Galli *Pan de porceau*: Angli Sowbrede.

Colossinus color. Colorem floris Plinius Colossinum appellat. Flos eius, inquit, Colossinus in coronas admittitur.

Varias autem Cyclaminus, auctore Galeno, vires obtinet. Nam & extergit, & incidit, & ora venarum aperit, & attrahit, & discutit.

Succus eius hæmorrhoidas aperit, & ad secessum prouocat in floccis appositus medicamentis phymata, strumas, aliasque durities digerentibus admiscetur: suffusis cum melle illitus competit, ad hæc quoque per nares expurgat: abdomine illito ventrem subducit, & fœtum interimit: est & validum interimendo conceptui medicamentum in pesso additus.

Tota radix succo imbecillior est, quanquam & ipsa vehemens sit. Nam & menses siue epota siue apposita euocat, & regio morbo prodest, nõ modò viscus expurgans, sed etiam quæ in toto corpore bilis fuerit, eam per sudorem eciẽs. Cutem extergit, cùm in aliis, tum quòd alopecias, ephelidas, omniaque exanthemata curet. Lienem quoque induratum iuuat imposita, cùm recens, tum arida. Sunt qui radicem siccam asthmaticis exhibeant.


Tradunt (vt præter hæc Dioscorides refert) si prægnans radicem transgrediatur, abortum fieri. Bibitur & in vino contra lethalia, & præsertim leporem marinum; & contra serpentum ictus imposita remedio est: immista vino ebrietatem facit. Decocto eius luxata, podagræ, perniones que vtiliter fouentur. Cauata radix oleo expletur, & cineri feruenti imponitur, adiecto ceræ Tyrrhenicæ modico, vt strigmentosum fiat vnguentum, pernionibus vtilissimum. Narratur & ad philtra amatoria assumi contusa, & in pastillos efformata.

De Cypero. CAP. XIIII.

Cyperus rotundus.




Cyperus longus.



CYPERI genera duo sunt: longioribus radicibus vnum; alterum rotundioribus, & præter tertium quidem Dulcichinum appellatum. Indicus Cyperus inter aromata è longinquo allata referendus.

Vtriq; autem Cypero, tam rotundioris quàm longioris radicis, folia sunt longa, gracilia, arundi-

Pseudocyperus.



arundinacea, Porraceis longiora, duriora, dorso eminente cultellata: caulis rectus, enodis, glaber, triangularis, rarissime quadrangulus, in cacumine cuius foliola minuta, & iuba lata, laxaque, paniculæ ex qua dependent semina exigua recondentes. radices, vnius prælongæ, geniculatæ, Graminis modo serpentes, sibique implicitæ, foris è punico colore nigricantes, interiore verò carne in subluteo albicantes, odore suaui, gustu subamaro: alterius verò nodosæ sunt, e fibris aliquot cohærentes, oblongioribus Oliuis, ac non rarò rotundioribus similes, odore & colore prioris. Sunt huius folia minora, & caules paulò breuiores: illius verò maiora folia, & caules altiores.

Amat Cyperus palustria loca ac rigua. In Italia locis quibusdam sponte nascitur: & in alijs quoque calidioribus Meridiem versus regionibus, vti in Syria, vbi & odoratior ac præstantior. In Germania tam superiore, quàm hac nostra inferiore, non nisi satus reperitur, & qui lógus præcipuè: nam rotundus perrarus est.

Sed Pseudocyperus Graminis species, folijs Cypero & iuba similis, radice verò candida, tenui, longa, geniculata, omni odore & sapore, exceptis herbaceis, destituta, locis palustribus in Belgio satis frequens occurrit. Pseudocyperus.

Eminent Cyperi iubæ Iunio, Iulio & Augusto.

Græci modò κύπειρον, modò κύπειρον per diphthongum appellant; Latini Cypirum & Cyperum: Cornelius Celsus Iuncum quadratum: Plinius Iuncum angulosum, & Iuncum triangularem. Dicitur & ἐρυσίσκηπτρον καὶ ἀσπάλαθον, atque, vt in Cassij Dionysij Geoponicis, à nonnullis ζίγγερ: Italis *Cypero*: Hispanis *Iuncia olorosa, & Iunça cheyrosa*: Germanis Wilder galgan: nostris Wilden galigaen: Gallis *Souchet*. Officinæ Cyperi nomenclaturam retinent, & vnum Cyperum longum, alterum rotundum vocant.

Plinius Cyperi radicem, cùm oblonga est, Cyperida dici ait.

Cyperi autem radices maximè vsui sunt: vt Galenus ait, excalefacientes pariter & exsiccantes citra mordacitatem: Itaque vlceribus, quæ præ nimia humiditate cicatricem difficulter admittunt, mirifice prosunt. habent enim quiddam etiam adstringens: quapropter vlceri item oris conueniunt. Quin & incidendi vim quampiam illis inesse testificandum, quia & calculo vexatis congruunt, & vrinam mensesque prouocant.

Dioscorides malagmatis calfactorijs etiam misceri, & ad vnguentorum spissamenta accommodam esse addit.

De Dulcichino. CAP. XV.

DVLCICHINVM Cyperum rotundum refert. folia etenim eius arundinacea, oblóga, dorso eminente, triangula, Cyperinis similia; caulis angulosus & iuba similiter respondent; omnia tamen breuiora ac minora. à tenuibus radicum fibris, Auellanis ferè cóformes, sed tamen aliquanto oblongiores, dependent globuli, veluti exigui bulbuli, specie articulati, colore exterius russescente, interiore verò carne candidi, sapore grato dulcique, & Castaneis proximo.

Colitur Dulcichinum plerisque Italiæ locis. in fluminis Athesis seritur sabulosis; vt tradit Alexander Benedictus. In agro Veronensi vel sponte, Matthiolo teste, prouenit.

Autumno bulbuli leguntur, Vere seruntur in plures multiplicandi.

Stirpem ipsam nostra ætas Dulcichinum, & radiculas Trasos siue Tragos appellat, aut Trascos Cyperi species est, sed dulcis, Theophrasto, vt satis apparet, non incognita. Libro siquidem de causis VI. Cyperi radices inter dulces atq; edules refert. Cyperi, inquit, radix dulcis, vt earum quæ in fluminibus & paludibus proueniunt. Quod proculdubio, non de alio, quam de isto, accipi potest: aliorum siquidem Cyperinum radices amaricát & minimè edu-

Dulcichinum.



Dulcichinum cum flore.



les sunt. Non desunt tamen, qui Trasos istos Arabum medicorum Habalzelin siue granum Zelin esse constanter existimant, quod tamen veritati parùm consentaneum. Nam Alzelin ab auctoribus Arabibus inter fructus siue grana connumeratur, nequaquam autem inter radiculas. Serapio siquidem cap. CCCXXXVII. sic habet:

Habalzelin • Habalzelin granum est pingue, Ciceris magnitudine, citrinum exterius, & album interius, & habet bonum saporem, & defertur ex terris Barbariæ. Idem affirmat Auicenna his verbis, cap. CCCIII:

Granum Alzelin quid est? granum eius est boni saporis, & oritur in partibus Herzat. Ex quibus, quod inter hæc discrimen, palam fit.

Cæterùm Trasi in moderatè calefacientium ac humectantium sunt ordine. crudorum thoraci inhærentium humorum concoctionem promouēt: vrinæ acrimoniam obtundunt, præsertim in carnis iure macerati, inde tusi ac succo eorum extracto genituram etiam adaugent, & ad venerea faciunt, flatus siquidem quodammodò gignunt; auctore Matthiolo. Vnà cum bellariis apud Veronenses inferuntur.

De Glycyrrhiza, siue Dulci radice Dioscoridis.
CAP. XVI.

VNIVS dulcis radicis Dioscorides tantùm meminit, præter hanc tamen & alia est vulgaris vsus, de qua capite sequente. hoc de Dioscoridis Glycyrrhiza

Promit autem hæc sæpenumerò caules complures altos & ramosos; folia circa quos oblonga, alata, ex multis sibi inuicem oppositis collecta, Lentisci foliorum figura, attamen maiora, viroris saturati, & tactu nonnihil glutinosa: flores è foliorum alis exeunt parui, cærulei, atque eius cuius non scriptus Hyacinthus coloris, in rotundi globuli formam commissi, quibus tandem emarcidis maior factus orbiculus, rotundam asperamque Platani pilulam referre videtur, multis paruis subrufis, asperis & hirsutis siliquis constans, in quibus semen. radix prælonga, crassa, & vnica est, brachij subinde longitudine ac crassitie, buxei luteive intus coloris, foris rarò alterius, sed tamē quãdoque nigricãtis, gustu dulcis cum austeritate quadam.

Plurima, inquit Dioscorides, in Ponto & Cappadocia gignitur. Apud Belgas in hortis subinde videtur.

Flores

Glycyrrhiza vera Dioscoridis.



Glycyrrhiza vulgaris.



Flores Æstate, Autumno pilulę cum siliquis perficiuntur. Vere herba regerminat, nouosque caules producit, Hyeme siquidem cum caulibus folia intermoriũtur, radice interim viuace.

Γλυκύῤῥιζαν à dulcedine Græci, Latini dulcem radicem appellant. Sunt eius & alia nomina inter spuria, vt ποντικὴ à Ponto, γλυκὺσιδιον, γλυκύφυτον, σύμφυτον, λεοντικὴ, σκύθιον, ἄδιψον, συλίθρα, λιβυστικὸν, ὁμοιονόμιος, πενθαύμιος. Officinis & vulgo hæc incognita Glycyrrhiza est.

Huius fruticis natura, vt Galenus ait, familiaris est nostræ temperaturæ, & cum adstrictio quædam adiuncta sit, eius temperamentum quantum ex caliditate & adstrictione est, tepidæ potissimùm caliditatis fuerit, quàm proxime accedens ad temperatum porrò quoniam & dulcis, nimium & modice humida est.

Succus radicis, Dioscorides tradit, ad arteriæ exasperationes vtilis est, quem linguę subditum eliquescere oportet. prodest, & ad ardorem stomachi, aliâs oris, ad iecinoris thoracisque vitia, vesicæ scabiem, renumque affectus cum passo potus. Sitim extinguit sub lingua eliquatus: vulneribus prodest illitus, commanducatus stomacho conuenit.

Radicum recentium decoctum ad eadem facit. At radix arida læuissime trita pterygiis commodissimè inspergitur.

Plinius Glycyrrhizam stomaticem esse, & oris vlceribus inspergi, præter ea quæ Dioscorides, etiam refert.

De vulgari Glycyrrhiza. CAP. XVII.

VVLGARIS vsus Glycyrrhiza caulibus folisque priorem satis refert, sunt tamen folia virentiora maioraque: cauliculi verò subinde teneriores: flores non in globulum aut orbiculum collecti, sed in spicam veluti Viciæ digeruntur, exigui, colore dilutè cærulei: siliquæ inde eodẽ ordine paruæ succedũt, nequaquam asperæ aut hirsutæ, sed læues & Lentium valuulis similes, in quibus semina parua. radices tenues & longæ sunt, ramosę instar sarmentorum Vitis, foris nigricantes, intus buxei coloris, quæ tam late sub terra per trãsuersum & obliquum repunt, vt vix totæ erui queant, & plerisq; etiam locis progerminent

Copiosa hæc in Germania, agro præsertim Padenbergensi, in Franconia dicta. frequens & in Hispania. Belgarum horti hac nõ destituuntur. Theophrastus, & post eum Plinius, iuxta Męotidem paludem referunt nasci.

Rarius in Germania ac Belgio floret: ideoq; etiam sterilis à nonnullis, sed temerè, credita: cùm autem floret, sub finem floret æstatis. Inarescunt & huius folia caulesque, radice restibili viuacitate diuturna.

Glycyrrhizam hanc etiam esse palàm est. Officinæ corrupta voce Liquiritiam vocant: Itali

Regalitia: Hispani *Regaliza* & *Regalitia*: Germani Süßholtz / süßwurtzel: Galli *Riglice*, *Regolisse*: nostri Calissiehout / suethout: Angli Licores: Bohemi Likorice. Theophrastus γλυκεῖαν ῥίζαν, &, vt ait, nonnulli γλυκύρριζαν appellãt. Plinius Scythicam herbam. Et verè γλυκύρριζα siue multum dulcis, hæc dici potest, est etenim omnino dulcissima, & quàm altera Glycyrrhiza dulcior Scythice, à Scythiæ regione in qua gignitur, nominatur. Potest & hæc ἄλιμος citra aspirationem, & ἄδιψος propriissimè nuncupari. exiguo siquidem gustu famem & sitim præcipue sedat.

Cæterùm autem quandoquidem hæc radix dulcis est, temperatè quoque calida & humida est. Cortex eius amaritudinem quandam tamen habet, & calidioris qualitatis particeps: sed hunc abradere oportet humectat autem magis recens & succo plena radix, quàm arida.

Vtilis est ad raucedines, tusses, difficilem respirationem, peripneumoniam, pleuritidẽ, sanguinis pusisq́; sputationem, phthisim, & ad omnes thoracis morbos, exasperata lenit, inflammationes sedat, acrimoniam & salsilaginem humorum mitigat contemperatque: crudiores humores concoquit; & sputi exitum faciliorem promouet: vlcera expurgat in eclegmate vel alio quouis modo sumpta aut aliquandiu mansa, succóve sub lingua detẽto. Decoctum eius renibus ac vesicæ exulceratis cõfert: vrinæ stillicidio medetur, ac in vniuersum omnibus malis occurrit, ab acribus, salsis & mordacibus humoribus excitatis.

Hæc eadem de Scythica radice Theophrastus quoque habet, qui hac & Hippace, Scythas etiam dici refert, ad dies vndecim aut duodecim posse viuere, & quidem his verbis Radix Scythica vtilis ad anhelitus, & ad tussim siccam, atque in totum thoracis morbis ad hæc vlceribus mederi potest cum melle: sitim quoque extinguit si teneatur in ore. Qua de caussa etiam

Hippace. & Hippace degere aiunt Scythas dies vndecim aut duodecim.

Plinij error. Hippace autem caseus est, vt Hippocrates testatur, ex equino lacte concretus. Plinius lib. xxv. cap. viii. perperam eius nominis herbam esse existimauit.

De Gentiana. CAP. XVIII.

Gentiana.



FOLIIS Gentiana viret latis, longis & neruosis, veluti Plantaginis, sed maioribus & Veratri albi similioribus: scapi inter hæc surgunt alti, simplices, indiuisi, inanes, læues, geniculati: foliis è singulis geniculis binis, sensim imminutis: circumambientibus coronę modo, superiorem partem ex interuallis floribus colore luteis, è senis angustis foliolis radiantis stellæ instar explicati, qui è calycibus exeunt oblongis, in quibus inde semen læue, latum, tenue, veluti Leucoij, colore subrusso sordens. radix prolixa, crassa, quandoque bifida aut trifida, lutei ac buxei coloris, gustu amarissima.

Locis gaudet vmbrosis, frequens in Italiæ, Illyrici, Germaniæ, Galliæque & Heduorum siue Burgundiæ montibus.

Flores Æstate, semen Autumno non rarò perficit.

Gentius Illyriorum rex inuentor nomen γεντιανῇ dedit, quod & Officinę seruãt, Gentianam nuncupantes. Germani Entzian bitterwurtzel: Belgæ cum Italis, Hispanis & Gallis, *Gentiane* dicunt. Angli Felwoꝛte. Sunt & eius spuriæ quędam nomenclaturæ, quæ & apud Apuleium reperiuntur, vt κενταύρειος ῥίζα, ναρκὴ, χειρώνιον, ἀλοΐτης, Aloë Gallica, Basilica, Cyminalis.

Locus Dioscoridis restitutus. Habet autem Gentianæ radix calfactoriam, vt Dioscorides ait, & ῥυπτικὴν, id est abstergentem vim. (nonnulla exemplaria perperam σηπτικὴν.) Admodum efficax, auctore Galeno, est, cùm opus extenuatione, purgatione, abstersione, obstructionis liberatione. Nec mirum si hæc possit, cùm impensè amara sit.

Vtilis autem esse perhibetur conuulsis, ruptis, ex alto delapsis, hepaticis & stomachicis

miscetur etiam antidotis, veluti Theriacæ diatessaron: quam Aetius Mysterium appellat. Tanta huic vis est, ait Plinius, vt iumentis etiam non tussientibus modò, sed & ilia quoque trahentibus, auxilietur pota.

De Cruciata, siue Gentiana minore, atque aliis quibusdam Gentianæ spuriis generibus. CAP. XIX.

Cruciata siue Gentiana minor.



1. CVM Gentiana cognationem magnam & similitudinem nonnullam habet, à plerisque nuncupata Cruciata. Caules eius rotundi sunt, geniculis distincti, inanes, dodrantales, vel altiores: folia radicibus proxima, tum quæ circa caules geminata, Gentianæ similia, verum minora, crebroque deorsum reflexa: flores cærulei, oblongi, intus caui, cauliculorum fastigia orbiculatim ambiunt, ab herbaceis calycibus exeuntes. radix candida, teres, & oblonga, subinde foraminosa, & plerunque inter lapides sub terra iacentes descendens; gustu amarissima.

In collibus & montibus, necnon in aliis incultis & asperis locis reperitur, & in Germania quidem frequenter.

Septembri in Germaniæ agris, Iulio mense in Belgij hortis floret.

Germani Modelgheer/speerenstich/& creutzwurtzel: Latinè Cruciatam appellant. Gentianæ speciem esse, & forma & facultas ostendũt, Gentiana minor idcirco nuncupari poterit. Nam & alia est Cruciata, decussatis foliolis, de qua inter Rubiæ affines agendum. Sunt verò & qui hãc Chiliodynamin dici velint: sed Polemonia à Cappadocibus Chiliodynamis appellatur, auctor Dioscorides. Cum Polemonia autem ista Gentianæ minoris species similitudinis habet nihil.

2. Huius speciei & aliam Geshetus ac Tragus perhibent: foliis Hirundinariæ siue Asclepiadis: floribus multis confarctis & eleganter cæruleis, extrema Æstate vigentibus: radice multiplici, vehementer amara, quæ locis montanis apud Heluetios, & alibi in Germania secus semitas apparet, ac Gestwurtz & Schelmkraut appellatur à vulgo.

3. Gentianæ quoque species est Campanula Autumnalis, quam Matthiolus in posterioribus commentariis Petrimborsam vocari ait: de qua nos Pemptadis alterius lib. I. scripsimus.

Cæterum omnes hæ amaræ & foliis & radicibus sunt; temperiem calidam & siccam obtinent. Existimantur, & præsertim Cruciata, ad omnia ad quæ Gentiana vtiles: præstant autem quæcunque amara possunt.

De Helenio siue Inula. CAP. XX.

GRANDIA mox à radice folia promit Helenium, palmum aut semipedem lata, cubitum subinde longa, acuminata, Symphyti maioris ferè conformia, sed mollia, tenuique lanugine pilosa, in virore candicantia, & inferiore parte albidiora, ambitu leniter crenato: caulis tricubitalis, digito crassior, non absque lanugine, in cacumine diuisus; in singulis verò adnatis flores magni, lati, rotundi; quorum non modò circum ambientia oblonga foliola, verùm & medius luteus est discus siue orbis, qui infinitis staminibus confarcitur, tandemque in tenues soluitur pappos; quibus semen subest gracile & oblongum. radix inæqualis, tofosa, crassa & manum implens, haud longa, foris quandoque nigricans, intus candida & carnosa, odorata, gustu amaricans.

In pinguibus & lætis nascitur pratis. reperitur quandoque & in montibus, locis vmbrosis, at non omninò aridis. frequens non modò apud Belgas, verùm & alibi, vt in Italia, Gallia, Germania, &c.

Flores Iunio ac Iulio vigent. radices Autumno, & nõ rarò Aprili & Maio mẽsibus legũtur.

Helenium.



Helenium Ægyptiū.

Helenium Theophrasti.

Quod Græcis ἑλένιον, Latinis Inula & Enula dicitur. Officinis Enula campana. Germanis Alantwurtz nostris Galandtwortele: Italis *Enoe & Enola* Hispanis *Ratz del alla*. Gallis *Enule campane*. Anglis Elecampane: Bohemis Woman. Extant & inter notha hæc eius nomina. σύμφυτον, περσικὴ, μηδικὴ, ὀρεστεῖον, νεκτάρειον, κλαιωνία, φλόμος ἰδαῖος, Terminalium.

Præter autem istud Helenium & aliud eiusdem nominis in Ægypto gigni Crateuam tradere Dioscorides asserit: & herbam esse cubitalibus ramulis, humi Serpylli modo repentem; foliis circa ramulos multis, Lenticulæ minoribus, radice lutea, digiti parui crassitudine, infernè tenui, supernè crassiore, cortice externus nigro: nascique in collibus & vmbrosis locis.

De hoc Helenio etiam Plinius, lib. xxi cap. x. sed tamen paulò aliter. radicem siquidem candidam, & ramulos dodrantales refert. Plinij autem hæc verba. Helenium è lachrymis Helenæ dicitur natum, & ideò in insula Helena laudatissimum. Est autem frutex humi se spargens dodrantalibus ramulis: folia similia Serpyllo. Deinde cap. xxi. ait, radicem eius intus candidam & dulcem.

Meminit & Helenij cuiusdam Theophrastus. suffruticem id esse lignosum, ait, coronarium, & ramis foliisque ac tota sua natura odoratum. Existimatur autem istud idem cum Ægyptio.

Helenium Apuleij

Adfert & Heleniū Apuleius, sed omnino ab Ægyptio, tum etiam ab alio differens, ipsum videlicet Panaces Chironium, quod ait à Græcis ἑλένιον, & à Latinis Inulam campanam appellari. Sed Apuleium ipsum audiamus, cap. xcv. de Inula campana:

Panaces Chironiū.

Græci, scribit, Panacen Chironion: alij Panacen Centaurion: alij Helenion: Latini Inulam campanam appellant. Habet folia Amaraco similia, flores aurosos, radicem tenuem, non altam, acerrimam gustu. medetur serpente vexatis. Quæ descriptio planè cum Panacis Chironij apud Dioscoridem conuenit. Sed de hoc satis. ad Enulam campanam vulgarem regrediamur.

Est autem radix huius Inulę ad multa maximè vtilis, natura excalfactoria & reficcans tertio ordine: præsertim arida. Nam recens & adhuc succo plena, excrementitio redundat humore, qui calfaciendi ac resiccandi eius potentiam nonnihil obtundit.

Prodest aduersus respirandi difficultatem, orthopnœam, veteremque tussim; ad expurgandos siquidē crassos, lentos & pertinaces humores, qui in thorace & pulmonibus hærent, multum in eclegmate, tum & condita potest, veluti & aliis modis data. Ventriculo autem commoda & salubris radix condita est, à cæna sumpta non modò concoctionem promouet, sed & aluum faciliorem reddit.

Pellit lumbricos & ventris tineas decoctæ succus, vt Plinius tradit: qui & eam à ieiunis commanducatam dentes confirmare scribit, lib. xx. cap. v.

Miscetur Inulæ radix vtiliter antidotis. Serpentum morsibus auxiliatur: venenis resistit: ruptis ac conuulsis confert. Sunt etiam qui ipsis decoctis, tritis ac melli instar vnguēti permixtis, vetera vlcera expurgari atque ad cicatricem perduci affirmant.

Galenus rubificari quoque his partes diuturnis ac frigidis molestatas ait affectionibus, vt sunt nonnullæ coxarum passiones, ischiadas vocant, & exiguæ assiduæque articulorum quorundam præ humiditate procidentiæ ac luxationes.


De Polygonato. CAP. XXI

1. POLYGONATON cauliculum emittit cubitalem tenuem, læuem, nullis ramis brachiatum, sed simplicem, foliis ex interuallis adornatum, latis, oblongis, Lauri fatis similibus, læuioribus tamen, tenuioribusque, latioribus aliquanto ac venosis: flores oblongi, intus caui, candi-

Polygonatum.



Polygonatum alterum.



candicantes, foliis numerosiores. ab vnoquoq; enim folij sinu siue annexu, bini aut terni dependent fructus rotundi Ochri magnitudine, nigricante colore, maturi virent. radix oblonga candida, frequentibus veluti articulis nodosa, digitalis crassitudinis, haudquaquam rectè descendit, sed per transuersum obliquè progreditur.

In syluis, locis vmbrosis, & iuxta margines nascitur, nec modò in mōtosis, sed & in planis.

Inuenitur huius & alia species, foliis e quouis exortu quaternis quinisve oblongis, acuminatis, multò quàm prioris angustioribus, læuibus & venosis: floribus in virore albicantibus: baccis rubentibus: radice similiter candida, nodosa, obliqua, tenuibus fibris capillata. 2.

In editis & mōtanis vmbrosis locis, veluti in Bohemiæ ac Morauiæ dēsis syluis, reperitur.

Maio ac Iunio vtriusque flores, Augusto fructus colligi possunt.

Græci πολυγόνατον: Latini similiter Polygonatum, Officinæ Sigillum Solomonis: Germani Weißwurtz: Galli *Seau de Salomon*: Hetrusci Frasinellam & Fraxinellam: alij geniculatam aut genichellam vocant. Ioannes Manardus Arabum Secacul existimat, sed veritatem minus assequutus.

Secacul etenim noua stirps, & Arabum inuentum. Serapio siquidem in eius descriptione nullius Græci, nec etiam alterius auctoris testimonio nititur. qui aliâs solet singula ad suos auctores, & veteres quidem referre. Secacul.

At Polygonati radices mistam tum facultatem, tum qualitatem habere, Galenus ait. Habent enim, inquit, adstrictionis pariter & acrimoniæ quippiam, nec nō fastidiosam quandam amaritudinem explicatu difficilem: quamobrem nec admodum sunt vsui.

Dioscorides radicem tradit vulneribus auxiliari impositam, & vultus maculas delere ac auferre. Matthiolus è Polygonati radicibus aquam elici refert, qua ad faciem abstergendam mulieres Italæ vtantur.

De Pyrethro. CAP. XXII.

PYRETHRO folia sunt multipliciter dissecta diuisaque, similitudine ferè foliorum Fœniculi, sed tamen minora, Dauci syluestris & Carotæ æmula: cauliculi dodrantales, aut paulò altiores; in quorum fastigiis flos amplus, latus, Anthemidis similis, sed tamen maior, medio orbe subluteus, angustis oblongisque circumambientibus foliolis, supina parte albi-

Pyrethrum.



cantibus, prona verò nonnihil purpurascentibus: semen inter disci siue orbis stamina, gignitur tenue & oblongum: radix digitalis fere est crassitudinis, longa, subrufo colore nigricans, gustu acri & admodum feruido.

Ex Orientis partibus infertur. Nasci in quibusdam Italiæ montibus, sed minus acre, Matthiolus scribit.

In Belgij hortis satum adolescit; & florem inclinante Æstate facit, quæ si feruens siccaq; fuerit, semen etiam perficit.

Græci πύρεθρον ab igneę qualitatis gustu nuncupant: item & πύρετον, πύρεντον, πύρεθρον ἢ πυρέτιον, plerique etiam δορύκνιον, vt inter ascriptitias nomenclaturas reperitur. Latini Saliuarem: Officinæ Græcam vocem retinent: Italis *Pyrethro*: Hispanis *Pelitre* aut *Piletre*: Gallis *Pied d'Alexandre*, id est, Pes Alexandrinus, Germanis ac nostratibus Bertram; à nonnullis Geyfertwurtz: Bohemis Pestram.

Et legitimum quidem istud est Pyrethrum. Nam quod verum à nonnullis existimatur, alterius generis herba est, sub Saxifragiæ nomine alibi describenda. Imposuit istis corrupta Dioscoridis lectio, in floris siquidem descriptione, exemplaria pro ἀνθέμῳ, perperam substitutam habent vocem ἀνήθῳ.

Dioscoridis locus emendatus.

Pyrethri autem radix vehementer calidam & vrentem facultatem habet, qua & refrigeratos ac dolentes dentes mitigat, & pituitã ex ore copiosam elicit. Manditur autẽ sicca, aut aceto, in quo decocta fuerit, os colluitur. Sudores etiam hæc mouet, & ad diuturnos horrores efficax, cũ oleo illinita: ad omnes etiam corporis partes perfrigeratas ac resolutas plurimum cõducit auctor Dios.

Miscetur eadem vtiliter Antidotis & alijs cõpositionibus, quæ ad diuturnos capitis dolores, vertigines, apoplexiam, comitialem morbum, neruorum tremores, resolutionesq; faciunt, conducit etenim plurimùm ad omnes capitis & neruorum frigidas ac diutinas affectiones.

Rhodia radix.



De Rhodia radice. CAP. XXIII.

RHODIÆ radici cauliculi sunt dodrantales aut altiores paulò, rotundi, nonnihil concaui, folijs circumuestiti plurimis, oblongis, latis, acuminatis, virentibus, carnosis, glabris, per ambitum serratis, Crassulæ herbæ aliquatenus similibus, attamen minoribus: in cacuminibus vmbellæ paruæ apparent, in quibus flosculi exigui e luteo pallentes tamdemq; rubescentes, radix crassa, inæqualis, & tuberosa, quæ recens candida & succosa trita rosarum odorem satis refert.

In Apennino & Gargano Italię montibus, nec non in Germaniæ alpibus spontè gignitur: &, vt Dioscorides, in Macedonia quoque.

In Belgij hortis colitur, vbi Æstate viret, & aliquando floret: Hyeme latet, sola radice viuace, frigorisque patiente.

Pedian

Ῥοδία ῥίζα Græci: nonnulli ῥοδίδα nuncupant. Germani Rosenwurtz: Hispani *Rayz Rodia*: nostri Roosen wortele. haud quaquam à Rhodo insula, sed à Rosis nomen accepit, quarum odorem attrita spirat.

Cæterum vtilis hæc herba est, auctore Dioscoride, capitis doloribus, si madefacta fronti & temporibus cum modico rosaceo imponatur.

Galenus tenuium eam esse partium, digerentisque facultatis, & in calfaciendo secundi ordinis censendam esse: aut tertij incipientis.

At nobis refrigerans & Rosis vti odore, ita & temperatura affinis videtur, & aduersus capitis ex calida causa dolores, efficax esse posse.

De Fraxinella. CAP. XXIIII.

Fraxinella.



FRAXINELLÆ complures exeunt cauliculi, rotundi, cubitales aut altiores, inferius foliis, superius verò floribus supra inuicem digestis exornati: folia oblonga ex pluribus ad vnum pediculum vnita, Glycyrrhizæ similia, multò quàm Fraxini minora, singularia tamen eorum breuiora, duriora, magisque acuminata, quàm Glycyrrhizæ: florum color dilutè est rubentis purpuræ, quasi vti syluestris Maluæ: sed forma dissimilis: à quinis etenim vt plurimum striatis oblõgisque superioribus foliolis, stamina aliquot recuruata barbæ instar dependent. Odor horum grauis est, ac hircinum olet, & similiter earum quæ sequuntur siliquarum. Succedunt autem singulis floribus quinque simul, asperæ, scabræ, & subrubentes, in quibus semen gignitur rotũdum, nigrum, splendens, minus quam Pęoniæ aut etiam Lentisci. radices ab vno capite plures diuaricantur longæ, candidæ, carnosæ, tenui in medio neruo, cum obscura acredine aliquantulum amaricantes.

Videntur autem huius duæ esse species, non tamen valde differentes. Vnius folia maiora, virentiora, duriora, magisque acuminata: alterius verò nigriora, minus dura, ac non æque in acumen desinentia: flores quoque huius aliquanto dilutiores: illius verò paulò rubicundiores.

In Italiæ ac Germaniæ montibus ac collibus, lutoso ac saxoso reperitur solo: apud Belgas hortensis est.

Flores Iunio: semen serius prouenit.

Recentiores Fraxinellam: plerique χαμαιμελίαν quasi humilem Fraxinum appellant: Officinę Diptamum, & pro legitimo Dictamno, radicibus huius subinde vtuntur: vnde & à nonnullis Pseudodictamnum & Dictamnum album nominatur. Non esse autem legitimum Dictamnũ, notius modò est, quàm vllis verbis refelli opus sit. Et Pseudodictamnum quoque Dioscoridis nequaquam esse, non minus manifestum. Sed nõ esse Tragij veterum speciem, non æque expeditũ videtur. Nam cum Tragio, & quidem priore, conuenire posse apparet.

Habet autem istud prius Tragium (duo siquidem sunt) auctore Dioscoride, folia, virgas & fructus Lentisco similia, sed minora omnia, & succum fert gummi similem: & in Creta tantùm nascitur. Idem Plinius lib. XXVII cap. XIII. Tragonis siue Tragium, ait, nascitur in Cretę tantum insulæ maritimis, Lentisco (exemplaria perperam Iunipero habent) similis, & semine, & folio, & ramis: succus eius lacteus in gummi spissatus, vel semen, impositione spicula è corpore eiicit. *Tragium primum.* *Plinij locus restitutus.*

Et Fraxinella quidem Lentiscum non minus quàm Glycyrrhiza folio refert, & odorem τράγου, id est, hirci spirat. Quæ huius cum Tragio similitudinem quandam ostendunt.

Sed tamen quia frutex non est, non baccas quales Lentiscus, sed siliquas ferat, adnatis ramulis careat, ad hæc neque lachrymam fundat, haudquaquam Tragium, sed aliam, atque ab eo differentem stirpem esse consequitur, quam verisimile est veteres non obseruasse, vel in nullo vsu, aut saltem negligentius habuisse. Facit huc quod Bellonius libro primo Singularum

num referat. Tragium in Creta iuxta fluenta nasci, & flore esse luteo. Nam Fraxinella montes amat, & flore rubet. Ex quibus Fraxinellæ cum Tragio discrimen satis apparet.

At Fraxinellæ radix excalfacit & resiccat ordine secundo, digerentis, attenuantis, & aperientis est facultatis. Menses & vrinas mouet: partus adiuuat: secundas educit, vren frigidoribus morbis auxiliaris est: conferre & stomachicis & anhelosis fertur. Tradunt etiam aduersus ictus morsusque ferarum, lethalia medicamenta, & pestilentium morborum contagia prodesse, antidotisque vtiliter permisceri.

De Valeriana. CAP. XXV.

Valeriana hortensis.



Valeriana syluestris.



VALERIANÆ tria genera passim occurrunt. Vnum hortense: syluestria duo. Repeniuntur verò & aliæ quædam, sed nomine, non effigie reliquis similes, vt quam Rubram cognominant: & quam Græcam.

1. Satiua siue hortensis Valeriana, prima folia edit oblonga, lata, læuia, virentia, atque indiuisa, quæ verò secundum cau les maiora, longiora, vtrinque profundius laciniata, Elaphobosci siue Pastinacæ maioris foliorum æmula, sed tamen minora: caulis cubito altior, læuis & concauus & interuallis rarioribus articulatus, è cuius geniculis bina exeunt folia, & in fastigio flores in vmbellis aceruati, parui, ab oblongiore & angustiore exiguo velut collo sese pandentes, Narcissi quidem effigiem aliquatenus exprimentes, sed tamen multò tenuiores, & magnitudine ipsis plurimum cedentes, colore e rubente diluta purpura albicantes. radix digitalis crassitudinis, obliqua, fibris multis summæ terræ adhæret, plurima parte eminens: quæ dum resiccatur, pinguis ac oleosa efficitur, & odore est suauiore quàm recens.

2. Syluestrium quæ maior, foliis cum prioribus, tum iis quæ circa cauliculos, est diuisis ac laciniosis, maioribus & nigricantioribus quàm satiuæ: caulis huius læuis quoque, inanis & geniculatus, cubitoque procerior: flores in vmbellis similes, & dilutè purpurei. radices tenues, & veluti multis capillamentis fibrosæ, odore non omnino destitutæ.

3. Altera syluestris forma hortensem satis refert, sed longè minor est. prima eius folia indiuisa; reliqua in partes ac lacinias dissecta: cauliculus dodrantalis: flores in vmbellis albicantes similes ex læui purpura albicantes, radices tenues, obliquæ, repentes, & tenuibus fibris capillatæ, odoris exigui.

Sentiur

Valeriana minima.



Seritur hortensis apud Germanos & Belgas: in Creta autem & Ponto suæ sponte esse fertur.

Syluestres humentibus locis, iuxta riuulos, fossas & scrobes aquas habentes reperiuntur. maior harum in hortus translata luxuriat, minor verò ægrè coalescit.

Florét hæ Maio, Iunio & Iulio æstiuis mésib.

Valerianæ passim appellátur, & Græcè φοῦ. Et prima quidem φοῦ apud Dioscoridé descriptioni respódet: neq; obstat flos paruus & Narcisso minor. Quòd siquidem maior scribatur, errore fit Græci exemplaris, in quo sic habetur: ἄνθη ὡς τῷ ναρκίσσου μείζω δὲ καὶ τρυφερώτερα. Sed pro μείζω, id est, maior, restituendú est ἥσσω siue ἥττω, id est, minor. vt ante nos Ruellius quoq; annotauit. Id quod mox subsequens dictio τρυφερώτερα, hoc est, tenerior, non modò innuit, verum & pálam ostédit. Neq; enim maiora, sed minora teneriora esse solent. Atque sic se habente Dioscoridis lectione, omnis adimitur scrupulus. Sunt namque Valerianę flores ἥττονες καὶ τρυφερώτεροι, quá Narcissi. *Dioscoridis locus emendatus.*

Appellatur præterea Valeriana satiua à Dioscoride, νάρδος ἀγρία, id est, syluestris aut rustica Nardus, à Plinio Nardus Cretica, hac ætate à quibusdá Marinella, Amantilla Valentiana, Genicularis, herba Benedicta, & Theriacaria: in officinis Valeriana domestica: Theophrasto Paracelso Terdina: Germanis Groß baldrian: nostris Groote valeriane/ speerkruyt/ S. Jors cruyt: Gallis *Valeriane* Anglis Setwal. 1.

Altera species Valeriana syluestris nuncupatur, & Germanicè Wild baldrian/ katzen wurtz/ augenwurtz/ wendwurtz/ denmarck. 2.

Tertia Valeriana minima nominari ferè solet. 3.

Excalfacit autem Phu legitimum, vt Dioscorides ait, sed tamen non intensè, neque ipsa recens radix, sed arescens tantùm. Recentem siquidem exiguú omnino caloris habere facilè deprehenditur: arescenté verò calidiorem esse, & gustus & odor vterque intensior ostédunt.

Mouet autem, auctore Dioscoride, sicca radix vrinas: menses cit: prodest ad laterum dolores, & antidotis permiscetur.

Syluestrem autem Valerianam, ruptis, conuulsis, ex altò præcipitatis, recentiores vtilem censent folia huius, tum & satiuę, ad oris & gingiuarú cum inflammatione exulcerationes, decocta, & gargarisata prodesse feruntur. Nec desunt, qui syluestris Valerianę radices aridas, tusásque, drachmæ pondo cum vino sumptas, infrà supraque purgationem moliri affirment.

De Valeriana rubra. CAP. XXVI.

HÆc herba duorum dodrantum caulibus aut longioribus, usque rotundis, læuibus & geniculatis assurgit: folia habet lata, longa, acuminata, læuia & diluti viroris: e fastigus caulium Valerianæ propemodum similes vmbellas, sed laxiores & magis inconditas, in quibus flores oblongi, tenues, rubentes, & semen inde exiguum, oblongum, quandoque summa parte barbatulum. radix subest candida, mediocris crassitudinis & longitudinis. 1.

Huic similis alia reperitur, foliis quoque oblongis, cauliculis circa superiorem partem in ramulos complures diuisis, flosculis è diluto cæruleo purpurascentibus, breuioribus quàm superioris; radice mediocris crassitudinis. 2.

Vtraque Belgis hortensis, & altera quidem rarior. Florent æstiuis mensibus.


Valerianæ rubræ à florú vmbellarumque similitudine plerique nomen dedere, quod huic permittere maluimus, quàm impropriam appellationem temere attribuere. Sunt etiam qui Behen recentiorum speciem esse velint, idipsum Behen rubrum nuncupantes, ad differentiam alterius Behen albi dicti. Quæ quidem est herba multum à Behen Arabum differens; veluti & præsens. Alij inter Limonij genera referunt. Matthiolus etiam secundam speciem pro Limonio depingit. Atque hanc ipsam aridam ad nos olim Patauio pro Limonio misit

præcla-

Valeriana rubra.



Valerianæ rubræ similis pro Limonio ma...



Valeriana Græca.

Limonium.



præclarissimus vir, & in notitia stirpiũ omnium simpliciũ versatissimus Iacobus Antonius Cortusus Patritius Patauinus. Et respõdet satis cum Limonij descriptione posterior. Sed Valeriana rubra non æque: non modò quòd folia eius sint longè quàm Betæ minora, verùm potissimum, quòd semen eius rarò perficiatur, & hoc ipsum nequaquam rubeat. Nam Limonio folia sunt Betæ similia, tenuiora tamen & minora: caulis tenuis, rectus, refertus semine rubicundo, vt Dioscorides refert.

Cæterùm quòd ad facultates attinet, nullas quidẽ harũ compertas habemus: videtur autem vtraq; vnà cũ radicibus refrigerantis esse naturæ.

De Valeriana Græca. CAP. XXVII

GRÆCA Valeriana coliculos tres aut quatuor promit rectos, concauos, inanes, tenues & cubitales: folijs circuminuestitos compluribus oblongis, alatis, ex alijs multis, medio intercurrente neruo, compositis, Viciæ folijs ferè conformibus, sed tamen virentioribus, quorum singula paruula sunt, latiuscula, oblonga, acuminata, dorsoque aliquantulum eminente. flores nequaquam in vmbellis, neque etiam ex alis foliorum, sed in fastigijs cauliculorum sparsi prodeunt, pulchri, colore cæruleo, sed dilutiore, splendentes, ex quinque foliolis, staminibus aliquot exiguis & candidis in medio, à quibus apices

ces parui sublutei dependent: sequuntur capitula parua, in quibus semen minutum. pro radicibus multæ tenuissimæ sunt fibræ.

Nusquam suæ spontis in Belgio est, sed aliunde illata.


Plurima æstatis parte floret.

Valerianam, vt diximus, Græcam, & Valerianam peregrinam, necnon Pseudo-phu nostri appellant, tametsi nullam cum Valeriana similitudinem habeat.

Nullus est vsus, nisi quòd hortorum exornet margines.

De Rubia. CAP. XXVIII.

Rubia.



RVBIÆ quidem propriè species nullę sunt. Sed si omnes illi foliis similes, ad eam referantur, multæ occurrent, vt Aparine, Mollugo, Gallium, Asperula, Cruciata, quæ omnes foliis Rubiam referunt, & idcirco syluestres eius species videntur.

Ramulis autem Rubia exit quadrangularibus, geniculatis, asperis, crassioribus, maioribusque quàm Aparines: foliis angustis, oblōgis, asperis quoq;, è singulis geniculis quinque ferè, in radiantis stellę modū dispositis: flores in summis ramulis parui, dilutè lutei: semen rotūdum, paruum, initio virens, inde rubens, postea nigrum. radices prælongæ, tenui medio neruo, cortice verò carnosiore ac rubente, quo cùm lanæ, tum & alia, rubro inficiuntur colore.

Seritur Rubia non paucis Italiæ, Hispaniæ & Galliæ, plurimis etiam Belgij locis, necnō apud Quados, quos Silesios vocant, pingui fœcundoque solo. Dioscorides quandam suæ spontis esse tradit: alteram verò in Thebana Galliæ, & Rauenna Italiæ, necnon in Caria inter Oleas seri.

Valerius Cordus Rubiam etiam iuxta Germaniæ Spiram spontaneam in sepibus nasci refert, satiuæ per omnia similem, maiore tantum radice.

Æstate floret semenque facit. Maio ac Iunio radices leguntur, quæ resiccatæ & attritæ, in vsus & tinctorum & medicinæ veneunt.

Græcis ἐρυθρόδανον & ἐρευθέδανον, vt quibusdam placet, appellatur: Latinis Rubia & Rubeia: Officinis Rubia tinctorum. Paulus Ægineta θάψον quoque nuncupari refert, lib. III. cap. II. θάψον, ait, ᾧ τινι οἱ βαφεῖς χρῶνται ἣν οἱ ῥωμαῖοι ἐρυθρόδανον καλοῦσιν. Eandem ibidem χρυσίζιον etiam cognominat. Est tamen & alia Thapsia ferulacea, à Rubia multum differens: aliud item Ereuthedanon (si mendo exemplaria carent) quod à Theophrasto lib. IX. describitur.

Ereuthedanum folium, inquit, habet simile κιττῷ, id est, Hederæ, verumtamen rotundius, nascitur humi velut Gramen, & loca amat vmbrosa. Radicem verò huius similiter rubicundam, eodem lib. & VII. etiam scriptum reliquit. *Ereuthedanon Theophrasti.*

Sunt præterea quibus Rubia δεσάχατος dicitur, aliis κιννάβαρις, à rubicundo colore: Marcellus antiquus scriptor etiam Polygonon appellat. Idem tamen Millefolium, Sanguinalem & Verbenam Polygona quoque facit. Dicitur autem Rubia Italis quidem *Rubbia* & *Robbia*: Hispanis *Ruuia*, *Roya*, & *Granza*: Gallis *Garance*: Germanis Rotte: nostratibus Mee: Anglis Madder: & vbi comminutæ sunt radices, Belgis Mee crappen.

Rubiæ autem radices, quarum quidem, cùm in medicina, tum in tinctoria est vsus, vt potentiam ac vim haud obscurè adstringentem obtinent; ita quoque natura ac temperamento frigidæ sunt ac siccæ: partes interim nonnullas tenues habent, quarum potentia color earum facilè permeat: adeò vt & vrina assumentium ab his tingatur. Gustatæ siquidem acerbum saporem referunt, cum exigua tamen quadam dulcedine primò occurrente, quam acerba & adstringens mox excipit qualitas. Quod non modò à nobis, sed & ab Auicenna Arabum

Medicorum Principe obseruatum, qui cap. LVIII. Rubiæ radicem pontici esse saporis scriptum reliquit.

Commendatur verò passim Rubiæ radicum decoctum, ruptis, cæsis, vulneratis, ex alto præcipitatis: sanguinis fluores reprimere, inflammationes mitigare: offensas quassatasque partes ad sanitatem perducere creditur. Miscentur his de causis potionibus, quas vulnerarias recentiores appellant. In quibus tantam earum vim ac efficaciam, & Matthiolus quoq; esse refert, vt etiam thoracis & intestinorum lethalia vulnera his curari posse speretur.

Accedit nostræ sentētiæ expertissimus ac clarissimus olim Louanij medicus Ioannes Springus, qui in Rapsodiis suis annotatum reliquit, Rubiæ decoctum cum Triphera magna exhibitum valere aduersus fluxum menstruorum, hæmorrhoidum, & dysenteriam: idque euidentibus experimentis compertum. quod Rubiam adstringentis esse facultatis confirmat.

In eadem sententia esse videtur & Eros Iuliæ (vulgò Trotula) qui in compositione aduersus abortum hāc permiscet. Si etenim Rubiam existimasset, talem qualem Dioscorides eam perhibet, haudquaquam medicamentis aduersus abortum additurus fuisset.

Dioscorides siquidē Rubiæ radicem vrinā ciere ac multā crassamq;, & nonnunquā sanguinem ducere tradit: & tantā ei aperiendi vim adesse, vt apposita etiā menses, secundas & fœtus extrahat. Fefellit autem eum vrinæ intensus rubor, visum Rubiæ mox consequens, quem à permixto sanguine esse existimauit, qui tamen non aliunde est, quàm ab ipso colore Rubię.


Radix etenim huius quouis modo assumpta, mox vrinā rubicundo inficit colore, nō secus ac Rhabarbarū eandē tingit luteo, substantiā interim eius non permutās, nec crassiorē, quam antea fuerat, reddens: in iis scilicet, qui integra sanitate fruuntur. Quod non aperire eam, sed adstringentis quoq; facultatis participem esse, nō minus quàm RhaBarbarum, citius cōmonstrat. Propter adstringēdi siquidē ipsius potentiā, colorem serosi humores aliquādiu retinēt.

Adstringentibus enim permixti colores, diutius coloratis inhærēt, nec ita citò euanescunt. Probè istud norunt, qui ex florum herbarumq; succis colores colligunt. alumen etenim vnà cum ipsis permiscent, quo in longius tempus coloris species, alioqui citò peritura, retineri ac conseruari posset. Ex his autem satis constat, extergendi aut aperiendi potentiam Rubię nullam vehementem esse, & Dioscoridem huiuscemodi vim ei temerè tribuisse: ac post eum Galenum & posteriores reliquos, in eius verba iuratos.

Dioscorides & Galenus notantur.

Plinius contra, serpētes Rubiæ ramos cum foliis imponi, ait, & inuenire se apud quosdam (quod vanissimum) morbum regiū sanari hoc frutice, etiam si adalligatus spectetur tantum.

Aparine.



De Aparine. CAP. XXIX.

APARINE tenuibus & quadrangularibus ramulis, foliisque angustis, orbiculatim radiatis Rubię similis est, veterim minor: flores perpusilli, candidi in summis emicant virgulis, semina parua, rotunda, medio aliquantulum concaua, vmbilici effigie, gemina vt plurimum simul. radices fibrosæ & tenues. Aspera tota est herba, prætereuntium vestibus ac laciniis scabritie sua adhæret; linguæ inducta sanguinem elicit. Pastores hac herba, Dioscorides refert, coli vice vti, ad eximendos è lacte pilos, si qui in eo substiterint.

Exit Aparine iuxta margines agrorū, & quandoque in ipsis agris frugibus permixta: item secus vias, scrobes, sepes, & inter sentes. Theophrastus & Galenus in Lente eam coalescere scribūt, & amplexu suo eam suffocare; eoque modo illi grauem ac molestam.

Æstiuis mensibus vbique frequens.

Ἀπαρίνη Græcis. Latinis subinde etiam Lappa & Lappa minor. Plinius Lappaginis speciem esse affirmat. Lappagines autem, ipso auctore, duæ: vna aspera, Asperugo, altera mollis, Mollugo. Et Aparine quidem Asperugo est.

Plinij locus restitutus.

Lappago, inquit Plinius lib. XXVI. cap. X. similis Gallio, nisi esset ramosior ac pluribus foliis aspera, rugosa, asperioris succi, grauis odoris: quæ mollis

Mollugo.



Gallium.



mollis est, Mollugo vocatur: similis, sed asperioribus foliis Asperugo (exemplaria multò aliter, sed perperam habent.)

Appellatur præterea Aparine & φιλάνθρωπος, quasi hominis amica, quòd vestitui eius adhæreſcat. à nonnullis & ea de causa φιλάδελφος. Ab Hippocrate, teste Galeno, φιλίστιον & φιλανθρώπιον. Nominatur & ὀμφαλόκαρπος, aut vt aliis placet, ἀμπελόκαρπος: Italis *Speronella*: Hispanis *Presera*, aut *amor de hortolano*: Germanis Kleeb kraut: Gallis *Reble, ou grateron*: Belgis Kleefcrupt: Anglis Gosshaerte.

Modicè autem, vt Galenus ait, extergit & deſiccat, habetq́; nonnihil ſubtilium partium. Seminis, inquit Dioſcorides, caulium & foliorum expreſſus ſuccus auxiliatur à phalangiis ac viperis cõmorſis cum vino bibitus: aurũ dolores ſuccus infuſus curat: ac herba cũ axungia tura ſtrumas diſcutit. Sanguinis etiam abundantiam ex vulneribus reprimere folia impoſita, Plin. tradit.

De Mollugine. CAP. XXX.

MOLLVGO Aparinen caulibus foliisq́; ſatis refert, nequaquam tamen aſpera, ſed leuis & mollis: flores albicant: ſemen rotundum. radices tenues & nullius momenti. repit per terram niſi fruticibus vicinis fulciatur. 1.

Reperitur iiſdem ac ſimilibus quibus Aparine locis, atque eodem tempore.

Eſt tamen & alia montana, cuius aſſurgentes coliculi, nullis egent adminiculis, priori ſimilis, niſi folio eſſet læuiore: floſculi eius cãdidi etiam ſunt, & perquam exigui. radix nigricat. 2. *Mollugo montana.*

In aſperis quibuſdam iuxta Rhenum ac Moſam montibus naſcitur. à Martino Tulemanno hanc accepimus, vim noſtratium ſtirpium & obſeruantiſſimo & ſtudioſiſſimo.

Vtraque Lappaginis ſpecies eſt, atque à mollitie & læuitate foliorum Mollugo nuncupari poteſt. plerique Rubiam ſylueſtrem nominant. Sed Rubia ſuæ ſpontis, à ſatiua non differt.

Inutiles autem exiſtimantur hæ herbę, & nullius vſus.

De Gallio. CAP. XXXI.

GALLIVM tenerius multò eſt, ac minus quàm Aparine, aut Mollugo, nequaquam aſperum. Cauliculi eius tenelli, teretes, pedem aut duos dodrantes alti: foliola exigua per interualla cauliculos ſtellatim radiata ambiunt: flores paruuli, frequentes, denſique in ſummis virgulis, luteo ſplendent colore, odore ſuaues. radices tenues fibræ ſunt.

Naſcitur apricis locis in collibus iuxta margines agrorum, ſolo lætiore.

Reperitur & paluſtribus locis aliud ſimile, ſed floribus albidis ac niuei propemodum candoris. *Gallium paluſtre.*

Huius Iunio: illius verò Iulio ac Auguſto flores vigent. Græcè γάλλιον, aut potius γάλιον dicitur: à nonnullis γαλάτιον & γαλλέριον.

A lacte, cui additum pro coagulo est, nomen habet, quod Græcè γάλα dicitur. Germani Megerkraut/ walstroo appellant, Galli *Petit muguet* Itali *Galio*· Angli Maydes here.

Facultatem autem (quod quidē legitimum ac lutei floris) auctore Galeno, exiccatoriam obtinet & subacrem. flos eius, Dioscorides ait, ambustis illinitur, & sanguinis profluuia sistit: miscetur cerato rosaceo · insolatur donec albescat, & tale acopum est lassitudinibus vtile. radix, eodem teste, venerem excitat.

De Asperula odorata. Cap. XXXII.

Asperula odorata flore albo.



Asperula cærulea.



1. RVBIÆ & Aparinæ hæc similis quoque est, sed humilior ac odoratior: cauliculi eius breues & pede vix altiores: folia è singulis geniculis sena septenáve, stellatim radiata, aliquantulum scabra, sed non perinde tamen vt Aparines: flores albidi: semen paruum, rotundum. radix tenuis, serpens, & stirpem ipsam facilè multiplicans. Tota herba gratũ suauemq; expirat odorem, præsertim in atriis cœnaculisque pedibus attrita.

Apud Germanos in syluis locis opacis pingui solo gignitur, Trago teste, sed apud Belgas hortensis: vbi Maio, Iunio ac seriùs floret.

2. Asperulæ autem huic similis est, sed tamen non odorata, quam Cæruleam cognominant. *Asperula cærulea.* Dodrantalis herba, mollis, hirsuta, & aliquantulum ramosa, foliis ramulisque Asperulæ: flores eius cærulei in breuibus pediculis è summis virgulis emicant: semen rotundum, paruum, geminatum. radix tenuis, oblonga, rubet.

In Flandriæ plerisque agris spontè exit, annua est, sed ex deciduo semine seipsam serit.

Plinij Alyssos à plerisq; creditur, quem ab Erythrodano siue Rubia foliis tantùm ramisq; minoribus differre ait. Talis autem non modò ista, sed & odorata Asperula est, sed flos huic albus, illi verò cæruleus, & Galenus Alysso florem tribuit cæruleum. Differre tamen Galeni & Plinij videntur.

Galenus enim Alysson foliis describit πρασίου, id est, Marrubij; differentibus videlicet multum ab Erythrodani foliis. Suspicari fortassis hinc licebit, Plinium perperam pro Marrubij accepisse Rubiæ, atque hinc Alysson Erythrodani foliis scripsisse. Nisi Erythrodanum, cui similē perhibet esse Alysson, non Dioscoridis, sed Theophrasti sit Ereuthedanon, quod foliis Hederaceis rotundioribus esse, in capite de Rubia ostendimus. Atque ita posset idem esse Galeni & Plinij Alyssos, sed ab Asperula cærulea, & similiter odorata, longe dissidens.

De Alysso autem Galenus lib. 11. De Antidotis in compositione Antonini Coi sic scribit:

Ἄλυσσος

Ἄλυσσος ἐστὶ βοτάνη πρασίου παρεμφερὴς, τραχύτερα δὲ καὶ μᾶλλον ἀκανθώδης, περὶ τὰ σφαιρία· ἄνθος δὲ φέρει κυανίζον. id est, Alyssos herba est Marrubio persimilis, sed asperior, & magis spinosa circa orbiculos florem fert ad cæruleum vergentem. *Alyssos Galeni.*


Plinij autem hæc sunt verba: Distar ab eo (scilicet Erythrodano) qui Alyssos vocatur, foliis tantùm & ramis minoribus. nomen accepit, quòd à cane commorsos rabiem sentire non patitur, potus ex aceto & adalligatus. *Alyssos Plinij.*

Cæterùm Asperulam odoratam appellant pleriq; etiam Aspergulam odoratam: alij Cordialem & Stellariam; Germani Hertzfreydt/ waldmeister: Galli *Muguet*. nonnulli etiam Germanice Leberkraut/ siue Leuerkrupt/ id est, Iecorariam siue Hepaticam.

Facultatem hæc Asperula Gallio aliquatenus similem habet, sed tamen imbecillior. fertur in vinum coniecta hilaritatem efficere, cordi ac iecinori prodesse.

De Cruciata. CAP. XXXIII.

Cruciata.



Rubia marina.



AD Rubiæ & Aparines similitudinem aliquomodo etiam Cruciata accedit, sed mollis & hirsuta herba: coliculi tenelli quadrangulares, geniculis articulati, folia è singulis internodiis quaterna, decussata, breuiora, sed latiora fere quàm Aparines: flores exigui, coronæ modo verticillatim cauliculos ambiunt, colore dilutè lutei, ad quem è viridi tota ipsa inclinat herba. radices subsunt perquàm tenues.

Iuxta fossas, aquarum riuulos, & quandoque agrorum margines, inter sentes, à Maio in finem vsque Æstatis reperitur, & quidem cum flore.

Cruciatam autem ac Crucialem nominãt, à foliorum in crucis formam decussato positu.

Huic autem similis, & alia quædam locis exit maritimis, cauliculis & decussatis foliis eum referens, quam Rubiam appellant marinam. *Rubia marina.*

Cæterùm facultate Cruciata nonnihil videtur habere adstrictionis, simul cum resiccatione. Recentiores inter vulnerarias dictas numerant: & recentes aiunt ramices hac curari posse, decocto eius aliquot diebus epoto, herba verò ipsa loco imposita.

LIBRI PRIMI PEMPTADIS TERTIÆ
FINIS.

PEMPTADIS TERTIÆ

LIBER SECVNDVS,

DE PVRGANTIBVS HERBIS.

PRÆFATIO.

HErbas aliquot descripsimus, radicibus suis medicinæ vtiles; sequuntur nunc purgantes. Harum autem materies diuersa est. sunt folia & herba. sunt fructus eiusdem potentiæ. idem nonnullæ radices præstant. arborum etiam quarundam ac fruticum, vel cortices, vel fructus eò pertinent. Sed quæcunque ad arborum & fruticum genera referri postulant, sua proferet pars, nunc tantùm herbaceas stirpes tractamus. Inter herbas autem huius generis, quædam pedamentis sustinentur: aliæ nullis egent. Dabit has hic liber: illas subsequens.

DE ASARO.

CAPVT I.

Asarum.



ASARO folia sunt læuia, in virore splendentia, rotundiora, latiora, teneriora que quàm Hederæ, & nequaquam angulosa. flores iuxta radices sub ipsis foliis latitant, ipsorum annexi pediculis, sordido purpurascentes colore, Hyoscyami cytinis similes, sed tamen minores, in quibus tandem semina exigua, angulosa, & aliquantulum aspera. radices multæ, tenues, & graciles, obliquè sparguntur, & sibi inuicem implicãtur, sapore cum acrimonia quadam haud iniucundo, odore grato.

Amat montium opaca ac vmbrosa loca, & plerunque sub Corylis, vt Cordus refert, inuenitur.

Perpetuò viret herba, noua tamen vnà cum flosculis folia Vere promit.

Asaron, Græci similiter ἄσαρον: Latini etiam Nardum rusticum, & nonnulli Perpensam vocant. Est autem Perpensa etiam Baccharis Plinio, lib. XXI. cap. XXI. Macer Asarum Vulgaginem dicit.

Est Asarū Græcè (inquit) *Vulgago dicta Latinè.* Olim etiam à Magis αἷμα ἄρεως, hoc est, Martis sanguis, & à Gallis *Baccar* nominatum fuisse inter spurias voces extat: atque inde nata videtur Asaræ baccaræ vox, qua Officinæ vtuntur. Sed alia est Baccharis, & ab Asaro differens. Appellatur tamen & Baccharis à Cratena Asarum, (si modò non legendum est ἄσαρον) vt altera Pemptade scripsimus.

Fecit autem hæc vtriusque nominis confusio, vt non satis se explicare de Asaro & Bacchare plerique potuerint, & in multis Dioscoridis exemplaribus nonnulla cap. de Asaro perperam accesserint. Nam quod initio statim in Græcis exemplaribus occurrit: πόα εὐώδης στεφανωματικὴ, hoc est, herba odorata coronaria, non ad huius Asari, sed ad Baccharis pertinet descriptionem. Asarum etenim, vti Plinius ait, dictum est, quoniam in coronas non addatur. Atque ita euenit vt sæpenumerò veterum descriptiones deprauatæ & confusæ reperiãtur, quod vt hoc loco manifestum est, ita subinde non perinde faciliter aliis locis animaduerti potest. Porrò Asarum Gallis *Cabaret*: Germanis Haselwurtz: Belgis Mans ooren & Haselwortele dicitur: Hispanis *Azarabacara*: Italis *Asaro*: Anglis Folfoote.

Dioscoridis locus emendatur.

Vim

Vim autem Asari folia excalfactoriam simul & resiccantem habent, vnà cum expurgatricis potentia; non tamen absq; nonnulla adstrictione. vomitione crassos, pituitosos, biliososq; humores educunt, & simul inferiorem ventrem commouent, atque in hoc ipsis radicibus potentiora efficacioraque sunt. Eadem cancrosos tumores apposita, ne augeantur aut exulcerentur latiúsve serpant, continere putantur.

Radices excalfactoriam similiter vim & resiccatoriam obtinent, vtramque quàm folia intensiorem: tenuium sunt partium: vrinas ciunt: menses promouent. facultate, vt Galenus ait, Acori radicibus similes, sed tamen intensiores. Acori autem tenuis consistentiæ, excalfacientes, extenuantes, resiccantes, & vrinas mouentes esse tradit. Quæ quidem, in exigua quantitate Asari radices assumptæ, aut alijs permixtæ, feliciter exequuntur. Iecinoris idcirco, fellis & lienis obstructionibus, duris scirrhosisq; tumoribus, & aduersus inueteratas febres vtiles. Sed in maiore quantitate assumptæ, non multò quàm folia minus (tametsi non scripserit Galenus) vomitione potissimùm, turo & per inferiorem ventrem pituitam & bilem educunt.


Sit autem radicum in puluerem contritatum (plus minus) drachma oportet: si verò macerentur decoquantúrve, duabus, tribus aut quatuor opus erit. folia verò octo aut nouem sufficiunt, quorum cum liquido aliquo contusorum expressus succus exhibetur radices in vino macerari possunt, sed vtilius in sero lactis aut hydromelite, vt Mesues habet.

Prodest hoc modo Asarum Ischiade laborantibus, & hydropicis, tum & subinde quartanis excruciatis, quos vomitione nonnunquam curari ac liberari contingit.

De Aloe. Cap. II.

Aloë. Aloë ex America.





FOLIA habet Aloë Scillæ similia, oblonga, lata, læuia, crassa, retrouorsum repanda, vtrinque crenata, aspera, & retusis aliquot spinulis aculeata, lento tenacique succo plena, instar foliorum Sempervivi. caulis, vt Dioscorides ait, Antherico similis est: flos albicans: semen vt Asphodeli. radix singularis, crassi pali in terram adacti effigie. Tota herba amarissima est, ex ea quoque succus collectus amarissimus.

Copiosissima hæc stirps apud Indos, & in Arabia, Cœlosyria, ac Ægypto: vnde pellibus in-

fusus succus in Europam infertur. Nascitur etiam, vt Dioscorides tradit, in Asia locis maritimis, ac in Andro, sed non valde succo extrahendo idonea. Reperitur & in Apulia, & nonnullis Bęticæ Hispaniæ locis haud procul à mari, sed & huius succus inutilis.

Americæ nonnullæ prouinciæ & Aloën proferunt, cuius folia ampliora, maioraque in durum ac spinosum mucronem desinunt, & secundū margines duriores omnino spinas habēt.

Viret autem perpetuò ipsa herba, atque etiam e terra diu frondescit, præsertim luto radici circumligato & subinde rigato. Sic etenim è tabulatis cœnaculorum suspensa, non modò diutinè viret, verùm & incrementum sumit, nouaque folia protrudit, sed repentem Hyeme locum esse oportet, congelata enim citò facileque tabescens perit.

Ἀλόη Græci, Latini & Officinæ pariter Aloen, tum herbam ipsam, tum & eius densatum succum appellant. Dicitur & stirps *ἀμφίβιον, ἡλίζιον, ἕρμανον, τεργωνίεσες*; sed spuriis vocibus. *ἀμφίβιον* autem dici potest, quòd non modò in terra, sed & extra eam viuat. Galli *Perroquet*: Hispani *Azenar*, & *yerua bauosa* nominant. Appellatur verò à recentioribus ipsa herba nonnunquam Semperuiuum, & Semperuiuum marinum, quòd Semperuiui modo diu duret. Videtur & à Columella lib. x. Sedū nominatū. vbi videlicet remedia contra erucas ostēdit;

Profuit & plantis latices infundere amaros
Marrubij, multoq; Sedi contingere succo.

Sedi etenim succum inter amaros refert, nullius autem Sedi, quàm huius amarus est.

Aloe autem, videlicet succus, cuius in medicina vsus, ad plurimas res vtilis est. moderatè & primo ordine calida, sed tertio exsiccans, vehementer amara, absque mordacitate tamen; & simul emplastica, nonnihilque adstringens.

Ventrem subducit. interim, si quod aliud, stomacho gratum & conueniens medicamentum. Nam vt Paulus Ægineta scribit, cùm omnia purgantia medicamina stomacho aduersentur, sola Aloë conducit. Et euacuat quidem non elota valentius. elota verò minus, ventriculum magis roborans.

Bilem flauam educit, sed potissimùm, quæ in ventriculo, primis venis, proximisque vis hærent, expurgat. Est enim ex numero medicamentorum, quæ Græci ab excernendo stercore *ἐκκοπρωτικὰ* vocant, quorumque vis purgans, non longè vltra ventriculum sese extendit. Aduersatur præterea Aloë putredinibus omnibus; & ab ea, omniq; corruptione omnes corporis partes tuetur atque defendit: cadauera etiam mortuorum conseruat: ventris tineas lumbricosque interimit ac expellit: graueolentiam oris vitio stomachi enatam emendat: haemorrhoides aperit: menses etiam promouet, in exigua quantitate assumpta: creditur ad reliquorum viscerum obstructiones & infarctus prodesse. Sunt tamen qui iecinori parùm commodam existiment.

Ad purgationē datur eius, plus minus, drachma. subinde oboli tres aut quatuor satis sunt.

Vulnera etiam glutinat ac sinus, vlcera expurgat. & quæ ægrè ad cicatricem duci possunt, maximè in ano & pudendo, sanat. *Ἐναίμοις*, id est, sanguinem supprimentibus, & quæ cruentis vulneribus adhibētur emplastris vtiliter permiscetur. Emplastica enim sua natura ac substantia his prodest. In ocularia collyria vtiliter recipitur, vtpote extergens & absque mordacitate resiccans.

Dioscorides torreri eam ait, ad oculorum medicamenta, in testa pura & candente; rudiculaque subinde versari, donec æqualiter torreatur. lauari item, vt quod est arenosissimum subsidat tanquam inutile, & læue pinguissimumque assumatur.

Idem Aloën etiam tradit, liuores & suggillata cum melle delere: palpebrarum scabrities, angulorumque prurigines lenire; dolorem capitis sedare, temporibus & fronti ex aceto cum rosaceo inunctam: capillos fluentes cum vino compescere: tonsillis, gingiuis & omnibus oris vlceribus ex melle & vino prodesse.

De Sena. CAP. III.

SENA cubitales erigit cauliculos, nonnullis alis ramosos, folia verò oblonga, alata, è pluribus vnita, Glycyrrhizæ aut Coluteæ similia: flores ex alarum sinu prodeunt lutei in tenuibus pediculis, à quibus deinde falcati, atque Lunæ *ἡμιτόμῳ* instar recuruati dependent folliculi, plani atque compressi, in quibus semina oblonga, vuarum seminibus siue vinaceis similia, colore nigricantia. radix tenuis, oblonga & inutilis.


Seritur in Syria & Ægypto, item in Italia, Prouincia, ac Narbonēsi Gallia. Apud Germanos & Belgas difficulter prouenit. Amat calidas regiones, frigoris impatiens. Ob id Maio demùm mense in Italia seri sustinet, neque vltra Autumnum perdurat.

Optima Alexandrina & ex Ægypto aduecta. Inuentio huius Arabibus debetur.

A Persis Abalzemer, vt Mesuæ exemplar habet, appellatur: Officinis Sena dicitur, quo

nomine

Sena.



nomine Actuario Grçco,& Latinis posterioribus innotuit.

Est autem Sena, quod ad temperaturam attinet, satis temperata, in medio quasi calidi ac frigidi, ad calorem tamen vergens sicca verò tertio fermè ordine. purgandi autem per inferioré ventrem facultatem naturæ humanæ haud multum molestam obtinet: nó citra adstrictionem, quam post purgationem relinquit.

Educit autem pituitosos humores & biliosos, nec non crassos & melancholicos, si eò faciente aliquo adiuuetur. Vtilissimum in multis morbis purgans medicamentum, quod omni ætati & sexui conuenire potest. Citra violentiam ac noxam purgat: præsertim Anisi semine, aut alijs odoratis similibus vnà additis, vel leniẽtibus medicamentis contemperata.

Dari potest in puluere, sed frequẽtius dilutum eius exhibetur.

Modus pulueris est drachma vna, dilutũ quatuor aut quinque pluresve admittit. Macerari in quouis liquore potest. In febribus ardentibus ac alijs calidioribus morbis in decocto siue diluto refrigerantium tẽperatur: in frigidis verò & diuturnioribus malis cum excalfacientibus, aperientibus, aut similibus decoquitur, vel etiam in vino maceratur; quo modo familiaris naturæ, citra omnem ferè molestiam aluum clemẽter subducit, crudosque humores detrahit.

Laudant Arabum plerique folliculos: at nostri folia magis commendant: folliculi etenim nisi maturi, flatus gignunt & torsiones vẽtris adferunt Sæpè autem ante matutitatem colligi illos contingit, & aliàs ventorum impetu deturbati facilè concidunt, è tenuibus pediculis dependentes.

Sunt etiam qui noxiam ventriculo Senam, & ipsum debilitare putant, ea de causa Zinziberaut aroma aliquod adiiciendũm aiunt, quo roboretur. Tardioris quoque operationis esse Mesues monet, & salis gemmæ, id est, fossilis adiectione adiuuandam. Et serius quidẽ, quàm fortiora medicamenta facultatem suam Sena exercet; potest tamen non modò fossitio sale, verùm & alijs purgantibus admixtis vtilius exstimulari: simplicibus videlicet, vt Rha Barbaro, Agarico, & alijs compositis, vt Catholico appellato, vel ex Palmulis, aut ex Rosarum succo, vel alio pro conditione & qualitate, cùm morbi, tum ægrotantis.

De Gratiola. CAP. IIII.

CAVLICVLOS Gratiola promit complures dodrantales & quadrangulares: frequentiaque circa hos folia angusta, oblonga, Hyssopi vulgaris similia, cuius & ipsa herba effigiem & formam satis refert: nisi quòd non vt illud erigatur, sed aliquatenus humi repat. flores in tenuibus pediculis oblongi, è foliorum alis exeunt, è diluta purpura albidi: capitula sequuntur parua, rotunda, Anagallidis propemodum similia, in quibus semen minutum. radices frequentes, geniculatæ, Graminis modo serpunt, fibrasque multas deorsum mittunt. Saporem tota herba insigniter amarum obtinet.

Nascitur spontè in Italiæ plerisq; palustribus, humidis ac vliginosis pratis, nec non Germaniæ: Belgis hortensis est, vbi Iulio ac Augusto cum flore reperiri potest.

Nomen huic recentior ætas Gratiolæ dedit, & Gratiæ Dei. Cordus Limnesion appellat: Italorum vulgus *Stanca Cauallo* Sunt qui Eupatorium Mesuæ: Centaurida alij faciunt. Sed Mesuæ, Auicennæ, Græcorum, & Dioscoridis vnum idemque est Eupatorium, vt alibi ostẽdimus à quo hæc herba differt. Centauris verò haud perperam dici potest. Nam cùm Centaurij species videatur, & viribus præcellat, non temere Centauris nuncupari poterit: veluti Centaurij, & quidẽ minoris, species aliqua. Non est tamen Centauris illa Theophrasti, cuius *Centauris*
Plinius lib. XXV. cap. VI. meminit. Hæc etenim Centauris, ipsum Centaurium est magnum. *Theophrasti.*
Radices siquidem eius crassas spissasq; decẽ aut duodecim annis seruari posse Theophrastus

lib.

Gratiola.



lib. IX. refert quales non alterius, quàm magni Cētaurij sunt. Sctipsimus Centaunū magnum Panacis esse speciem, sed nihil repugnat Centaurida etiam dici. Ab effectu siquidem & præstantia remedij Panaces: ab inuentore Chironium Centautium & Centauris appellatur.

Extant Helleborines præterea & Multiradicis appellationes, inter spurias Centaurij, quæ vulgari Cenraurio minori minus conueniunt, Gratiolæ vero hæ proprisſimè apparent. Veratri enim modo ptopemodum purgat, & radicibus complurimis fitmatur.

Est aurem Gratiola, vt amarissima, ita etiam tempere excalfactoria & reficcans, eximiam simul expurgandi, cùm pet superiorem, tum per inferiorem venttem porentiam obtinens.

Educit verò non modò lentam pituitam, verùm & crassam flauam bilem. Prodest aduersus diutinos coxendicis dolores, & aduersus inueteratas febres, siue tertianas siue etroneas, iecur & lienem expurgat, ab obstructionibus liberat, ventris lúbricos pellit, putredinibus aduersatur.

Dosis maceratæ aut decoctæ est à drachma vna vel vna & semis, ad duas, vel amplius paulò.

Consolidat & glutinat eadem recentia etiam vulnera imposita.

Cnicus siue Carthamus.



De Cnico siue Chartamo. CAP. V.

CNICVS caule assurgit sesquicubitali, recto, teteti, duro, atq; lignoso, superiusque ramoso: foliis munitur oblongis, latiusculis, fastigio acuminatis, & vtrinq; ambitu aculeato è cauliculorum summitatibus capitula eminent rotunda, oliuæ magnirudine vel maiora: multis acuminatis & acutis squamis cōpaginata, equibus flores erumpūt staminei, farcti, saturato luteo colote, ad Croci accedente, splendentes. semina subsunt oblonga, læuia, candida, nonnihil angulosa, Hordei grano maiora, quorū cortex duriusculus: interiot medulla pinguis, candida, gustu dulcis. radix Cnici gracilis & inutilis.

Seritut nonnullis Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, & in hortis & agris. Plinius lib. XXV. cap. XV. Italiā Vespasiani ptincipatu hanc ignorasse ait, & in sola Ægypto celebrem; ipsis autem oleo non cibo gratam.

Flores Iulio & Augusto, semē interea perficitur; & eodē quo seritur anno, exinde inarescit.

Κνῖκον & *κνῆκον* Græci; Latini similiter Cnicū & Cnecum vocant: Officinæ Chartamum nōnulli Ctocum hortensem, & Crocum Saracenicum. Itali *Zaffarano Saracinesco*, & *Zaffarano saluatico*: Hispani *Alasor*, & *semente de papagaios*: Germani Wilden Saffran: Galli *Saffran sauuage*: Angli bastart Saffron: Bohemi Ssaffrā plany. Theophrasto & Plinio Cnecus est vrbana & satiua, ad differentiam Actractilidis, quam syluestrem Cnecum faciunt.

Vtimur autem, vt Galenus ait, semine duntaxat

taratad purgationes. excalfacientis eſt naturæ, & quidem primi ordinis, vt Meſues. Tunditur, & ex eo exprimitur ſuccus, qui cum hydromelite aut gallinacco iure datus, aluũ purgat; ſtomacho tamen aduerſatur: Dioſcorides auctor. Sed corrigitur, addit Meſues, Aniſo, Galanga, Zinzibere, aliiſque ſtomachicis additis: quæ non modò ventriculum roborant; ſed & actionem eius quoque accelerant. Ex huius autem interiore medulla celeberrimum & præſtantiſſimum hydragogon conficitur medicamentum, Diachartamou vulgò nominatum, ad hydropicorum purgationes vtiliſſimum. Cuius genuina deſcriptio apud Guidonem Cluturgum extat: Doct. I. Tract. VI. *Diachartamon.*

De Chamelæa. Cap. VI.

Chamelæa.



HVMILIS ac fruticoſa ſtirps Chamelæa, pedalis aut altioris magnitudinis, compluribus tenuibus virgulis ramoſa: foliis exornatur oblongis, & Oleæ ſimilibus, ſed tamen minoribus & nigrioribus · flores ex aliis foliorum exigui, ſubluteì: fructus inde tricocci, virentes initio, poſtea rubentes, qui decerpti nigreſcunt, oleoſamque pinguitudinem contrahunt oliuarum inſtar; ſapore acres & mordaces, fauceſque exurentes; veluti & folia ac cortex. radix dura & lignoſa.

In Italiæ & Galliæ Narbonenſis pleriſque incultis, aſperis & deſertis reperitur.

Perpetuò viret. ſemen Autumno maturitatem aſſequitur.

Χαμελαίαν quaſi humilem oleam Græci appellant: Latini Oleaginem & Oleaſtellum. Dicitur etiam, ſed ſpuriis appellationibus, πυρὸς ἄχνη, ἄκνηστος, ἐλέκλειον βδέλυρα, & Latinè Citocacium. A nõnullis Oliuella etiam nominatur, vt Matthæus Syluaticus ait.

Nominatur fructus à nonnullis κόκκος κνίδιος: ſed hallucinantur, inquit Dioſcorides, qui Chamelææ fructum Coccum cnidium appellitant.

Auicenna & Serapio Chamelæam Mezereon vocant, ſub quo tamen nomine Chamæleonem vtrumque complexi quoque ſunt. Ita Chamelæam cum Chamæleonibus, atque vnà etiam Thymelæam confundentes. *Arabum confuſio.*

Cæterùm Chamelææ & folia, & fructus acria admodum, vt diximus, & vrentis vehementerque calidæ facultatis ſunt.

Folia, Dioſcorides ait, pituitam & bilem detrahunt, præſertim in catapotiis ſumpta, ita vt duæ Abſinthij partes ad vnam Chamelææ miſceantur, & hydromelite excepta in catapotia cogantur. Non liqueſcunt autem ita in ventre, ſed quotquot aſſumpta ſunt, egeruntur.

Meſues ex Mezereon, id eſt, Chamelææ (Syluius tamen Thymelææ reddit) foliis ſimiliter catapotiorũ deſcriptionem habet, ſed Abſinthij loco cortices aſſumit Myrobalanorum lutearum & cepularum, & non cum hydromelite, ſed cum Tereniabin, id eſt, melle aëreo & Palmulis acidis, quas Thamarindos vocant, in ſtillatitij Intybi liquore diſſolutis efformati ipſaque folia prius in aceto acerrimo temperata reſiccari præcipit. Commendantur catapotia hæc ad hydropicorum purgationes: aquoſos etenim humores educunt. Sed violentiam naturæ inferunt, idcirco ab iis quantum licet abſtinendum.

Addit præterea Dioſcorides foliis Chamelææ cum melle tritis ſordida & cruſtoſa vlcera repurgari.

De Thymelæa. Cap. VII.

THYMELÆA multas tenues ramoſas virgas profert, cubito longiores, foliis circumueſtitas oblongis & anguſtis, Lini effigie; anguſtioribus & minoribus quàm Chamelææ: flores candidi, exigui, in ſummis virgulis aceruati: fructus rotundi, initio virẽtes, ſed cùm maturi ſunt rubentes, Oxyacanthæ rotundis baccis propemodum adſimiles, in quibus nucleus foris niger, interiore verò medulla candidus. radix lignoſa & dura.

Thymelæa.



Chamelæa Germanica.



In montanis asperis & incultis calidiorum regionum locis exit.

Quouis anni tempore viret, sed fructus Autumno perficitur.

Græci θυμελαίαν vocant: Syri, vt Dioscorides testatur, ἀπόλινον: Euboenses ἀντίλιον: nonnulli etiam χαμελαίαν & πυρὸς ἄχνην, sed improprie: item & κέστρον & κνέωρον. Sed vt Dioscorides ait, folium peculiariter κνέωρον dicitur: fructus verò κόκκος κνίδιος. Quæ tamen à Theophrasto κνέωρα appellantur, à Thymelæa differre videntur, nisi nigrum Cneoron Thymelæa sit. Duo enim ait Theophrastus esse κνεώρου genera: vnum candidum, alterum nigrum.

Est autem Thymelæa tota sua natura & foliis ac fructu valde excalfactoria, acris & vrentis facultatis.

Granum, ait Dioscorides, per inferna bilem, pituitam aquasque detrahit, si xx. granorum interior pars bibatur, verùm fauces adurit, quare cum farina aut polenta dandum, aut in vuæ acino, aut melle cocto obductum vt deuoretur. Idem tritum cum nitro & aceto illinitur iis qui difficulter sudant.

Folia circa messem colligi debent, & resiccata in vmbra reponi. Qui exhibere ea voluerint, contundere debent, & neruos eximere: purgat ex iis acetabuli mensura vino diluto inspersa, & aquosa ducit. Moderatius autem purgant lente cocta, & oleribus contritis admixta. Eadem folia trita, & cum vuæ acerbæ succo in pastillos formata, reponuntur. Est autem herba stomacho infesta, quę & fœtus apposita enecat.

De Chamelæa Germanica. CAP. VIII.

GERMANICA cognominata Chamelæa, frutex est surculosus & lignosus, bicubitalis, aut altior si cultura accesserit, lentis ac dodrantalibus ramulis: foliis oblongis, latiusculis, mollibus, & pallidè virentibus: flosculi secundum ramulos exeunt odorati, colore dilutæ rubentis purpuræ: baccæ rotundæ, Ochri fere magnitudine, cùm maturuêre rubentes; resiccatæ nigricant: interior harum nucleus Cannabis semini similis, medulla refertus candida. radix longa, altè demittitur.

In plerisq; Germaniæ syluis reperitur vmbrosis, asperis & desertis locis.

Demittit hæc folia vt plurimę arbores, aduentáte Hyeme: florum verò germina statim post Autumnum promit, qui primo mox Vere, & subinde ipsa Hyeme (si clemens fuerit) panduntur: folia post flores exeunt: baccæ æstate maturantur.

Vulgò Germanorum Zeilant / zeidelbast / leußkraut & kellerhals appellatur. Officinæ nostrates Mezereon vocant: nos autem Chamelæam

leam Germanicam dicere maluimus. Italorum nonnullos fructum eius Piper montanum nuncupare accepimus. Sunt qui Laureolam & hanc stirpem nominant, sed alia est Laureola, de qua mox agetur. Quo autem nomine à veteribus appellata, & an ipsis cognita, explicare non est facile. Videtur quidem Cneoron album Theophrasti esse, sed propter breuitatem huius nihil affirmare licet.

Κνέωρον, inquit, duo genera: candidum & nigrum. Candidum folium habet δερματώδης, oblongum, figura quodammodo Oleagino simile. Nigrum vt Myrtus, carnosum. Humile autem magis candidum est, idem ὀσμώδης, hoc est, odoratum: nigrum verò ἄοσμον, id est, absque odore. radix ambobus quæ altè descendit, grandis: ramuli permulti, crassi, lignosi, protinus ab ipsa tellure aut paulò superius sparsi, lenti, quamobrem hisce ad colligandum iunci modo vtuntur. germinant florentque post æquinoctium Autumni, & multum deniq; temporis florent: hæc Theophrastus. *Cneoro Theophrasti.*

Et Chamelæa quidem Germanica folio non multum dissimili est Oleæ: flos odoratus, cuius, vt scripsimus, mox post Autumnum germina apparent: rami lignosi, obsequiosi, radix prolixa, altè descendens. Quæ omnia magnam eius cum Cneoro albo coniunctionem & affinitatem (si non ipsum est) ostendunt.

Est autem stirps hæc in vniuersum etiam vehementer excalfactoria: fructus, folia, & cortices acria admodú sunt, gustata linguá mordicant, & adustionis sensum in faucibus excitát.

Officinæ Germaniæ & Belgij huius foliis (si quando opus est) pro Chamelææ vtuntur. Quod citra errorem fieri potest. Nam Chamelæa ista viribus & potentia alteri similis est; quamobrem eius loco substitui potest; & eodem simili que modo præparari.

De Laureola, siue Daphnoide. Cap. IX.

Laureola.



CVBITALI & non rarò bicubitali quoque altitudine fruticat Laureola, multisq; ramis ampla diffunditur, qui lenti sunt & obsequiosi, crassiore que cortice vestiuntur: folia oblonga, lata, carnosa, læuia, nigricantia, splendentia, laurinis similia, sed minora ad maioris Myrti accedentia, non tamen odorata; plurima circa ramulorum fastigia, numerosissimaque: flosculi oblongi, caui, è virore subcandicantes, infra folia: baccæ maturæ nigræ, nucleo intus duro, Cannabis semine paulò longiore, medulla interior candida est. radix lignosa, lenta, longa & multiplex, altè descendens. folia, fructus, cortex tam radicis quàm ramorum, acrimonia sua & vrendi qualitate linguam & fauces mordicant, & incendunt.

Reperitur Laureola in montosis, incultis, asperis, vmbrosis ac syluosis tractubus, vt apud Lemanum lacum, & non paucis iuxta Rhenum ac Mosam locis.

Flores prematurè germinant, paulò post Autumni æquinoctium; Hyeme aut primo Vere perficiuntur: fructus Maio ac Iunio. stirps est perpetuò virens, & aduersus frigora Hyemisque iniurias obdurans.

A lauri foliorú similitudine δαφνοειδὴς Græcè dicitur, Latini posteriores Laureolam, veluti minorem Laurum, ex eadem causa appellant. Vocatur & εὐπέταλον, à speciosa foliorum pulchritudine; item & χαμαιδάφνη ac πέπλιον. Alia tamen & Chamædaphne, & aliud quoddam est Peplion.

Huius baccas Piper montanum, veluti Chamelææ Germanicæ, etiam ab Italis nuncupari sunt qui affirmant. alij à Germanis etiam Zeilant dictum volunt.

Theophrasti Cneoron nigrum esse potest, folio siquidem Myrtum satis refert, & ramosa, lenta, obsequiosaq; stirps, altæ radicis, absque odore, fructu nigro.

Ceterùm temperie & facultate similis est, Chamelææ Germanicæ, vniuersa sua substan-

tia acris & feruida. Ducit, inquit Dioscorides, per inferna pituitosa siccum aut recens Daphnoidis folium: vomitus & menses cit: commanducatum pituitas capitis elicit: sternutamenta itidem mouet. Purgant etiam seminis eius pota grana quindecim.

De Staphide agria. CAP. X.

Staphis agria.



STAPHIDI agriæ caulis est erectus, nigricans, cubito altior: folia magna, profundis incisuris, quandoque septem, subinde paucioribus diuisa, Vitis syluestris siue Labruscæ foliorum æmula: flores Isatidis colore cæruleî sequuntur folliculi herbacei coloris, magnitudine Ciceris, in quibus semẽ, siue triangularis nucleus nigricans, pulpa interiore candida, gustu valdè acris & saliuam ciens: cuius est vsus. radix inutilis.

Nascitur in opacis. In Istria, inquit Matthiolus, Dalmatia, Apulia & Calabria frequentissima prouenit. Apud Germanos non nisi in hortis sata reperitur.

Maturescit & nigrescit cum vindemia.

Græcis σταφὶς ἀγρία, (Galenus ἀσταφὶς ἀγρία legit) nõnullis τρίφυλλον, σήκιον, φθειροκτόνον, φθείριον, ἀπαίθερτον, πολυειδὲς, ψευδοπαδὲς, quæ tamen voces inter nothas referũtur. Latinis herba Pedicularis, & Peduncularia, vt Marcellus habet. Plinius lib. XXVI. cap. XIII. Vuam Taminiam nominare videtur. sed lib. XXIII. cap. I. falsò Vuam Taminiam dici scribit. Astaphis agria, inquit, siue Staphis, quam Vuam Taminiam aliqui vocant falsò. Dicitur & nonnullis Pituitaria, & Passula montana. in Officinis Staphisagria: ab Italis *Staphusaria*: ab Hispanis *Yerua piosenta, Caparas, yerua piolheyra* a Gallis *Herbe aux poulx*: à Germanis Leußkraut: Belgis Luyscruyt/ & Luyspoedere: Anglis Staues aker.

Sunt autem semina siue grana Staphidis agriæ natura intense admodum excalfacientia, acria, & non absque vrendi quidem potentia.

Crassa purgant per vomitum quindecim in aqua mulsa trita ac data, sed qui biberint, ambulare debent, & diligenter animaduertendum, vt aqua mulsa assiduè detur, quòd pericula strangulationis adferant, & fauces inurant. Dioscorides auctor. Atque hanc ob causam à medicis, cùm ad vomitum ciendum, tum ad alia intra corpus assumenda medicamenta, abdicata sunt. Plinius sed nec ad oris pituitam siccandam, eis vtendum censet, propter ancipitem, inquit, strangulationem, & quia fauces lędunt. Eadem siquidem commanducata copiosam quoq; eliciunt pituitam, & dentiũ dolori hoc modo, pręsertim acem incocta, occurrunt.

Cum aceto autem trita & illinita pedunculos siue pediculos necant, & vestes ab eo tædio liberant. Dioscorides etiam prurigini ac scabiei ex oleo inuncta auxiliari refert.

De Ricino. CAP. XI.

RICINVS instar paruæ arboris citò assurgit, caulem engens crassum, quinûm senúmve cubitorum, arundinis modo intus fistulosum ac concauum, aliquantulum articulatum, superius ramosum, ex obscura purpura nitentem & glabrum; candido videlicet deterso, tenui instar farinæ puluere, quo veluti conspersus subinde apparet: folia ampla sunt, diuisa, angulosa, ficulneis similia, sed maiora, at nequaquam aspera, verum læuia, è quorum alis pediculi prodeunt dodrantales, flores & fructus racemosos ferentes: flores muscosi pallentes, cito collabuntur: fructus foris liuidus & maculosus, interiore medulla candida, in molliter aculeatis triquetris capitulis prouenit, quibus per maturitatem fissis ac rimas facientibus, cum impetu exilit. radix multifida ac multis cohærens fibris.

In Ægypto frequens olim fuit, & adhuc esse existimatur, vbi ex semine oleum exprimitur, fœdum cibis, vt Plinius ait, sed lucernis, vnguentis & emplastris vtile. Seritur & in hortis,

tum

Ricinus.



tum apud Germanos, Gallos, tum & alibi, non modò ad spectaculum, verùm etiam aduersus talparum iniuriam, quas ferũt Ricinum fugere.

Annua in Germania stirps est. perficitur eodem quo sata est anno. semen, si Æstas calida fuerit, Autumno maturatur. In calidis regionibus multos restat annos, vbi in tantam excrescit altitudinem, vt ad conscendendum scalis opus quandoque sit: vt quidem Petrus Bellonius Singularium lib. primo tradit.

A Latinis Ricinus, à Græcis verò *κρότων* dicitur: ab animali cuius formam fructus eius refert. Sunt autem *κρότωνες* insecta quædam nullis membris discreta, nullum cibi habẽtes exitum, colore liuida, quæ canibus præsertim adhærent, in globum continuè crescentia, donec plenius saginata sponte decidant. Ægyptij Ricinum *κίκι* nominant. Herodotus *σιλλικύπριον*. Plinius Trixim & Sesamum sylue stre dici testatur. vulgò Palmam Christi: item Cataputiam maiorem; nonnulli Pentadactylon appellant. Germani Wunderbaum/creutzbaum/& fructum Zeckenkorn: Belgæ Wunderboom/ mollencruyt: *Palme de Christ* Galli & Angli: Itali *Girasole*: Hispani *Figueyra de Linferno*: Arabicè Kerugha & Keruagh. fructum Interpres Mesuæ Granum regium vocat. *Crotones.*

Cæterùm Ricini grana triginta numero, putaminibus purgata, trita ac pota, pituitam, bilem, & aquam per aluum deiiciunt, & vomitiones mouent. Sed ingrata admodum & laboriosa huiuscemodi purgatio, stomachum valenter subuertens. Tusa & imposita grana *ἴονθους*, id est, varos & ephelidas expurgant. folia cum tenuissima polentæ farina, oculorum œdemata & inflammationes sedant, mammasque turgentes cohibent, & per se aut cum aceto imposita erysipelata restinguũt: auctor Dioscorides.

Eadem ferè de granis istis Ioannes Mesues habet, sed quinque aut septem, vel ad summum quindecim numero tantùm exhibenda tradit: eademque ex iure veteris galli, coli, iuncturarũ & coxendicis doloribus vtilia, & cũ aqua casei vel lacte caprino hydropicis prodesse.

Oleum, inquit Galenus, quod ex semine cõficitur, tum calidius, tum tenuiorum partium, quàm est oleum commune, ac proinde quoque digerit.

Stirpem eam, quam D. Deus Ionæ Prophetæ iuxta Niniuen pro vmbraculo præparauit, & quæ subito à verme corrosa collapsa est, Ricinum fuisse, vndequaque doctissimus ac clarissimus D. B. Arias Montanus in Commentariis suis in Ionam cap. IIII. euidenter ostendit, & *κικαίων* Hebræis dici, cui *κίκι* vicinum esse refert.


De Tithymalis. CAP. XII.

TITHYMALI genera, Dioscoride, Plinio & Apulcio auctoribus septem sunt. Primus Characias siue masculus, alter Myrtites siue Myrsinites, femina, tertius Paralius, quartus Helioscopius; quintus Cyparissias, sextus Dendroides, septimus Platyphyllos. Theophrastus tres tantùm enumerat: Paralium videlicet, marem, & feminam Myrtitem.

Characias Tithymalus siue mas, caules promit cubitales, teretes & rubentes, foliis circumuestitos tenuibus, oblongis, angustisque, & longioribus, maioribusq; quidem, quàm Oleæ, at Amygdalinis angustioribus. medius inter quos alius exurgit absque foliis caulis; eorũ tamẽ, quæ defluxerunt, vestigia retinens: coma cuius in cacumine larga, ampla, & Iunci odorati fere modo effusa, quæ concaua quædam sursum spectantia profert vasculis siue acetabulis similia, è quibus flosculi sublutei, dein triquetra exeunt capitula parua, in quibus semina. radix dura fibras habet multas. 1. *Characias Tithymalus*

Est verò & altera huius species, foliis antedicto similis, foliis tamẽ durioribus: caules quoque nonnihil, sed tamen minus, rubẽt: coma veluti prioris, & qui hanc fert caulis foliis haudquaquam totus exuitur, sed inferius tantummodo; notas quoque eorum quæ perierunt, ostẽtans. vascula, flores, semina & radices satis conueniunt. 2.

Tithymalus Characias I.



Tithymalus Characias II.



Tithymalus Characias III.



Tithymalus Characias IIII.




Ad hoc

Tithymalus Characias V.



Tithymalus Myrsinites.



Ad hoc genus pertinere etiam videtur non caule rubens, sed exalbidus ac candidus Tithymalus: caules eius teretes & ramosi, cubito non rarò altiores: folia oblonga quoq; & angusta, albida, tenuique lanugine pubescunt: vmbella contractior, flosculi parui, luteoli: semina gemina in acetabulis, vti aliorum. 3.

Iam & quartus quidam est Characias, foliis similiter oblongis, angustisque, paulò quàm primi aut secundi minoribus, albicantibus etiam candidisque, sed minimè lanuginosis: vmbella è viridi sublutea, quæ prius quàm explicatur, oblongioris fructus, veluti Amygdali, rudimentum præ se fert, concolor tamen reliquis foliis: flosculi & semina aliorum similia. radix altè demittitur. 4.

Quintus Characias foliis similiter est oblongis, mucronatis tamen & circa annexum latioribus, & dilutiore colore virentibus, per ambitum crenatis; (vnde serrato cognomen.) vmbellæ angustiores sunt: acetabula, flosculi, seminaque respondent. 5.

Myrsinites Tithymalus siue femina, ramulos siue cauliculos à radice habet complures, dodrantales, haud tamen erectos, sed plurima parte procumbentes: folia verò circa hos breuia, lata, acuto & pungente nonnihil cacumine, Rusci siue Oxymyrsines satis referentia, sed læuia & candida: flores in vmbellis exiguis: & semina aliorum similia. *Myrsinites Tithymalus.*

Paralio Tithymalo, hoc est, maritimo, cauliculi quini seniue erecti assurgunt cubitales, tenues, dilutè rubentes, quos multa, parua, angusta, oblonga vestiũt foliola, instar Lini, sed candida densioraque: rotundæ, sed minimè amplæ, in cacuminibus vmbellæ, in quibus flores & semina perinde vt aliorum. *Paralius Tithymalus.*

Helioscopius Tithymalus teretibus, tenuibus, dodrantalibus, nonnihil rubentibus assurgit coliculis, ampla, laxaque vmbella comosis: folia habet pauca, latiuscula, breuiora, minora, tenuioraque quàm Portulacæ satiuæ: flosculos & semina parua, effigie præcedentium. radix tenuis est. fertur hic comam cum Sole circumagere: vnde illi nomen. *Helioscopius Tithymalus.*

Cyparissio foliola quidem sunt oblonga, sed perangusta, & quàm Ezulæ minoris angustiora, satis ad Piceæ accedentia, molliora tamen ac tenuiora: cauliculus nonnihil ruber, dodrantè subinde altior, ramulos effundit complures; in quorum medio vmbella cum acetabulis purpurascentibus, floribus seminibusque perpusillis. radix fibrosa. *Cyparissias Tithymalus.*

Huius & species quædam minor repetitur, palmum modò alta, tenuibus cauliculis; angu- 2.

Tithymalus Paralius ex locis maritimis.



Tithymalus Paralius ex hortis.



stissimis, oblongis foliolis; vmbella exigua; flosculis luteolis; seminibusque minutis.

Dendroides Tithymalus. Dendroides Tithymalus arboris specie fruticat, superne amplus & multum comosus: ramuli eius subrubent, circa quos sunt folia tenui Myrti similia: fructus qualis Characiæ vt quidem Dioscorides. Plinius húc comosissimum ex omnibus maximè, cauliculis rubentibus, & seminis copiosissimum esse tradit. Bellonius verò ad duorum hominum altitudinē excrescere, & caudicem habere crassitudine cruris humani memoriæ prodidit.

Platyphyllos Tithymalus. Platyphyllon Verbasco similem esse Dioscorides: Plinius verò nec vllius latiora folia esse ait. Videtur autem hic esse, quem diligentissimus Carolus Clusius in Valenciæ Hispaniæ regno à se repertum scribit, pedalis videlicet altitudinis, foliis circa cauliculos amplis, ad Ilandis nouellæ formam accedentibus, viridibus & aliquantulum carnosis: flore è luteo purpurascente, acetabulisq; insidente, vt reliquorum Tithymalorum.

Ex omnibus autem his succus effluit, acris, mordax, candidus, & ferè lacti similis, quacunq; eorum parte vulnerata.

Reperiuntur verò Characiæ Myrsinites & Cyparissias in Belgij subinde hortis; alibi sponte asperis & incultis locis exeunt. Paralius maritima loca amat, ac non modò in Italiæ aut Hispaniæ, sed & in Hollandiæ, Zelandiæ, reliquaq; inferioris Germaniæ maritima ora, locis incultis, aridis & præaltis subinde nascitur. Hic ad hortos translatus, luxuriantibus cauliculis & in longitudinem excrescentibus, rarioribus efficitur foliis.

Helioscopius hortis olitoriis frequenter molestus; circa vrbes & rudera etiam exit, aut circa agrorum margines, vbi & Cyparissias alter quandoque reperitur.

Dendroidē in petrosis locis exire Dioscorides prodidit: in Creta Bellonius: Aloisius in Tuscia, Liguria, & prope Massiliam. Matthiolus Dendroidem extra Terracinam agri Neapolitani vrbem offendisse se refert inter saxa antiquissimi specus, plantæ arborescentis effigie; & in Tergestino littore haud procul Timauo fonte in saxosis quibusdam rupibus. Qui tamen ab eo exhibetur, nequaquam ampla est coma aut Myrti foliis, sed oblongis & Characiæ æmulis pingitur.

Florem semenque Tithymali Æstate perficiunt; nonnulli serius, alij citius; in quibusdam

rego-

Tithymalus Helioscopius.



Tithymalus Cyparissias.



regionibus prius: in frigidioribus tardius. Myrsinitis sarmentosos cauliculos non simul, sed alternis annis fructificare Theophrastus tradit.

Latini, Plinio auctore, Lactariam & Lactucam caprinam τιθύμαλον nominant, à lacti simili humore, qui secto aut vulnerato folio, caule, aliáve parte defluit. Reperitur & Lactoris. Cornelius Celsus lib. v. cap. vii. Lactucam marinam appellat: Lactuca, ait, marina, quæ à Græcis τιθύμαλος nominatur. Non tamen omnis Tithymalus, sed marinus ita propriè vocandus. Tithymalum autem Itali *Tithymalo*: Hispani *Leche tresna*: Germani Wolfs milch: Belgæ Wolfs milch, id est, Lupinum lac: Galli *Herbe à laict* nominant.

Χαρακίας, i. vallaris, etiam κομήτης καὶ βὸς καὶ ἀμυγδαλοειδὴς cognominatur. κομήτης, ab effusa & ampla coma, ἀμυγδαλοειδὴς, à foliorum figura, Amygdalæ similium. Huius tertia à nobis tradita species, ea esse videtur, quæ à Matthiolo pro Dendroide exhibetur. quartam nonnulli perperam Myrsiniten faciunt. In magno autem versantur errore, qui quintum Characiam Hippophaen esse existimant. Nam Hippophaes frutex est spinosus, foliis Oleæ, multum à Tithymalis differens. 1. *Hippophaes*

Myrsinitis siue feminæ fructus κάρυον, i. nux, Theophrasto auctore, appellatur: vnde huic Tithymalo καρυίτη cognomen: vt quidem Plinius. 2.

Παράλιος siue marinus Tithymalus, à Theophrasto κόκκος appellari refertur; à nonnullis etiam τιθυμαλὶς aut μήκων dicitur. Est autem μήκων quoque papauer. 3.

Ἡλιοσκόπιος Latini Tithymalum Solsequium aut Lactariam Solsequiam vocant. 4.

Δενδροειδὴν, λεπτόφυλλον & tenuifolium etiam appellant. 6.


Πλατύφυλλος à plerisque κορυμβίτης dicitur. 7.

Cæterùm Tithymali omnes vincentem habent acrem calidamque facultatem, inest verò & amaritudo.

Validissimus eorum est liquor: secundum locum tenent fructus & folia: sed & radix dictarum facultatum particeps, sed non ex æquo: vt quidem Galenus. Et habet quidem non modò Characiæ, sed & reliquorum omnium succus, per inferna purgandi validam vim atque potentiam. Bilem, pituitam & aquosos humores ducit etiam in exigua quantitate sumptus; sed ventriculum vehementer conturbat, & interna viscera inflammat; quam ob caussam ab eius vsu docti ac prudentes medici abstinent.

 Foris

Tithymalus Dendroides ex Cod. Cæsareo



Tithymalus Platyphyllos.



Foris etiam non tutò adhibetur: vt enim vehementer acris & mordax, ita quoque facilè partem, cui illinitur, corrumpit: & tanta quidem eius vehementia, vt etiam oleo permixtus, quod tamen acredinem illius retundit, adustis pilorum radicibus, corpus depile reddat, si identidem & sæpè eo inungatur.

Fructus & folia tametsi mitiora, in aquam stagnalem iniecta celerrimè pisces in vertiginē agi ac semimortuos in aquæ superficiem ferri efficiunt: auctore Galeno.

De Hippomane. CAP. XIII.

EX Tithymalo Theophrastus De historia stirpium lib. IX. Hippomanes appellatum apud Arcades fieri refert, quod optimum, inquit, confici apud Tegeam nouimus, maximeque in pretio haberi. Sed alij auctores aliter sentiunt: omnes tamen veneficium esse affirmant.

Theocritus stirpem esse Hippomanes, qua equi in furorem aguntur, ἐν τῇ φαρμακευτρίᾳ cecinit his verbis:

Ἱππομανὲς φυτὸν ἐστὶ παρ' Ἀρκάσι· τῷ δ' ἔπι πᾶσαι
καὶ πῶλοι μαίνονται ἀν' ὤρεα, καὶ θοαὶ ἵπποι.

Virgilius & Tibullus poëtæ, virus ab equarum inguinibus defluens, quo tempore amoris furore & insania feruntur, ita nominant, & ille quidem Georgicon lib. III. sic scribens:

Hinc demum Hippomanes, vero quod nomine dicunt
Pastores, lentum destillat ab inguine virus
Hippomanes, quod sæpe malæ legêre nouercæ. Tibullus verò lib. II. Elegia III.
Et quod, vbi indomitis gregibus Venus afflat amores,
Hippomanes, cupidæ stillat ab inguine equæ.

Et hoc vero nomine appellari Virgilius ait, volens, interprete Seruio, herbá abusiuè Hippomanes dici, ab equorum furore & insania.

Aristoteles lib. VI. De historia animalium, cap. XVIII. defluentem etiam à genitalibus equarum humorem Hippomanes appellari refert. Equç, inquit, tempore coitus colligūt sese, & societate magis quàm anteà gaudent, iactant caudam crebrius, vocem immutāt, humorem emittunt suis genitalibus, similem genituræ, sed multo tenuiorem, quàm mares, quem Hippomanes

pomanes nonnulli appellant, non quod pullis nascentibus adhæret Hoc ipsum tamen quod pullis nascentibus adhæret, postea cap. XXII. Hippomanes etiam esse asserit. Cùm equa, ait, peperit, statim secundas deuorat, atque etiam quod fronti pulli nascentis adhæret, Hippomanes dictum, magnitudine minus Carica parua, specie latiusculum, orbicularum, nigrum. hoc si quis prærepto odorem moueat, equa excitatur, furitq́, agnito eo odore. Et sane equis amoris innasci veneficium, Hippomanes appellatum, in fronte Caricæ magnitudine, colore nigro, quod statim edito partu deuorat fœta, partum ad vbera non admissura, si quis præreptum habeat, Plinius lib. VIII. cap. XLII. etiam scribit, tametsi lib. XXVIII. cap. XI. equarum à coitu virus esse concedat.

De hoc verò & Iulius Solinus Polyhistor cap. XLVII. vbi ait, in equarum partu amoris nasci veneficium, quod in frontibus referunt recens editi, fuluo colore, Caricis simile, ἱππομανὲς nominatū. Quod si præreptū statim fuerit, nequaquā mater pullo vbera præbet fellicāda.

Columella Hippomanes venenum esse tradit, quod equinę cupidini similem amorē mortalibus accendat. quale autem illud sit, vnde fiat, sumatúrue, non explicat.

Accedit Plinius, qui Hippomanes tantas in veneficio vires habere lib XXVIII. affirmat, vt affusum æris mixturæ in effigiem equę Olympię, admotos mares equos ad rabiē coitus agat.

De quo Pausanias lib. V. vbi intra Altin Olympiæ locum, Phormidis Menalij Olympica dona, & duos ab eo Ioui Olympio equos dicatos recenset. Incisa est, ait, in prioris equi latere, inscriptio versu nullo adstricta: Phormis posuit Arcas Menalius, nunc Syracusanus. Huic equo Hippomanes infusum tradunt, Magi hominis astu, quò esset intuentibus miraculo. Magnitudine ille quidem & specie inferior est equis multis intra Altin positis, & deformiorem cauda præcisa reddit: sed illum equi mares non Vere tantùm, sed plane quauis anni parte appetunt. irrumpentes enim vel effractis vinculis intra Altin, vel è rectorum manibus elapsi, illum inuadunt, nihil minus furētes, quàm si viuentem pulcherrimam equam gregalem adorirentur. Hactenus Pausanias Cuius quidem verba, & similiter aliorū veterum, occasione Hippomanis, quòd ex Tithymalo fieri Theophrastus memoriæ mandauit, hoc loco adducta.

De Tithymalo tuberoso, siue Apio. CAP. XIIII.

Tithymalus Tuberosus.



TVBEROSVS Tithymalus exiguos promit cauliculos, aliquantulum rubentes, tenues ac teretes; circa quos exigua & parua foliola, forma quidem foliorū Hyperici aut huiuscemodi Rutæ syluestris, at minora, Chamæsyces æmula: vmbellæ in fastigiis raræ, in quibus acetabula; flosculi pallentes lutei; semina asperiuscula triquetra, vti aliorum Tithymalorum; minora tamen. radix tuberosa Pyri modo turbinatur; inferiore parte angustior, foris nigricans, interius candida. Manat ex hoc lacteus quoque succus, quacunq; eius vulnerata aut læsa parte.

In Apulia Italiæ prouincia gignitur, necnō in Grçcia ac vicinis insulis, vt Creta, Lemno, aliisque, & quidem illic locis montosis. Exit vno loco longioribus cauliculis, aliis, tenerioribus breuioribusque. Huius quandoq; maior: illius verò subinde minor est radix. Memini siquidē me ab excellentissimo clarissimoq; viro Iacobo Antonio Corruso patritio Patauino, duas olim huius plantas accipere. Vnius radix maior crassiorque, folia verò & ramuli minora: alterius verò radix minor, sed ramuli longiores, & folia paulò maiora.

Hunc Tithymalum Græci ἄπιον à figura & similitudine Pyri nuncupant. dicitur quoq; & ἰσχὰς, & à Gaza Latinè Carica, quòd ἰσχάδα, id est, Caricam siue Ficum aridam radix referat: item & χαμαιβάλανος, siue Terrestris glans, & à figura quoque. Sunt tamen & alij χαμαιβάλανοι Germaniæ familiares ac edules, de

de quibus in historia Frumentorum Pempt.4, scripsimus. Bellonius χαμαιπιτύδα modò in Græcia Apion dici scribit.

Facultate autem & temperamento Tithymalus iste, siue Apios, vehementer calidis ac siccis est, reliquis Tithymalis similis, ac perinde quoque humano corpori molestus ac noxius.

Pars radicis superior, Dioscorides ait, sumpta vomitione bilem pituitamque educit: quæ ad radicem inferior, per aluum. Tota vtrinque purgationes mouet.

Succus sesquioboli pondere, vtraque etiam parte purgat. Hydropicis, inquit Plinius, datur acetabuli mensura.

De Ezula siue Pityusa. CAP. XV.

Ezula maior.



Ezula minor.



EZVLÆ duæ sunt, Maior & Minor.

1. Maior fruticosa stirps est: caules eius complures, teretes, supra cubiti altitudinem longè assurgunt: foliis vestiuntur oblongis & angustis, Tithymali Characiæ minoribus: vmbellæ angustiores sunt: flores seminaq; Tithymali. radix ampla, ramosa, crassioris corticis, succo lacteo plena, vti & tota ipsa stirps est.

2. Minor priori similis, caules tamen eius breuiores tenerioresque, folia etiam oblonga, angusta, acuminata, minora: flosculi fructusque respondent. radix tenerior, lignosior, tenuioris corticis; tota lacteo similiter succo redundat.

Reperitur maior in collibus quibusdam Germaniæ apricis circa Scaphusiam & Basileam: in Apuliæ quoque Gargano monte, Matthiolo teste: iuxta scrobes verò & fossas aquas habentes non rarò in Silesia. Minor asperis & incultis nonnullis etiam Belgij locis exit. Vtraq; quandoque ad hortos transfertur: vtriusque viuax est radix, sed caules Hyeme marcescunt, Vere noui erumpunt, Æstate fructus facturi.

Ezulam alij Esulam, Arabes Alscebran aut Alscobran, & absque articulo Scebran appellant. Videtur Græcorum πιτύουσα, præsertim quæ minor est. Nam hæc foliis πίτυος siue Piceę satis est æmulis, Cyparissiæ Tithymali maioribus latioribusque. Atque huius etiam maiorem repetiri speciem Dioscorides testatur: cùm videlicet fruticem hunc quibusdam in locis σφόδρ' εὐμεγέθη, id est, valde magnum inueniri tradit: satis innuẽs duas eius species existere.

Ezulæ etiam nomen à πιτυούσης luxatum esse potest. Sublatis etenim duabus prioribus syllabis,

labis, remanet ὕσα, cuius diminutiuum Vsula, & mutata vocali prima, Esula. Nicolaus Myrepsus Ezulam Chamæpityn lib. De antidotis primo, compositione xxx. & cxxx. nominat. Et potest minor haud absurdè Chamæpitys dici, folio videlicet πίτυος referens.

Sunt autem Ezulæ Tithymalorum quoque species, veluti & Galenus de Pityousa testatur. Hanc quidam, inquit, speciem putant esse Tithymali, quòd succum habeat vt illi, quodq; similiter illis purget, cæteraque omnia viribus illis sit adsimilis.

Lathyris.



Mesues Ezulam purgatorium rusticorum esse scribit; & maiorem viscera interna exulcetare, atque eam ob causam perniciosam: paruam præstantiorem, hoc est, minus nociuam. Ipsa tamen minor acrimonia & purgandi facultate maiore haud inferior.

Vtraque impensè calida, acris & exulcerans, ventriculoque molestissima.

Errant non parùm, qui cortices harū radicum, in medicamentorum compositionibus Turbith loco substituere temerè audent. *Error quorundam.*

De Lathyri. CAP. XVI.

LATHYRIS Tithymalorum etiam numero asscribenda, vtpote tota candido & lacti simili succo turgens. caules promit proceros, altiores cubito, digiti crassitudine, intus inanes, multis alis superius ramosos: folia secundū caulem oblonga, angusta, Amygdalinis similia, cæterùm lōgiora læuioraque, in ipsis verò ramulis breuiora latioraq; e: flores in fastigiis exigui; fructus tres cohærētes loculi, maiores quàm Tithymalorum, minores quàm Ricini; in quibus semina rotunda, interiore medulla candida. radix nullius vsus, fibras aliquot habet.

In omnibus autem regionibus obuia Lathyris, præsertim in hortis, in quibus nasci gaudet, & frequenter reperitur.

Λάθυρις Græcis, vulgò Cataputia minor. Italis *Catapuzza*: Germani Springkraut/springkorner/treibkorner: Hispanis *Tartago*: Gallis *Espurge*: nostris Springkruyt & spurgie dicitur.

Huius autem facultas assimilis etiam est Tithymalorum, vehementer videlicet expurgatoria, & acris, nisi quòd semen, inquit Galenus, gustantibus videatur dulce; quod sanè etiam maximam purgatoriam vim obtinet.

Peplus.



De Peplo. CAP. XVII.

DODRANTALIS herbula Peplus est, lacteo & ipse succo manans, Helioscopio Tithymalo assimilis, eiusque quædam veluti species, sed omnibus partibus minor: cauliculi subtubent: folia exigua in rotunditate oblongiuscula, infernè maiora, supernè minora: coma circinata: semina tribus loculis discreta, sed minuta, radix tenuis, fibrosa.

In hortis & vineis exit, & subinde in agris neglectis aut non cultis.

Æstate viget, in Hyemē vsque perdurat. Colligitur, inquit Dioscorides, messibus, siccaturq; in vmbra.


Πέπλος & Græcis appellatur; vulgò Ezula rotunda:

tunda: Ruellius Vineale Reuelium à Gallica dictione nominat, Gallis siquidem est *Reueille mattin de vignes*: Germanis Teufelz milch. Dicitur & σύκη & μήκων ἀφρώδης, vt quidem inter notha asscribitur. In linguarum verò Hippocratis expositione etiam χαμαισύκη. Est tamen omnino alia χαμαισύκη, de qua mox.

Facultatem autem Peplus reliquis Tithymalis, quorum & species, assimilem obtinet, calidam videlicet, acrem, mordacem, & cum violentia expurgatricem. Testatur Galenus lib. De simplic. medic. facult. his verbis: Peplus quidam verò μήκωνα ἀφρώδη, & hic frutex paruus succum habet similem Tithymalis, cum in aliis, tum quia purgat, ceu illi.

De Peplio siue Peplide. CAP. XVIII.

Peplion siue Peplis.



ACCEDIT Tithymalorum & Lactariarum generibus & Peplion humi procumbens, & nequaquam aliarum modo assurgens herba, & lacteo similiter succo turgida: ramuli eius teretes, subinde purpurei, quandoque herbacei coloris: folia Pepli & Portulacę syluestris æmula, sed prona parte rubentia: semen exiguum in triangularibus paruis valuulis veluti Pepli, sub foliis reconditur. radix pusilla.

In maritimis, vt Dioscorides ait, maximè nascitur.

Appellatur verò non modò πέπλιον, verùm & πεπλὶς, & vtroque quidem nomine à similitudine Pepli. Dioscorides πεπλίου nomen ad Hippocratem refert: ab aliis & ἀνδράχνη ἀγρία, id est, Portulaca syluestris, dicitur, quòd scilicet Portulacæ huius modo sparsum per terram repat, foliisque ipsam referat: eam nempe, quæ sponte & non sata in hortis & alibi gignitur.

Galeni locus emendatus. Respondet Peplion istud viribus reliquis Tithymalis. Dioscorides etiam colligi, reponi, dari & condiri Pepli modo ait. Galenus succum habere validum non admodum vtilem semen vtilius, sed πυρώδης, hoc est, feruidum, similiter Pepli modo purgans. Exemplaria Galeni φυσώδης, id est, flatuosum habent, sed nos Cornarij emendationem amplectimur, & πυρώδης legimus.

De Chamæsyce. CAP. XIX.

CHAMÆSYCE supina humi procumbit, & Peplidis modo nascitur, ramulis tantummodo numerosioribus tenerioribusque, qui teretes, rubētes, & in rotundi orbis speciem dispersi iacent: folia perpusilla, Pepli minora, rotunditiscula, lentibus ipsis forma & magnitudine paria, sub quorum alis fructus tricocci exigui. radix tenuis est. candidum & lacti similem succum hæc herba non minus quàm Tithymali vulnerata emittit, ipsorum etiam generi asscribenda. Reperitur, ait Dioscorides, in squalidis, aridis & petrosis.

Χαμαισύκην appellant, id est, humilem Sycen. Dicitur autem σύκη non modò ficus, sed & Peplus, vt iam anteà meminimus: vnde Chamæsyce, quasi humilis aut terrestris Peplus, quem folio & facultate omnimodè refert. Appellatur verò hæc etiam μήκων ἀφρώδης, veluti ipse Peplus.

μήκων ἀφρώδης ἡρακλεία. Μήκωνα autem ἀφρώδη Dioscorides herbam esse tradit ab aliquibus ἡρακλείαν appellatam: caule dodrantali: foliis valde exiguis, στρουθίου siue Lanariæ herbæ: & fructu iuxta ipsa candido: sed & totam herbam ipsam albam & spumeam. De eadem & Theophrastus lib. IX. Meconem Heracliam folio asserens esse Struthij, quo lintea candidantur, fructuque albo. Sed totam herbam candidam esse non adiecit. Purgandi vim vterque huic Meconi tribuit, & vo-

Chamæſyce.



& vomitione expurgare : comitialiſque morbo obnoxijs hac purgatione prodeſſe. Suſpicari hinc poſſet aliquis, non aliam eſſe μήκωνα ἀφρώδη & ἡρακλείαν, quàm vel Peplum vel Chamæſycen, & ſeparatis locis, ſub diuerſis nominibus de eadem ſtirpe Dioſcoridem egiſſe: niſi ipſe Theophraſtus hunc ſcrupulum videretur eximere: qui μήκωνα hanc in numero aliarum μηκώνων, id eſt, Papauerum habet, & poſt κερατῖτιν ac ῥοιάδα repoſuit. quòd legitimã μήκωνα ἀφρώδη ſiue ἡρακλείαν, Papaueris eſſe ſpeciem, & propriè Papauer ſpumeum Latinis dici oſtendit, & à Peplo & Chamęſyce differens.

Eſt autem Chamæſyce viribus reliquis Tithymalis aſſimilis. Galenus abſtergendi ſimul & acrem, ait, vim poſſidet. Itaque acrochordonas & myrmecias, caules eius teneriores in modum cataplaſmatis admoti, quíque ex eis profluit liquor, auferunt.

Quod quidem & reliquæ omnes Lactariæ enumeratæ poſſunt, ſed quemadmodum anteà iam monuimus, vſus earum periculo non caret, veluti neque huius.

Hippophaës ex Codice Cæſareo.



De Hippophae ex Dioſcoride, & alijs.

CAP. XX.

VENIT & ijs quę lacteum ſuccum fundunt Hippophaës annumerandum. Frutex (inquit Dioſcorides) eſt φρυγανώδης ſiue ſurculaceus, vndequaque denſus & amplus: folia ei oblonga veluti Oleę, anguſtiora tamen & teneriora, inter quæ ſpinæ ſiccæ & candicantes emicãt, articulatæ, interſtitio quodam diſtantes: flores Hederæ corymbos referunt, racematim cohætent, ſed tamen minores molleſque, & ex albido partim rubentes. radix craſſa & mollis, ſucci plena, guſtu amara, ex qua veluti ex Thapſia ſuccus colligitur. Anguillara radicem refert palmum eſſe longam vel maiorem, & ex hac fracta aut vulnerata ſuccum manare tenuem, lacti concolorem, guſtu amariſſimum, odore grauem.

In maritimis ac ſabuloſis, vt Dioſcorides ſcribit, naſcitur. Anguillara arenoſis & maritimis locis in Peloponneſo à ſe repertum refert.

Ἱπποφαὲς Græcis: Latinis quoque Hippophaës dicitur: à Plinio lib. XXII. cap. XII. (niſi corrupta vox) Hippophyes. Hippophyes, ait, in ſabuloſis maritimiſq; naſcitur, ſpinis albis, Hederæ modo raçemoſa eſt, candidis & ex parte rubentibus acinis. radix ſucco madet, qui aut per ſe conditur, aut piſtillis farinæ. Extant verò & inter nothas appellationes quędam huius nomina: vt, Hippophanes, Hippion, Echinion, Pelecinon, & Lappago, quæ tamen Aparinæ conuenit: noſtra ætate ab indigenis Peloponneſi ἀγκάθι καθαρτικόν, id eſt, Spina purgatoria vocatur.

Ab Hippophaë differt Hippophæſtum, quod tamen & Hippophaës aliqui (Dioſcoride teſte) appellant: à Plinio Hippope (niſi & hic vitium) dicitur. Spinæ fullonıæ genus eſt, abſq; cauliculo, flore, aut fructu, inanibus tantùm capitulis, folijs paruis ſpinoſis, radicula molli & craſſa, ex qua cum folijs & capitulis ſuccus exprimitur. Hippophæſtum.

E Narbonensi Gallia, inquit Ruellius, Hippophæstum vidimus spinosis capitulis, sine flore, sine cauliculo, minutis inter aculeos foliis candicantibus.

Debent (Plinio auctore) Hippophaes & Hippophæstum accommodata esse equorum naturæ, neque ex alia causa nomen accepisse. quippe quędam animalium remediis nascuntur.

Est verò Hippophaes, præsertim verò radix ipsius ac succus, calidæ siccæque facultatis, & simul valenter purgantis.

Succus syncerus radicis huius pituitam, bilem, & aquosos humores detrahit oboli pondere: cum farina verò subactus quatuor obolorum. Saluberrimè autem cum aqua mulsa exhibetur. In comitiali morbo, vt Plinius ait, vtilissimus. Frutex verò ipse siccatus tunditur, intusque cum aqua mulsa exhibetur.


Extrahitur quoque succus è radice, foliis & capitulo Hippophæsti, qui & ex aqua mulsa pituitam & aquam detrahit, & pręcipue comitialibus morbis, neruorũ vitiis, & Orthopnœæ, vt Dioscorides tradit, conuenit.

De Euphorbio. CAP. XXI.

Euphorbium.



Anteuphorbium.



EVPHORBIO oblonga, crassa, & virentia sunt folia, in rotunda ac tereti figura angulosa. Cucumerem vulgò, sed Galeno Melopeponem nuncupatum, referrent, si non anguli, & eminentiores, & albicantibus spinis plurimis, duplici fere ordine, obsiderentur. Effluit ex his vulneratis liquor vehementer acris & mordax, facilè concrescens.

Dioscorides, Euphorbium, inquit, Libyca arbor est, ναρθηκοειδὴς, id est, Ferulacei generis, aut Ferulæ speciem referens, quæ in Maurousiotum Tmolo reperitur, succo referta acerrimo; quem cum timore colligunt eius regionis homines, ob eximium eius feruorem.

Plinius herbam esse Euphorbium ait, & è mõte Atlante extra columnas Herculis portari.

Differentes autem & multum dissidentes montes Tmolus & Atlas sunt. Nullus Tmolo nomine in Libya, aut Mauritania mons à Geographis refertur. Est Lydiæ mons Tmolus in Asia minore. Potest in exẽplaribus Dioscoridis pro Atlãte perperã Tmolus substitutus esse.

Ioannes Leo in Aphricæ historia lib. IX. ex vno folio, aut, vt ipse nominat, fructu, XXV. aut XXX. quandoque prouenire scribit, è quibus maturis & vulneratis succus effluat lacti similis, qui lentorem contrahens concrescat, atque inde colligatur.

Natum

Natum fuit Euphorbium Anno M. D. LXX. Bruxellæ in amœnissimo ac ditissimo horto Io. Boisori, viri vt generosissimi, ita & doctissimi, à quo vnum terræ commissum folium, in plura multiplicatum est, & radicem demisit in obliquos ramulos diuaricatam.

Græci pariter cum Latinis Εὐφόρβιον vocant. Plinius vno loco herbam feminino genere, Euphorbiam appellat. Succus etiam Euphorbion, & quidem Officinis quoque est.

Iubæ Regi Ptolemæi patri, qui primus vtrique Mauritaniæ imperauit, inuentio huius adscribitur, à cuius medico Euphorbo nomen accepit.

Euphorbium autẽ, succus nempe concretus quo vtimur, vehemẽter calidæ, & vt Galenus ait, causticę siue vrẽtis facultatis & tenuiũ partiũ est: quarto quidem ordine calidũ & siccum.

Cum oleo violæ luteæ, vt quidem Mesues, sed & alio quouis, vel etiam vnguentis permixtum, refrigerata citò calfacit: aduersus stupores, tremores, conuulsiones, neruorum resolutiones conuenit: prodest etiam contra diuturnos coxendicum dolores.

Intrò assumptum, vt Aetius, Paulus, Actuarius, & Mesues referunt, aquas & pituitam per inferna ducit, sed vnà quoque non modò fauces ac os, sed & ventriculum, iecur, reliquaque viscera accendit, exurit atque erodit, vniuersumque corpus inflammat.

Ob id, inquit Mesues, minus tenuiter terendum, & permiscendum eius acrimoniam obtundentibus, calorem remittentibus, & lubricantibus: quorum tantam esse oportet copiam, vt eius superficies vndequaque contegatur.

Sed difficile est Euphorbium, aliis ita vel inuoluere, vel permiscere, vt non exurendi suam vim exerat. Nam & plurimo contemperatum oleo, subinde foris inunctum, vesicas excitat; corpore præsertim mollioribus. quam ob causam tutius est intro corpus non admittere.

Tunditur ipsum etiam cum molestia, nisi naribus diligenter obstructis ac communitis. Si quando enim acrimonia eius ad nares peruenerit, mox pruriginem, sternutationesque excitat, ac deinde ardore intenso, copiosam pituitam ac muccum, tandem verò & sanguinem elicit: lachrymis non deficientibus.

Aduersus autem Euphorbij acrimoniam, remedio indigenis fertur esse herba, quę ab effectu & contrariis facultatibus Anteuphorbij nomen accepit. Cauliculos hæc emittit complures, rotundos, virentes, atque circa eos folia qualia Portulacæ. radix multas quoque habet propagines. succo & hæc abundat, sed nequaquam acri, verùm lento & refrigerante, ardorem ac acrimoniam Euphorbij retundente.

Tripolium.



De hac veteres scripsisse nondum obseruare licuit. Videtur tamen ad Telephij species referri posse.

Creuit & istud Anteuphorbion doctiss. Ioanni Boisoro, eodem quo Euphorbium anno: atque vnà cum eodem periit.

De Tripolio. CAP. XXII.

TRIPOLIO nostro folia exeunt oblonga, lata, læuia, virentia, crassiuscula, Glasti foliis perquam similia: caulis rectus, dodrante altior, fastigio in alas diuiso; in quibus flosculi elegantes, medio disco lutei, orbiculato verò ambitu cærulei, Asteris Attici florum æmuli, qui in pappos candidos contabescentes abeunt. radix oblonga, cortice induitur crassiusculo.

Nascitur, inquit Dioscorides, Tripolium locis maritimis, quæ vnda alluit, recedensque demittit. Ac talibus quidem in Belgij quibusdam maritimis nostrum reperitur: vt in Zelandiæ insulis. Neque videlicet in mari, neque in sicco, sed locis, quæ æstuans mare allidit, recedens, refluens, retroque commeans deserit. Translatum ad hortos diutinè viget, sed luxurians grandescit, & in fibras radices commutat.

Æstiuis mensibus flores facit.

Fabulosum est, quod à Dioscoride asscribitur, tradi nempe vno die ter colorem floris eius mutari, & manè album, meridie purpureum, vesperi

φοινικοῦν, id est, phœniceum. Sed tamen tres florū colores vno die repetiri posse, veritati haud repugnat. Nam cum flores, omnes non simul, sed particulatim & sensim perficiantur, tres facilè contingit florum colores obseruari: incipientium nempe, completorum, & deficientium. Nondum patentes aut completi, subpurpurei sunt, perfecti patentesque, quales scripsimus: deficientes papporum candidam ostentant lanuginem.

Τριπόλιον, a nonnullis etiam ψυχὴ, ab aliis μυελὸς appellatur: vt quidem inter nothas voces refertur: posset Aster marinus, aut Amellus marinus non ineptè dici. Arabs Serapio Tripolium Turbith nominat, & post eum Auicenna. Actuarius tamen Græcus, Alypi siue Alypiæ radicem Turbith esse existimat. Mesues verò herbæ ferulaceæ radicem iudicauit. Habent Officinæ & suum Turbith non modò à Tripolio, verùm & ab Alypo differens, nequaquam etiam ferulaceum. Quod à Garcia ab horto Protegis Indiæ medico in Aromatum historia, quam clariss. ac doctiss. Carolus Clusius Latinam dedit, describitur, ex qua historiam eius in subsequens transtulimus Caput.

Cæterùm Tripolij radix, vti Galenus ait, gustanti acris est, & facultate calida in tertio excessu. Dioscorides radicem in vino potam duarum drachmarum pondere, per aluum aquam ducere refert: itemque vrinam. Conciditur etiam ad alexipharmaca siue venenis resistentia medicamenta.

De Turbith ex Garcia. CAP. XXIII.

TVRBITH planta est radice neque magna neque longa: caulis dodrantalis, subinde longior, digitalis crassitudinis, hederæ modo per solum repit: folia profert Althææ: flores etiam similes è candido rubentes, nonnunquam omnino exalbidos.

Vtilis autem medicinæ caulis duntaxat pars inferior, radici proxima, quæ gummosa. Atque huius cortex est, quem Officinæ ostendunt, crassior videlicet quidam ac inanis, caudicis inferioris exterior cortex, medio exempto.

Laudatur vacuum, arundinosum, fragile & plani corticis Turbith: deinde cui gummi adhæret concretum, quod gummosum dicitur, & albidum.

At gummosum non est semper sua natura, Garcias ait, sed Indi, quia viderunt à gummositate optimi Turbith notas à nostris peti, solent eius stirpem ac cauliculos prius quàm colligant, aut contorquere, aut leuiter vulnerare, vt liquor efflueret. quo tandem densato atque concreto, cauliculos gummosos auferunt. Reperitur verò & quandoque absque contorsione gummosum factum, sed tamen, quò facilius liquor emanare posset, vulnerari ac contorqueri solet. Candidum etiam fit, eodem auctore, in Sole resiccatū: in vmbra etenim nigrescit.

Prouenit in maritimis, verùm non adeò mari vicinis locis, vt vnda eius allui queant, sed duabus aut tribus interdum à mari leucis siue milliaribus distantibus; & quidem in incultis, potius humentibus quàm siccis.

Nascitur autem in Cambaya, Surrate, Dio insula, Bazaim locisque vicinis, & in Guzarate, vbi plurimum, atq; vnde magna copia in Persiam, Arabiam, Asiam minorem, & Lusitaniam effertur. Præfertur autem in Cambaya natum.

Arabibus, Persis, & Turcis Turbith appellatur: in Guzarate verò Barcaman, in Canara prouincia, cuius ciuitas Goa, Tiguar.

Habetur ab Indis medicis pituitam deiiciens ac expurgans medicamentum, cui si febris abest, adiicere solent Zingiber, alioqui absque hoc ex decocto pulli gallinacei aut cum aqua exhibent.

Mesues Turbith calidum esse refert ordine tertio, & crassam lentamque pituitam vacuare; atque hanc è ventriculo, thorace, neruis, atque remotioribus artubus educere, sed tardioris facultatis esse, & ventriculum subinde eo subuerti perturbarique, quo circa Zingiber, Mastichen, aliaque aromata ei permiscenda, addi & oleum Amygdalorum dulcium, vel ipsa Amygdala, aut saccharum, ne corpus huius vsu extenuaretur aut emacresceret: ab aliis item cum Palmulis, Amygdalis dulcibus, aliisque contemperari, inde componentibus antidotum (electerium aut electuarium Officinæ appellant) quod διαφοινικῶν dicitur, Officinis ipsis & Medicis exercitatis in vsu frequens.

Datur ipsius Turbith drachma (plus minus) vna, ad summum duæ. In decocto verò aut diluto tres quatuórve admittuntur.

De Ebulo. CAP. XXIIII.

EBVLVS foliis, muscario, fructuque Sambuco persimilis est, sed caudicem non fruticosum, caules tantummodo herbaceos profert hybernis mensibus contabescentes: angulosi hi sunt, ac frequentibus articulis geniculati, Sambuci nouellis ramulis ac propaginibus respondētes: folia ex interuallis geminata, ampla, ac veluti Sambuci ex pluribus ad crassum neruo-

Ebulus.



neruosum pediculũ commissis coalescunt, quorum singula oblonga sunt, lata, & margine serrato, Amygdalinis ampliora maioraque. flores in vmbellis candidi. fructus siue acini subrotundi & rutilo colore nigricantes, in quibus semina parua oblonga radix longa, digitalis crassitudinis, minime lignosa.

Exit passim locis humentibus, incultis, secus vias & margines agrorum, pingui lætoque solo: aridum, sterile, siccumque respuit.

Flores Æstate, baccæ Autumno maturantur.

Græci χαμαιάκτην, id est, humilem Sambucum, nominant Dicitur & ἑλιοσακτῆ, ἀγρία ἀκτῆ, καὶ εὐβοϊκή Latinis est Ebulus & Ebulum: Germanis Attich: Belgis Hadich: Italis *Ebulo*: Gallis *Hieble*: Hispanis *Yezgos*.

Temperamentum autem Ebulus calidum quidem ac siccum, vtrumque ordine tertio, & facultatem non modò, quam ei Galenus tribuit, digerendi exiguam; sed & purgandi per aluum eximiam & validam habet: efficacissimæ radices sunt: folia digerendi ac discutiendi potentia præstant.

Educunt autem radices non modò pituitam, verùm & aquosos potissimùm humores: vtiles idcirco ad hydropicorum purgationes: sed tamen correctæ & vbi vires suffecerint. Purgant enim cum molestia: ventriculum subuertunt: interioraque viscera omnia perturbant. Malè omnibus vsus earum succedit, quibus hepar obduruit, vt quando ex regio morbo Ascites successit. Quamobrem nec temerè, nec nisi valde robustis ex Ebuli radicibus medicamentum, aut potio danda. Decoquitur in vino radix, si causa morbi frigida, & febris abest: aliàs pro affectus natura temperanda potio est. Expurgant & acini & semina, sed clementius multò ac minori cum molestia, præsertim prius aceto infusa, ac deinde semine anisi vel aliis aromatis vna permixtis.

Foliis tumores œdematosi discutiuntur, cataplasmatis vel fomentis additis.

Dioscorides Ebuli radices vterum ait mollire, aperire, & affectus circa ipsum corrigere, ad insessus decoctas: folia recentia & tenera inflammationes mitigare cum polenta imposita; commodè item ambustis & canum morsibus imponi: auxiliari podagricis cum adipe taurino aut hircino.

De Cucumere syluestri & Elaterio.

CAP. XXV.

SYLVESTRIS Cucumis humi prorepentibus sarmentosis caulibus & subrotundis foliis satiuum æmulatur, & eum quidem, qui Galeno satiuus est (vulgò Melonem appellant) venisque tamen asperioribus: flores sublutei sunt: fructus oblongi, asperi, oblongis glandibus maiores, alioqui forma satis similes, satiuis verò Cucumeribus longè minores, qui maturi vel vltrò, vel leuissimo contactu desiliunt, semen cum liquore eiaculantes: radix crassa, candida, multiplex. Tota stirps vehementer amara, veluti & reliqua omnia syluestria Cucumeraria.

Paratur ex fructu huius Elaterium dictum medicamentum, cuius colligendi conficiendique rationes ac modos Dioscorides pluribus verbis refert. Elaterium.

In plerisque calidis regionibus in ruderibus, sabulosis, aliisq; incultis locis reperitur. apud Germanos hortensis semel autem satus, pluribus inde annis facilè renascitur, non tamen è radice reuirescens, sed ex seminibus sparsis prouenienς.

Circa Autumnum fructus maturantur; atque eo tempore, ad Elaterium conficiendum colligendi.

Græcis est σίκυος ἄγριος: Latinis agrestis & erraticus Cucumis etiam appellatur: Officinis Cucumer asininus. Sunt qui Cucumerem anguinum vocent. Sunt tamen inter satiuos & hortenses vulgò habitos Cucumeres oblongi ac recurui, quos anguinos cognominant. Italis

Cucumis syluestris.



Cocomero salvatico Hispanis *Cogumbrillo amargo*: Germanis Wild cucumer: nostris Wilde cocommeren: Gallis *Concombre sauuage* dicitur. Elaterium siue ἐλατήριον Officinæ corrupta voce Elacterium nominant.

Est autem densatus iste succus ex secundo ordine excalfacientium, Galeno teste, & subtilium partium. extergendi item digerendique vim obtinet.

Folia Cucumeris syluestris, radices, carumque cortices, vti vehementer amara, ita similiter quoque excalfaciunt, & abstergunt, sed minus tamen quàm Elaterium. Expurgat autem istud Elaterium bilem, pituitam, aquososque humores; & quidem valenter, ac non modò per inferiorem vẽtrem, sed quandoq; per superna.

Modus Dioscoridi est à semiobolo ad obolum, pro virium portione.

Cit idem menses in pesso subditum. Naribus cum lacte infusum oculorum in morbo regio colorem emendat.

Colocynthis.



Cucurbita syluestris.

De Colocynthide. CAP. XXVI.

COLOCYNTHIS per humum strata Cucumerariorum modo repit, eum quem Citrulũ Cucumerem nostra ætas appellat proxime referens, cuius & syluestris est species folia eius lata aliquot incisuris dissecta: flores ex luteo pallescũt: fructus globosus cortice integitur tenui, lutei vbi maturuit coloris, quo ablato interior candida fungosa medulla ad medicinæ vsus resiccatur; vnà cum in ea conditis seminibus paruis, & sordentis coloris. Ingentis amaritudinis hæc medulla est; similiter & semen, totaque ipsa omnibus suis partibus stirps.

In calidis regionibus seritur & perficitur Colocynthis; sed in Germania ac Belgio ægrè ad maturitatem peruenit.

Appellari solet à Barbaris ac in Officinis Coloquintida. Græcis est κολοκύνθις, & quãdoque σικυωνία. Atque hinc Hiera διὰ σικυωνίας aliquãdo inscripta reperitur, quæ alias διὰ κολοκυνθίδος dicitur. Est tamen & σικυωνία Cucumis agrestis, de quo præcedente capite Latini interpretes pro Colocynthide crebrò Cucurbitam reddunt syluestrem. Differens tamen hæc à Colocynthide est Cucurbita siquidem syluestris Græcis κολοκύνθη ἀγρία vocatur, & satiuæ similis est: scandit vt satiua vicina adminicula. folia eius similiter lata & indiuisa. fructus paruis Cucurbitulis similes, duri ac lignosi admodum corticis: medulla interior adeò succulenta, vt resiccari nequeat: amara intẽrim tota, vti Colocynthidis & agrestis Cucumeris.

Est autem Colocynthis veluti tota sua natura, omnibusque suis partibus amara, ita calida quoque ac sicca secundo gradu eoque intenso: atque idcirco expurgare, abstergere, aperire, & quæcunque amarissima efficere posset,

nisi

nisi validior eius per inferiorem ventrem euacuandi ac purgandi facultas reliqua eius opera, vt Galenus ait, præuerteret.

Tam valenter siquidem hanc vim exercet, vt non modò pituitam & bilem citissimè copiosissiméque educat, verùm & abrasis intestinis, venarumque meseraicarum osculis reseratis, sanguinem & cruenta subinde eliciat. Ita vt hac de causa nec temere, nec nisi grauissimo aliquo vrgente morbo, ea sit vtendum, neque etiam nisi lento aliquo ac glutinoso permixta, quo videlicet vehementia eius reprimatur; malefica vis obtundatur; & celerius per aluum permeante, intestina minus abradantur. Admisceri Mastichen aut gummi Tragacanthæ, Mesues admonet.

Formantur & ex ea pastilli cum Mastiche, gummi Arabico ac Tragacanthæ, & Bdellio. Ex his Mastiche etiam adstringentis facultatis euidenter particeps est. Præstant autem lenta ac glutinosa, adstrictionem nullam aut exiguam habentia. Adstringẽtibus siquidem huiuscemodi valida ac fortissima medicamenta coërcita ac refrenata, maiore deinde violentia ac molestia, vim ac facultatem suam peragunt. Quæ verò adstringentia permixta non habent, facilius minorique cum labore opus suum perficiunt. Quales sunt Pilulæ, à Rhasi lib. IX. ad Almanzorem Iliacæ appellatæ. Quæ componuntur ex Colocynthide & Scammonio duobus fortissimis; ac tertio Sagapeno, quod lentore suo intestina oblinit, & ab vtriusque iniuria defendit. *Pilulæ Iliacæ.*

Quæ quidem compositio tametsi fortissima, & qua nec temerè, nec citra vrgentem vehementer necessitatem vtendum, facilè tamen ac citra magnas molestias expurgat, & cum minoribus torsionibus, quàm pleraque mitiora clementioraque medicamenta, Mastichen aut alia quæ adstringunt, admittentia.

Atque hanc ob causam verisimile est à Cochiis catapotiis Galenum lib. I. De medicamentis secundum loca, Mastichen & Bdellium reiecta voluisse, quæ tamen præceptor eius Quintus iisdem addere antea solitus fuerat.

Vtilis autem Colocynthis non modò ad purgationes, in quibus Vertigini, Hemicraniæ, Cephaleæ, Apoplexi, morbo comitiali, Asthmati, intestinorum cruciatibus, aliisque pertinacissimis morbis succurrit; verùm & foris nequaquam aspernandas vires præstat.

Valet ad Aurium tinnitus & surditates oleum cum ea decoctũ: idem lumbricos & ventris tineas interimit ac pellit, aluumque non rarò mouet, vmbilico imoq; ventri admotum.

Helleborum siue Veratrum album.



Acetum quod eius decoctionem admisit, collutione dentium dolores sopit, auctore Mesue.

Semen ad mortuorum corporum conseruationem ac conditurain vtile; præsertim Aloe & Myrrha admixtis.

De Helleboro siue Veratro albo.

CAP. XXVII.

VERATRI apud Veteres duo genera sunt: Album, & nigrum.

Sunt autem albo Veratro folia magna, lata; maioris siue latifoliæ Plãtaginis, aut potius Gentianæ similia, maiora, magis venosa, liratim striata, ac quasdam plicas habentia: rectus & ferulaceus caulis, prælongus, multis inferius foliorum tunicis obuolutus, quas inarescens demittit; superius verò plures proferens spicas, in quibus flores nõ magni, è senis angustis striatis foliolis herbaceo colore candicantes, quorum singulis tres aut quatuor succedunt angustæ, paruæ siliquæ veluti Sesami: in his semen latum & candicans. Radix crassa, candida, haud longa est, cum multis adhærentibus fibris, quibus etiam subinde propagatur.

Huius & alia species est floribus nigricantibus, foliisque, caulem præsertim amplectentibus, angustioribus; alioqui antecedenti similis.

Gaudet Veratrum album montanis & asperis; & non modò in Græcia, Italia, aut aliis calidioribus

bus regionibus, verùm & in Germaniæ ac Heluetiorum montibus viret. viuit & in hortis.

Floret Æstate, messibus aut sub Autumnum legendæ sunt radices.

Nominatur Græcis ἑλλέβορος λευκὸς,& quandoque citra aspirationem ἐλλέβορος λευκὸς Latinis Veratrum album. Sunt qui ἀσπίδια, ἄπτομον, πηγανοπερκὸν, γόνον ἡρακλέος, πολυείδην, ἀναφυτόν etiam nuncupent : aliis Sanguis Herculis dicitur : Germanis Weiß nießwurtz : nostris Witte nieswortele: Italis *Ellebore bianco*: Hispanis *Verde gambre blanco, & yerua de balleste*. Gallis *Ellebore blanche*.

Ex tertio est ordine excalfacientium ac desiccantium,auctore Galeno.

Vomitione purgat, varios humores educit, & quidem magna cum vi & molestia summa; quocirca dari non debet, nisi vbi longi valentesque morbi sunt , spesque ex aliis remediis adempta sit : vt Paulus Æginetà scribit. apud quem & nonnulli exhibendi eius ac propinandi modi extant. Sternutationes huius radicis puluis quoque excitat, naribus exceptus, & inter πταρμικὰ siue sternutatoria valentissimus est.

Dioscorides Veratrum istud menses etiam ducere , & fœtus enecare in pesso appositum refert; & mures interficere cum melle & polenta subactum. Plinius phthiriasin hoc emendari addit.

De Helleborine. CAP. XXVIII.

Helleborine.



VERATRVM album effigie refert Helleborine, ea de causa à nobis appellata, sed humilior tamen ac minor multo. caulis eius erectus ad pedis ferè altitudinem assurgit. folia lata, similiter venosa & striata, vti Veratri albi, sed paruula: flores secundum caulem ordine quodam digesti, foliacei, albicantes medio aliquantulum prominente subluteo, quibus oblongæ, non tamen magnæ, succedunt veluti siliquæ, aliquantulum striatæ, in quibus semina minutissima. radices subsunt fibrosæ, Veratri albi tenuiores.

Reperitur locis haud sitientibus ac vmbrosis, & cum flore quidem Iunio ac Iulio.

Helleborinen non impropriè dici ac nominari posse, ipsa cum Veratro albo similitudo testatur. Nam syluestre ac spurium quoddam eius genus esse videtur.

Dioscorides quidem ἑλλεβορίνην θαμνίσκον μικρὸν, hoc est, paruum fruticulum esse ait, habentem ἐλάχιστα φύλλα, id est, minima folia. Plinius verò lib. XXVII. cap IX. Helleborinen paruam tradit herbam, exiguis foliis. & lib. XXIII. cap. XX. paruis foliis. Et parua quidem nostra hæc Helleborine, & herba, & θαμνίσκος θαμνίσκον siquidem herbam cuius cauliculus rectus assurgit, etiam si vnicaulis sit, Dioscorides non rarò nuncupat. Nam & Polygonaton quod singulari caule, & attollitur, & nascitur, θάμνον facit. πολυγόνατον, ait, θάμνος μείζων πήχεως. folia autem huius non quidem minima sunt, sed comparatione Veratri albi parua re vera sunt, ac dici debent Et Plinius non minima, sed exigua & parua tantùm esse scribit. Ostendunt & hæc nostræ Helleborines, cum ea, quę à Dioscoride ac Plinio describitur, similitudinem maximam, sed tamen legitimam esse, in tanta ac tam obscura veterum breuitate, difficile fuerit affirmare.

Dicitur autem Helleborine Dioscoridi ac Plinio etiam ἐπιπακτὶς, sed vnde hoc illi nominis, non patet Veratrum album etiam ἀσκὶς reperitur, vt diximus, appellatum. Si pro ἀσκὶς legi posset ἀκτὶς, existimari posset ἐπιπακτὶν, quasi ἐπὶ ἀκτὴν dictam, quòd videlicet Veratro albo superaddatur. Vt etenim Theophrastus lib. IX miscetur in potione ex Veratro albo, vt vomitio bene succedat, Helleborines semen. Τοῦτο δ' ἐστὶ ποάριον, addit, id est, hæc herbula quædam est Atque coniecturam ita facere, sed certi assequi nihil datur : veluti etiam haud constat eandem Theophrasti & Dioscoridis Helleborinen esse. Dioscorides siquidem, vo-

mitionem

mitionem adiuuare eam, quod Theophrastus asserit, non scripsit, sed tantùm aduersus lethalia medicamenta, & iecinoris affectiones bibi. Plures autem esse possunt Hellebonnes. Nam & Centaurium minus superius diximus Helleborinen quoque appellari.


Cæterùm nostræ Helleborines qualis sit temperies aut facultas, compertum nondum habemus.

De Veratro nigro. CAP. XXIX.

Veratrum nigrum I.



Veratrum nigrum II.



VERATRI nigri tria sunt genera, præter illud tamen, quod à Dioscoride describitur.

Primum folia promit ex pluribus collecta, quorum singularia oblonga, lata, læuia, & duriuscula sunt, veluti Lauri, sed margine vtrinque à medio sursum versus serrato: caule caret: flores in pediculis palmum altis è radicibus erumpentibus, magni, initio albidi, deinde purpurascentes, postremò virentes, cùm videlicet è medijs staminibus luteis exortæ siliquæ increuerint: quatuor aut quinque coniunctæ Sesami modo hæ nascuntur, in quibus semen. Radices subsunt multis crassis nigrisque fibris capillatæ, in quibus medius tenuis neruus. 1.

Alterius Veratri folia prioris æmula sunt, sed angustiora, nigriora, ambituque toto serrato: caulem istud habet pedem, plus minus, altũ, in ramulos cacumine diuiso, à quibus flosculi deorsum nutantes dependent minores, coloris è pallido herbacei. radices fibrosæ aliquanto tenuiores, minus nigricant. 2.

Tertium Veratrum caules habet proceriores & subinde crassiores: folia quàm secundi angustiora, quorum & ambitus vtrinque serratus: flores magnitudine secundi: siliquæ paruæ Sesamaceæ: radices fibris multis vti aliorum cohærentes subnigricantesque. 3.

Nascuntur Veratra hæc in montibus asperis & petrosis. Duo posteriora in Germania ac Belgio frequentiora.

Floret primum circa natalem Dominicum, si Hyems clemens mitisque fuerit; aliàs mox soluto gelu: proximum genus paulò serius: tertium circa Ver, & ipso Vere.

Veratra autem hæc esse nigra, satis inter recentiores conuenit; sed tamen ad quem veterum auctorum referri debeant, non æquè expeditum. Differentes etenim Veratri nigri descriptiones penes hos reperiuntur. Theophrastus siquidem folio laurino Veratrum nigrum esse ait, & fructu Sesamaceo. Dioscorides verò folijs Platani ac Sphondylij, Cnicique semine ipsum

Veratrum nigrum II.



1.

2.

ipsum depingit Quæ vt euidentem differentiam, ita & hæc Veratra, ad Theophrasti accedere, cum Dioscoridis verò Veratro parum conuenire ostendunt. folio siquidem Laurum, & potissimum primum, fructu vero Sesamum referunt. vti nigrum Veratrum facere Theophrastus scribit: Platani aut Sphondylij folium nequaquam (vt Dioscorides) æmulantur. Appellatur autem Veratrum nigrum Græcis ἐλλέβορος μέλας. à nonnullis μελαμπόδιον item πολύῤῥιζον, μελανόῤῥιζον, ..., ..., aut potius ..., ἔκτομον, aut ἔκτομον. Italis *Ellebore nero*: Hispanis *Verde gambre negro*.

Nominatur verò Melampodion, quia Melampodem inuentorē habeat, qui furentes Proeti filias primus eo purgasse, & ad sanitatem mentis restituisse creditur. Hunc Dioscorides pastorem; alij diuinationis peritum tradunt.

Quod autem inter hæc genera primum, vulgò à Germanis Christwurtz / & à nostris Nieskruydt nominatur; idcirco videlicet, quod Hyeme clemente circa natalem Domini nostri Iesu Christi diem floreat.

Alterum genus Pseudohelleborum & Veratrum nigrum adulterinū ante nos etiam Fuchsius nuncupauit. Plerique Consiliginem esse volunt, quia huius radicibus iumentorum quadrupedumque morbis nostræ ætatis agricolæ medeantur, haud dissimili quam Consiligine veteres Mulomedici modo; vnde & à nostris Ueterrupt dicitur. Sed idem possunt & Veratri albi radices, vt quidem Absyrtus & Hierocles Græci Hippiatri tradunt; vti latius in cap. de Buphthalmo, in florum historia Pempt. secundæ lib. III. scripsimus.

3. Tertium genus Germanis Leußkraut vocatur, id est, Pedunculatis, pediculos etenim interimere creditur. Placet nonnullis Aconitis istud genus annumerari. Neque enim pediculos tantùm, sed, veluti Aconitum, & oues aliaque animalia necare comesum fertur. Verum hoc non modò istud, sed & reliqua Veratra nigra possunt: qua de causa & inter Veratri genera hoc tertium retinendum videtur.

Cæterùm Veratrum nigrum, vt quidem Galenus sentit, candido calidius at amarius est, ex tertio similiter excalfacientium & resiccantium ordine.

Pituitam, bilem flauam, sed & atram potissimùm, ac melancholicos omnes humores deorsum ducit, non tamen citra molestiam ac difficultatem. Idcirco non nisi robustis ac validissimis, vt Mesues suadet, exhibendum. Prodest autem ex Veratro nigro purgatio insanientibus, maniacis, melancholicis, comitiali morbo afflictis, elephantiacis, quartana laborantibus, & omnibus breuiter, quos vel atra exagitat bilis, vel melancholicus humor molestat.

Modus exhibitionis, Actuarius lib. V. ait, sunt scriptuli tres, paulò plus minúsve, tenuium fibrarum è radicibus pendentium, in aqua paululum maceratarum, deinde cortice detracto, ac in vmbra siccato, proiectaque tenui, quæ ipsi subest medulla. Datur autem ex passo & oxymelite; verùm suauitatis gratia, quædam ex odoratis seminibus sunt inserenda. Si verò efficaciorem cupis purgationem, Scammonij pauxillum adiicito. Hæc ille.

Præstat autem inter hæc genera primum, deinde secundum, tertium minus efficax habetur. Extergit verò Veratrum nigrum etiam alphos, lichenas, lepras, ac psoras: in fistulam callosam inditus, callum duobus aut tribus diebus, vt Galenus ait, detrahit.

De Veratro nigro Dioscoridis. CAP. XXX.

ISTVD Veratrum nigrum, vt Dioscorides scribit, folia habet viridia, Platano similia, sed minora, ad Sphondylij folia accedentia, sed fissa magis & nigriora, subaspera: caulis asper est: flores albi purpurascentes siue ὑποπορφύρεσι, schemate racemosi, & in ipso fructus Cnico similis. radices subsunt tenues, nigræ, veluti à quodam capitulo Cepæ simili dependentes, quarum

Veratrum nigrum Diosc.



quarum & vsus est. Atque ita verba ipsa Dioscoridis sonant, è quibus manifestum, aliud omnino ab eo Veratrum nigrũ describi, quàm à Theophrasto, de quo capite antecedente.

Conuenire autem cum hac Dioscoridis descriptione satis apparet, quod & aliàs & modò, pro Dioscoridis Veratro nigro expressimus: folia etenim in primis eius lata, aliquot eminentes angulos, & vtrinque incisuras habent, instar foliorum Ficus, Vitis, Aceris, qualia Platani esse abundè constat, sed tamen prædictis minora: ad Sphondylij folia satis etiam accedunt, non quidem tota ac integra, sed singularia eorum (ex quinque enim totius folij Sphondylij compositio est) profundioribus tamen fissuris diuisa: eadem saturato colore nigricant, & aliquantulum aspera sunt. Caulis rectus est, pede altior, nonnihil striatus; quo superius in ramulos diuiso, complures pendeunt veluti latiores calyces, discorum instar, qui simul racemi quandam referunt effigiem, præsertim cauliculis flaccescentibus, ipsisque deorsum nutantibus. quam & lati calyces multiplicibus flosculis aliquo quoque modo exhibere videntur. E singulis siquidem, flosculi complures simul farcti, veluti Scabiosę, exeunt. Sunt candidi hi, diluto colore nonnihil purpurascentes, siue, vt Dioscorides ait, λευκοὶ ὑπoπόρφυροι. Semen inde in iisdem subnascitur calycibus, candicans, oblongum, ferè vti Cnici, sed tamẽ minus & tenuius, ac nõ perinde læue. Radices etiam subsunt nigræ, quàm alterius nigri Veratri tenuiores, ab vno exiguo capitulo confibratæ; in nouellis quidem plantis. Nam in veteribus ætate multiplicatis a pluribus demittuntur.

Reperitur in Germaniæ plerisque montibus, & aliis incultis ac asperis locis. In hortis vitæ est. Dioscorides etiam in asperis, editis & sitientibus locis Veratrum nigrum enasci scribit optimumq; quod ex eiusmodi locis accipitur. quale est, inquit, quod ex Anticyra petitur.

Floret autem istud Veratrum nigrum non Hyeme, sed æstiuis mensibus. Toto autem anno herba viret.

Recentiorum plerique Astrantiam nigram: alij Saniculam feminam nominant. Differt tamen multum ab Astrantia, quæ & Imperatoria, vmbellifera herba. Saniculæ etiam perquàm parum similis est. Nobis diu visa est, non quidem Theophrasti, sed Dioscoridis Veratrum nigrum esse. Respondet forma, vt retulimus: conueniunt etiam vires. Nam & atros atrosque humores radices huius expurgare, testes habemus in Germania nonnullos exercitatissimos medicos, qui his melancholicos purgatos feliciter ad sanitatem reduxere. Purgandi quoque huic facultatem adesse, testatur etiam Conradus Gesnerus in epistola quadam ad Adolphum Occonem, in qua Astrantiæ nigræ Helleboro albo ferè similem vim, sed tamen mitiorem, & per aluum purgatricem primum se expertum refert. Quæ sententiam nostram, & Dioscoridis Veratrum nigrum esse confirmant.

Tribuit autem huic omnes etiam eas nomenclaturas Dioscorides, quæ superiori afscriptæ sunt. Semen verò eius, ait, in Anticyra Sesamoides vocari, eiusque ad purgationes vsum esse; si modò genuina & non vitiata est lectio. Videtur autem non omnino integra. Nam si Sesamoides, vt Plinius ait, & vox ipsa testatur, à Sesami similitudine nomen habet, impropriè huius Veratri nigri semen, non Sesami, sed Cnici æmulum Sesamoides nuncupabitur. Iam & Sesamoides sui generis stirps est. Ex his aliũde hæc verba Dioscoridi accessisse suspicãdum: *Dioscoridis locus deprauatus.* & fortè ex Theophrasto translata. Scribit siquidẽ Theophrastus lib. IX. Anticyrenses fructu Veram, qui Sesamo similis sit, purgari. Helleborum, inquit, non solùm radice, sed etiam fructu vtile est. Siquidem in Anticyra, vt fertur, fructu eius purgantur. Deinde infert: Anticyrenses fructum Sesamatei Hellebori dare solẽt, qui Sesamo similis est. Quibus verbis Theophrastus Veratri fructum Sesamo quidem similem refert; sed Sesamoidem peculiariter ac pro-

propriè dici non affirmat. Sed ad Veratrum nostrum nigrum reuertamur, cuius facultates similes esse alterius Veratri nigri, compertum esse iam scripsimus. Ad omnia tamē efficacius habendum, antecedente capite descriptum, quo verisimile Anticyrenses præcipue vsos, penes quos, prima summaque propinandi Veratri, apud Veteres semper fuit auctoritas.

De Sesamoide ex Dioscoride & aliis. CAP. XXXI.

INCIDIMVS in Sesamoidum mentionem. Veratro potentia ac viribus proxima sunt, & ex purgantium numero: oportunum idcirco eorum historias ex Dioscoride & aliis hic repetere. Duo autem ea sunt: Vnum magnum: alterum paruum.

Sesamoides magnum. In magni autē Sesamoidis descriptione inter Veteres non satis cōuenit. Plinius lib.xxii. cap.xxv. ἠριγέροντι, id est, Senetioni similem herbam scribit: Oribasius ex Rasarij quidem conuersione, Rutæ similiorem facit. Sesamoides, inquit, maius folia habet Rutę similia, longa: florem album: radicem gracilem, ignauam: semen Sesamo simile, gustu amarum.

Dioscoridis verò exemplaria vtrique herbæ Sesamoides istud comparant ἔοικεν ἡ πόα, ἢ ἠριγέροντι ἢ πηγάνῳ, φύλλα μακρὰ, ἄνθος λευκὸν, ῥίζα ἰσχνὴ ἄπρακτος, σπέρμα ὅμοιον σησάμῳ, πικρὸν ἐν τῇ γεύσει, id est, Similis est herba Senetioni aut Rutæ: folia longa: flos albus: radix gracilis, inefficax: semen simile Sesamo, amarum in gustu.

Notatur Dioscorides. Siue autem Dioscorides, siue alius huius descriptionis auctor extiterit, oculata fide Sesamoides magnum non agnouisse videtur, sed ex aliorum scriptis tantummodo descriptionem eius collegisse: atque idcirco disiunctiua particula ἢ vsus, ignorans videlicet cui simile Sesamoides magnum esset: Senetioni ne an Rutæ. Vtrique autem simile esse, vix possibile. Sunt etenim dissimiles multum Senetio & Ruta, qualiscunque etiam ea sit, siue graueolens, siue altera Hyperico similis.

Recentiores, inter quos Io. Ruellius & nonnulli post eum, Sesamoides magnū existimant, quod à Theophrasto Veratrum nigrum describitur. Cognominat enim ipsum Sesamaceum siue Σησαμοειδὲς: Anticyrenses, inquit, fructum Sesamacei Veratri dare solent. Accedit Dioscorides, qui Sesamoides magnū apud Anticyrenses Veratrū (si modò genuina lectio) vocari refert. & Galen in lib. De simplic. med. facult. vbi Sesamoides magnū Anticyricū Veratrum esse scribit. Anticyrense siquidem Veratrum est, cuius Theophrastus meminit, & de quo cap. xxvii. Sed istud neque Senetioni, neque Rutæ simile est, & non modò semine, sed & radice efficax est. Sesamoidis autem radix ἄπρακτος, hoc est, ignaua, & nullius vsus. Crediderim ego nondum repertum Sesamoides, & propter eam quam ostendimus difficultatem, non facilè agnoscendum.

Dicitur autem σησαμοειδὲς, vt Dioscoridis & posteriorum exemplaria habent, in Anticyra ἐλλέβορον. Causa additur, quoniā Veratro albo in purgationibus misceatur. At propter hanc causam fortasse rectius ἑλλεβορίνη nuncupatur. Nam Helleborines semen Theophrastus ait purgationi ex Veratro misceri, quod haud aliud quàm ipsius Sesamoidis esse verisimillimum est. Hippocrates enim, Strabo & Dioscorides non aliud admisceri scribūt quàm Sesamoidis semē. In Φωκικῇ, ait Strabo, nascitur σησαμοειδὲς, cui permixtū præparāt Oetæū Helleborum.

A Sesami autem forma & similitudine Sesamoides nomen, vt Plinius ait, accepit.

In abstergendo, excalfaciendo, desiccandoque similem Veratro vim, Galeno auctore, obtinet. Purgat pituitam & bilem supernè, Dioscorides refert, quantum tribus digitis capi potest, tritum, acceptum cum Veratri albi sesquiobolo, in aqua mulsa.

Eadem de hoc ferè Hippocrates sub finem lib. De victus ratione in morbis acutis, at tamen non cum aqua mulsa, sed cum aceto mulso siue oxymelite exhibet. Sesamoides, ait, sursum purgat: potio eius est drachma media in aceto mulso trita: commiscetur etiam Veratri tertia portionis pars, & minus suffocat.

De Sesamoide paruo, ex Dioscoride. CAP. XXXII.

SESAMOIDI paruo, vt Dioscorides habet, dodrantales sunt coliculi, folia habentes Coronopo similia, hirsutiora tamen ac minora: in summo cauliculorum capitula sunt florum subpurpureorum, quorum medium album, in quibus semen Sesamo simile, amarum & κίῤῥον siue ruffum: radix tenuis. nascitur locis asperis.

Nonnulli κορωνίον σησαμοειδὲς μικρὸν, alij σήσαμον ἄγριον, Galenus σησαμοειδὲς λευκὸν, & semen eius amaram qualitatem continere, multumque amarum esse, excalfacere, rumpere, extergereque scribit.

Dioscorides, purgat, inquit, pituitam & bilem deorsum semen acetabuli mensura potum cum aqua mulsa. Idem impositum cum aqua tubercula & tumores discutit.

Rha siue Rhei, vt existimatur, icon.



De Rheo siue Rha. Cap. XXXIII.

DE forma aut magnitudine vel ipsius stirpis, vel foliorũ florúmve Rhei, nihil quidẽ apud Veteres proditũ reperitur. radicum modo similitudinem nonnullam, cum substantiã & colorem Dioscorides expressit, sed tamẽ eius rãtum quod in iis, quæ supra Bosphorũ Thracium, ac Pontum Euxinũ, vel etiã Mæotidẽ paludẽ locis prouenit.

Variat autem non parum radicum Rhei magnitudo, &, vt verisimile, ipsius quoq; totius stirpis, pro regionum, soli, cælique differentia, quæ (vt subinde repetendum) magnæ sæpenumerò in stirpibus mutationis ac differentiæ causæ sunt.

Minor ac tenuior est Põtici Rhei radix. crassior verò multóq; maior, quæ in Officinis venũ datur.

De Põtico autem Rheo sic Dioscorides: Rha, quod nonnulli Rheon, gignitur in iis quæ supra Bosphorum sunt locis: vnde affertur. radix nigra, Centaurio magno similis, sed minor & rubicundior, ἄοσμος, id est, inodorata (vt quidẽ exẽplaria habẽt) laxa, aliquantulũ leuis. Optimũ est, quod teredines nõ sensit, glutinosum gustu, cũ remissa adstrictione, & quod commanducatum ochræ modo pallescit, Crociq; colorem aliquem refert.

Eadem ferè & de hoc ipso Plinius lib. XXVII. cap. XII. in nonnullis tamen non tam dissidens, quàm euarians. radicem non Centaurio magno, sed Costo nigro similem: & tritam aut mansam non ἐπιχροντα, sed vini colorem reddere tradit. Est autem vinum non nigrum, aut rubens, vetus quidẽ & potens lutei & ad Crocum vergentis coloris: veluti Creticum, & alia eiuscemodi. Costi Indici radix Dioscoridi nigra est. Sed tamen potuit & pro Centaurij magni, per errorem Costi substitura esse. Verba eius hæc sunt:

Rhacoma adfertur ex his quæ supra Pontum sunt regionibus. radix Costo nigro similis, minor & russior paulò, sine odore, calfaciens gustu & adstringens. Eadem trita vini colorem reddit ad Crocum inclinantem.

Officinarum autẽ Rheon radix est multo maior, crassior, & amplior quàm Centaurij maioris: quæ foris nigricans: interius verò, recens quidẽ, cum varietate quadam coloris dilutè ex purpura rubet, vetustior ex subluteo sordet, sed amplius à teredinibus exesa: in mandendo aliquantulũ glutinosa ac viscosa Croci colorẽ refert, quem papyro aut alteri candidæ rei illita manifestiorẽ exprimit. substantia eius, neq; dura solidave, neq; grauis, sed leuiuscula, ac interdum cõpactámve ac raram veluti media, nonnihil fungosa: odorata etiã & gratũ spirat.

Adfertur ex Sinarum (vulgò Chinarum) regione, quæ est versus Orientem, supra Indiam, etiam eam, quæ extra Gangen: haudquaquam verò ex Scenitarum prouincia (vt plerique temerè existimant) quæ in Arabia est felici, & longè à Sinis abest.

Appellatur vulgò Rha Barbatum, aut Rha Barbaricum, à nonnullis Reu Barbarum, quòd ex Africa & Arabia, quas Barbarias etiã vocant, aduehatur. Rectius Punici & Arabes Raued Seni nominant, à Sinẽsi prouincia: vnde in Indiã, Persiam, Arabiamq; ac postea in Europam infertur. Eiusdẽ speciei cum Pontico est, quod Græci ῥῆον & ῥᾶ: Plinius Rhacoma: Cornelius Celsus, & etiam Paulus Ægineta Ponticam radicem appellat: Mesues Raued Turcicum.

Est vtriusque eadem similisque substantia: color idem recentium: idem inueteratorum: commansa glutinosum lentorem parem, eundemque, Croci videlicet æmulum, colorem reddunt: & odor quoque Pontico, & quidem haud est insuauis. Id quod euidenti certoque experimento cognitum habemus. Nam huius radicem ab excellentissimo viro Iacobo Antonio Cortuso, amico nostro olim accepimus, haud graui odore suaueolentem.

Dioscoridis tamẽ exemplar ἄοσμον, id est, odore destitutũ Rha esse habet. Sed pro ἄοσμος, fortassis rectius legendum εὔοσμος. Nam cùm Veteres omnes Rheo tenues aëreasq; quasdam confiteantur adesse partes, odorem quoq; vnà esse innuere videntur. Tenuis etenim aëreæq; substantiæ odor comes esse solet. Odorata enim tenuia sunt essentia. Neq; nos ab hac sententia Plinius absterrere debet. Potuit enim ipse, vt & aliàs, in deprauatum incidisse codicem. *Dioscorides locus suspectus.*

Nam & ab illo tēpore nonnullis locis corrupta ac deprauata fuisse Dioscoridis exemplaria, si non aliunde, vel ex sola Orchios descriptione manifestū, apud omnes posteriores, qualis apud Dioscoridem, extans: corrupta videlicet ac deprauata: vt cap. de Orchi in florum historia Pemptade secunda ostendimus. Vtrunq; autem est Ponticū Rha, non est odore destitutum.

Rha flumen. Fluminis autem Rha sibi nomen adoptauit, in cuius superciliis, vt Ammianus Marcellinus ait, nascitur. Oritur Rha ex Hyperboreis Septentrionis montibus, & per Asiaticam Sarmatiam defluens, in Caspium siue Hircanium labitur mare.

Mistam autē Rheon, & substantiā, & temperaturam ac facultatē obtinet. Sunt eius partes quædam terrestres, adstringentes & resiccantes: aliæ tenuiores, aëreæ, calidę & purgatorię.

Laudatur a Dioscoride ad inflationes, stomachi imbecillitatē, & omnes eius dolores, conuulsa, lienosos, hepaticos, nephriticos, tormina, vesicæ & thoracis vitia, pręcordiorum distentiones, vteri affectiones, coxendicum dolores, sanguinis sputationes, respirationes difficiles, singultus, dysenterias, cœliacas passiones, circuitus febriles & venenatorum morsus: tollere etiam liuida & impetigines cum acero illitum ait. Galenus etiam ruptis, conuulsis, & orthopnœæ prodesse, sanguinemque spuentibus conferre scribit.

De expurgatoria autem facultate neuter quidquam scripsit. Non fuit Rhei ad purgationes illo seculo vsus. Quod in eo tenue ac aëreum, intendere eius adstringendi potentiam Galenus existimauit. Nec enim, inquit, reluctatur terrestri frigido, tenue aëreū, imò eò quòd deducat, & in altū perducat, valentioris effectus causa existit. Cùm tamē hoc ipsum æreum ac tenue purgatoriam, ac obstructiones adaperiendi vim obtineat.

Paulus Ægineta primus videtur Rhei expurgatoriam facultatem exploratam habuisse. lib. enim primo, cap. XLIII. vbi Terebinthinam inter ea, quæ sanis aluum subducunt, enumerat. At cum magis, ait, subducere eam cogitamus, Rhei momentum admiscemus. Subsecuti Arabes ad vlteriorem ipsum medicinæ vsum perduxere, per quos quoque illud, quod è Sinarum aduehitur regione, receptum. Præstantius istud est: Ponticum siue Turcicum debilius, non tamen purgandi vi destiturum. Reperitur & quoddam in Tartariæ vrbe Samarcandar, sed improbum, & non nisi iumentorum purgationibus vtile: ait Garcias ab Orta.

Optimum autem est recens, à teredinibus non exesum, & decoctionem non expertum. Vt enim Galenus, Auicenna, & Mesues, decoquitur recens, & expresso succo, iterum resiccatur. Tale purgatoria facultate omni, aut quasi destitutum est, & magis adstringit.

Separantur enim maceratione ac decoctione huius facultates. Calida, tenuis, purgatoria, & aperiens in humorem transfertur, remanente reliqua terrestri adstringente substātia. Densius quod decoctum aut maceratum est, Croci non, aut parum inficit colore, & amissa eius varietate, subnigro sordet facileque à teredinibus perforatur.

Expurgat autem Rheon per inferna bilem flauam, & quandoq; pituitam in proximis vis hærentem.

Vtilis ac commoda ex eo purgatio omnibus quos bilis flaua infestat, vt laborantibus & acutis & tertianis febribus, ictericis, hepaticis; confert in pleuritide, peripneumonia, angina, insania, furore, renum, vesicæ & omnium internarum partium inflammationibus, & præsertim erysipelaceis affectionibus, tam externis quàm internis.

Vtilissimū certè Rheon iecinori & felli laborantibus maleque affectis. præter enim quòd biliosos prauosque expurget humores, & ab obstructionibus meatus expediat, robur quoque maximū ipsis visceribus confert: ita vt haud temerè, Rheon vita hepatis, à nonnullis dictum videatur. Cōmodissima enim ac vtilissima talia esse iecinori medicamenta, Galenus XI. methodi asserit: quę videlicet mixtā habent cum expurgādi & aperiēdi, adstringēdi potentiam.

Modus exhibitionis à drachma vna ad duas: macerati verò ab vna cum media ad tres. Datur aut maceratur in calidioribus quidem morbis cum Cichorij, Intybi, aut alterius naturæ similis, diluto, aut stillatitio liquore, vel etiā lactis sero. Si verò calor abest, ex vino dari potest.

Exhibetur quandoque & tostum, sed ita vt nulla eius pars vel minimum sentiat adustionis: tale dysentericis & cœliacis auxiliare; expurgatis siquidem vitiosis humoribus, aluum deinde reprimit ac cohibet.

Sistit idem, eodem tostum modo, & superfluentes menses, sanguinisque vndequaq; fluores, præsertim per vesicam, sed in exigua quantitate, & cum adstringenti aliquo permixtum. Innoxium, inquit Mesues, Rha medicamentum, omni tempore, omni ætati salubre, atque pueris & grauidis.

LIBRI SECVNDI PEMPTADIS TERTIÆ

FINIS.

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTADIS TERTIÆ

LIBER TERTIVS,

DE CONVOLVVLIS, ET IIS QVÆ ALIIS INNITVNTVR STIRPIBVS.

PRÆFATIO.

AD PROXIMVM à Purgantibus ordinem spectant vicinis sese implicantes, & amplexu viuentes. Sunt enim inter has multa purgatoria vi valde efficaces. Sunt & aliæ non tales; sed quia in circumuoluendo scandendoq́; similes, illis coniungendæ erant; exceptis tamen leguminibus & cucumerariis, vel ad frugum, vel ad olerum historiam pertinentibus. Tertius igitur hic liber stirpes habet adminiculis egentes; vicinis sese implicantes; aut propè adstantibus innitentes.

DE SCAMMONIO.

CAPVT I.

Scammonium.



SCAMMONIO multi ab vna radice exeũt longi, tenues & viticulosi cauliculi, quibus vicinos frutices, pedamentave iuxta posita cõscendit, ac multis circumuolutionibus amplectitur: folia eius lata & acuminata, læuis Smilacis æmula: flores similes, calathi quoq; forma, candicantes, paulò minores. radix subest lõga, crassa, candida interius, ex qua succus colligitur, qui densatus ad medicinæ vsus seruit.

In calidis, pingui exit solo, veluti in Asiæ Mysia, Syria, alisq; similibus. Reperitur & in Creta insula, Bellonio teste.

Verisimile est, vbi suæ spontis est, citò & plurima deinde Æstatis parte florere: nam & in Belgio Æstiuis mensibus subinde cum flore videri potest.

Græci σκαμμωνίαν, Latini ferè Scammoniũ nominant, ita appellantes non modò stirpem ipsam, sed & densatum concretumq; succum. Dicitur & à nonnullis σκαμμωνία ῥίζα, ab aliis κολοφώνιον Officinæ succum crudum quidem Scamoneam: in Cotoneo verò malo decoctũ, Diagridium vocant: quasi δακρύδιον, id est, lachrymulam.

Purgat autem hic succus per inferiorẽ ventrem vehementer, nulli aliorum purgantium medicamentorũ potentia cedens. Nulla enim parte, vt Oribasius ait, superatur ab iis quę agitant & commouent.

Efficit istud non vehementer aliqua calida facultate, sed alia quadam latente totius substantiæ proprietate. Nam gustu quidem nulla in eo caloris vehementia deprehenditur Cuicunq; siquidem liquori aut rei permisceatur, nullam ei vel amaritudinem, vel acrimoniam, aut alium ingratum saporem communicat. Quamobrem nec inter calidissima, vt plerisque videtur, sed inter moderatius calida & sicca habendum.

Extergit autem & educit potissimùm bilem flauam, serosos item tenuesq; humores, & quandoque pituitam, ventriculo tamen magis quàm reliqua omnia medicamenta, vt Paulus tradit, noxium est Scammonium. Mesues verò non modò vẽtriculo graue atque molestum, verum & intestina ipsum abradere, internã viscera erodere, venarum ora dilatare, totiusque suæ substantiæ essentia cordi visceribusque reliquis obesse sentit. Immoderatum & minus

 opor-

oportunum idcircò eius vsum animi sequuntur deliquia, vètriculi subuersiones, alui fluores, dysenteriæ & tenesmi.

Occurritur his malis, eodem auctore, si Scammonium in Cotoneo malo decoquatur, & muccagine Psilij, Prunorum carne aut succo, aliusve lenti similiter succi permisceatur. addita Mastiche, aut aliquo ex moderatè astringentibus.

Plinius noxam eius tolli posse affirmat admixta Aloë: Scammonium, inquit, dissolutionem stomachi facit, bilem detrahit, aluum soluit, præterquàm si adiciantur aloës drachmæ duæ, obolis eius duobus. Quod & Oribasio probatur, Synopseωn lib. primo: & Collectionum Medicinalium lib. VII.

Veteres Scammonium in malo Cotoneo etiam decoxerunt, sed omisso Scammonio ipsum malum edendum præbuerunt, quod absque stomachi subuersione aluum subducat: vt lib primo De facult alimentorum Galenus scribit: & III. De simpl. med. facult.

Officinæ Scammonio in pomo præparato vtuntur, quod, vt diximus, Diagridium vocant, & compositionibus omnibus ferè crudi ac non præparati Scammonij loco admiscent.

Parantur in iisdem antidota siue electaria duo, satis familiaria, vnum ex Psilio, cuius auctor Mesues, alterum ex Prunis, quod ad Nicolaum refertur inuentorem. Quæ ad ipsius Scammonij temperationem & correctionem excogitata sunt, & ad febres ardentes, ac tertianas, adeoque omnes ex flaua bile morbos commendantur. Mastichem & Bdellium catapotiis Cochiis, quæ satis magnam Scammonij quoque admittunt quantitatem, ademit Galenus lib. primo De medic. secundum loca. quod & in cap. de Colocyntide admonuimus, vbi de Mastiche aliisque adstringentibus, quæ ad correctionem vehementius purgantium admisceri solent, latius egimus.

Modus autem Scammonij vel etiam ipsius Diagridij, vt quidem Mesues scribit, à granis est quinque ad x. aut XII.

Seruari potest, eodem auctore, ad annos quatuor. Plinius post bimatum parùm vtile censet. Vsus, ait, bimo; nec antè nec pòst vtile.

De Smilace læui maiore. CAP. II.

Smilax læuis maior.



SMILACIS herbæ duo apud Veteres genera reperiuntur: asperum vnum: læue alterum. De illo posterius, de læui nunc agemus.

Huius autem species aliquot sunt, quæ vno hoc capite comprehendi quidem possent, sed quia cuique sua nomenclatura, singulas seorsum explicabimus. Eius autem quæ læuis propriè dicitur, vna maior: altera minor est species.

Maior viticulosis ac sarmentosis cauliculis longis ac tenuibus sursum ac deorsum arboribus, fruticibus, vicinisque sepimentis obuoluitur circumligaturque: folio est lato, Hederaceo, sed molliore, læuigatioreque: flores exiliunt candidi, copiosi, rotundi, calathi effigie, colore candidissimi ac Lilia æmulantes. semen angulosum, sordido colore nigricans, exiguis syluestribus Lupinis propemodum simile, capitulo ex tenuibus membranis, continetur radices longæ, crassioribus cirris similes, intus candidiores, hàc illàc per obliquum, infra terræ tamen superficiem, feruntur.

Reperitur passim circa fruteta & sepes: quæ semel comprehendit loca, ægerrimè deserit: adeò pertinacis vitæ radices sunt.

Æstiuis mensibus copiosi dependent flores, nitore conspicui.

Græcis σμίλαξ λεία; Latinis læuis Smilax à Galeno & Paulo Ægineta etiam μίλαξ λεία. Læuis cognominatur, quòd sarmẽta eius nullis horreant spinis.

Differt ab hac Dolichus, qui & Smilax hortensis,

gensis; item & σμίλαξ arbor, quam Latini Taxum nominant. Recentior ætas Smilacem hãc, Volubilem maiorem, Campanellam, Funem arborum, Conuoluulum album, & Smilacem læuem maiorem vocat. Plinius similiter lib. xxi. cap. v. Conuoluulum etiam nominat. Existimatur quoque Ligustrum, non quidem frutex, sed de quo Martialis Epigram. lib. primo, scribens in Procillum:

Quadam me cupit inuide Procille
Toto candidior puella cygno,
Argento, niue, lilio, ligustro.

Et Virgilius Æcloga secunda, hoc carmine:

Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Seruius siquidem Virgilij interpres Ligustrum ait, florem candidissimum sed vilissimum. Inter candidissimos autem nullus hoc flore neglectus magis est, aut vilior habetur. Quòd si etiam Ligustrum à ligando nomen sortitum, Smilax hæc verè Ligustrum, vicinis etenim omnibus circumligatur ac circumuolutionibus plurimis implicatur. Germani Windekraut: Belgæ Winde & wyauge: Galli *Liseron, liset* nominant. Italis est *Vilucchio maggiore*: Hispanis *Campanilla yerua.*

Viribus autem hanc Galenus asperæ Smilaci quodammodò similem esse iudicat. Semen sicum Doryenio bibatur, insomnia multa turbulenta efficere fertur: auctor Dioscorides. Plinius nullius efficaciæ esse herbam censet.

De Smilace læui minore. CAP. III.

Smilax læuis minor.



LÆVIS Smilacis minor species, maiorem satis refert, sed humilior, tenerior, ac omnino minor: tenues illi quoq; & viticulosi cauliculi, nonnulli quorum humi repunt; alij herbas frugesque scandunt, & crebris eas voluminibus reuinciunt: folia oblongiora, Hederaceis minora, mollia ac læuia: flos similiter calathoides, nonnihil odoratus, plurima parte albidus, relucente tamen in eo diluto rubentis purpuræ colore; & radiantis stellæ effigie: semen subsequitur exiguum. radices tenues, candidæ, veluti prioris sparguntur.

Gignitur in cultis aruis frequentius, non tarò tamen & in neglectis, ac secus margines agrorum: frugibus pluuioso præsertim cæli statu molesta.

Floret vnà cum maiore.

Recentiores Volubilem minorem, & Conuoluulum minus appellant: Germani Klein windekraut; id est, Cleyn winde: *petit Liseron* Galli: Itali *Vilucchio minore.* Læuis Smilacis speciem esse, neque aliò referendam, satis manifestum. Non desunt tamen, qui Helxinen esse velint cognomento Cissampelon. Sed pro hac nos aliam ostendimus.

Non est etiam Chamæcissus; quod quandoque suspicati. Tametsi etenim foliorum, ramulorum, & radicum figura & color descriptioni, quæ passim extat, conformes appareant: & flores quia speciosi ac elegantes Leucois aliquo modo comparari queant: atq; huic κίσσου nomen non minus quàm Cissampelo conueniat, non idcirco tamen Dioscoridis Chamæcissus. Vires quoque adesse oportet, quæ in hac Smilacis specie desiderantur. Chamæcissus calida & amara folijs est, hæc verò nec amaritudinem nec caliditatem vllam obtinet: gustata siquidem qualitatem nullam exerit, magis frigida quàm calida. Quod hanc nullatenus Chamæcissum esse, abundè ostendit.

Ignaua autem est, nulliusque vsus herba.

De Hedera terrestri, siue Chamæcisso. CAP. IIII.

TERRESTRIS Hedera humilis est herba; à terra non attollitur: vicina non petit adminicula; sed multis incertæ longitudinis, tenuibus, viticulosis, aliquantulum angulo-

Hedera terrestris.



ſis, geniculatis & quandoque ſubrubentibus cauliculis repat, hac illac ſe diffundẽs. folia eius non magna ſunt, ſed lata, rotundiuſcula, corrugata, hirſuta, marginibus ſerrata, è ſingulis crebrò bina: flores cucullati, hiantes, maiores quàm Chamædryos, è cæruleo purpuraſcentes. radices perquam tenues & fibroſæ, ſubalbidis paulò nigriores. Odore tota eſt grauiuſculo, & ſapore amaro.

In cultis pariter ac incultis locis repentur, ac ſæpenumerò vmbroſis, iuxta ſepes, parietes, & hortorum areas.

Viret non modò Æſtate, ſed & Hyeme, quouis que anni tempore; ab Aprili autem in multam Æſtatem flores facit.

Hederam terreſtrem vulgò appellant, id eſt, χαμαίκισσον, item & Coronam terræ; Germani Gundelreb: Belgæ Onderhaue: Galli *Lierre terreſtre*.

Chamæciſſum autem veterum eſſe, plerique recentiorum non admittunt. Repugnare etenim apparet foliorum figura; cauliculorum longitudo: florum non modò figura, ſed & ſapor. Chamæciſſo ſiquidem (vt quidem paſſim extantia exemplaria habent) folia ſunt Hederæ tenuiora, oblonga; cauliculi dodrãtales, flores ſimiles Leucois, candidiores, tenuiores, guſtu valde amari. Huius verò herbæ folia rotundiora, nequaquam vti Hederæ læuia, latè ſerpentes & oblongi cauliculi, flores à Leucois differentes, & minus multò quàm folia, ac exiguũ quid tãtùm amarcẽtes.

Sed poteſt ipſa deſcriptio corrupta eſſe, ac pro Μικρότερα, perperam Μακρότερα legi, & quæ ſequuntur verba: πικρὰ σφόδρα τὴν γεῦσιν ἰσχυρῶς: poſterius eſſe tranſlata. Facilis & non rarò occurrens huiuſcemodi ex vno elemento in alterum lapſus eſt, & tranſponuntur quoque quædam aliquando voces à tranſcriptoribus. Facit in hanc ſententiam, quòd Dioſcorides folia Iſchiadicis commendet, ac regium morbum expurgare ſcribat: Si enim flores amariores, his potius quàm foliis, præſertim purgandi regium morbum, potentia erat tribuenda, veluti Galenum feciſſe legitur, quem potuit corrupta Dioſcoridis lectio decepiſſe.

Galenus deceptus.

Correctionem autem hanc ſi deſcriptio admittat, poterit vulgaris terreſtris Hedera, veterum eſſe Chamæciſſus. Folia reſpõdebunt Hederaceis minora, tenuiora, & admodum amara. Ramuli multum folioſi ſunt, qui licet longi ac prolixi, dodrantem tamen vix progrediuntur, quin radiculas defigant, ita vt ab ipſis radiculis dodrante haud ſint longiores.

Flores etſi Leucois figura diſſimiles, poſſunt tamen non minus, quàm alij quidam differentes, Leucois quoque comparari. Color enim aut venuſtas floris, comparationis occaſionem ſubinde præbet. Antirrhini flos, Dioſcorides ait, ſimilis Leucoio: Sparti luteus veluti Leucoij: Plinio candidus Conuolculi flos Lilio nõ diſſimilis: Eſt flos, ait lib. XXI. cap. V. non diſſimilis Lilio, in herba, quam Conuolulum vocant, naſcens per fruteta, nullo odore, nec crocis intus, candorem tantùm referens, ac veluti naturæ rudimentũ Lilia facere condiſcentis. Sunt & ita huius terreſtris Hederæ candidiores, ac tenuiores, quàm purpurei Leucoij flores. Recognita autem ac reſtituta Chamæciſſi deſcriptio talis eſt:

Χαμαίκισσος φύλλα ἔχει ὅμοια κισσοῖς μικρότερα δὲ καὶ λεπτότερα πολὺ, καὶ πικρὰ σφόδρα τὴν γεῦσιν ἰσχυρῶς, κλωνία ἀνὰ σπιθαμιαῖα περίπλεα φύλλων ἀπὸ τῆς γῆς ε ἢ ς: ἄνθη λευκοΐοις ὅμοια λευκότερα καὶ λεπτότερα, id eſt, Chamæciſſus, ſiue Hedera terreſtris folia habet Hederis ſimilia, minora tamen, & tenuiora multò, & in guſtu valdè amara: ramulos dodrantales foliis refertos à terra quinque aut ſex: flores Leucois ſimiles, candidiores ac tenuiores. Huic haud diſſimilem Chamæciſſi, Plinius quoque habet deſcriptionem lib. XXIIII. cap. XV. ſed tamen nonnihil etiam deprauatam. Delenda autem ſunt hæc verba: Spicata eſt Tritici modo. Vera lectio ſic habet: Chamæciſſus ramulis quinis ferè folioſa; cùm floret, exiſtimari poſſet alba Viola, radice tenui.

Plinij locus caſtigatus.

Extant verò & apud Plinium & aliæ Chamæciſſi. Eſt ſiquidem Chamæciſſus Hederæ ſpecies, quæ nunquam à terra attollitur, ὀλίγυιος dicta. Item Chamæciſſus vnifolia; quam pro

Cycla-

Cyclamino certa sibi demonstratam libro xxv. cap. ix. refert.

Chamæcissi item nomenclaturæ variæ inter nothas occurrunt,& aliquot quidem dissimilium stirpium inter se confusæ, vt, Χαμαιμηλίνη, κισσὸς ἄκαρπος, σεληνῖτις, γῆς στέφανος, Hedera pluuiatica. Chamæleuce autem propriè Tussilago est. κισσὸς ἄκαρπος, Hedera sterilis. Selinitis appellatio multis communis est: γῆς στεφάνου, siue Coronæ terræ nomen huic verè debetur, foliosis siquidem veluti serto late sparsis ramulis terram coronat. Hedera pluuiatica rectè etiam appellari potest: nam per pluuiosam cæli tempestatem maximè luxuriat.

Cæterum facultate Hedera terrestris calida & sicca est,& quia amara, abstergere, & viscera ab obstructionibus liberare potest. Aduersus tinnitus & surditates commendatur auribus imposita. Matthiolus ærugini eius succum permixtum cuniculosis ac fistulosis vlceribus vtiliter adhiberi refert.

Dioscorides Chamæcissi folia Ischiadicis trioboli pondere in aquæ cyathis tribus ad dies quadraginta aut quinquaginta pota auxiliari refert: eademq́ue morbum regium expurgare similiter sumpta, ad dies sex aut septem. Galenus omnem (vt diximus) facultatem floribus tribuit: Chamæcissi flos, ait, cum sit admodum amarus, iecur obstructione liberat, daturq́ue ex coxendice laborantibus.

De Soldanella. Cap. v.

Soldanella,



LÆVIS Smilacis generibus venit etiam ascribenda Soldanella. spargit hæc per terram graciles, viticulosos, subrubentes cauliculos, circa quos in longioribus pediculis, folia Hederacea, læuia, splendentia, sed lata, & subrotunda: flores calathi formam similiter referunt, diluto purpureo colore subrubent: semen in rotundis folliculis nigricat. radix oblonga tenuis. Saporem herba amarum ac subsalsum à natali contrahit solo. Nascitur enim in maritimis.

Reperitur verò non modò in Italia, aut Gallia, verùm & in Zelandiæ insulis, Flandriæ, ac Hollandiæ littoribus.

Æstiuis mensibus floret.

Recentiores Soldanam & Soldanellam vocitant: Belgæ Zeewinde/ id est, Conuoluulum marinum. Dioscoridi est κράμβη θαλασσία.

Calida autem & sicca temperie Soldanella est, & tertio quidem excessu, vti amara, salsilaginem cum acredine quadam referens, gustabilis eius qualitas ostendit.

Aluum purgat; cruda & aquosa detrahit; hydropicis censetur vtilis: aduersatur tamen ventriculo: torsiones & molestias adfert: plus subinde incommodi, quàm auxilij confert.

Testatur hæc quoque Dioscorides. Tota, inquit, herba stomacho incommoda est, acris, aluum maximè soluit, cocta in ciboq; sumpta. Coquunt cum ea quidam, ad obtundendam acrimoniam, pingues carnes.

De Conuoluulo nigro siue Helxine Cissampelo. Caput vi.

AD SMILACIS læuis genus pertinet quoque, quod Conuoluulum dicitur nigrum. Huic pertenues multæ cirrorum instar subrubentes viticulæ, quibus fruticibus, omnibus quæcunque contingit vicinis, sese crebris circumuolutionibus implicat: ab imis ad summa proserpens: folia lata sunt, longa, & acuminata, Hederæ foliis molliora, tenuioraq́ue: flores exigui racematim cohærent, candiduli: semen triangulare veluti Fegopyri, sed minus & nigro resplendens colore, tenuibus, subrubentibus membranis, veluti glumis integitur. radix exigua breuisq́ue est.

Conuoluulum nigrum.



Plinij locus animaduersus

Iuxta sepimenta, & frequenter in vinetis reperitur.

Vindemię tempore semen perficitur, ex quo, nec aliunde, primo Vere succrescit.

Germanis Schwartzwinde/id est, Conuoluulum nigrum, aut Volubilis nigra dicitur: nonnullis Volubilis media.

Dioscoridi ἑλξίνη κισσάμπελος; Democrito in Geoponicis, μελανόκισσος Latinè Mollis hedera. Cissampelos autem cognominatur, non modò ad differentiam alterius Helxines, quæ & Parietaria, verùm quòd & Vitibus crebris amplexibus sæpenumero circumuoluitur.

Reperitur huius & multò alia, in exemplari quo Marcellus Vergilius vsus est, descriptio, & appellationes complurimæ: sed Ruellij & Cornarij editiones magis probandæ. Plinius lib. XXI. cap. XVI. non de hac Helxine, sed de Ixine scribit. Exemplaria perperam Helxine pro Ixine habent. Ixine verò Chamæleon albus.

Facultatem autem Conuoluulum istud nigrum compertam aut probatam hoc tempore nullam habet. Dioscorides foliorum Helxines Cissampeli succum, vim habere ait soluendi aluum si bibatur.

Campana cærulea.



Granum Nil.

De Campana cærulea. CAP. VII.

ACCEDET læuium Conuoluulorum numero oportunè etiam Cãpana vulgò nuncupata Lazura, id est, cærulea. Longos, teneros, viticulososq́; hæc promit cauliculos, quibus ponè posita quæcunq́; conscendit & amplectitur, crebris sese iis implicans voluminibus, folia lata sunt & angulosa, mollia, vetustis angulosis Hederæ foliis maiora, non in totum læuia, sed nonnihil hirsuta: flores veluti Smilacis læuis, instar Campanulæ, sed per oras angulosi, & colore in cæruleo purpurei: semen nigricans. radices tenues & fibrosæ.

Peregrina hæc stirps, & aliunde illata, sub finem æstatis, si calida feruensque fuerit, in Belgio flores facit.

Campana, vt diximus, Lazura, & Campana cærulea à recentioribus nuncupatur: aut Conuoluulum cæruleum. Existimatur Ligustrum esse nigrum, cuius meminit Columella lib. X.

Fer calathis Violam, & nigro permista Ligustro
Balsama cum Casia nectens, &c.

Si etenim Smilax læuis maior album est Ligustrum, haud impropriè Campana ista, nigrum appellari poterit Ligustrum. Nam è cæruleo purpureus color subinde niger dicitur, velut Violæ nigræ.

Sunt autem qui hanc Campanam granum Nil Auicennæ esse volunt, de quo cap. CCCVI. Quod quidem differt ab eo Nil, quod describitur CCCCCXII. cap. Istud enim Isatis Græcorum est: illud verò peregrina ac Indica stirps, vt non modò Auicenna, sed & Serapio testatur.

Sicautem Auicennæ Granum Nil quid est? Est Chartamum Indum. Serapio verò Habal Nil est granū Indicum, cap videlicet CCLXXXIII. vbi & ipsum his describitur verbis: Planta eius est similis plantæ Leblab, id est, Conuoluuli, adhærens arboribus duobus brachiis vel tribus habet ramos & folia viridia, & è radice cuiusque folij est flos coloris purpurei, similis Campanulis in figura sua: & quando cadit flos, dimittit semen in vaginis (lego capitulis) in quibus sunt tria grana, minora granis Staphisagriæ, læuia. Cui descriptioni conformis Campana hæc Lazura est.


Non desunt verò & aliæ Conuoluulorum species, quæ ad Nil Auicennæ quoque referuntur, quarum semina superioribus annis, vir clarissimus Iacobus Antonius Cortusus ad nos misit. Caules vtriusque prælongi, veluti aliorum Conuoluulorum vicinis perticis circumuoluti; & vnius non paucis breuibus spinulis asper; alterius verò absque vllis: folia læuia, lata, haud angulosa, & eius quæ spinis caret, prona parte candicantia: flores elegantis purpurei coloris: semina nigra, læuia ac resplendentia. Et possunt & hæ quoque species esse Nil. plures etenim eiusdem generis reperiri nihil prohibet.

Cæterùm Nil, vt Auicenna quidem, calidum & siccum est ordine primo. A Serapione verò inter tertij ordinis calida & sicca reponitur.

Expurgandi vim habet, ducit crudos, crassosq; & pituitosos & melancholicos humores: pellit ventris lumbricos & ascaridas, sed ventrem conturbat, & nauseam facit: vt Auicenna. Tardè officium præstare Serapio scribit, apud quem plura requirenda.

De Mechoacan. CAP. VIII.

Mechoacan.



AD genus peregrinorum Conuoluulorum accedit & quod modò Mechoacan appellatur. Sarmenta tenuia istud promit, & quidem multa longaque, quibus vicinis perticis, fruticibus, aliisque prope consistentibus circumuoluitur, ac multiplici nexu implicatur: folia magna è virore nigricantia, lata, acuminata, ad Smilacis læuis accedentia, sed maiora, nonnihilque aspera, ac hirsuta: semen nigrum splendens. radix oblonga, crassa, interius candida, gustu exiguam qualitatem præ se fert.

Nicolaus Monardis florem huius esse scribit veluti Mali aureæ, ex quinque foliis maioribus compositum, è cuius medio instar lobi capitulum exit, ad Auellanæ nucis magnitudinem excrescens, quod intersepiente tenui membrana in duas partes dehiscit, in quarum singulis duo semina Ciceris exigui magnitudine, colore nigra.

In prouincia nouæ Hispaniæ Mechoacan primùm fertur repertum: Nascitur verò & in America continenti, veluti in Nicaragua ac Quito, quod præstantius habetur.

Nomen à prouincia in qua reperitur retinet: Sunt qui existiment Bryoniæ esse speciem, sed cùm radix non sit amaricans, sed citius ἄποιος, siue gustabilis qualitatis expers, aut, vt quidam dicit, exqualis, cum Bryonia parùm conuenit. Bryoniæ siquidem radix valde amara est, iam & forma foliorum, florum, ac fructuum differens. Nonnulli Rha album appellant, nec tamen Rha simile. Ad Scammonium magis accedit, & Scammonium quoddam esse Americanum apparet. repit Smilacis modo, vt diximus, Scammonium: radix & albida & crassa: succus exiguam qualitatem refert: veluti Mechoacan.

Est autem radix Mechoacan in calidi frigidique medio, sed tamen sicca. Purgat per inferiorem ventrem, pituitam præcipuè, deinde serosos humores. Datur à denarij vnius pondere vsq; ad duorum, & quidem cum vino, aut stillatitio alicuius (pro morbi ratione) liquore, vel etiam in carnis iusculo. Vtiliter verò exhiberi fertur omnibus, quorum morbi causa ex pituita & frigido est humore. valet aduersus diuturnos capitis dolores, veteres tusses, respirandi difficultates, coli, renum, vteri, & articulorum dolores.

De

De Smilace aſpera. Cap. IX.

Smilax aſpera.



SMILAX aſpera multis aculeatis ac ſpinoſis horret exilibus ramulis, quibus per ſepes, frutices, ac vicina quæq; ambiendo amplexandoque ab imis ad ſumma repit: folium eius eſt Hederę, abſque angulis acuminatum, minus ac durius quàm læuis Smilacis, quandoque candidis maculis notatum: flores candidi, odorati: fructus in exiguo racemo inſtar Labruſcæ, cum emaruruit rubens leuiterque mordax, in quo ſemen punico colore nigricans, ſimile Cannabis. radix longa, aliquantulum nodoſa, dura, & in plures diuaricata ramulos.

Exit locis aſperis, incultis, circa ſepes, margines agrorum, in montibus & conuallibus. In regionibus quidem calidis, vt Italia, Narbonēſi Gallia, Hiſpania, Africa.

Flores Vere, fructus Autumno vel antè paulo matureſcit.

Σμίλαξ τραχεῖα Græcis appellatur. Gaza Theophraſti interpres Hederam Ciliciam nominat, veluti & Plinius, qui & Nicophoron cognominatam ſcribit lib. XXIIII. cap x. Hetruſcis Hedera ſpinoſa, & Rubus ceruinus dicitur: Hiſpanis Caſtellanis, vt auctor Lacuna, *Zarza Parilla*; quaſi Rubus viticula. Zarza ſiquidem, eodem teſte, Rubum, Parra autem, Matthiolo interprete, Vitem, & Parilla paruam Vitem ſiue Viniculá ſignificat. Dicitur & *ἀνάπτις, λυκάνθεμον, κυνόσβατον, ἄπλεκτον, ἀλιόφυτον, ἀνατολικόν, ἀνππικόν, ἐλάδη*, & Mergina.

Zarza Parilla. Nonnulli, quam ex Peru Americæ prouincia aduectam radicē recentiores Zarzam quoq; Parillam nuncupant, huius Smilacis radices eſſe affirmant. Et ſimilem quidem huic Garcias Lopius Luſitanus, ſed tamen eandem eſſe non concedit. Reperiuntur ſæpenumerò ſimiles, quæ tamen vel minimo aliquo diſcrimine differunt. Differentiam etiam cæli ſoliq́ue diuerſa conſtitutio adfert.

Zarza Parilla Peruuiana peregrina eſt, & è noui Orbis ſiue Americæ prouinciis infertur. Quæ autem illinc aduehuntur, licet etiam in Europa natis ſimilia videantur & ſint, viribus tamen non raro differunt. Neque enim ſoli cæliq́ue diuerſitas, ad formæ modò commutationem aut alterationem facit, ſed plurimùm etiam ad qualitatum viriumq́ue remiſſionem aut intentionem confert. Calidis locis enata potentiora ferè odoratioraque ſunt: frigidis minus. Quædam pernicioſa tranſlata miteſcunt, & vtilia redduntur. Ita Zarza Parilla Peruuiana tametſi Smilaci aſperæ ſiue Zarzæ Parillæ Hiſpanienſi ſimilis, temperati tamen cæli occaſione, tum & ipſius ſoli genio, longè efficacior eſt, quàm vel in Hiſpaniis aut etiam in Africa nata.

Sunt autem Zarzæ Parillæ ex America radices (quæ ſolæ aduehuntur) longæ, & tenues, tenuioribus vulgaris Glycyrrhizæ radicibus ſimiles, ab vno complures dependentes quandoque capite, in quibus medius durior neruus: ſapore ſunt exiguo, & odore non perceptibili prædite. Feruntur gigni in Honduras Peru prouincia. Nomen à ſimilitudine aſperæ Smilacis acceperunt.

Apud indigenas ſuū ei nomē, quod Latinis ſpinoſam quoq; vitē ſonat, Garcia Lopio teſte.

Calidi autem & ſicci temperamenti ſunt, partiumq́ue adeò tenuium, vt earum decoctum quàm facillimè ſudorem prouocet. Articulorum capitisque diuturnis doloribus, frigidisq́ue affectionibus auxiliantur; omnibus item malis, citra tamen febrim, proſunt, quæ ſudore tolli ac curari poſſe ſpes eſt.

Sufficiunt ad curationem pauci dies, leuiore morbo: maius aut diuturnius malum, diuturniorem curationem poſtulat.

Quæ verò ex Hiſpaniis aut aliunde Zarza Parilla, ſiue Smilax aſpera adfertur, minus efficax ha-

cax habetur. Commendatur hæc à Dioſcoride & Plinio aduerſus venena.

Huius folia, inquit Dioſcorides, aduerſus lethalia medicamenta antidota ſunt, ſiue antè, ſiue pòſt pota.

De Bryonia alba & nigra. CAP. X.

Bryonia alba.



BRYONIÆ duæ ſunt (præter ſylueſtrem nonnullis dictam Bryoniam:) vna alba: altera nigra cognominatur.

1. Alba Bryonia multa longa & tenuia ſarmenta promit: clauiculos ſiue capreolos habet inſtar Vitis: folia eius lata ſunt, quinquangularia, & ad ſimilitudinem Vitium diuiſa, ſed aſperiora, hirſutiora, candidioraque: flores exigui, candidi, racemoſi: fructus in vuis paruis, quarum acini initio virent, maturi rubent. radix prægrandis eſt, longa & craſſa, altè deſcendens, ex albido ſubluteí coloris, guſtu perquàm amaro & ingrato. Sepimenta, dumos, frutices ſcandit & ſuperat, non tamen aliorum modo circumplicando ſe, ſed clauiculis ſuis vicina omnia apprehendendo, iisque ſe diuerſimodè innectendo ac implicando.

2. Similis huic Bryonia eſt nigra. tenuibus ſiquidem & viticuloſis cauliculis, foliis, capreolis, floribus, vuarum acinorumque figura, radicis mole & quantitate priorem refert: ſed acini per maturitatem nigricant. radix quoque foris ſubnigra, interius buxeo pallet colore. Arbuſtorum hæc, ſepium, dumorumque ramulos faſtigiaque capreolis ſuis quoque tantùm comprehendit, in omnes partes latè ſeſe veluti prior explicans.

Candida ſiue alba Bryonia multis in Belgio locis reperitur, ſimiliter in Sueuia ac Rhenana Germaniæ prouincia, & paſſim in Italia, ſecus vias ac agrorum margines.

Nigram gignunt Heſſia, Saxonia, Weſtphalia, Pomerania, Miſnia, vbi candida non prouenit, vt Valerius Cordus ſcriptum reliquit.

Vtriuſque flores Maius, vuas verò Autumnus ſuppeditat.

1. Prior Græcis ἄμπελος λευκή, id eſt, Vitis alba. & ἄμπελος quidem dicitur, non modò quòd foliis Vitem referat, verùm etiam quia fructum in exiguæ vuæ, acinis licet raris, ſimilitudinem conformatum producat. Dicitur & βρυωνία λευκή, ὀφιοστάφυλον, χελιδόνιον, μήλωθρον, ψίλωθρον, ἀρχέζωστις, ἄγρωστις, ἢ κέδροστις: A Plinio etiam Madon; ab Arabibus Alpheſera; à Matthæo Syluatico Viticella: in Theſauro pauperum Roraſtrum: Apuleius Apiaſtellum, Vuam Taminiam, Agrifolium & Dentariam appellat: Germani Stichwurtz / hundskurbs / huntsreben / teuffels kirſen: noſtri vulgarem appellationem ſequentes, Bryonie: Galli *Couleuree*: Italis *Zucca ſaluatica* Hiſpanis *Nueza blanca* & *Norca blanca*.

2. Altera Græcis ἄμπελος μέλαινα, ἢ βρυωνία μέλαινα: Latinis Vitis nigra, Bryonia nigra: à nonnullis χειρώνειος ἄμπελος, βουκεράτιον. Galenus propriè βρυωνίαν vocari ait. Idem Plinius affirmat, qui & à nonnullis Chimniam, γυναικάνθην, ac ἀπρωνίαν dici, refert. Chironia autem cognominatur à Chirone inuentore. Eſt Chironis, inquit Plinius, inuentum Ampelos, quæ vocatur Chironia.

1. Facultate autem Bryonia alba omnibus ſuis partibus calida & ſicca eſt, tertium gradum, præſertim caloris, excedens, cum expurgandi potentiſſima vi, per quam non modò bilioſos ac pituitoſos, ſed & aquoſos humores educit.

Aſparagos, qui prima germinatione prodeunt, ſi decocti edantur, aluum & vrinam ciere Dioſcorides ſcribit. Galenus verò ab omnibus pro more per Ver edi, ait, eduliumque eſſe ſtomacho propter adſtrictionem gratum. Quod de Vitis ſylueſtris, ſiue Tami quidem; ſed nequaquam de huius germinibus veritatem habet. Nam albæ Bryoniæ aſparagi, ſiue prima germina nequaquam adſtringunt, ſed aluum vehementius commouent, ſtomachoque grauem moleſtiam inferunt. *Galenus notatur.*

Dioſco-

Dioscorides item radicis succum Vere exprimi, bibique cum aqua mulsa, pituitamq; ducere, ait. Ducit autem non modò succus, sed & radicis decoctum pituitam, bilem flauam, ac serosos aquososque humores, & quidem validissime, vnà ventriculum ita sæpenumero perturbans, vt & eosdem vomitione reddi procuret.

Conferre huiusce modi vehemens purgatio hydropicis posse speratur. & quos comitialis morbus, aut capitis diuturnæ & pertinaces vertigines detinent. Sed tamen epilepticis non quotidie, vt Dioscorides monet, exhibendæ. subinde etenim dedisse satis erit molestum. Validum enim, vt diximus, est remedium, violenter purgans, & naturæ vim inferens.

Extrahit eadem radix mortuos fœtus & secundas subdita: idemque in insessibus decocta potest. Cutim eadem extergit & erugat: maculas solares, varos, lentigines, cicatrices nigras, cum Eruo & Chia terra ac Fœnogræco depurgat, aut in oleo decocta vsque dum colliquescat. Tollit suggillata: digitorum pterygia compescit cum vino imposita inflammationes discutit ac abscessus rumpit: educit & ossa trita ac imposita: miscetur & commodè erodentibus medicamentis: auctor Dioscorides.

Fructus ad scabiem & lepram facit illitus & impositus, eodem auctore. Galenus iis, qui coria densant, vtilem perhibet Plinius lactis abundantiam facere scribit. Videtur tamen magis lactis generationi aduersari. Nam acris est, & eo vellera ac coria, Dioscoride teste, depilantur.

2. Nigra Bryonia supradictæ, vt Galenus ait, ad omnia similis, nisi quòd imbecillior.

De Vite syluestri, siue Tamo. CAP. XI.

Vitis syluestris.



VITIS syluestris longos, lignosos, mediocris crassitudinis, rimosi corticis, instar sarmentorum Vitis, obscurè subrubentes viticulosos promit coliculos, quibus vicinis quibusuis multis se amplexibus circumuoluit, ac crebris intorquet circuitionibus ab imis ad fastigium scandens: capreolis siue viticulis caret folia Hederacea, mollia, splendentia, Smilacis leuis haud absimilia: flores candidi, exigui, muscosi, odorati, racematim dependent: vuę paruę sunt: acini virent, maturi cocci modo rubent: radix crassa, longa & magna, succo glutinoso & lento plena, adeò vt friata digitis adhæreat.

In syluis opacis & similibus locis asperis, pręsertim vbi aquæ subsunt, gignitur: reperitur & sub Corylis prope Argentinam: vt Kybetus prodidit.

Martio mense asparagi siue prima erumpunt germina: flores Maio: vuæ circa vindemiæ tempus maturantur.

Græci hanc ἄμπελον ἀγρίαν, id est, Vitem syluestrem dicunt. Differt tamen non parum à Labrusca siue Vite vinifera syluestri, quæ & ἄμπελος ἀγρία. Præbuit vtriusque ὁμωνυμία Plinio occasionem, vt satis de hisce explicare non potuerit: lib. XXIII. cap. primo. & vtramq; inter se confuderit. in quo sunt & Arabes notandi.

Dicitur verò & hæc syluestris Vitis, Latinis Tamus: fructusque eius Vua Taminia, Italis *Tamaro*. Vua Taminia autem, etiam Staphisagria est: sed hanc falsò ita nuncupatam, Plinius inquit. Germanis est Schmartwurtzel. Allobroges Latinam vocē retinent, & Tamum quoq; aut Tanum appellant. Plinius Salicastrum etiam vocat: Ruellius Sigillum B. Mariæ, in Officinis quibusdam nominari refert.

Non est hoc loco refellenda eorum sentētia, qui Cyclaminum alteram hanc esse volunt. vel sola enim radicis magnitudo facile hos redarguit. Cyclamini siquidem radix ἄχρηστος, id est, nullius vsus ac exigua, huic autem magna & multi vsus. Cum eo magis videretur agendum, qui ἄμπελον siue βρυωνίαν μέλαιναν esse pertinacius tuetur: nisi reperta, & ab eo conspecta legitima Bryonia nigra, sententiam mutaturum speraremus. Sed tamen quid vetat & in huius

huius errorem animaduertere, & Tamum non esse Bryoniam nigram docere? Caret capreolis Tamus, fructum non nigrum, sed pulchrè rubentem gignit. Bryonia verò nigra capreolos habet instar Vitis, & acinos profert nigros. Ostendunt hæc differentiam satis euidentem.

Sunt autem Tami siue syluestris Vitis radices calidæ & siccæ ordine tertio: fructus adsimiles facultate attamen mitiore. Vtraque abstergunt & digerunt.

Dioscorides radices ait, aquosa detrahere & hydropicis vtiles, si in vino quod aquam marinam admixtam habeat, feruefiant; & cum aquæ cyathis duobus bibantur: fructus siue acinos, cùm à Sole, tum & alias cutis maculas expurgare.


Abstergunt autem non modò acini maculas, verùm & suggillatarum partium liuores citissimè digerunt ac resoluunt, quod & radices impositæ possunt.

Recenter enata germina, muria condiri atque inter cibaria recipi, Dioscorides refert. Infernmensis & nostra ætate in Hetruria, Matthiolus scribit. Idem quoque in Hispania Bęticafieri alij asserunt.

Dicuntur à porcis huius radices quæri, erui ac cum voluptate mandi, neque minus esse gratæ, quàm Cyclamini orbiculatis, quæ inde Panis porcini nomen indeptæ sunt. Si quis autem hanc ob causam Cyclaminum alteram esse contenderit, hunc & plures alias Cyclaminis annumerare oportebit. Neque enim huius tantummodò, sed & multarum aliarum stirpium radices quærunt, eruunt, auidissimeque deuorant porci, quarum nullæ ad Cyclamini genus pertinent. Temerarium idcirco fuerit, Tamum Cyclamini speciem asserere, quòd eius radices porcino generi gratæ sint.

De Christophoriana. CAP. XII.

Christophoriana.



TAMETSI Christophoriana ex earũ non sit genere, quæ adminiculis egent aut amplexu viuunt; quia tamen vuas fert, ἀμπέλοις se facile annumerari permittet.

Cauliculos hæc promit teneros, pedem longos, aut altiores non multò: folia circa hos & è radicibus, ex pluribus commissa, particularia quorum lata, acuminata, & ambitu serrata, in virore candicantia: flores tenues, muscosi, candidi, in fastigiis cauliculorum veluti in spicam conditi: fructus rotundis paulò longiores, per maturitatem nigri, striam lineamve ab vna parte ostentantes, vuarum acinis alioqui similes, & in vuæ modum cohærentes: radix crassiuscula, non absque fibris, foris nigricans, interius buxi colore lutea, viuax ac diuturna, quotannis cauliculos & folia regenerans.

Plerisque Germaniæ & circa Rhenum Mosamque locis, in syluis præsertim montosis, hæc occurrit.

Flores Maio, sed fructus Augusto aut serius perficitur.

Nostra ætas Christophorianam, & S. Christophori herbam vocitat. Sunt qui Costum nigrũ dicant: alij malũt Aconitũ bacciferũ nominare. Costo autẽ nihil habet respõdẽs. Aconitis autẽ annumerari cõtigit, ꝓpter perniciosam & Aconito similẽ, quã habere creditur, facultatẽ.

Fertur enim exitialis, ac non minus noxia quàm Aconitum.

De Dulcamara. CAP. XIII.

DVLCAMARA Vitis modo lignosa promit sarmenta, & ab iis ramulos complures, quibus scandendo vicinis sepibus fruticibusque innititur: cortex nouellorum ramulorum viret, sed vetustiorum ipsorumque caudicum asperior cineritio subeandicat colore, extrinsecus quidem; nam interius pulchrè etiam viret: lignum fragile, medullam fungosam habet: foliis vestitur oblongis, læuibus, mucronatis, Smilaceis minoribus, circa pediculum appendi-

Dulcamara.



ces vtrinque paruas ferentibus: flosculi in muscariis exiguis, haud magni; ex quinque foliolis angustis, colore quandoque albidi, Gesnero teste, in Belgio vt plurimùm in cæruleo purpurei; in quorum medio luteus prominet apex: baccæ oblongioris formæ, molles, lenti & ingrati gustus, eleganti corallij colore rubent. radix modica multis fibris committitur.

Aquosa & rigua amat, circa sepes & fossas frequenter reperitur.

Folia Vere erumpunt: flores Iulio exeunt: Augusto baccæ siue acini maturi.

Posterior ætas Amaram dulcem, Amarodulcem, & Dulcamaram, & Græcè γλυκύπικρον & γλυκυπικρίδα nominant: Germanice Je lenger je lieber / Hynschraut, Belgę Alfrante. Sũt qui Vitem syluestrem Dioscoridis esse existiment: alij Solani speciem faciunt, Solanum lignosum aut fruticosum cognominantes. Sed Vitem quidem syluestrem, iam anteà ostendimus esse Tamum; Solano autem simile nihil habet. falluntur idcircò maximè, qui Solanum rubrum, aut Solanum fruticosum appellant, ac eius baccis loco acinorum Solani vnguentorum nonnullorum refrigerantium compositionibus admiscent. Est enim fructus huius nequaquam frigidus vt Solani, sed calidus, vt mox dicetur. Plus similitudinis cum Cyclamino altera habet: folium respõdet, caules licet non manifestè articulati, non tamen absque geniculorum specie; in flore alicubi candido; & fructu acinaceo corymborum Hederæ modo dependente nihil desideratur; neque in ipsis similiter radicibus verè ἀχρήστους. Nam præter quòd tenues, nullam quoque vtilitatem conferunt.

Cyclaminus altera. Describitur Cyclaminus altera à Dioscoride his verbis: Folia habet Hederæ similia, sed minora: caules crassos, γονατώδεις, id est, geniculatos; vicinis se arboribus ἑλικοειδῶς, id est, modo capreolorum Vitis, circumligantes: flores candidi, odorati: fructus vt acini vuæ, similis Hederæ, mollis, sapore leuiter acris & viscosus: radix ἄχρηστος, siue inutilis.

Dicitur autem Cyclaminus altera, Dioscoride teste, κισσόφυλλον & κισσάνθεμον. conuenit vtraque appellatio Dulcamaræ: nam foliis, floribus & fructibus Hederam æmulatur.

Cæterùm facultate, & foliis, & fructu calida, resiccans, abstergens & digerens est. Fertur foliorum decoctum iecinoris fellisque obstructiones reserare, & aduersus regium morbum vtiliter bibi. Ruptis verò & ex alto præcipitatis, aut cæsis etiam succus vtilis habetur. Creditur siquidem concretum alicubi in visceribus sanguinem dissoluere, & partium læsarum sanitatem procurare.

Hieronymus Tragus è ligno minutim conciso vini decoctum conficere docet, quod ictericos & hydropicos & per vrinam, & per inferiorem ventrem clementer purgare refert.

Haud dissimiles istis Dioscorides quoque Cyclamino alteri facultates ascribit. Fructus, inquit, drachmæ vnius pondere potus, cum vini albi cyathis duobus, ad dies quadraginta, splenem liquat; ita vt per vrinam & aluum absumatur. Bibitur ad orthopnœam: reliquias à partu purgat.

De Alsine repente. CAP. XIIII.

ACCEDERE potest superiori, quam destitutus alio nomine Alsinen repentem Clusius nuncupauit, nequit enim per se consistere, & nisi pedamentis fulciatur, humi serpit: adminiculis ponè positis, perticis aut fruticibus si sustineatur, in altum scandit: caules illi sunt oblongi, tenues, teretes, ac geniculati: è singulis articulis bina contra se posita folia enascuntur, oblonga, lata, læuia, dilutè virentia, Alsines similia, verùm maiora, & ad Helxines siue Parietanæ magnitudinem accedentia: flores è folliculis albidi: succedunt acini per maturitatem nigri, Piperis grano aut Hederæ acinis similes, in quibus semina plana & minuta. radix candicans longis, tenuibus, viticulosis sarmentosis fibris repit.

Copiosa

Alsine repens.



Copiosa in agro Salmanticensi in Hispania, vt Clusius ait, locis vmbrosis. nascitur & in Italia, Pannonia superiore, ac in Morauia, & alibi, humido solo.

Æstate floret, & fructum perficit: radices solæ restibiles, Vere nouos turiones nouaque germina promunt.

Lucas Chynus in stirpium historia haud parum versatus, Cyclaminum alteram Dioscoridis esse iudicauit. nobis superior magis ad descriptionem accedere videtur. Carolus Clusius maluit Alsinen repentem appellare, propter eam quam caules foliaq; cum maiore Alsine similitudinem habent.

Refrigerans autem hæc esse videtur, & Alsinę facultate ac potentia proxima.

De Vitalba. CAP. XV.

CAVLES sarmentosos, multos, crassos, ramosos, geniculatos, aliquantispet rubẽtes; & subinde lentos ac obsequiosos edit Vitalba; sepibus dumisque se implicans, atque itretiens, vicina omnia appetens ac superans: folia ad vnum neruum è quinis ferè coalescunt, eorum eminente vno, quæ lata sunt, Hederaceis similia, nequaquam tamen angulosa, verùm per circumferentiam nonnihil crenata: flores in racemi aut vmbellæ formam digeruntur candidi & odorati, florum Myrti æmuli; semen subnascitur exiguum triangulari specie, capillaceam tenuisque plumæ instar incanam veluti cristam gerens, gustu acre: radix fibrosa, haud magni momenti.

Vitalba.



Secus margines agrorum inter vepres & sentes crebrò reperitur apud Italos, Germanos, Gallos ac etiam Belgas, vbi lætum fœcundumque solum.

Iulio mense huius flores: fructus plumis suis incanescentes Autumno dependent.

De huius nomine inter recentiores concertatio quædam est. Fuchsius Vitem nigram siue Bryoniam nigram: Matthiolus Clematidem alteram facit. Legitimam autem Bryoniam nigram superius ostendimus. Ad Clematidem verò alteram accedere, atque eius speciem esse; negari non potest. est tamen & alia, ab hac differens, inferius explicanda. Germani Lijnen & linen appellant: Galli, Ruellio teste, *Vsorne*. Nõ est tamen frutex ille, qui Gallis *Vsorne* & Latinis Viburnum dictus est.

Facultate autem acris & calida hæc est, vsum tamen nobis compertum, non habet vllum.

De Flammula. CAP. XVI.

FLAMMVLÆ duæ sunt: vna adminiculis eget: altera assurgit nullius indiga sustentaminis.

Prior lentos obtinet & perquàm obsequiosos, sarmentosos cauliculos, cortice virenti ve- 1.

Flammula.



Flammula altera.



stitos: folia minora sunt quàm Vitalbæ, incondita, ad vnum complura pediculum, qui capreoli sæpenumero munere officioque fungens, vicinis se circumplicat. flores candidi sunt: semina exigua cohærentia, canescentibus quoque plumis, minoribus tamen ac breuioribus exornata, pro radicibus tenues sunt fibræ.

Sponte sua in Belgio nusquam exit, sed hortensis est. flores sub Augustum, semen serius succedit.

Flammulæ nomen à recentioribus accepit; habita fuit pro Clematidis alterius specie, sed tamen & semine & florum cùm figura, tum colore & magnitudine ab ea differt.

Altera Flammula foliis est amplioribus maioribusque, Vitalbę similioribus, quam & candidissimis flosculis, tum & semine plumaceam cristam gerēte, in fastigiis cauliculorum eminentibus, refert: cubito cauliculi altiores, per se consistunt, sursumque arriguntur.

Rarissima hæc Germanis ac Belgis est, & hortensis tantummodo.

Vere noua promit foliola, & cauliculos: Æstate flores: Hyeme solæ reliquæ sunt radices.

Ab acri & mordaci eius qualitate & hanc Flammulam recentiores atque huius ætatis docti appellant. Matthiolus hanc eam esse existimat, quam Plateatius lib. De simplici medicina cap. primo literæ F, Flammulam nominat, & calidam siccamque quarto statuit gradu. Est tamen & Flammula quędam Ranunculi species, cuius in exulcerando vesicasque excitando nota palam est facultas; de qua citius, quàm de hac, scripsisse Plateanum crediderim.

Nihilominus vtraque harum Flammularum multum acris & valde calida est, ipsa tamen Flammula Ranunculo, mitiores istæ videntur.

De Clematide Daphnoide. CAP. XVII.

CLEMATIS Daphnoides, longa, gracilia, rotunda, Iuncorum instar tenuia, & geniculis intersepta, spargit sarmēta, quibus per terram serpit, radiculas etiam subinde, sed tamen rarius defigens: folia sunt læuia, latiuscula, oblonga, forma quidem Laurinis similia, sed multò minora. flores secundum folia, quinque foliolis patentes, inferius fistulosi, Buglossi floribus maiores, colore vt plurimum cærulei, quandoque candidi; rarius rubentes, odoris nullius aut exigui; radices tenuissimæ fibræ.

Rigua

Clematis Daphnoides.



Clematis Daphnoides maior.



Rigua & aquosa quærit loca, amat syluas. viret perpetua in hortis fronde, vbi flosculi eius subinde multiplicatis luxuriant foliolis.

Huius & alia maior reperitur species, quæ multo longioribus repit viticulis, & foliis est floribusque multò amplioribus, cæteris priori similis. 2.

Peregrina hæc, & aliunde aduecta.

Vigent vtriusque flores Martio, Aprili, Maio, & non rarò serius.

Κληματὶς δαφνοειδὴς à Græcis dicitur: Clematis quidem, quia instar κλημάτων repentes proferat cauliculos: Daphnoides verò, cùm à Lauri foliorum figura, tum & ad differentiam alterius, vel etiam aliarum. Nam Plinius plures eius nominis refert lib. XXIIII. cap. XV. vbi & hanc Ægyptiam cognominat. Est & alia, ait, Clematis Ægyptia cognomine, quæ ab aliis Daphnoides, ab aliis Polygonoides vocatur, folio Lauri, longa tenuisque. Polygonoides verò vox inter nothas appellationes etiam in Dioscoridis exemplaribus reperitur. Præter hanc sunt etiam φιλεταίριον καὶ σμυρτοειδής, aut potius μυρτοειδής. Alio autem loco Plinius lib. XXI. cap. XI. Vincam Peruincam & Chamædaphnen appellat. Vinca Peruinca semper, inquit, viret in modum Lauri (exemplaria perperam Lineæ habent:) foliis geniculatim circundata, topiaria herba, inopiam tamen florum quandoque supplet. hæc à Græcis Chamædaphne vocatur. Describitur tamen ab eodem, & à Dioscoride, & alia Chamædaphne, de qua alibi. Officinæ hanc Clematidem Peruincam nominant: Itali *Prouenca*: Hispani *Peruinqua* Germani Jngrun & Singrun: Belgæ Vincoorde/ maeghden cruyt: Galli *Lisseron*. *Plinij locus castigatur.*

Temperamento autem hæc aliquantulum calet, sed tamen infra secundum gradum consistit; tantùm abest vt vrat aut exulceret: siccat verò multò amplius, adstringit quoque nonnihil. Alui profluuiis & dysenteriis, Dioscoride & Galeno auctoribus, prodest: dentiumque dolores commansa mitigat.

De Clematide altera. CAP. XVIII.

QVÆ alterius Clematidis nomine à veteribus describitur, prolixis admodum & tenuibus, geniculatis, subrubentibus sarmentis per arbores, frutices, perticas, pergulas, pedamenta scandendo in altum prorepit: folia complura, prioris Flammulæ modo diuisa, sed tamen maiora latioraque: flores perquàm elegantes è longis & tenuibus dependent pediculis,

Clematis altera.



Vincetoxicum.



Clematidis Daphnoidis nonnihil referentes, sed tamen maiores, & ex quatuor tantùm foliolis per summa latioribus coacti, colore sæpe cærulei, quandoque rubentes, staminibus aliquot mediis. semina plana, lata, rotunda, acuminata in globulum congeruntur. radices prolixæ, tenues, in omnem partem sparguntur.

Gaudet Soli expositis, sed tamen non omnino aridis, læto & haud irriguo solo melius proficit. Apud Belgas hortensis; in Hispania verò & quibusdam Italiæ locis iuxta sepes & agrorum margines sponte exit.

Augusto mense, & quandoque Iulio, flores: semen Septembri perficitur.

Κληματὶς ἑτέρα, & à nonnullis φλογῖτις, Latinis Ambuxum, vt Dioscoridis historiis spuria addita habent. Hispanis *Gormadera*, quasi Vomitoria, dicitur.

Acre & vehementer exulcerans huius est folium, causticam, vt Galenus ait, vim obtinens: in quarti est ordinis excalfacientium initio.

Dioscorides folia imposita lepras remouere refert; semen verò tritum cum aqua pura vel mulsa potú, pituitam & bilẽ deorsum ducere.

De Vincetoxico, siue Asclepiade.

CAP. XIX.

VINCETOXICO plures assurgunt teretes, lenti, ac frangi contumaces pediculi, cubito vno aut altero altiores, qui non rarò cacumine vicina adminicula aliquot circumuolutionibus amplectuntur: folia lata, oblonga, læuia, in acutum desinunt, angustiorum Hederæ foliorũ figura: flores părui albicant, cum suauitate quadam grauiter odorati; sequútur siliquæ oblongæ in mucronem attenuatæ, candida intus lanugine; & semine plano, oblongioris formæ, subruffi coloris, ad Securidacæ accedente radices tenues fibrosæ, numerosæ & grauèolentes.

Reperitur & huius species, cauliculis crebrò longè procerioribus, perticas in proximo consistentes, ad quinq; aut sex cubitos multiplicans voluminibus conscendens; cuius flores nigri, folia verò, siliquæ & radices vti prioris.

Vtraque species hortensis Belgio est, & nigra quidem rarior. alibi in montanis, asperis, saxosis, apricis frequentior.

Circa Iunium flores, sub Autumnum è maturis siliquis lanugo dependet.

Nomen Vincetoxico recentior dedit ætas. Ruellio Hederalis est: Germanis Schwalbenwurtzel / Swaluwe wortele; id est, Latinis Hirundinaria.

Dioscoridis habetur Asclepias, cuius est descriptioni conformis, quod sententiam approbat. Tergiuersatur Matthiolus, & Vincetoxicũ differens ab Asclepiade affirmans, radices & folia negat odore commẽdari: flores ait vinum non redolere: semen non esse Securidacæ: in exem-

planbus

plerisque nonnullis, vbi de foliis, dictionem μακρὰ, vbi verò de radicibus, πολλὰς non reperiri. Sed exigui ac nullius omnino momenti hæ rationes. Radices odoratas & similiter flores, maximeque locis montosis, nemo cui incorruptum odoratus organú, esse negauerit: folia odore commendari, Dioscorides non asserit: non omnia βαρύοσμα virus redolent, graueolentia enim omnibus haud æquè magna est: semen tametsi non exquisitè quadrangulum, plana tamen oblongaq; figura, magnitudine item & colore satis Securidacæ refert. Voces μακρὰ & πολλὰς omissæ quid Matthiolo conferre poterunt? folia Hederacea sæpenumerò longa, veluti Periclymeni & aliorum: & tenues radiculæ frequenter multiplices. Verba autem Dioscoridis ita se habent: Asclepias ramulos producit longos, circa quæ folia μακρὰ siue longa, Hederæ similia: radices multas, tenues, εὐώδεις, id est, odoratas, florem graueolentem: semen vt Pelecini siue Securidacæ. Nascitur in montibus. Extant inter spurias huius & κισσὸς ac κισσόφυλλον nomenclaturæ, quarum vtraque Vincetoxico rectè conuenit.

Facultate autem Vincetoxici radices calidæ sunt & siccæ, venenis aduersari creduntur.

Dioscorides Asclepiadis radices cum vino epotas auxiliari scribit torminibus, & aduersus serpentum ictus: folia verò imposita ad mammarum & vteri κακοήθεις, i. malas difficulterque curabiles passiones, prodesse.

De Periploca siue Apocyno. CAP. XX.

Periploca prior.



Periploca altera.



PERIPLOCÆ duæ reperiuntur: vna cognomen nondum inuenit: altera Repens dicitur.

1. Prior Periploca longis, tenuibus, viticulosis ramulis, adminicula pone posita Smilacis modo ambit: folia quoque Smilacis ac Hederæ sunt similia, sed odore grauia, digitis præsertim attrita; flores in exiguis vmbellis rari, albidi: siliquæ quales Vincetoxici, sed maiores, papposæ & intus lanugine, qua semen conditur nigricans planumq;: radices fibrosæ sub terra latius serpentes, & subinde progerminantes.

2. Repens dicta Periploca, & ipsa amplexicaulis est, proxima pedamenta etiam scandendo ambiens ac circumuinciens: caules eius longi, rotundi, lenti, geniculati, subtubent: folia lata, longiora, nonnihil venosa: flores haud magni quinque foliolis albicant: siliquæ torosæ, aliquantulum recuruæ, vt plurimum geminatæ, prioris siliquis maiores, minores tamen ac

 acutio-

acutiores quàm Rhododendri, in quibus semen oblongum, duriusculum, nigricans, & mollis, candida, tomentoque similis lanugo, quæ maturescentibus dissilientibusque siliquis in conspectum prodit: radices fibrosæ, vti prioris progerminantes.

Vtraque vulnerata liquorem fundit: prior copiosiorem minus candidum atque non rarò flauescentem: Repens parciorem & candidiorem.

Perennant huius caules defluentibus folijs (vnde repentis fortasse cognomen) illius verò intercidunt, solis Hyeme superstitibus radiculis.

Rara vtraque Belgio, & quidem, vt Matthiolus scribit, etiã Italiæ, ex Syria istuc adferũtur.

Periploeas huius ætatis docti appellant. ad Dioscoridis Apocynum referendas satis videtur manifestum, præsertim eam quæ prior est. Appellatur autem ἀπόκυνον etiam κυνοκράμβη, ac Brassica canina. Sed & alia tamen est Cynocrambe Mercurialis syluestris species.

Est autem Apocyni exitialis atque perniciosa potissimum quadrupedibus vis. Nam, vt Dioscorides, huius folia cum pingui pani commixta, canes, lupos, vulpes, & pantheras obiecta interimunt, resoluuntur enim protinus eorum coxendices.

De Lupulo. CAP. XXI.

Lupulus.



LVPVLVS amplexu viuit, & perticas aliaq; adminicula circumligando se scandit. cauliculos promit longissimos, asperos, & hirsutos folia quoque aspera, lata, Vitis aut potius Bryoniæ albæ similia, veruntamen nigriora & paucioribus incisuris diuisa: flores è summis virgulis racematim depẽdent, folliculosi, squamatim instar exiguorum conorum compacti, colore subalbido, ad luteum vergẽte; odoris grauis. radices tenues, sibi inuicem variè implicantur.

Restibile ac pingue desiderat solum. lætior cultura exit. Nascitur & inter vepres sentecetaq; circa agrorum margines, sed syluestris, florum conos minores, rariores, paucioresque proferens.

Flores Augusto ac Septembri colliguntur, & ad ceruisiæ vsum reponuntur. Vere noui turiones erumpũt. Hyeme solæ restant radices.

Lupulum Officinæ & passim vocant plerique Lupum salictarium, vel Lupulum salictarium Germani *Hopffen*: Belgæ *Hoppe* & *Hoppecruyt*: Hispani *Hombrezillos*: Galli *du Houblon*. Meminit Plinius Lupi salictarij lib. XXI. cap. XV. inter sponte nascentes aculeatas, quibus pleræque gentes in cibis vtuntur. Quo auctore Fuchsius Græcis βρύον appellari asserat, nõdum reperire licuit. Βρύον Muscus est. Dicitur & Caucalis βρύον à Democrito, vt Oribasius testis.

Calidi autem & sicci secundo ordine flores sunt Lupuli, caput facilè implent, odore grauiore ipsum ferientes. Eiusdem temperamenti & folia ipsa sunt; & simul aperientia ac abstergentia.

Asparagi siue primi turiones Vere erumpentes mitiores sunt, in edulia recipiuntur, oblectamenta tamen magis, vt Plinius ait, quàm cibus. Nam alimenti quidem perexiguum conferunt, prosunt tamẽ visceribus, & aperiendo, & vrinas mouẽdo: faciliorẽ etiã aluum faciũt.

Folia, teneriores que cauliculi, & ipsi quoque flores iecur & lienem ab obstructionibus liberant: per vrinas expurgant: sanguinem emundant: aduersus diuturnas febres, scabiem & similes cutis fœditates, decocta in lactis sero prosunt.

Succus potentior est, & non modò viscera ab obstructionibus liberat; sed & bilem acerruitam educere per aluum posse creditur. Eundem auribus instillatum à fœtore eas liberare putredineque vindicare scribitur.

Floribus ceruisia conditur, copia tamen nimia amarorem ei conciliat, ac capiti molestiorem efficit.

Panem quoque leuiorem ac rariorem flores efficiunt, ac massam citius faciliusque fermentari, si aqua in qua decocti fuerint, farina subigatur.

De

De Iasmino. CAP. XXII.

Iasminum.



IASMINVM ex earum quoque stirpium est numero, quæ adminiculis fulciuntur, non tamen amplexicaulis aut vicinis se circumuoluens, sed alijs tantummodò innitẽs, veluti pergulis, hortensibusque scenis, quibus facili opere innectitur. cauliculi eius prolixi, teretes, ramosi, flexibiles, geniculati, virentes; candida fungosaque interius medulla: folia è singulis geniculis bina, ampla, alarum instar expansa; composita videlicet ex quinque aut septem alijs læuibus, oblongis, saturatè virentibus, fastigio acuminatis, eminente in cacumine reliquis maiore: flores in summis virgulis, rari, in muscarij specie cohærent, suaueolentes, colore albidi: semen latum Lupinis quadantenus simile, quod tamẽ raro succrescit: radix fibris firmatur.

Fertur huius esse species floribus luteis; & alia ceruleis. Sunt autem qui pro Iasmino luteo, Trifoliũ fruticans 4. Pempt. lib. 4. cap. 13. depictum, & pro cæruleo Clematidem alteram ostendant. Quòd si autem nõ aliæ quàm hæ pro Iasmini cæteris speciebus ostendi queant, temerè plures eius species affirmãtur. Vtraq; enim harum multum à Iasmino abest.

Colitur Iasminum in hortis, & topiarijs operibus expetitur, non modò in Belgio, verum & in Italia ac alibi: ex Africa creditur aduectum.

Flores Æstate vigent.

Inter Arabes Serapio primi nominis hanc Zambach: interpres verò Iesemin nominat; atque inde passim Iasminum, Ieseminum, Iosmenum, aut etiam Gelseminum.

Apud Dioscoridẽ compositio est Iasmini olei, quod apud Persas ἐκ τῶν ἀνθῶν τῶν λευκῶν τῦ ἴα, id est, ex albis Violæ floribus fieri refert, quod non ex alterius stirpis, quàm ex huius floribus conficiendum apparet. Nam Dioscorides inter τὰ ἴα, siue Violas, pulchros atque elegantes flosculos subinde habet. Ita vt & huius flores ab eo Violas dici, non debeat alienum videri; præsertim ipsa stirpe (vt satis apparet) illi incognita. Iam & ἴον πορφύρεον eam oleo conferre qualitatem nequit, quæ Iasmino tribuitur: rarissimeque idem albidum est; & si quando est, purpureo non præfertur. λευκόϊα calidiora sunt; sed tamen nequaquam candida, sed eius generis lutea efficacissima sunt.

Qualitate autem Iasminum ac eius potissimùm flores calidi sunt in initio secundi ordinis, vt Mesues apud Serapionem ait.

Oleum ex his confectum crudos discutit humores: frigidis ac catarrhosis confert: & hyberno vtile tempore. Quibus autem temperatura contigit calidior, his dolorem excitat capitis; & si diutius odoretur, periculum adfert sanguinis è naribus profluuij: eodem auctore.

In conuiuijs, ait Dioscorides, & post eum Aetius, odoris causa apud Persas vsurparũt. Prodest & lotis à balneo corporibus; quæ laxari calefierique expedit: grauiorem autẽ suaueolentiam habet, ita vt multi eo idcirco non libenter vtantur.

De Caprifolio, siue Periclymeno. CAP. XXIII.

CAPRIFOLIA siue Periclymena duo sunt. vnum Germanicum: alterum Italicum dicere licebit. Vterque frutex amplexicaulis, vicinis adminiculis circumligatur.

Germanicum longis, tenuibus, sed tamen lignosis, & in ramulos partitis sursum repit cau- I.
liculis; circa quæ ex interuallis folia bina ex aduerso posita, oblonga, mollia, dilutè virentia, inferiore tamen parte magis incanescentia: flores in summis ramulis complures pariter emicant, oblongi, candidi, suaueolentes, interius caui, vna parte prominentiores, staminibus aliquot è medio exeuntibus: fructus acinis similis in exiguarum vuarum modum compactus; per maturitatem rubet, in quo semen duriusculum. radix lignosa non absque adnatis.

Italicum

Caprifolium Germanicum.



Caprifolium Italicum.



2. Italicum lignosis quoque & in longitudinem prorepentibus cauliculis priori omnino simile est: conueniunt etiam folia, nisi quòd ex aduerso posita subinde vniantur, & circa ramulorum præsertim fastigia ita coalescant, vt acetabulorum profundiorum speciem exhibeant; è quibus flosculi enascuntur similes superioris, breuiores tamen, ac paulò minores: baccæ sequuntur similes & rubentes, sed tamen dilutiùs.

Nascitur Periclymenum in syluis & in senticetis, fruticibus nouellisque arbustis, ita sæpenumerò tenaciter & arctè se obuinciens, vt sui vestigia ipsis impressa relinquat.

Vere folia exeunt, vti aliis lignosis: flores quandoque Aprili, crebrius Maio ac Iunio conspiciuntur: fructus sub Autumni tempus maturi.

Græci περικλύμενον, Latini Volucrum maius: Scribonius Largus Syluæ matrem appellat: Officinæ Caprifolium, Matrisyluam, plerique Lilium inter spinas: Itali *Vincibosco*: Germani Geyßbladt/ speckgilgen/ zeunling/ waldtgilgen: Belgæ Gheytenbladt/ mammekenscruyt: Galli *Cheurefueille*: Hispani *Madreselua*. Inter nothas appellationes sunt, αἰγίνη, κλύμενον, κάρπυδον, σπλήνιον, ἐπιτῖνις, ἀξίνη μείζων, κλημᾶτῖτις, μυρσίνη, καλυκάνθεμον.

Matthæi Syluatici error. Matthæus Syluaticus Pandectarú auctor, Caprifoliú & Syluarum matrem, cap. CXXXVII. rectè quidem Periclymenon, sed perperam Lycium & Pyxacantham interpretatur, Periclymenum cum Pyxacantha ineptè confundens: peius verò etiam facit, Caprifolio vires Pyxacanthæ asscribens. Sed cap. CCCCCXXXI. Matrisyluam Periclymenon & Caprifolium rectè asserit, ac legitimas ei ex Dioscoride vires refert.

Præbuisse hic grauissimi erroris pharmacopœis occasionem videtur, qui succo foliorum *Error pharmacopœorũ* & fructuum Periclymeni densato, pro Lycio, maximo cum periculo vtuntur.

Natus hinc & alius error, quòd videlicet foliorum Periclymeni decoctum, vel ex his, aut *Error medicantium.* etiam ex floribus stillatitius liquor, oris fauciumque inflammationibus incipientibus, velut adstringentia ac refrigerantia prodesse temerè existimentur. Periclymeni enim haudquaquam frigida aut adstringens, sed calida & attenuans est facultas.

Vt enim Galenus, Periclymeni cùm fructus, tum folia, adeò vehementer incidentis pariter & excalfacientis facultatis sunt, vt si plusculum bibantur, vrinam sanguinolentam efficiant: principio tamen vrinam duntaxat mouentia.

Dioscorides ait: Huius semen postquam ematuruit collectum, ac in vmbra siccatum, drachmæ

drachmæ pondo quadraginta diebus datum, lienem absumit; lassitudinem discutit; orthopnœæ & singultui prodest: vrinam cit à sexto die cruentam: idem & partus accelerat. Eandem vim & folia habent, quæ XXX. diebus pota sterilitatem efficere narrantur. Eadem cum oleo illita periodicarum siue intermittentium febrium horrores abigunt.

De Xylosteo. CAP. XXIIII.

Xylosteum.



Xylosteum alterum.



PERICLYMENO cognatus est frutex Xylosteon nuncupatus, qui tamen aliis non circumuoluitur, sed nullis egens adminiculis per se consistit.

Caudices huius subinde mediocris crassitudinis: materies ligni candida est: ramuli ro- 1.
tundi albicante vestiuntur cortice; initio tamen & cùm primùm erumpunt, subrubentes spectantur: folia veluti Germanici Periclymeni oblonga, mollia, ex albido virentia, prona parte candidiora ac leniter hirsuta: flores minores sunt, quàm alicuius Periclymeni, candidi, bini in vno pediculo, succedunt fructus gemelli instar exiguorum Cerasorum, rubentes, altero eorum sæpè minore.

Apud Heluetios, & plerosque alios Germaniæ populos, in syluis locis saxosis reperitur.

Aprili aut Maio flores, sed fructus Autumno appetente demùm perficitur.

Plerique Periclymenum stans appellant: Germani alicubi Hunds kirsen/& honds kersen, id est, Canum cerasa: Heluetij Beinhulsten: vnde Xylosteo nomen datum. Sunt qui Clymenon esse suspicentur: quibus Periclymenon, ab huius similitudine, veluti conuoluens se Clymenon dictum videtur. Sed Clymenon aliud omnino stirpis genus, caule Fabæ, & folio Plantaginis; vt quidem Dioscorides ait.

Huius generis & alius minor, omnino humilis est frutex, cuius cauliculi lignosi, tenelli, al- 2.
bicante cortice vestiuntur, & absque pedamentis eriguntur, non multò tamen cubito altius assurgentes: folia maiora, latiora, durioraque sunt, minus tamen virentia: flores exigui, candidi, in tenui oblongo pediculo bini; quibus fructus succedit rubens, Ceraso exiguo similis, maior quàm Periclymeni aut Xylostei, flosculorum vestigia duorum impressa retinens, in quo semen vnicum.

Floret

Floret vnà cum Periclymenis: fructus Augusto perficitur. Ex Germania in Belgium illatus frutex est.

Nomen idem quod Xylosteo posteritas dedit, cuius minor ac humilis species habetur ac dicitur. Falluntur qui Chamæcerasum appellant. Chamæcerasus non parum à Xylosteo altero differt.

De viribus autem horum fruticum nihil compertum habemus, aut aliunde accepimus.

De Hedera. CAP. XXV.

Hedera.



Hedera Helix.



IN censu earum, quæ adminiculis sustinentur, Hedera etiam occurrit referenda, per se siquidem non consistit, sed aliis adhæret.

Eius genera, & prima quidem, auctore Theophrasto, duo.

Vna in altitudinem se attollit: altera humi repit hęc minor: illa maior Hedera dici potest.

Maioris siue assurgentis plures quidem, sed præcipuè tres rursus species: Candida, nigra, & Helix dicta; quarum trium Dioscorides meminit.

Scandit maior arbores, vetusta ædificia, parietesque: caudices eius lignosi, subinde ita crassi vt arborescere ipsa videatur, à quibus ramulos hàc illàc diffundit quam plurimos, quibus veluti brachiis latè serpens in multam peruagatur partem, radiculas etiam ab ipsis assiduè dimittens, quibus se arboribus ipsisque parietibus annectés pertinaciter hæret: folia lęuia sunt, splendentia, superiore præsertim parte, initio quidem haudquaquam, sed vbi consenuerunt, angulosa: flores muscosi: in baccis varietas est; in colore florum etiam quædam.

1. Candida siquidem Hedera fructum fert candidum & huius vna species fructum tantummodo candidum habet; alia verò & folium quoque. Fructum verò candidum ferentium, quędam maiusculum, densum & compactissimum profert, veluti in σφαῖραν siue globum coactum, quam plerique κορυμβίαν, Athenienses verò ἀχαρνικὴν ἀροδινομένην, Acharnicam nuncupant: altera verò minorem & διακεχύμενον, siue sparsiorem, veluti nigra racemum. hæc Plinio Selinitium.

2. Nigra fructum minorem, nec vti candida compactum, sed sparsum fert, & colore quidem, aut nigrum, aut crocatum, siue crocei coloris. Hanc Dionysiam nonnulli, auctore Dioscoride, vocant; alij Bacchicam, cuius coronis Poëtæ vtuntur; Plinio teste, lib. XVI. cap. XXXIIII.

Tertia

Tertia ἕλιξ candida habet sarmenta: folia tenuia, angulosa, & vt Theophrastus, εὐθυμότερα, 3.
id est, lætiora, siue vti Plinius reddidit, cócinniora. (Dioscoridis exemplaria perperam ἐρυθρὰ *Dioscorides corruptus locus*
legunt.) fructum non gignit.

Huius præterea & species Theophrasto sunt. Est enim vna virens ac herbacea, quæ plurima: altera candido folio: tertia ποικίλη, siue versicolor, quæ Trachia vocatur.

Plinius Helicen non genere, sed ætate à reliquis differre quosdam existimare recenset: primoque Helicen, fieri vetustate Hederam.

Addit Theophrastus, Helices species, suas quoque differentias habere: & harum queque, inquit, distare videtur. Quippe inter herbaceas, quædam tenuioris folij, quædam verò minus hæc omnia habet: ποικίλης siue versicoloris, vnius maius, alterius minus folium: differunt & secundum ποικιλίαν, id est, coloris varietatem: ita & magnitudine, & colore differunt. εὐαυξεστέρα, siue auctu facilis, autem herbacea, καὶ ἐπὶ πλεῖστον προϊοῦσα, id est, & maxime se propagans. hæc ille.

Posteriora verba sic Plinius reddit: Adolescit in longitudinem maxime herbacea. Sequitur mox: Arbores autem necat candida, &c. Quæ verba non ad candidam Helicen pertinét, sed de fructifera candida à Theophrasto scribuntur. Ex quo omnia sua Plinius lib. XVI. cap. *Plinij mutilus locus.*
XXXIIII transscripsit, desideratis tamen non paucis. Nam hoc loco de Hedera non pauca reperiuntur prætermissa. Poterunt autem hæc ipsa ex Theophrasti lib. De historia stirpium tertio, à diligenti aliquo facilè restitui.

Referret hoc loco turpem quoque Plinij lapsum ostendere, hoc eodem de Hedera capite *Plinij lapsus.*
statim initio, vtrumque Cistum, marem videlicet & feminam, inter Hederæ genera numerantis, vocum κίστου & κίσσου affinitate decepti, nisi iam sæpè ab alijs doctissimis viris in hunc foret animaduersum.

Minor Hedera nigræ similis est, sed minor; cauliculi siue viticulæ eius tenues sunt, folia 4.
angulosa, virentia, subinde maculosa: non arbores, non muros, aut parietes ascendit; sed humi defixa repit: fructum etiam non gignit.

Nigra Hedera in Italia, Germania, Belgio, Gallia, circa parietes & arbores frequens est. Candida in Græcia repentur. Minor passim in syluis & opacis locis gignitur. Hanc serpentibus gratissimam, & sub hac hybernis mensibus eos latitare, Matthiolus scribit.

Flores Hedera sub Autumnum producit. baccæ post Hyemis solstitium perficiuntur.

Hederam Græci κιττὸν & κίσσον: Germani Ephew: Belgæ Veyl: Hispani *Yedra*: Galli *Lierre* appellant. Occurrunt inter spuria, & hæc eius nomina. κίθαρον, κίσσαρον, χρυσόκαρπος, ποντικὴ, κορυμβήθρα, κύσσιον, διονύσιον, ἰθυφήλιον, πέρσις, κῆμος, ἄστελος, Syluæ mater.

Maiorem Theophrastus ὀρθὸν κίσσον, Latinè attollentem aut assurgentem Hederam dixeris, Gaza excelsam reddit, Plinius rigentem Hederam appellare videtur. Recentiores Hederam arboream, quæ arbores complectitur; muralem verò secundum parietes nascentem appellant. Sunt tamen qui velint omnem assurgentem arboream cognominari, quibuscunque tandem illa conscendens adhæreat, ad differentiam nempe alterius per humum repentis. 1.

Minor ἐπίγειος κίσσος vocatur: Germanis kleyn ephew. Dicitur & χαμαικίσσος, differens tamen multum ab Hedera terrestri superius descripta. Helicen siue Clauiculam Latinè nuncupatam hanc non pauci existimant, sed Theophrastus ἕλικα ab ἐπιγείῳ κίσσῳ differre ostendit. Tertiam enim inter assurgentes Helicen facit. 4.

Cæterum Hedera, vt Galenus ait, ex contrarijs composita est facultatibus, habet enim quiddam adstringentis substantiæ, terrenæ & frigidæ: habetque etiam nonnihil acris, quam calidam esse vel gustus comprobat: nec deest tertia, aqueam namque substantiam quandam tepidam obtinet, certe si viridis sit. Siquidem dum arescit, hæc prima exhalet necesse est: manet quæ terrea est & frigida & adstringens, & ea quæ calida ac acris.

Viridis autem, folijs eius in vino decoctis, vlcera grandia conglutinat, quæque maligna sunt, ad sanitatem reducit: tum igne factas exulcerationes cicatrice includit. Porrò cum aceto cocta folia lienosis prosunt. Flores autem quodammodo validiores sunt, vt ad læuorem redacti cum cerato ambustis conueniant.

Præterea succus medicamentum est errhinon, capiti purgando idoneum; tum vetustas aurium fluxiones sanat: ad hæc vlcera vetera, tum in auribus, tum in naribus. Porrò si acrior appareat, aut rosaceo aut dulci oleo miscetur.

Lachryma eius lentes interimit, pilis nudat: vsque adeò calidæ potestatis, vt obscurè adurat. Est autem velut aqueus quidam liquor, sicut aliæ omnes lachrymæ. hæc Galenus.

Eadem ferè Dioscorides, sed tamen & paulò plura habet. Nam & acinos, ait, quinque tritos, & cum rosaceo in malicorio calfactos, & in oppositam aurem instillatos, dentium mitigare dolores: denigrare item corymbos capillos; mouere menses tritos ac subditos.

Nostra ætate rarissimus Hederæ vsus, nisi foliorum, quæ vlcusculis in cruribus, aut aliis corporis partibus procuratis (fontanellas vocant) imponuntur. Humores enim & ichores ad eas partes alliciunt: inflammationes verò ab iisdem arcent, recenter quidem decerpta nondumque resiccata. Sunt etiam, qui corymbos ad ciendam vrinam efficaces asserant, & calculosis ac nephriticis ea propter exhibeant.

De Vite vinifera. Cap. XXVI.

Vitis vinifera.



His quæ adminiculis egent, pedamentis fulciuntur, neque per se consistunt, annumerari Vitis vinifera potest. Perticis & pergulis sustinetur, horumque subsidio latè diuagatur, & in altum scandit: Vlmis & Opulis sociatur: alias item arbores amplectitur, alioqui humi constrata iacet.

Vitium autem quæ vinum proferunt, hæc quidem cultiua, alia syluestris est. Cultiuarum complures maiores, minor verò & paruula etiam quædam est.

Maiorum caudices siue trunci subinde crassi sunt, multiplici eoq; rimoso cortice conuestiuntur, ab his rami veluti brachia diffunduntur, è quibus sarmenta & palmites articulati, ex ipsis verò articulis folia & capreoli, dependentesque vuæ compluribus acinis coaceruatæ, folia lata, subrotunda, incisa, quinquangularia, capreoli tenues & intorti, quibus se vicinis innectit, & veluti manibus adminicula complectitur apprehenditque: vuæ colore & magnitudine, tum & aliis conditionibus differunt.

Candidi aut fului vnius vuæ acini sunt: alterius & externo folliculo, & interiore carne ac succo, saturato rubore nigricant: tertiæ cæruleo aut subrubente arrident colore, carne tamen & succo veluti primæ. Vinum præbent hæ vuæ candidum, mox prælo subditæ; rubens verò, si cum folliculis calcatæ relinquantur, cum quibus si diutius permanserint, color etiam intenditur. Nigrum ac obscurè rubens secundæ vinum proferunt, sed candidum ac fuluum priores vuę.

Vuarum item nonnullæ maiores, magnisque acinis constant: aliæ minoribus. Acini quibusdam frequentiores: rariores aliis. Vinaceum vnicum nonnullarum acini ferunt: plura verò aliarum. Vinum quædam austerius dant: nonnullæ dulcius. Quarundam inueteratum melius: non paucarum hornum vinum præstantius.

Minor siue parua Vitis omnibus partibus minor est, folia ei minora ac rotundiora: vuæ exiguæ, parui acini, colore nigri, rarissimè albidi aut fului, sapore dulces, vinaceo siue nucleo interius minimo ac molli.

Syluestris Vitis caudicibus, ramis, articulatis sarmentis, foliis, clauiculis cultiuam refert, sed vua eius non perficitur, immatura & austera permanens.

Aptum, inquit Florentinus, vitibus solum omnis est terra nigra, non valdè densa, neque glutinosa, humiditatem habens. Refert tamen, L. Columella ait, cuius generis, aut quo habitu vitem pro regionis statu colere censeas.

Pingui & vberi agro prudés dabit agricola gracilem vitem, nec natura nimis fœcundam; macro feracem, terræ densæ vehementem, multaque materia frondentem: resoluto & læto solo, rari sarmenti: humido sciet non rectè mandari fructus teneri Vitem, & amplioris acini, sed callosi, angusti, frequentisque vinacei: sicco rectè diuersæ quoque naturæ.

Negabat, idem ait L. Columella patruus, stercus Vitibus ingerendum; meliorem censebat esse materiam vindemiis exuberandis, congestitiam & aduectam humum.

Cælo porrò calido Vitis lætatur: æstuosissimum tamen non desiderat; frigidum verò ac glaciale non sustinet: In calidis idcircò regionibus vber est potentis vini prouentus: in frigidioribus tenuius est & ὀλιγόφορον, ac exiguam aquam admittens, vel etiam omnino ἀμάθητον,

quale

quale est quod Louanij & alibi apud Brabantos, tum quod & apud Bohemos ac Saxones, ac circa horum fines nascitur.

Validiores siquidem & potentiores vuas Sol efficit; sed & dulciores, si multum calefecerit: in Geoponicis Quintilij affirmant, qui & Lunam ad maturitatem, ad dulcedinem verò noctes conferre aiunt.

Putandas vites, antequam surculus progerminet, Columella: Februario mense, Palladius ait. Si serius puretur, lachrymans alimentum perdit.

Vindemiare Octobri mense commodissimum.

Ablaqueare autem vites, si quando expedit, Autumno vtilissimum censetur; prius quàm frigora inuadant.

Vitis autem Græcis ἄμπελος οἰνόφορος, id est, vinifera vitis, ac ἄμπελος ἥμερος, hoc est, mansuefacta siue cultiua vitis appellatur: & οἰνόφορος quidem, ad differentiam vtriusque Bryoniæ ac Tami, quæ & ἄμπελοι appellantur.

Vitis autem ex eo, quòd inuitatur ad vuas pariendas, auctore Varrone dicitur.

Minor siue parua Vitis, Idæa modò cognominatur, de qua Theophrastus lib. III. Nascitur, inquit, Vitis ea parte Idæ, quam vocant Phalacras; fruticosa est, virgulis paruis & ramis cubitalibus penè exporrigitur, quibus acini laterales nigri adhærent, magnitudine fabæ, dulces, qui γιγαρτῶδές τι, id est, vinaceis simile quid continent.

Plinius hanc Alexandrinam lib. XIIII. capite III. facit, iisdem quibus Theophrastus verbis ipsam describens. Dioscorides syluestris Vitis alterã statuit speciem. Nos maluimus inter cultiuas retinere. In Officinis huius exigui passi acini, passularũ de Corintho nomine veneũt.

Syluestris vitis ἄμπελος ἀγρία Græcis, Latinis verò etiam Labrusca dicitur: vt apud Virgilium in Bucolicis;

Syluestris raris sparsit Labrusca racemis.

Ad hoc syluestre genus pertinent, quas Plinius lib. XVI. cap. XXVII. Triferas ac insanas vocari refert: quoniam in iis alia maturescunt: alia turgescunt: alia florent.

Fructus vitis Græcis, Βότρυς καὶ σταφυλὴ, Latinis racemus & vua est. Syluestris verò vitis fructus οἰνάνθη dicitur: οἰνάνθη, inquit Dioscorides, καλεῖται ὁ τῆς ἀγρίας ἀμπέλου καρπὸς, id est, Oenanthe appellatur syluestris Vitis fructus. Galenus verò non modò fructum ipsum, sed & primum eius rudimentum siue ἐκβλάστημα vnà cum floribus, vnde succedentibus diebus syluestris vitis vua succrescit, œnanthen, lib. VIII. De medic. secundum loca, appellat.

Vua quæ solẽ passa est σταφὶς Græcè, & Atticè ἀσταφίς, Latinè vua passa, ab Officinis passula.

Acinus ῥὰξ & κοκκὸς Græcis, Latinis etiam granum. Ῥὰξ τουτέστι κοκκὸς τοῦ βότρυος, Democritus inquit, id est, Acinus siue ῥὰξ granum est vuæ. Composita est acinorum substantia ex ipsarum veluti carne, humore per carnem disperso, seminibus & membranoso integumento siue folliculo.

Semina Græcis γίγαρτα, Latinis vinacea, quandoque etiam nuclei appellantur: Officinis arilli, quasi ariduli, quòd sicci, & succum nullum præbeant: sunt tamen & vinacea Columellæ, quæ ab vuis expressis ac prælo subiectis, reliqua sunt.

Ramosum, quod in vuis medium, vnde acini dependent, Galeno Βόστρυχος, Varroni scapus est vuarum. Nonnulli racemum propriè appellari existimant.

Στέμφυλα recrementa sunt ab vuis expressis reliqua, membranosi videlicet acinorum folliculi, & vinacea cum scapis. Sed Attici, inquit Galenus, quæ ex musto expresso supersunt βρύτια appellant: στέμφυλα verò, quæ ab oliuis relinquuntur.

Vitis autem palmites, folia, & ἕλικες siue capreoli refrigerant, & potenter adstringunt: sanguinem vndequaque fluentem supprimunt: aduersus alui fluores, dysenterias, stomachi ardores, nauseam, grauidarum κίτταν prodesse possunt & foris imposita, deinde & quouis assumpta modo: ad tonsillarum etiam ac oris inflammationes gargarizata.

Eiusdem facultatis sunt vuæ ante maturitatem collectæ; tum & œnanthæ, quæ ad omnia efficacior habetur.

Lachrymam è caudicibus & sarmentis vulneratis effluentem, subindeque gummi instar concrescentem, cum vino potam calculos pellere, Dioscorides ait. Impetiginem item, scabiem ac lepram sanare, sed loco prius nitro confricato: cum oleo frequenter illitam pilos abolere, sed præstare tamen eam præcipuè, quæ è virentibus sarmentis dum vruntur exudat; quam addit & myrmecias inunctam tollere.

Vinacea, & quæ reliqua à prælo στέμφυλα adstringunt, dysentericis, cœliacis & stomacho resolutis vtilia.

Vinacea quidem tosta & in puluerem trita exhibentur. στεμφύλων verò decoctum infunditur, quod & menses insessu ac fotu superfluentes supprimit.

Eadem & cum sale vtiliter imponuntur ad inflãmationes, durities & turgentes mammas.

Stemphylôn verò Τέφρα, id est, cinis, tum & sarmentorum, ablata circa sedem condylomata & thymos cum aceto impositus sanat: luxatis & à vipera commorsis auxiliatur: & splenis quoque inflammationibus cum oleo rosaceo, ruta & aceto impositus, eodem auctore.

Lixiuio è cineribus sarmentorum vitis recentiores vtuntur ad vrentium & causticorum compositiones, quæ cauterij vicem explent.

De Vuis. CAP. XXVII.

VVÆ recentes aluum perturbant, & ventriculum flatu implent, præsertim quæ sapore acidæ ac austeræ sunt, concoctioni enim in ventriculo huiusmodi plurimum obsunt, ac dum per iecur & venas distribuuntur, frigidum ac crudum ingenerant succum, qui non facile in probum sanguinem commutetur.

Dulces vuæ & probè maturæ innocentiores sunt: succum habent calidiorem, & qui facilius distribuatur: citius per aluum quoque secedunt, præsertim humidæ, & maximè si absq; vinaceis & folliculo liquor tantummodo cum carne, vt Galenus ait, assumatur.

Peruadit autem vinaceorum substantia, tametsi siccior & astringens, omnia intestina, & nihil permutata descendit, veluti & folliculi, qui nullam quoque aut omnino exiguam mutationem subeunt, aut in corpore admittunt.

Quæ vinosi saporis vuæ sunt, medio se inter austeras siue acidas ac dulces habent modo.

Nutriunt autem inter vuas magis, quibus exiguus succus: minus verò quibus vberior; sed citius hæ descendunt, copiosius siquidem corpori ex carnea substantia alimentum, quàm ex succo accedit: succo magis aluus laxatur.

Principatum autem vuæ inter Autumnales fructus obtinent, & horæis omnibus magis nutriunt; veruntamen minus quàm ficus, minimumque praui succi habent; præsertim cum exactam maturitatem fuerint adeptæ.

Adest verò & ipsis maximum id commodum, quod velociter subsideant: si quando autem hæserint, grauiter offendunt.

Tutissimus verò vsus vuarum, si moderatè quis iis vtatur, & cùm natura fuerint carnosæ ac maturæ, nullamque austeram vel acidam qualitatem præ se tulerint: auctor Galenus.

De Vua passa. CAP. XXVIII.

VVARVM passarum plurimæ dulces sunt, austeræ qualitatis particeps nonnullę. Dulces calidiores: austeræ frigidiores sunt: vtræq; modicè adstringunt, sed paulò amplius austeræ, stomachũ hæ etiã magis roborãt: Dulces nec stomachũ dissoluunt, nec ventrẽ subducunt.

Corpus autem probè nutriunt vuæ passæ, succum habent haudquaquam vitiosum, sed aliquanto crassiorem ingenerant, qui tamen ad copiosiorem alimenti materiam facit. Copiosius autem ex dulcibus & pinguibus est alimentum, quarum præstantiores, quæ corticem habent tenuem: ex austeris & macris parcius accedit.

Inest verò & dulcibus contemperandi ac leniendi vis, cum mediocriter detergendi potentia. Thoraci, pulmonibus, asperæ arteriæ, renibus, vesicæ, ac non raro stomacho vtiles. Asperę enim arteriæ asperitudines leniunt; raucedini, dyspnϾę, siue difficili respirationi auxiliantur, ad sputi concoctionem facilemque expurgationem in quocumq; thoracis, lateris & pulmonis morbo conducunt: renum ac vesicæ cum ardore & acrimonia dolores mitigant: infestantium os ventriculi mordacium humorum malitiam obtundunt.

Iocinori etiam vuæ passæ, vt Galenus lib. VII. De medic. secũdum loca ait, prosunt, in tantum astringentes, quantum opus habet viscus affectum. Habent siquidem & vim concoctoriam crudorum humorum, & vim coërcendi maligna, suntq; ipsæ haud facilè putredini obnoxiæ; & vltra hęc secundum totam substantiam visceri ipsi familiares sunt ac propriè. Optimè enim faciunt, quæ vnà cum eo quòd intemperiem curent, etiam alere possunt. Vuæ siquidem passæ nutriunt, roborant, putrefactioni resistunt, & si intemperies ex humiditate & frigiditate, citra omnem molestiam & securè persanant: vt idem Galenus.

Eximenda esse vinacea à veteribus ad posteritatem peruenit; vt ex nonnullis veterũ compositionibus videre est, qualis est Arteriaca Mithridatis apud Galenum, quæ vuam passam ἐκγεγιγαρτισμένην, id est, à vinaceis expurgatam accipit. Nam cùm substantiam vuæ passæ crassam habeant, facilè distribui nequeunt, & obstructionibus viscerum obnoxiæ sunt, quæ ab ipsis vinaceis etiam augentur. Tantò enim difficilius distribuuntur, ac citius magisque obstruunt, quò plus ipsis adest astringentis. Quamobrem tollenda sunt vinacea, ita enim ipsarũ vuarum passarum succus minus hærebit, minusque difficulter per viscera distribuetur.

Dioscorides vuam passam cum pipere mansam, pituitam refert è capite detrahere: sedare

testium

ellium inflammationes cum fabacea farina & cumino in cataplasmate impositam: Epinyctidas, carbunculos, κηρία, putredines circa articulos, & gangrænas sanare, absque vinaceis tritam & cum ruta superpositam: ad podagram quoque commodum ex ea cataplasma esse cum succo Panacis, sed & vngues mobiles citius remoueri, si imponatur.

De Musto. Cap. XXIX.

MVSTVM, quod Græcis γλεῦκος, liquor videlicet recens ab vuis calcatis aut torculari subditis effluens, flatu ventriculum & intestina implet, difficilè concoquitur, crassi est succi; & nisi celeriter descendat, nocentius etiam efficitur. Hoc autem vnum illi tantummodo bonum, vt Galenus ait, adest, quòd ventrem deiiciat.

Citissimè autem secedit dulcissimum ac ex maturis vuis expressum. Quod verò ab acidis & austeris redditum, ad omnia pessimum est, magis inflat, difficilius concoquitur, crudiores ingenerat humores. Et tametsi aluo perturbata etiam descendat, colicos tamen sæpenumero simul ingenerat dolores, & calculi molestias adfert. Quòd si verò aluus etiam non cómoueatur, grauiora ac molestiora omnia sunt, frequenter verò & ilĕteriam & dysenteriá efficit.

πρότροπον aut πρόδρομον appellant Græci, quod vel sponte, antequam calcantur vuæ, vel primum à pressura effluit, tale succo vuarum respondet, & citò quoque descendit. Posterius vinaceorum, folliculorum, ac scaporum naturæ particeps, deterius est.

De Sapa, siue Hepsemate. Cap. XXX.

EX musto conficitur quod Græci ἕψημα καὶ σιραῖον vocant, Latini sapam & defrutum, cùm videlicet mustum dulcissimi saporis ad tertias decoquitur, vt Columella ait.

Plinius sapam & defrutum decoctionis modo differre asserit: & sapam quidem fieri musto ad tertiam partem reducto: defrutum ad dimidiam. Siræum, inquit lib. XIIII. cap. XVII. quod alij ἕψημα, nostri sapam appellant, ingenij non naturæ opus, musto ad tertiam partem mensuræ decocto: quod vbi factum ad dimidium, defrutum vocamus.

Palladius his Carœnum adiicit, quod ait fieri cùm tertia perdita, duæ partes remanserint.

Leontius in Geoponicis hepsema ex musti partibus octo, & vini centum, ad tertias decoctis conficiendum refert.

Galenus tamen ἕψημα esse mustum plurimum decoctum testatur; recentiores hepsema siue sapam, vinum coctum appellant.

Vim autem sapa habet calfaciendi, non tamen æquè vt vinum, hoc autem crassior est; minus facilè distribuitur, tardiusque per vrinas descendit, per ventrem verò subinde citius, nam hunc modicè subducit.

Nutrit autem valenter, & corpus citò implet, in ventriculo tamen propter crassitiem aliquantisper hæret, ac iocinori aut lieni minus idonea: concoquit etiam sapa crudos humores, pectori ac pulmoni inhærentes, eorumque citam expurgationem procurat. Tussi idcirco ac respirandi difficultati auxiliatur. Galenus libro III. De med. secundum loca, sapa aurium etiam dolores leniri tradit.

Refert autem non parum, ex cuiusmodi musto sapa confecta fuerit. Nam ex optimi ac generosi vini musto haud dubiò præstantior est, atque ad omnia suprascripta efficacior: ex tenuis verò ac oligophori vini musto, imbecillior & minùs efficax.

Belgij & præsertim Zelandiæ œnopolæ ex sapa & vino vtrisque Hispaniensibus certa proportione permixtis vinum componunt miscellaneum, quod pro Cretico, vulgò Maluatico nuncupato, substituunt ac venum exponunt.

Plinius sapam in adulterium mellis excogitatam ait lib. XIIII. cap. IX.

De Vino. Cap. XXXI.

VVARVM succus, quem diximus recenter expressum, γλεῦκον ac mustum nominari, vbi sordes feculentaque resederint, iamque purus nitidusque apparuerit, οἶνος Græcis: Latinis vinum appellatur, & quidem propriè. Nam alij quidam succi ac liquores, vti malorum punicorum, cotoneorum, pyrorum, mespilorum, sorborúmve, vel qui aliunde veluti ex hordeo ac frugibus consiunt, haudquaquam simpliciter, sed addito nomine eius ex quo conficiuntur vina dicuntur. Ita vinum Rhoites ex punicorum malorum acinis expressum: Cydonites ex malis cotoneis: Apyites ex pyris, οἶνος κρίθινος siue vinum hordeaceum, quod & zythum, ex hordeo compositum. Cognomina tamen & alia quædam, & quidem à stirpibus in iis maceratis vina accepere, quæ ex vite tamen vina sunt; vt absynthites, myrsinites, hyssopites; factitia autem hæc dicuntur.

Propriè verò ac simpliciter vinum appellatur, quod ex Vitis vuis expressum est, ac nullius alterius misturam admisit.

Est autem huiusmodi vini non vna natura; non vna sibi similis facultas, aut potentia: verùm differentes quamplurimæ. Est siquidem ipsorum vna in gustatu differentia, altera in colore; tertia ad consistentiam siue vini substantiam refertur, quarta in virtute ac potentia sita est. Addit Galenus eam, quæ in odore reperitur, quæ vini virtutẽ ac potentiam consequitur.

Accedere potest & ea, quæ ætatem respicit; ætate siquidem & calidiora & acriora vina redduntur, atque vnà & colorem sæpè, & substantiam, & odorem mutant.

Gustatu autem quædam dulcia vina sunt: alia austera, acerba nonnulla: pleraque etiam satis acria nec desunt media, vel ad vnam, vel ad aliam qualitatem inclinantia.

Colore verò aut albidum vinum, aut flauum: aut rubrum, aut saturato rubore nigricans, quod nigrum appellatur, aut medio aliquo inter hæc colore.

At consistentia quoddã omnino tenue: aliud crassum, pingue: intermedia quoq; nõ pauca.

Virtute hoc quidem potens; illud infirmum est: aquosum istud & ὀλιγόφορον nominatur; illud verò vinosum. sunt & inter hæc medio se modo habentia complurima.

Inest autem omni vino quantuncunque debili, vinosa quædam substantia tenuis ac calida: sunt & aquosæ partes, ac nonnullæ quoque terrestres. Neque enim similarium partium vinum est, sed, vti Galenus lib. IIII. De simplic. medic. facult. testatur, ex diuersis facultate partibus consistit.

Ex varia harum substantiarum inter se mixtura ac proportione, diuersæ ac differentes vini proueniunt facultates.

Optimum autem est ac generosissimum, in quo calidæ ac vinosæ plurimum superant: tenuissimum verò, in quo aqueæ nimium redundant.

Terrestris substantia copiosior permista vinum reddit austerum, veluti cruda acerbum: subsidet terrestris substantia, temporisque spatio secreta deorsum fertur, fitque ipsa vini fex. Non tamen semper integre secernitur, remanente in ipso vino huius substantiæ & sapore, & aliis qualitatibus.

Caliditatem autem omne vinum partim à propria Vitis natura, ac ingenito calido habet: partim à Sole accepit. Nam non modò vuas, sed & reliquos fructus maturans duplex, vt Gal. quoque testatur, caliditas est. Vna propria cuique naturalis: altera à Sole acquisita, quæ si alicubi, in vuis certè maturandis manifestè cognoscitur, percipiturque, & maximè requiritur.

A Sole siquidem calor procedens, vuas vuæque succum percoquens, ad maturitatem potissimùm perducit, ingenitum, naturalemque vini calorem excitans atque intendens, qui secus & crudatum & aquosarum partium copia ita obruitur, vt consopitus & nullus propemodum appareat.

Nisi enim proprio ac ingenito calore calidum vinum esset, vi Solis ita excoqui vua non posset, vt calidum redderetur vinum, non minus quàm multa alia tota natura frigida, quæ tametsi vi caloreque Solis & perficiantur & maturentur, ingenitam tamen naturam non amittunt: veluti Mandragoræ, Solani, Cicutæ, Papaueris, aliorumque similium, & fructus & succi aut semina, quæ frigidam suam qualitatem etiam perfecta ac matura retinent.

Quandoquidem igitur Solis calore plurima parte ad proprium sibi calorem vinum perducitur, huius autem feruor ac vis omnibus terræ regionibus aut locis haudquaquam æqualis, idcirco pro regionũ, locorumq; diuersitate, vina haud pari facultate differẽtia gignuntur.

In calidis regionibus ac Soli expositis locis generosius nascitur: in frigidioribus verò prouinciis, & ad septentriones patentibus tractibus, crudius, ac imbecillius prouenit.

Æstas feruidior generosius vinum efficit; remissior aut humidior minus maturum concedit, facit tamen non modò cæli Solisque conditio ad differentes vini qualitates, sed & ipse natalis soli genius plurimũ & eò confert: tum & vitis vuarumq; propria & ingenita facultas.

Terræ siquidẽ speciẽ ac sapor & aliæ vini qualitates, vt & Diophanes testatur, cõsequitur.

Pro vuarũ verò diuersitate, vini alium non modò colorẽ, sed & gustum esse, notissimum.

Est autem vinum, Galeno auctore, ex secundo ordine excalfacientium, sed quod admodum vetus ex tertio; Nouum verò ex primo, quæ de medio inter potentissima, & aquosissima veritatem præcipuè obtinent. Nam vinosissima & potentissima etiamnum horna, sæpenumero secundo ordine excalfaciunt. Tenuissima verò ac aquosissima, tametsi vetera, primum ordinem subinde non excedunt.

Caliditati autem proportione respondet (inquit Galenus in lib. De simp. med.) siccitas. In libris autem De sanitate tuenda, vinum non modò excalfacere, sed & humectare corpus nostrum refert, ac quicquid immodicè siccatum, id humectare ac nutrire.

Veritatem autem vtraque sententia habet.

Aliæ

Aliæ enim vini sunt, vt medicamentum, aliæ vt alimentum, facultates. Quod Galenus in lib. De alimentorum facultatibus, apertè ostendit, asserens eas vini vires, quas Hippocrates in lib. De ratione victus refert, οὐχ ὡς τροφῆς ἐστιν ἀλλ' ὡς φαρμάκου μᾶλλον, id est, non vt alimēti, sed magis vt medicamenti esse. vti enim medicamentum, euidenter ac manifestò vinum resiccat; præsertim foris adhibitum: vbi, cùm nulla eius in alendo aut nutriendo corpore sentiatur facultas, siccitas euidentius ac manifestius apparet ac percipitur.

Vlceri quatenus vlcus optimum medicamentum vinum est. vlceris verò, qua vlcus est, sanatio, mediocris est resiccatio, auctore Galeno Methodi lib. quarto.

Hippocrates quoq; vlcera madefacere quæcunque ea fuerint, nisi vino non oportere, scriptum reliquit. Nam siccum, Galenus addit, sano vicinius est: humidum verò non sano.

Quod autem potentia siue facultate vinum quidem siccum, non autem ἐνεργείᾳ, siue actu; manifestum. Nam actu quidem humidum liquidumque vinum est, ac frigidum quoque, sitim ea de causa etiam sedat, quæ frigidi humidique appetentia. Atque hac ipsa actuali (vt sic loquamur) humiditate non medicamentum, sed alimentum, si quando assumitur, existit. Nutrit enim, ac sanguinis copiam humiditate sua adauget, adauctoque alimento corpus humectat, nisi fortassis verus, potens admodum, namque præ vetustate acre factum, tale siquidem non modò excalefacit, verùm etiam corpus extenuat atque resiccat, vtpotè non ad alimenti, sed ad medicamenti naturam accedens.

Quod verò vetustate nec acre, nec medicamentosum factum est, nutrit, humectat, conferens videlicet ad alimenti sanguinisque copiam; amplius nempè actuali sua humiditate alendo, nutriendo, fouendoque corpore humectans, quam potentia resiccare valeat.

Genuinum autem ac naturalem calorem vinum refocillat, ventriculo prodest, tum ad cibi appetentiam inuitat, concoctionem ciborum promouet, alimentúmque per corporis membra deducit, robur molemque corporis adauget, pituitam extenuat, biliosos ac serosos humores per vrinam educit, sudores promouet, sanguinem ingenerat puriorem, bonum corporis colorem efficit, ac prauum in meliorem commutat. Ex morbo emaciatis, & quibus corpus reficere opus est (modò nō febricitent, Gal. VII. Method.) conducit, vires omnium maximè ac celeriter reparat, hilaritatem ac lætitiam confert: metus, curas, ac solicitudines, tristitiamq; depellit: voluptates parit, somnum clementer conciliat.

Atque hæc quidem, moderatum vini consequuntur vsum.

Immodica verò vini potatio, contraria omnia planè adfert. Temulenti animo turbantur, desipiunt, grauiorique somno premuntur, ac deinde Apoplexi, articulorum doloribus, vel omnino aliis grauissimis circumueniuntur malis. cerebro, iocinore, pulmone aut alio aliquo ex internis visceribus, largioris vini frequentiore potatione vitiatis.

Auxilio præterea vinum est contra Cicutam assumptam, aut Coriandrum recens, Meconium, Aconita, fungos, aliaque frigida perniciosa; tum & aduersus serpentum morsus, omniumque ictus, quæ refrigerando nocent ac necant.

Facit quoq; vinum ad diuturnas præcordiorum distentiones, inflationes, cachexiam, hydropisin, omnesq; generaliter frigidiores ventriculi, iocinoris, lienis, ac etiam vteri affectus.

Cæterùm vinum colore ac substantia aquæ simile, pellucidum, splendens, purum, consistentia tenue, quod album appellatur, infirmissimum est, eoque si aqua diluatur, exiguum omninò fert: vnde & ab Hippocrate ὀλιγόφορον, id est, pauciferum dictum.

Minus istud quàm alia caput ferit, aut neruos offendit, ventriculo interim haud ingratum; facilè ac citò in membra distribuitur, longè minore cum periculo quàm aliud quoduis febricitantibus cōceditur (nisi phlegmonis suspicio adsit) non tam in intermittentibus vtiliter admittitur; concoctionem siquidem, vt Galen. VIII. Method. adiuuat, semicrudos humores concoquit, vrinas & sudores mouet: Laborantibus peruigiliis, curis, tristitia, ac defatigatis vtile.

Nigrum verò intensi videlicet ruboris, crassum, non facilè digeritur, aut ad vesicam permeat, cerebrum citò tentat, ac ebrietatem facit, concoctu difficilius, circa præcordia diutius hæret, Iecur lienémve facilè obstruit; aluum ferè adstringit; sed tamen plus alit, sanguinique generando accommodatissimum, carne citiùs quàm alia corpus replet.

Quod verò diluto ac vermiculo colore rubet, ori vt plurimùm gratius est, ventriculo vtilius, minus tardè ac difficulter digeritur, minus caput ferit, minus circa præcordia hæret, faciliusque quàm nigrum ad vesicam descendit: adstringit tamen & aluum, si modò maturum sit, nam eiusmodi cruda & austera sæpenumerò debilem ventriculum perturbant, & aluum commouent.

Κιῤῥὸν siue fuluum vinum in medio esse apparet, tenuis & crassæ consistentiæ; alioqui inter omnia calidissimum; ab Hippocrate hanc ob caussam ὀπώδης appellatur, & tale quidem

non ὀλιγόφορον, sed multam aquam sibi admisceri sustinet.

Huius generis quod ætate vetus, substantia tenue, & boni odoris, omnibus quos syncope malè habet vtilissimum; etiam si ex bile flaua os ventriculi infestante accidat; Galeno XII. Methodi auctore.

Dulce vinum quantum à caliditate abest, eò & caput minus tentat, aut mentem offendit, melius verò & per aluū secedit, ipsam subinde emolliēs per vrinas verò nō ita facilè descēdit.

Quò verò & consistentia crassius, tantò etiam difficilius ac tardius permeat. Pulmoni confert, tussientibus vtile, crudos in thorace hærentes humores ad maturitatem perducit, & cum sputo, vt facilius eiiciantur, procurat. Sed iocinori minus commodum: cui, vbi vel inflammatione vel scirrho detinetur, insigniter: aut cùm obstructione laborat, nō exiguum nocet. Lienem etiam offendit; circa præcordia hæret, haud commodum iis, qui amaram coaceruant bilem: ex huiusmodi enim vino, præsertim crassiore, citissimè flaua ipsis bilis gignitur; reliquis verò, vbi bene concoctum fuerit, alimenti copiam adauget.

Austerum, quod αὐστηρὸν Græci similiter nominant, tenuius alit: & siquidem tenue & album vrinæ ciendæ non ineptum, caput minus tentat, ad digestionem in corpus non festinat, quò magis in animi defectu fugiendum, vt XII. Methodi Galenus ait.

Crassius verò in hypochondriis quoque hæret, ægrius distribuitur, non tamen diu ac nigrum, aut dulce in visceribus permanet.

Si verò & vnà κιῤῥὸν siue fuluum fuerit, mentem conturbat amplius, quàm nigrum, quoniam & eo calidius.

Acerbum autem vinum, quod Græcis στρυφνὸν, quantum à maturitate abest, tantū ad omphacitis vini qualitates accedit, haud obscuræ adstrictionis particeps. Ventriculum debilem confirmat, grauidarū κίττῃ siue malaciç resistit, alui fluores cohibet, sed & in visceribus hęret: Iocinoris ac lienis obstructiones fouet, per vrinas tardius descendit, caput exiguum tentat.

Vetus Vinum, quod quidem per vetustatem acre factum, non modò capiti molestum, sed & neruos lædit, ventriculo ac internis visceribus aduersatur, corpus attenuat.

Nouum ac hornum vinum facile hypochondria distendit, flatusque ingenerat, insomnia grauiora parit, præsertim quod non integrè repurgatum, aut crassum, aut admodū dulce est: talia siquidem citius quàm alia in visceribus hærent. Reliqua vina, vel colore, vel consistentia, vel gustu, vel ætate in horum medio, vti viribus & præstantia ab extremis deficiunt, ita quoque à vitiis & incommodis eorundem similiter absunt: facultatibus autem ad ea, quibus proximè, vel colore, vel sapore, vel consistentia, vel etiam odore, vel ætate, accedunt.

Vtilissimum autem vinum natura frigidis siccisque, item & senibus, vt Galen. De sanitate tuenda, lib. V. Nam membra eorum calfacit, & sanguinis, si quod est serum, per vrinas expurgat. Præstant ex flauis vinis, quæ pinguis sunt substantiæ. Hæc enim & sanguinem augent, & corpus nutriunt, quorum vtrumque senibus confert, præsertim eo tempore quo serosam humiditatem in venis non habent, & liberalius nutriri desiderant. Contingit autem, vt quandoque in ipsorum corporibus aquosum excrementum abundet, atqui tunc iis vinis maximè indigent, quæ vrinas ciunt.

Senibus autem sicuti aptissimum vinum, ita pueris est alienissimum, quippe quod haustū & humectet nimium & calfaciat, tum halitu caput repleat; iis qui humido calidoque sunt temperamento; aut quorum corpus omnis excessus medium: quos quàm diutissimè ne gustare quidem vinum, Galenus primo De sanitate tuenda, suadet. Neque enim his caput repleri est vtile, nec ipsos suprà quàm par est, humidos calidosq́; fieri, quoniam eò iam caloris, humorisque peruenerunt, vt si paululū vtramuis qualitatem auxeris, iam modū excesserint.

Cùm autem sit omnis excessus fugiendus, maximè hunc fugere expedit, ex quo non corpori modò, verum & animo damnum accedit.

Quare neque iam adultis vinum, nisi modicè sumptum existimandum est vtile esse, quòd videlicet ad iram & libidinem præcipites faciat, & partem animi rationalem hebetem, turbidamque reddat.

De Crasi siue temperatura vini. CAP. XXXII.

TEMPERARI autem vina & aqua misceri apud veteres longa & antiqua consuetudine receptum, veluti non modò ex Hippocratis, verùm & aliorum veterum scriptis euidens manifestumque. Sanitatis autem ac salubritatis causa, vino aqua primum misceri cœpit. Nam vt Hippocrates in lib. De veteri medicina, vinum meracum multum potum hominem aliquo modo debilem reddit. Quò videtur & respexisse Ouidius sic scribens:

Vt Venus eneruat vires, sic copia vini
Et tentat gressus, debilitatq́; pedes.

Iam & suauius, vt Athenæus ait, vinum est aqua infusa, laudatur & ab Homero quod idoneam

neam accepit mistionem. Amphictyonem autem Atheniensium Regem, Philochorus (referente Athenæo) scribit, primum omnium vinum miscuisse, quippe qui mistionem à Dionysio didicisset, quare rectè homines se habuisse ait, ita bibentes, qui prius mero resolutis corporibus flectebantur.

Craseos autem siue temperaturæ non vnus fuit modus. Subinde siquidem ad vnam vini, duæ, alias tres, vel etiam quatuor aquæ portiones affundebantur, aut ad duas vini, aquæ tres. Meracior fuit ex vini & aquæ æqualibus partibus, quam ἴσον ἴσῳ appellare soliti fuere.

Facete autem hanc veluti meraciorem ad insaniam veteres existimabant Comici, inter quos Mnesitheus, cuius hæc apud Athenæum extant verba:

ἐὰν δ' ἴσον ἴσῳ προσφέρῃ μανίαν ποιεῖ.

Insaniam dat aqua vis æquè addita.

Hippocrates lib. VII. Aphoris. huiuscemodi potionem ex æqualibus vini & aquæ portionibus permistam, veluti ebrietatem leuiorem excitantem, & voluptatem adferentem, anxietudinum, oscitationum ac horrorum quasi remedium esse ait. Ἀλύκην, χάσμην, φρίκην, οἶνος ἴσος ἴσῳ πινόμενος, λύει τὴν νοῦσον. Anxietudinem, oscitationẽ, horrorem, vinum æquale æquali potum, soluit ægritudinem. Atque huiuscemodi miscellam potentissima patiuntur vina, quæ ob eam caussam, vt diximus, οἰνώδη appellantur. Tenuia verò & aquosa ὀλιγόφορα, exiguum aquæ admittunt.

Talia fuisse potuerunt vina quæ olim Scythæ impermixta bibisse à veteribus referuntur; qui hac de causa impermixtum vinum Scythicam appellant potionem: & meracius bibentes Scythizare velle inquiunt. vt est apud Athenæum libro x.

Scythæ autem Hippocrati ac nonnullis aliis veterum, Germaniæ populi sunt vltra Danubium, qui & Ister dicitur. Rhenus fluuius est Scythiæ: Et Cyrus traiecto Istro in fines refertur venisse Scytharum.

Bibunt verò & hac ætate omnes Germaniæ populi vinum impermixtum, quod quidem apud ipsos nascitur, tum & Septentrionales reliqui qui tamen & potentiora vina meracius non aspernantur.

De stillatitio ex vino liquore, vulgò aquam vitæ nominant.

CAPVT XXXIII.

ELICITVR ex vino liquor quem Aquam vitę, & aquam ardentem vulgò appellant, quod veluti ex herbis aut aliis, stillatitij liquores, eodem ac simili modo è generoso vino extrahitur, per organa videlicet ad hoc comparata, quæ Alembica passim appellitant.

Est autem eiusmodi liquor colore & consistentia ex herbis distillatis aquis, cùm & simplici puræ aquæ, colore similis, sed facultate longè diuersus.

Vitæ cognomen accepit, quòd ad hominis vitam & conseruandam & prorogãdam faciat.

Ardens verò dicitur, quia facilè flammam concipiat. Cùm enim vix aliud sit, quàm generosissima ac tenuissima vini pars, citò admota ignis flamma accenditur ac ardet.

Calidissimus hic liquor est, & subtilissimarum ac tenuissimarum partium, tertio ordine calidus ac siccus, & quidem intenso, præsertim qui purior. Quo enim purior, hoc & calidior, siccior, ac tenuiorũ partiũ. puriorem efficiunt aliquoties repetitæ per organũ destillationes.

Prodest verò hæc ex vino stillatitia aqua omnibus vel per longiorem morbum, vel per ętatem grauiorem refrigeratis, vti senibus ac decrepitis. Calorem siquidem naturalem & fouet & auget; vires tuetur, reparat ac intendit; vitam producit, sensus omnes vegetat, memoriam non modò conseruat, verùm & redintegrat; visum acuit: vtilis catalepticis ac caro, si febris absit, occupatis, aliisque frigidis cerebri ac capitis malis laborantibus; facit ad cordis debilitatem, tremorem, ac palpitationem; ventriculum languidum excitat ac excalfacit, flatus tum in hoc, tum in hypochondriis, vel etiam in intestinis hærentes discutit, cibi concoctionem promouet, frigidis venenis potenter resistit.

Tanta in corroborando corde, ac sensuum organis excitandis huius vis ac potentia est, vt non modò intrò exigui cochlearis, vel etiam medij mensura sumpta, verùm & foris admota efficax reperiatur: naribus videlicet applicata, vel temporibus, brachiorum item carpis illita.

Subinde hoc modo vsurpata etiam morientibus atque animam agentibus vitam ad aliquot horas producit, vel etiam restituit; quæ purissima ac exquisitissima est.

Dentium dolores in ore detenta sopit: lenit & neruosarum partium ex frigido contractos, illita. Sũt qui in quartanis ante accessionẽ, præsertim post morbi statũ exhibere audeãt.

Exhibenda autem hæc aqua ex vino, cùm magno in morbis est iudicio ac delectu: cùm enim impense calida sit, & partium tenuissimarum, ac nec aliud, quàm spiritus ipse vini, citissimè permeat, ac cerebrum facillimè petit ac ferit. Apoplexi idcirco occupatis, Comitiali morbo obnoxiis, Hemicrania, Cephalea, aut vertigine ex frigida licet causâ laborantibus, nõ

tamen

tamen tutò semper dari potest: nisi enim materia morbi effectrix omnino sit exigua, & temperamento ipse ægrotus, perquam frigido, citra periculum exhiberi nequit, fusis siquidem humoribus caput amplius impletur, & morbi vis intenditur. Quòd si verò & calidi adsint humores, veluti sanguis, inflammationes quoque non parum augentur.

Nocet verò hæc aqua omnibus natura ac temperamento calidis, summè biliosis. Iecur etiam offendit: renibus quoque haud vtilis est, sæpius aut copiosius sumpta.

De Lora. Cap. XXXIIII.

IN Vinorum genere habetur quod Græci δευτερίαν, Latini loram appellitant. Tria huius, auctore Plinio lib. XIIII. cap. X. sunt genera. Vnum decima parte aquæ addita, quæ musti expressi sit, & ita die ac nocte madefactis vinaceis, rursusque prælo subiectis: Alterum tertia parte eius quod expressum sit, addita aquę, expressoque decocto ad tertias partes. Tertium est ex fecibus vini expressum. Prioris loræ compositionem Columella etiam docet, extanta nempe aquæ quantitate, quanta est musti expressa decima, vinaceis superfusa, sed adiecit, ait, præterea spumam defruti siue sapæ, & fecem ex lacu: quorum Plinius non meminit.

Sint autem vinacea oportet, ex quibus vnius diei vinum expressum erit. Ita intrita vina nocte macerari sinenda, postero die pedibus conculcanda, & permista prælo subiicienda præcipit, deinde quod fluxerit, aut doliis, aut amphoris condendum.

Dioscorides similem aquæ ad mustum modum ac proportionem retinet, sed à vinaceis lotam expressam ad tertias recoquit, additque ad singulas metretas, salis sextarios duos, & huiuscemodi loram non modò δευτερίαν, sed & πότιμον nuncupari refert.

Galenus verò secundo De alimentorum facultatibus, multò differentes huiuscemodi loræ compositiones, & quidem duas habet: vinaceis, inquit, in patua dolia coniectis tantú aquę superfunditur, quoad omnia permadeant, quod vbi satis visum factum fuerit, in dolij fundo foramen aperitur, vt dilutum effluat, idque pro vino bibût. Deinde rursus, ait, aliam aquam, parciorem tamen priori, vinaceis affundunt. sic vt hoc quoque potioni sit attemperatum: Priorem στεμφυλίτην appellari refert: ab ipsis nempe vinaceis, quæ Græcis στέμφυλα: Alteram verò Atticæ proprietatis curiosos propriè δευτερίαν dici velle.

Secundam Plinij Loram Dioscorides quoque videtur descripsisse, sed tamen non tertiam ad mustum aquæ, vti Plinius, partem accipit, sed musti & aquæ æquales: par, inquit, aquæ & musti mensura miscetur, & clementi igne coquitur, donec aqua absumatur, vbi refrixerit, picato vase reconditur.

Tertiæ loræ compositionem Cassius, Dionysius Vticensis in Geoponicis Constantino Imperatori dicatis haud absimilem habet: στέμφυλα, inquit, hoc est, γίγαρτα, post musti defluxum mox eiicienda sunt, & in dolia reponenda ac conculcanda. Etenim τρύξ, id est, fex ex his, quam patria lingua θάμνας vocant, haud iniucundus fit ruralibus potus. Conficitur autem hæc lora, ex vinaceis prælo antè non subiectis, sed à quibus mustum tantummodo, citra pressuram defluxit ac percolatum est. Quid enim ab ipsis exprimi vlterius poterit citra liquoris affusionem, vbi semel prælo subditæ fuerint?

De Omphacio & vino omphacite. Cap. XXXV.

OMPHACIVM succus est acerbæ atque nondum maturæ vuæ insolatus, vsque dum densatus ac resiccatus fuerit. Dioscorides ex Thasiæ aut Amineæ Vitis vua fieri refert. Potest verò & ex alterius cuiusuis vitis cruda ac immatura vua confici.

Modum resiccandi idem etiam ostendit. Oportet, inquit, ante Canis exortum expressum succum in rubro ære linteo cooperto insolare, vsque dum inspissetur, semper quod vasi concretum adhæserit, liquido reliquo permiscere, noctuque à subdialibus locis sub tectum referre: quandoquidem nocturni rores ipsum non sinunt concrescere.

Recentior ætas omphacium appellat, haud aridum vuæ immaturæ succum, sed liquidum & consistentia vino similem, ex collectis ante maturitatem vuis præloque subditis expressum, qui deinde in vasa reconditus insolatur, vel tepenti loco reponitur, vsque dum efferuescens & sordes quasdam à se abiecerit, & feculenta resederint, & tunc quidem sale addito (vti acerbum permaneret) in vsum seruatur. Galli & Belgæ *du Verius* passim, Latinè Agrestam: Itali *Agresto*: Hispani *Agraz* appellitant.

Est autem huiuscemodi omphacium vino omphaciti non absimile, imò reuera specie haudquaquam differens, Exprimi Dioscorides quod refert ex immatura atque acerba Aminnium vua, tres aut quatuor dies in cratibus, vsque dum rugas acini contrahant, resiccata atque deinde in cados reconditum insolari.

Cæterùm

Cæterùm omphacium quod in æreo vase inaruit, adstringendi ac insigniter resiccandi potentia pollet, particeps est & abstersionis ab æreo vase contractæ.

Alterum omphacium liquidum, siue agresta, refrigerationem, resiccationem, & egregiè adstringentem facultatem habet, ori ventriculi gratum, nauseam ac cibi fastidium tollit, appetentiam excitat, alui fluores reprimit, ardores viscerum mitigat, non modò sumptum, sed & foris admotum, sed tamen & iocinori lienibusque obstructis parum vtile.

De fece vini. Cap. XXXVI.

FEx vini, quæ crustæ instar concreta, vasorum ac cadorum vinatiorum lateribus adhæresit, sicca, solida, quęque in puluerem atteri potest, Officinis Tartarum appellatur: Græcis τρὺξ Italis *Feccia*: Hispanis *Rasura de vino*: Germanis Weinstein & Wynsteen. Laudatur verò à Dioscoride è vino veteri Italico: sin minus ab alio consimili. nostra ætas eam commendat, quæ è vini non rubentis vasis collecta est, hanc Tartarum vini albi nuncupant.

Vsus huius fecis ad multa. Argentarij argentum hac poliunt. Tinctores pannorum ad suos eam conuertunt vsus: vtilis & medicinæ.

Abundè, vt Paulus Ægineta ait, desiccat ac discutit. Adstrictoria ei subinde facultas ex vini specie, vnde colligitur, accedit.

Facit ad humidas corporis affectiones, prodest cachexia ac hydropisi, præsertim Leucophlegmatia laborantibus, singulis diebus ieiunis assumpta, instar dimidij aut integri quandoque denarij pondo, præter enim quòd serosas ac aquosas superfluitates resiccet, ac per vrinas pellat, ad alui quoque deiectionem non parum facit: profuerit verò & multò amplius, si & vel calfacientibus aromatis, vel flatum discutientibus, vel etiam diureticis, vel aluum clementer mouentibus permixta fuerit: prout malè habentis conditio postulauerit. œdematosos tumores, vt Dioscorides, sola vel cum myrto cohibet: ventris profluuia, stomachique fluores in Cataplasmate sistit, fluxum item muliebrem imo ventri ac genitalibus imposita placat; phygethla nondum exulcerata ac phymata resoluit: turgentes mammas lactique profundentes, cum aceto illita resiccat.

Vritur hæc fex non raró: signum legitimæ ac perfectæ vstionis est, si tota inalbescat, eousq; enim vrenda. Sic vstam Græcis σφὶκλην appellari Ægineta ait, Officinæ Tartatum vstum & Tartarum calcinatum vocant.

Vehementer causticam siue vrentem, abstergentem, ad cicatricem perducentem, adstringentem, excedentem & valde resiccantem vim, Dioscoride auctote, habet; vngues scabros cum resina eiicit; medicamentis, quæ adurunt, Paulus ait, admiscetur.

Vtendum ea, inquit Dioscorides, recenti, quoniam celeriter euanescit: vsta siquidem vini fex, citò humida fit, ac in liquorem resoluitur. Idcirco qui sicca ea vti volet, vitreo aut vitreato vase diligenter obstructo, in calido siccoque loco, repositam habeat oportet. Colliquescit verò hæc, & in liquorem resoluitur, si sacculo ex lino alicubi in cella subterranea frigida suspendatur.

Appellant hunc liquotem Officinæ Oleum Tartari.

Causticam & adurentem vehementemque siccantem facultatem retinet. Lepras, scabies, impetigines, aliasq; cutis & faciei fœditates citissimè tollit: addita æquali mensura ex rosis stillatitia aqua, & cerussæ tanto, quanto ad linimenti consistentiam satis sit, quo vesperi affectæ partes illinendæ sunt.

LIBRI TERTII PEMPTADIS TERTIÆ
FINIS.


LIBRI

LIBRI TERTII PEMPTADIS TERTIÆ APPENDIX, DE NASTVRTIO INDICO, ET TIGRIDIS FLORE.

Nasturtij Indici icon mista.



Nasturtij Indici vera icon.



Nasturtij Indici flos.




SVPERIORIBVS annis cùm huius Pemptadis quatuor priores libri titulo Purgantium historiæ ederentur, accesserant & nonnullarum stirpium icones ac breues descriptiones alio pertinentes. quibus ferè omnibus ad suas classes relatis, duæ supersunt. Nasturtium Indicum & Tigridis flos.

Nasturtium Indicum foliis angulosis depictum fuit & pulchrè virentibus: pediculoque in aliarum annexis. Sunt autem huius alterius omnino formæ. Non etenim angulosa, sed ambitu rotundis proxima, quibus non ad marginem, sed medius pediculus subest, veluti Cotyledonis, cuius similia admodum forent, nisi teneriora tenuioraque essent ac dilutius virentia. Caulis huius teres, tenuis, oblongus, in ramulos plures diuisus; pedamentis quibus fulciatur indiget, per se siquidem ægrè consistit. flos cum regio dicto flore satis conuenit, sed maior, propendens etiam lon-

gius

Tigridis flos.



gius habet corniculum, colore eleganter luteus est, & suauiter odoratus.

Hanc autem stirpem videre contigit Coloniæ in horto Christinæ Berrolfiæ viduæ clariss. ac ampliss. viri Ioachimi Hopperi, quæ semine ex Hispania allato hoc seuit, & diligenter excoluit.

Conuoluuli haud dubiò species est, atque in horum classem rectè admitti potest. Nasturtio autem Indico nomen ex eo datum est, quòd sapore Nasturtium referat.

2. Tigridis autem flori, vt quidem pictura ostendit, oblonga, angusta, & acuminata virent folia, flos plurima parte luteus, rubentibus tamen quàm plurimis exiguis maculis variegatus. stylus medius diluto rubet purpureo. bulbus subnigricat.

Hunc videre nondum concessum est, idcirco nec quò referendus cognoscere potuimus: videtur tamen ex bulborum genere, aut, quod verisimilius, inter Ari genera reponendus, & Dracunculi peregrina aliqua species esse, nisi pictura nobis imponat.

B STIR-

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTADIS TERTIÆ

LIBER QVARTVS,

DE DELETERIIS, AC PERNICIOSIS HERBIS.

PRÆFATIO.

PROXIMVM *à purgantibus, deleteriæ ac perniciosa herbæ ordinem poscere videntur. Vti enim purgantium quàm plurimorum vehemens, molestissima, ac non rarò perniciosa quoque, humanis corporibus facultas; ita & omnium impensè vehementerq; calidorum aut frigidorum periculosissimus ac sæpè mortiferus est vsus. Purgantes adhibitis frænis atque contemperantibus nonnullis reprimi ac corrigi opus habent: hæ etiam exquisitissimam moderationem, optimum cum iustissima contemperatione modum requirunt. Neutra per se vtiles. Vtraque intensissimas facultates obtinent. Vtraque correctionem desiderant. Quibus de causis purgantibus haud perperam perniciosa succedere videntur.*

Est verò & harum stirpium notitia medicis non minus necessaria quàm aliarum, vt videlicet ipsas, vti Scribonius Largus ait, deuitent, & ne per ignorantiam aliquam assumant. Vel etiam, si quando necessitas incidat, vt iis vtantur, id cum maturo deliberatione, summo cum delectu, & adhibitis propriis frænis efficiant.

Habent siquidem & perniciosæ suam quandoque vtilitatem, conferúntque quandoque commodum. Paucæ enim tam perniciosæ, quæ non aliqua ex parte, quandoque & oportuno tempore ac loco prosint & conferre queant contemperatione & modo adhibitæ.

DE RANVNCVLIS, ET PRIMVM DE HORTENSI.

CAPVT I.

Ranunculus hortensis I.



Ranunculus hortensis II.



RANVNCVLI genera quatuor Dioscoridi sunt: vnum latioribus foliis: alterum lanuginosius: tertium minimum: quartum lactei siue candidi floris. Posterioris verò obseruationis multò etiam plura. Possunt autem hæc in duo prima diduci genera, ita vt vnus sit hortensis Ranunculus, reliqui autem syluestres. Horum autem nonnulli vulgares, alij verò externi. Est porrò & radicum ac foliorum differentia. Quidam enim tuberosa est radice: alius longifolius, vt Flammula.

Hortensis Ranunculus folia promit in particulas nonnullas dissecta, specie frequentius trifolia, quandoque quinquefolia, per margines rarius crenata, saturatè virentia, in quibus nonnunquam veluti quædam maculæ inalbicant: caules rotundi, leniter hirsuti, partim reclinantur, radiculas demittentes, quibus se humo affigant; partim ad dodrantalem aut paulò ampliorem assurgunt altitudinem: in fastigiis horum flosculi elucent quinquefolij, auri luteo colore splendentes, staminibus aliquot exiguis concoloribus, medium sepientibus orbiculum, qui auctior factus semina in globulum confarcta continet, ex quibus componitur. radices tenues fibrosæ candicant.

Locis vmbrosis & nonnihil humentibus, non prorsus aridis, secus vias & in locis hortorum incultis sponte exit: in pratis quoque & nō rarò iuxta agrorum margines occurrit. Nec enim quòd in hortis tantummodò gignatur, hortensis dicitur, sed quia ferè præ cæteris hortis sit familiarior; atque in his creberrimè πόᾳ siue Gramini permistus reperiatur, vbi & eius flosculi quandoque multiplicatis nascuntur foliis.

Maio ac deinde serius multò vigent flores.

Ranunculi esse speciem non modò florum, verùm & ipsa totius herbæ facies & facultas ostendunt. Plinio Polyanthemum est, quod & à nonnullis Batrachion appellari testatur: vulgò Boterbloemen: Germanicè Schmaltzblům.

Temperamento hæc herba calida quoque & exurens est, Ranunculis similis, paulò tamen minor. Caustica vi, inquit Plinius, exulcerat cicatrices, & ad colorem reducit; eademque vitiligines concorporant.

De syluestribus Ranunculis. CAP. II.

Ranunculus syluestris I.



Ranunculus syluestris II.



INTER syluestres Ranunculos caules primi sunt rotundi, læues, interius vacui, subinde 1.
crassi, in alas diuisi: folia in longis, crassis, pinguibus pediculis, lata, læuia, marginibus inci-

Ranunculus syluestris III.



sa flosculi in cacuminibus lutei, pallidiores & minores quàm hortensis Ranunculi, atque inde capitula, primùm erumpentis Myacanthæ asparagi cacumen æmulantia. radices candidæ multis fibris capillatæ. Tota stirps dilutè virenti resplendet colore.

In palustribus & iuxta riuulos, nõ rarò in scrobibus ac fossis aquas habentibus, aliisque similibus locis exoritur. Nõnullibi etiam lætior, maioribusque luxuriat folijs & caulibus: alibi minor.

Reperitur & purpureo flore, vt quidem Dioscorides ait; sed rarò, Cordus addit, in Germania, in Belgio verò nusquam.

2. Proximus caulibus ac folijs est non perinde lęuibus, diluti coloris aut resplendentibus, sed obscurius omnino virentibus, & non rarò è puniceo colore nigricantibus, nonnihil quoque hirsutis ac lanuginosis, sed tamen perquàm exiguum: folia in quinq; instar Pentaphylli, sed tamen dissimiles, latiores easque laciniosas partes profundioribus sectionibus diuiduntur: cauliculi omnes ad cubitalem vel etiam ampliorem assurgunt altitudinem flores auricolores elegãtes, forma & magnitudine hortensis: semen ferentia capitula similia. radices fibrosæ, è quarum capitibus nascenti subinde obliqui, quibus propagatur. Est hæc frequenter altior & ramosior non modò quàm hortensis, verùm etiam quàm palustris & aruensis

In pratis reperitur, locis paulò ab ipsis scrobibus aut fossis remotioribus, nequaquam tamen aridis aut irriguis. Luxuriat hortis illatus, & flores non rarò producit multiplicatos.

3. Tertio Ranunculo, quem Aruensem nominant, minora ac teneriora sunt folia, sed magis ac variè dissecta, diluti viroris: cauliculi recti, rotundi: flores parui, luteĩ, pallẽtes; quibus subnascitur non Asparagi cacumini similis orbiculus, sed latum, asperum & pungens capitulum, ex aliquot congestum seminibus maiusculis, planis, acuminatis & breuibus, minimè tamen innocentibus, spinis obsitis. radix candidis quoque & capillaceis fibris constat.

In aruis plerisque, locis alsiosis, vbi humidius solum, gignitur.

Ranunculorum horum flores Maius ac Iunius menses, & subinde, sed tamen rarius, post sequentes dant.

Dicitur autem Ranunculus Græcis βατράχιον, à nonnullis σέλινον ἄγριον: Germanis Hanenfüß/ & Hanenuoet: Gallis *Bacinet*: Italis *Pie coruino*: Hispanis *Yerua belida*. Apuleius plures appellationes adfert, inter quas sunt, γελωτοφυλλὶς, κρανοκτόνος, βατράχιον, κατανυκή, ἀφρόδιον; Apium risus, Herba scelerata, Apiastellum, Dentaria, Auricomum Paucæ autem harum appellationũ omnibus, nonnullæ his, quædam alijs speciebus propriæ magis videntur. Plinius Strumeam etiam appellari refert. Nostri, ait, herbarij Strumeam vocant, quoniam medetur strumis.

Primus Ranunculus Dioscoridis

1. Prima species βατράχιον καὶ σέλινον ὑδάτινον, Apium palustre, Ranunculus aquatilis dici potest, nec malè Apiastellum: Germanicè Wasserhanenfüß/ Waterhanenvoet. Et primus est Ranunculorum à Dioscoride descriptorum: quod ex ipsa descriptione satis est manifestum.

Proximam speciem nostri Luparts klauwen/ id est, vngues aut pedes Leopardi dicunt.

2. atque hic est Ranunculus auricomus, & Democriti Chrysanthemum. Plerique minus rectè Pedem coruinum faciunt. Posset iste Dioscoridis secundo respondere; nisi is, qui Illyricus cognominatur, huic similior esset.

3. Tertius aruensis & à semine spinis horrente Echinatus Ranunculus vocatur: Germanis Weißhanenfüß & ackerhanenfüß.

Omnes autẽ qualitatẽ, Galenus ait, vehemẽter acrem possident, adeò vt cum dolore exulcerent: hac ratione si moderatè ac conueniẽter vtare, psoras & lepras excoriãt, & vngues diuellunt: tum leprosis stigmata digerũt, & acrochordonas & myrmecias detrahunt. Quin & alopecias iuuant, pauco tẽpore admota. nam si diutiùs inhæreant, non excoriatur solùm ipsa cutis, sed & in crustã vritur. Atq; hæc omnia caulis & foliorũ sunt opera, si imponas virentia.

Porrò


Porrò radix arefacta sternutationem prouocat, similiter aliis quæ valenter desiccant: sed & dolentes dentes iuuat, vt & frangat eos, valenti scilicet exiccatione, & vt semel dicam, calida & sicca valde est radix, tum vniuersa adeò herba. hæc Galenus.

De externis Ranunculis. CAP. III.

Ranunculus Illyricus.



Ranunculus folio Graminis.



EXTERNORVM Ranunculorum, qui videlicet Belgio peregrini sunt, Vnus Illyricus cognominatus, cauliculos fert tenues, teretes, mediocris longitudinis: folia verò oblonga plurimis fissa incisuris, vtraque subcandida, & nonnulla tenui lanugine conuestita: flores luteolos, pallidiores, quàm Auricomi Ranunculi: semina verò vti illius: radices multis paruis tuberibus veluti granis aut oblongiusculis exiguis bulbulis cohærentes. Ex Illyrico primum in Italiam, atque inde in Belgium illatus fertur: cum aliis flores seminaque producit. 1.

Vniuersa autem stirpis huius constitutio, & figura, cum secundi Dioscoridis Ranunculi descriptione conuenit. Nam lanuginosior est quàm alij: caulis satis longus est, & foliorum incisuræ quàm plurimæ. Verisimile autem est, non modò in Illyrico, verum & Sardinia quoque insula reperiri: vtraque siquidem regio maris Mediterranei vndis alluitur.

Dioscorides enim secundum refert Ranunculum χνοωδέστερον, siue lanuginosiorem esse, & μακροκαυλότερον, siue longioris caulis, & ἐντομὰς ἔχειν πλείους τῶν φύλλων, id est, foliorum incisuras siue sectiones quàmplurimas habere: nascique plurimum in Sardinia insula. *Secundus Ranunculus Dioscoridis.*


Eadem quoque de hoc secundo genere Plinius lib. XXV. cap. XIII. nisi quòd non lanuginosius, sed foliosius esse scribat: sed suspicio est, pro foliosius, restituendum esse pilosius. *Plinij locus restitutus.*

Nominatur autem secundus Ranunculus σέλινον ἄγριον, id est, Apium syluestre, item & herba Sardoa. Potest & Apium risus & γελωτοφυῆ dici. Esse & hæc videtur Gelotophyllis illa, cuius Plinius lib. XXIIII. cap. XVII. meminit, qua cum vino & Myrrha bibita, varias ait obseruari species, ridendiq; finem non fieri, ni potis nucleis Pineæ nucis, cum Pipere & Melle in vino Palmeo. *Gelotophyllis.*

Secundo externorum siue peregrinorum Ranunculorum folia sunt oblonga, angusta, nequaquam fissa, sed Graminis aut Tritici æmula, è diluto & albicante cęruleo colore virentia: 2.

 cauli-

Ranunculus Lusitanicus.



Ranunculus flore albo.



cauliculi breuiores, palmum aut sesquipedem tantùm alti. flores seminaque vt Illyrici, sed radices multis tenuibus confibratæ.

Circa Narbonam & alibi in pratis repetiti fertur. Veteribus cognitum fuisse nondum constat.

Nomen ei nullum datum, nisi quis velit ab ipsa foliorum similitudine Ranunculum gramineum dici.

3. Tertius inter externos Lusitanicus Ranunculus, reliquis humilior est, foliis exit latis, venosis, læuibus, relucentibus, indiuisis, margine tantùm aliquantulum incisis: pediculis ab ipsis radicibus palmaribus absque adnatis, in quorum singulis flos vnicus, luteo auri colore resplendens, odoratus, maior & foliosior quàm aliorum, staminibus in medio concoloribus, inter quæ capitulum emicat. pro radicibus multa quasi grana veluti Illyrico Ranunculo, sed longiora.

In Lusitaniæ & Bæticæ Hispaniæ montibus viret, floretque hybernis mensibus, ac non rarò ipsa Bruma.

Ranunculus tertius Dioscoridis. Dioscoridis locus emendatus. Nostri Lusitanicum & hyemalem Ranunculum appellant. Dioscoridis tertius est, quem ait, σφόδρα μικρὸν καὶ εὔοσμον (exemplaria pleraque δύσοσμον minus bene habent) τὸ ἄνθος χρυσῷ ὅμοιον, id est, multò minorem, odoratum, & florem auro similem: cuiusmodi Lusitanicum hunc esse ostendimus.

4. Albus Ranunculus externorum quartus, foliis in lacinias sectis, & crenatis, sed tamen maioribus, secundo syluestrium accedit, sesquicubitalis caulis in alas sparsus, in quibus flores vt cæteris Ranunculis, sed albidi & lactei candoris, staminibus tamen in medio subluteis capituli rudimentum ambientibus, quod ex confarctis seminibus quoque constat. radices fibræ sunt.

In plerisque Galliæ, præsertim Narbonensis, montibus, & apud Allobroges subinde reperitur.

Ranunculus quartus Dioscoridis. Dioscoridis quartus esset Ranunculus, nisi obstaret magnitudo. Nam quarto Dioscorides album tribuit florem, sed tertio similem, id est, paruum ac minimum etiam facit. Excedit autem iste amplitudine & magnitudine multùm ipsum tertium. Sed fieri potest, vt non tertio, sed reliquis similem Dioscorides dicere voluerit; ita autem, nulla interposita remora,

quartus

Ranunculus flore globoso



Ranunculus Constantinopolitanus.



quartus est. Hallucinantur autem non parùm, qui hunc inter Aconita referre student.

Accedit his & quintus globosi floris Ranunculus, qui folijs, caulibus, radicibusque, satis 5.
secundum syluestrium refert: flos eius quoque auricolor, verum maior, plurimúmque foliorum, qui non totus panditur aut explicatur, sed in globuli formam collectus, nascenti quodammodo similis, viget: succedunt exiguæ tres aut quatuor simul cohærentes siliquæ sursum arrectæ, in quibus semen minurum nigricans.

Proferunt hunc Heluetiorum montes, & præsertim is, quem fractum nominant.

Gesnerus ait, Trollium florem vulgò dici.

Ad Aconiti genera à nonnullis refertur, propter eas quas profert siliquas: nos tamen inter Ranunculos retinere maluimus.

Accedere istis potest, quem Clusius in suis per Hispanias obseruatis, Constantinopolita- 6.
ni cognomine exhibet: folia huic laciniosa quoque sunt ac incisa, diluto colore virentia: caulis pedem altus, in ramulum vnum aut alterum quandoque diuisus, folijs minoribus ac tenerioribus adnatis: flos multiplex è purpura rubet. subsunt multæ ab vno capite dependentes oblongæ, tenues radiculæ, colore subluteæ.

In Orientis regionibus iuxta Constantinopolim reperitur.

Potest esse primi generis purpurei floris Ranunculus apud Dioscoridem & verisimile est non perpetuo aut vbique multipliciter farcto flore, sed & simplici non rarò nasci.

Est autem externorum horum omnium Ranunculorum facultas vehementer quoq; calida, acris & exulcerans, & Illyrici potissimùm, Sardoam quam diximus esse herbam.

De Ranunculo tuberoso. CAP. IIII.

TVBEROSVS Ranunculus variè dissectis, latis ac virentibus folijs, cauliculis, auri colore splendentibus flosculis, semineque in capitulis aspero, hortensem aut syluestrium alterum satis refert, sed radix instar rotundi globuli, paruo exiguoque Rapo similis, ex qua tenues graciles que dependent fibræ.

Prouenit in incultis & aridis Germaniæ ac Belgij nonnullis locis: ad hortos translatus sæpe luxuriat non modò folijs, sed & floribus densè multiplicatis. Nascitur & alicubi amplior

 ac maior

Ranunculus tuberoſus.



Ranunculus tuberoſus flore multiplici.



ac maior, veluti in Britannia inſula ſiue Anglia, vbi rapum eius in maiorem excreſcit quantitatem. Qui ad hortos Belgij tranſlatus, lætior etiam gignitur, & non modò flores multiplicans, ſed ex vno & alterum etiam ſubinde promit.

Dioſcorides huius non meminit: Apuleius verò ab aliis ſeparauit, ſeorſum de iſto agens, & peculiariter Batrachion appellans: vnde & Apuleij Batrachion dicitur. vulgò Rapum D. Antonij nominant.

Non minus autem huius acris, quàm aliorum vis & facultas. Vſus eſt præcipuè rapi, quod plerique peſtilenti bubone correptis cum ſale contuſum ſtatim initio, aut femori, aut brachio apponunt, ita virus & morbi malignitatem ad ignobiliorem partem attrahentes. Exulcerat enim, & veſicam mox excitat, cuicunque corporis parti fuerit applicatum.

Apuleius, ſi lunatico in ceruice, inquit, ligetur lino rubro Luna decreſcente, cùm erit ſignum Tauri vel Scorpionis parte prima, mox ſanabitur. Item · herbam Batrachion tuſam cum ſua radice mixto aceto impones his, qui habent cicatrices nigras, excedit eas, & ſimilem corpori reliquo reddit colorem.

De Flammula Ranunculo. CAP. V.

FLAMMVLA hæc cauliculis aſſurgit cubitalibus ferè, nonnihil geniculatis, folia circa quos ſunt oblonga, Salicis ſimilia, longiora tamen, per margines ſubinde ſerrata · flores quales Ranunculis lutei, pallidiores paulò: ſemen in capitulis ſimile: radices fibroſæ vt & aliorum Ranunculorum.

Humidis & riguis gaudet, præſertim vbi ſterilius ſolum.

Vnà cum aliis Ranunculis Maio menſe flores facit.

Recentiores Flammulam, & Ranunculum Flammulam vocant: Cordus Ranunculum πλατύφυλλον dicere maluit: alij Ranunculum longifolium: Belgæ Egelcoolen. Ferunt enim hanc ouillo generi eſſe perquam perniciosam, oueſque hac paſtas herba, inflammationes iecinoris, internorumque viſcerum eroſionibus ac exulcerationibus corripi, quod malum Egel vulgò appellant: vnde herbæ nomen.

Meminit & Plinius lib. XXI. cap. XIII. herbæ cuiuſdam ab exitio iumentorum quidem,

sed

Flammula Ranunculus.



Flammula Ranunculus folio serrato



sed præcipuè caprarum, Ægolethron appellatæ, suspicari fortè licet, hanc esse, sed affirmare nonæquè facile. *Ægolethrō.*

Occurrit & apud Octauium Horatianum Cleoma herba, quam ait nasci in humidis, & *Cleoma.* sinapi similem esse. Si autem forma similis, à Flammula ista differens est. Nam Flammula hæc sinapios formæ non respondet.

Facultate autem Flammula Ranunculus cæteris Ranunculis similis est, acris similiter, exulcerans, & vesicas faciens.

De Pulsatilla. CAP. VI.

FOLIIS Pulsatilla plurimis, tenuiter dissectis, asperis & pilosis agrestem quodammodo æmulatur Pastinacam, tenuius tamen diuisa ac hirsutiora sunt: surgunt inter hæc cauliculi semissem alti, tenues & hirsuti, vnico sociati foliolo minore, in fastigiis quorum flosculi, è senis foliolis oblongis, & non rarò reflexis, colore vt plurimùm Violæ nigræ purpureo; quandoque candido, aliàs luteo, rariùs rubente, staminibus in medio luteis: capitulum succedit villosa cæsarie comosum & incanescens, sub qua semen. radix longa, digitalis quandoque crassitudinis.

Apud Gallos locis incultis gigni Ruellius scribit, nouoque Vere iis montes florere. Belgæ in hortis habent: apud Germanos satis frequens locis asperis & lapidosis, & subinde in ipsis rupibus, & quidem flore purpurei ex cæruleo coloris: qui pro locorum ratione aut intensior aut remissior. In syluis siquidem ac vmbrosis dilutiore colore quasi inalbicat flos: in apricis coloratior est: Albidi floris Auerniæ & Narbonensis Galliæ montes suppeditant: luteo Taurinenses Allobrogum: rubri floris ex Alepo Syriæ vrbe se habuisse, Petrus Pena & Matthias Lobelius referunt.

Galli *Coquelourdes:* Germani Kueckenschell nominant: vulgò Pulsatilla, & à nonnullis Apium risus dicitur. Non est tamen herba Sardoa, quæ proprie Apium risus videtur appellanda. Non est etiam Ranunculi, neque etiam Anemones species; vtrisque tamen & præsertim facultatibus accedit.

Est

Pulsatilla.



Pulsatilla altera icon.



Est enim Pulsatilla vehementer acris, quamcunque contigerit corporis partem, si imponatur trita, exulcerans & erodens. Ranunculis haud inferior: proinde & calida vehementer ac sicca.

De Anemonibus. CAP. VII.

ANEMONES multæ & differentes reperiuntur. Dioscorides has ad duo conatus est referre genera. quandam enim, ait, ἥμερον, cultiuam aut hortensem dixeris. aliam verò ἀγρίαν, id est, syluestrem esse & fariuæ plures addit reperiri species, quas tamen non foliorum florúmve forma, sed coloribus tantummodo distinguit. Nos eas quæ nobis occurrerunt, referemus.

1. Prima harum folia habet pauca, sed in lacinias diuisa, secundi ex syluestribus Ranunculis aut hortensis satis similia, sed tamen minora: flos in breui & palmum alto pediculo emicat, ex XII. aut XIII. foliolis angustis, oblongis, & acuminatis, in quorum medio capitulum aliquot circunseptum staminibus, quod exili incanescit piloso flocco, cui subest semen. radix initio Oliuæ magnitudine, sed temporis progressu adaugetur, & grandior facta veluti geniculis articulatur, obliqua, non rectè descendens, fibris adhærescentibus nonnullis. Color flori elegans est, in dilutiore purpura rubens, qui quandoque ab vtraque, aliàs ab interiore tantùm relucet parte intensior, externus remissior & inalbicans. Huius generis & albidi sunt flores, sed rariores.

2. Proxima Anemone folia promit quàm præcedens ampliora & hortensis Ranunculi similiora, attamen minora, trigemina videlicet cohærentia. flores huius ex XIII. aut XIIII quoque foliolis, sed haud acuminatis, ac subinde repandis committuntur, colore cærulei, & Cyaneo flori concolores; staminibus luteis medium orbiculum amplectentibus, quòd nullis incanescit pilis, sed veluti Ranunculi, Asparagi æmulatur germen. radix obliqua, crassa, genicula tuberaque plura habet.

3. Tertiæ Anemones maiora sunt folia, crebrioribus ac tenuioribus etiam diuisuris insecta: pediculus similis: flos maior, magnitudine cum Papaueris Rhœadis ferè decertans, VII aut VIII. foliolorũ tantùm, pulchro Violæ nigræ purpureo arridens colore, paulò tamen dilutiore: capitula huius pubescunt vt primæ: radix oblongior, crassior, similiter obliqua, crebrius geniculata,


Anemone I.



Anemone II.



Anemone III.



Anemone Pannonica.



geni-

Anemone IIII.



Anemone V.



geniculata, punico colore subnigricans. Est huius rubens quoque species, flore phœniceo, & vt Rhœadis colorato, item tertia etiam candida. Ad hanc referenda videtur, quæ in Pannonia occurrit, foliosa admodum, maior, ac altior, flore candidissimo.

4. Quarta Anemone tertiam foliis, cauliculis & radicibus refert. flos mediocris quoq; magnitudinis, Rhœadis colore rubens, densis & frequentibus stipatus foliolis multiplex, quorum x. aut xii. exteriora maiora, interiora verò reliqua exigua.

5. Quinta species foliis Ranunculum refert hortensem, sed tamen minoribus: flos paulò maior, senis fere constat foliolis, candidus, aut è purpura rubens, sed modò dilutiore, aliàs intensiore colore: capitula aspera, parua, nuda. radices tenuiores, sed obliquę quoque, nihil aut exiguum geniculatæ, demissis aliquot deorsum fibris.

6. Huic similis sexta est, foliis tantummodo floreque minor, eoque luteo, Ranunculi floribus concolor. radix similis quintæ.

7. Properat huc & alia quædam, tametsi foliis differens. Neque hæc enim Coriandro aut Ranunculo folia gerit similia, sed instar Trifolij potius: cohærent siquidem terna nō magna, lata, acuminata, indiuisa, margine tantummodò crenato: cauliculus palmum altus, cui flos insidet candidus, aut ex albido purpurascens, formam Ranunculi florum æmulatus, qui marcescens nonnihil purpurei coloris contrahit. radix etiam obliqua, in propagines quasdam extuberat, non absque capillamentis fibrosis subnatis.

Anemonum autem quintum & sextum genus, in pratis & syluis, pręsertim locis humidoribus ac vmbrosis, in Germania ac Belgio reperiri queunt. cādidi floris maior generis tertij, in Austria secus vias locis incultis exit: reliqua peregrina sunt, quæ nobis nobilissimi viri D. Ioannis Brancionis amplissimus ac ditissimus hortus præbuit.

Flores Anemones Aprili vt plurimùm mense Belgium conspicit.

Referendæ autem omnes hæ Anemones ad ἡμέρους, siue satiuas, sunt. Syluestris species ab his differens.

Anemone syluestris. Est enim syluestris Anemone, auctore Dioscoride, κατὰ πάντα, id est, omnibus suis partibus, satiua maior; foliis latior ac durior: caput habet oblongius: florem φοινικοῦν siue phœniceum: & radiculas tenues, numerosas.

Phœniceus color. Phœniceus autem color is est, qui in erratici siue Rhœadis papaueris flore relucet. Nam & huius ἄνθος φοινικοῦν, id est, Phœniceus flos.

Similem

Anemone trifolia.



Similem autem hanc syluestrem Anemonem, Argemonæ ac Rhœadi Dioscorides innuit, referens plerosq; aberrantes Argemonem appellare Anemonem, propter colorum in floribus similitudinem. Neq; aliam etenim Anemonem (quod plerisq; suspicantur) quàm syluestrem Argemonæ ac Rhœadi similem facit. Reliquę siquidem Anemones satiuæ, & minores sunt, & variè coloratos flores promunt.

Dioscoridis exemplaria hoc loco perperàm dictionem εὐπατόρειον habent, vt non solum ipse sensus verborum, sed & Plinij exẽplar satis ostendit, Eupatorij vocem non admittens. Cuius hæc sunt, Dioscoridis consentientia, verba, lib. XXI. cap. XXIII. hanc (scilicet syluestrem) errore ducti Argemonem putant multi: alij rursus Papauer, quód Rhœan appellauimus. Sed distinctio magna, quòd vtraque hæc posteà floret. Nec autem succum illarum Anemonæ reddunt, aut calyces habent, nec nisi Asparagi cacumen. hæc Plinius. Dioscorides discrimen simile harum etiam adfert. In Argemone, inquit, & in Rhœade Papauere minus saturatus est phœniceus color: & ambæ serius florent. Et Argemone quidem succũ emittit croceum, & ad gustum vehementer acrem: Rhœas verò candidiorem & acrem. Ambæ verò in medio capita habent syluestri Papaueri similia, verum Argemones caput supernè aliquanto crassius est, Rhœadis angustius. At Anemones neque succum remittunt, neque capita siue calyces habent, sed quasi Asparagi, cacumen. *Dioscoridis locus corruptus.*

Accepit ἀνεμωνὴ, ἀπὸ τοῦ ἀνέμου, id est, à vento, nomen. Nunquam enim se aperit flos, nisi vẽto spirante, auctor Plinius, vnde & Herba venti nonnullis.

Ouidius Adonidis florem describens, Anemonem videtur adumbrate lib. X. Metamorp. *Adonidis flos*

—— Sic fata cruorem
Nectare odorato sparsit, qui tactus ab illo
Intumuit, sicut fuluo perlucida cœlo
Surgere bulla solet, nec plena longior hora
Facta mora est, cùm flos de sanguine concolor ortus,
Qualem, quæ lento celant sub cortice granum,
Punica ferre solent; breuis est tamen vsus in illo:
Namque malè hærentem, & nimia leuitate caducum,
Excutiunt iidem, qui perflant omnia, venti.

Bion Smyrneus Poëta vetus in Adonidis epitaphio, Anemonem ait natam ex lachrymis Veneris, Adonidem deflentis.

Cæterùm Anemones ambæ vim habent, auctore Dioscoride, acrem. Galenus omnes extrahendi, & attrahendi, & ora vasorum reserandi facultatem obtinere scribit. Itaq; radix, ait, commanducata pituitam euocat: succus ex naribus purgat, & oculorum cicatrices extenuat: Insuper sordida vlcera Anemonæ expurgant, & lepras detrahunt, mensesq; apposita eliciunt, & lac trahunt. Et lac quidem attrahere, Dioscorides inquit, folia & caules cum ptisana cocta, & in cibo accepta: menses verò eadem ciere in pesso apposita.

De Aconito Pardalianche. CAP. VIII.

ACONITA veteribus duo sunt: Pardalianches vnum: & Lycoctonon dictum alterum.
Aconitum Pardalianches foliis exit subrotundis, latis, dilute virentibus, mollibus, tenuique lanugine pubescentibus, Hederæ cuiusdam, ac vnius Cyclamini foliorum quidem forma, sed amplioribus, ad Cucumeris magis accedentibus, huius tamen & minoribus & mollioribus: caulis dodrante altior, & ipse lanugine haud carens, striatus, quasi multangulus, alioqui rotundus; qui in pauculos diuisus ramulos, ipsis fastigiis, flores promit Chrysanthemi æmulos, & medio videlicet disco, & orbiculato ambitu luteos, qui in tenues & candidos pappos re- 1.

Aconitum Pardalianches primum.



Aconitum Pardalianches alterum.



pos resoluuntur, quibus subsunt exigua nigricantia semina. radiculæ haud magnæ, candidæ dum recentes sunt, geniculis veluti articulatæ, non rectè descendunt, sed per obliquum Graminis modo serpunt, & subinde exuberantes nouella protrudunt germina (ita sese multiplicante stirpe) demissis etiam ab ipsis tuberosis partibus, aliquot deorsum cōcoloribus fibris. Referunt radiculæ exanimatos scorpiones: nam anterior & tuberosior cauliculis proxima, corpusculum cum pedibus, posterior articulatam exprimere videtur caudam.

a. Alia verò & huius species subinde occurrit, antedicta paulò maior, saturatiùs virens, procerior, cuius radix longior, minus serpit, & vtrinque adnatis Cammarum citius, quàm Scorpionem refert.

Aconitum Pardalianches mōtanis, asperis, saxosis, & abruptis gignitur locis, in ipsis etiam Alpium iugis. Descendit quandoque ad mitiora. In hortis Belgij nimis feliciter adolescit: vbi Maio mense flores conspicui sunt.

Thelyphonon Theophrasti. Dicitur Græcis ἀκόνιτον παρδαλιαγχές· item & κάμμορον, μυοκτόνον, θηλύφονον, θηριοφόνον. Theophrastus tamen de Aconito, Myophono & Telyphono seorsum egit. Et Aconitum quidem lib. IX aliud omnino ab isto describit, de quo cap. X. sequente agemus. Myophonon, quod significatione cum Myoctono conuenit, inter suffrutices ferulaceos vnà cum Fœniculō, Hippomaratro, Ferula & similibus refert. Relinquitur Thelyphonon. Aconito Pardalianchi Dioscoridis istud respondet, de quo lib. IX. ita scribit: θηλύφονον, quod σκόρπιον vocant, quia radicem similem scorpioni habet, admotum scorpionem occidere aiunt: & eum reuiuiscere posse, si Helleboro albo aspergatur.

Plinius de Thelyphono ac Aconito diuersis quoque ac seiunctis agit locis: & de Thelyphono quidem lib XXV. cap X. vbi ipsum Scorpium dici, & quæ apud Theophrastum, refert: de Aconito verò lib. XXVII. cap. XI. quo loco pleraque, quæ Thelyphoni sunt, repetit, quæ tamen de Aconito non habet Theophrastus.

Locus Dioscoridis animaduersus. Dioscorides autem radicem non scorpio, sed caudæ eius similem modò ait: ῥίζα ὁμοία σκορπίου οὐρᾷ. Sed fortasse, vt apparet, dictio οὐρᾷ redundat, & legendum cum Theophrasto, ῥίζα ὁμοία σκορπίῳ.

Nomen autem huic Aconito ab ipsis cautibus, præruptis & saxosis locis, quæ Græcis ἀκόναι, esse Ouidius Metamorphoseωn VII. sentit:

Quæ

Quæ quia nascuntur dura viuacia caute,
Agrestes Aconita vocant.

Aconitum autem quod descripsimus, herbarum studiosi, plurimi quidem, Doronicum appellant: Officinæ pharmacopœorum passim pro Doronico quoque radiculas huius medicamentorum compositionibus admiscent. Quod tamen Arabes Doronicum nominãt, aliud longe ab isto Pardalianche est. Hoc enim Auicenna Strangulatorem Leopardi. illud verò Duringi appellat. Strangulatori Leopardi suas ex Theophrasto & Dioscoride vires ascribit: cap. videlicet DCLXXXV. Duringi vero calidum & siccum ait in tertio gradu cap. CCIX. Cui & ipse Arabs consentit Serapio, Doronicum in tertio constituens ordine calfacientium ac resiccantiũ: à quo temperamẽto Pardalianchis (vulgò dicti Doronici) multũ absunt radices. *Officinarum error.* *Duringi.*

Nulla etenim amaritudo, nulla acrimonia, aut similis gustabilis qualitas in iis sentitur, quę tam intensè, vel calidas, vel siccas esse ostendere queat. Præter enim euidentem dulcedinem, si quæ occurrit gustanti alia, ea omnino exigua est. At dulcedo non excessum caloris vel siccitatis ostendit, sed temperiei mediæ, ac temperatæ proximæ vicinæque propria est.

Ac proinde huius herbæ & radicum eius qualitas haud longè à temperamenti mediocritate recedit. Videtur autem nonnihil tepidæ ac clementer aridæ obtinere, vbi inaruit ac resiccata est, facultatis: sed recens & succo madens frigiditatis non est expers.

Admiscetur, inquit Dioscorides, oculorum ἀνωδύνοις, siue dolorem sopientibus compositionibus. & prodesse propter hanc qualitatem recens ad oculorum inflammationes potest.

Occidit, idem ait, pantheras, sues, lupos, & omnes feras cum carnibus obiectum. Theophrastus verò non eo modò, sed vel folium, vel radicem genitalibus inditam, oues, boues, iumenta, & omnes quadrupedes eadem die interimere ait: potatam verò radicem aduersus scorpionum ictus prodesse scribit. Quod haud exitialem homini, sed nonnullis tantummodo animantibus herbam hanc aut eius radicẽ esse ostendit. Id quod euidentibus experimentis & compertum. Conradus Gesnerus enim vir nostra ætate doctiss. & diligentiss. multorũ explorator, refert se, in epistola quadam ad Adolphum Occonem, radices huius recentes, siccas, integras, melle conditas, in pollinem tritas sæpè ingessisse, & quo hæc scribebat die, ex aqua calida drachmas duas radicum contritarum hausisse, neq, inde vllam mutationẽ sensisse: ægrotis sæpè etiam illam, & per se, & cum aliis mixtam vtilissimè consuluisse. Iam & Officinæ Pharmacopœorum pro Doronico hactenus huius radicibus (licet perperam) vtuntur, nullo tamen euidente periculo. Canibus autem læthiferum istud Aconitum esse, satis certum & compertum, quod Matthiolus haud facilè credidit, donec tandem manifesto exemplo verum esse comperit: vt in commentariis suis confitetur.

Ferunt item, Dioscorides addit, huius admotam scorpionibus radicem ipsos resoluere ac ignauos efficere, rursus verò eosdem Veratro apposito excitari. Quod & Theophrastus iis, quæ suprà ascripsimus, verbis testatur.

De Aconitis Lycoctonis, & primum de maiore luteo.

CAP. IX.

AD Lycoctoni genus multæ referendæ occurrunt herbæ: plereque lutei coloris florem, aliæ cæruleum aut purpurascentem proferunt. Inter lutea maius quoddam, minus sine paruum alterum.

Maiori Lycoctono luteo folia sunt ampla, in complures partes confecta, Platani foliorum similitudine, sed profundioribus diuisuris, haud μακρότερα (vt perperam Dioscoridis exemplaria legunt) sed μικρότερα, id est, minora, resplendentia, ac non rarò nigriora, superiore nẽpe parte, inferiore siquidem magis inalbicant: caulis bipedalis, & quandoque altior, rotundus, leuis, ad latus nonnihil inclinans, & nequaquam in totum rectè assurgens, in ramulos etiam subinde diffusus: flores ordine supra inuicem digeruntur, colore pallentes subluteo: semẽ in corniculis nigricat radices vt plurimùm nigræ, multis cirris crassis & flexuosis implicatæ. *Dioscoridis locus castigatus.*

In opacis & montanis viret. Reperitur in Alpibus, tum & in aliis compluribus montibus, ac non rarò in montium conuallibus: & plerisque locis ampliore caule amplioribusque foliis: nonnullis humilius ac minoribus. dilutius etiam quandoque viret interdum & flos pallidior. Dioscorides in Iustinis Italiæ montibus plurimum nasci refert.


Platani autem huic folia tribuit, sed crebriore diuisura ac minora: caulem Filicis tenuem, cubitali altitudine vel ampliore. semen in siliquis oblongis: radices veluti marinarum squillarum nigras. Cum isto respondet (exceptis foliis) cuius icon in peruetusto manuscripto Græco codice reperitur, qui Viennæ Pannoniæ in locupletissima bibliotheca à D. Maximiliano II. Imp. Aug. instituta asseruatur. Folia ei sunt non omnino vt Platani, sed lata & ambitu *Aconitum Lycoctonum ex Codice Cæsareo.*

 serræ

Aconitum Lycoctonon luteum maius.



Aconitum Lycoctonon ex Cod. Cæsareo.



serræ instar denticulata: caulis tenuis & læuis: siliquæ tenues & oblongæ. radices non modò cirros, verùm ipsas squillas marinas referre videntur.

Aconitum istud Dioscorides λυκόκτονον & κυνόκτονον cognominat: Arabes Strangulatorem adip, id est, lupi: nonnulli Lupariam.

1. Primo loco descriptum, quod satis cognitum est, Germanis Wolfswurtz: Belgis Wolfswortel: Hispanis *Yerua matalobos*: Galli *Tue loup* dicitur: Officinæ plereque Napellum luteum.

2. Alterum, cuius imago in Cæsareo extat Codice, Lycoctonon tertium, Ponticum cognominatum, esse potest. Trium siquidem Lycoctonorum in Dioscoridis exemplaribus occurrit mentio: quorum vnum Venatores, reliqua duo in suum vsum Medici vertere, è quibus tertium Ponticum nominatur.

Existimat tamen Marcellus Virgilius, quæ de primo & altero traduntur spuria esse, & vnicum tantùm à Dioscoride describi, quòd videlicet plurimum in Iustinis gignitur montibus.

Facultas autem huius veluti & reliquorum Lycoctonorum homini exitialis est, & reliquis quoque animantibus perniciosa. Vtuntur, inquit Dioscorides, ad venationem luporum, crudis ipsas inserentes carnibus, quibus deuoratis lupi enecantur.

De Aconito Lycoctono luteo minore. CAP. X.

ACONITVM Lycoctonon luteum paruum siue minus, humilis est herba, præter foliorum pediculos nullos cauliculos habens. sunt autem hi breues, vix palmum alti, & tenues. folium verò in singulis vnicum, circunscriptione quidem rotundum, sed instar Napelli multifidum, & profundis incisuris radiatim dissectum, quibus subinde medius insidet flosculus luteus, forma Ranunculi, quem tamen non capitulum, sed siliquę pone sequuntur paruæ tres aut quatuor sursum arrectæ, veluti Lycoctoni radicula subest crassa, tuberosa, primæ Anemones æmula, quasi geniculis aliquot articulata, gustanti admodum acris, ex qua foliorum pediculi exeunt.

In collibus quibusdam ac montibus reperitur, & quidem Patauio vicinis, vt diligentissimi P. Pena, & M. Lobelius referunt.

Floret

Aconitum luteum minus.



Floret in hisce montibus Aprili ac Maio, sed in Belgij hortis multò ante, & non rarò ipso Ianuario, vbi clementior Hyems est.

Aconitum hyemale siue hybernum hinc à nostris dici cœpit. Aconiti autem speciem esse, & forma foliorum siliquarumque, tum & ipsa perniciosa herbæ facultas ostendit.

Ad Theophrasti autem Aconitum multum accedit, quod ab ipso lib. describitur IX. Est etenim, vt scripsimus, breuis herba, nullum περιττὸν siue superfluum aut adnatum habens, nullis ramis brachiata. radix καρύῳ siue Nuci, aut etiam καρυκῇ, id est, aridæ Ficui similis dici potest. folium videtur repugnare folium, haudquaquam Cichoriodes. Sed fortasse non κιχοριώδες, sed βατραχιώδες legendum est: quo modo si legatur, nulla erit repugnantia. Nam huius Aconiti folium ad Ranunculi vnius syluestris satis accedit. Verba autem Theophrasti de Aconito sic se habent: *Theophrasti locus animaduertitur.*

Aconitum nascitur, vt fertur, in Creta & in Zacyntho, sed plurimum atque optimum in Heraclea Ponti: habet folium κιχοριώδες (aliàs βατραχιώδες) radicem similem & forma & colore καρύᾳ, id est, Nuci: vim illam lethiferam in hac esse; folium verò & fructum nihil facere affirmant: fructus autem est herbę non fruticis. Breuis verò est herba, οὐδὲν ἔχουσα περιττὸν, id est, nullum habens superfluum aut adnatum. Nascitur vbique, & non in Aconis solum, à quibus appellationem sortitur. Est autem is vicus Periandynotum (nonnulli & rectius Maryandynorum legunt) Amat loca potissimùm petrosa. Non pascitur ea neque ouis, neque vllum animal. *Aconitum Theophrasti.* *Theophrasti locus restitutus.*

Potentia autem ac facultate hæc herba perniciosa admodum & valdè exitialis habetur: quale etiam suum Aconitum esse, Theophrastus apertis verbis testatur; remedium cuius nunquam ait esse repertum.

De Aconitis Lycoctonis aliis non luteis.

CAPVT XI.

ALIIS Lycoctonis, quæ colore floris à superioribus distinguuntur, & suæ sunt species. Posset inter has Napellus recipi, nisi seorsum, legitimis de causis, describendus foret.

1. Primum genus, quod à flore Delphinij cognominatur, proceris assurgit caulibus instar Napelli: folia variè similiter & crebertimis incisuris diuisa: flores secundum caules superius, velut in longam compositi spicam, e punico ac obscuriore colore purpuram æmulantur, forma ferè floris Regij (quem Delphinium haberi scripsimus) in posterius videlicet corniculum desinentes: siliquæ & semen vt maioris Lycoctoni lutei: radices oblongæ, crassæ, tres aut quatuor demittuntur paucis adhærescentibus filamentis.

2. Alterum tota externa facie Napellum refert, caulibus videlicet dissectis, fissis nigricantibus foliis; flore cæruleo, hiante, ex totidem partibus, eodem ordine compositis, siliquis item ac semine omnino similibus: sed radix differt filamentis ac cirris multis tantummodo confibrata, ac Napo nequaquam similis.

3. Tertium genus cauliculos profert tenuiores, breuiores, dodrante altiores: folia diuisura Ranunculi aut Lycoctoni lutei, minora tamen: flosculi cæruleo nitent colore, paulò minores quàm Napelli: siliquæ & semina cum aliorum conueniunt. radix fibrosa, nigricans, adnatis subinde exiguis veluti bulbulis facilè propagatur.

Translara hæc genera aliundè in Belgij sunt hortos. Feruntur alicubi in montibus reperiri. Tertium Hieronymus Tragus Norimbergæ haberi scribit, atque illic etiam flore dilutè purpureo reperiri.

Lycoctonon flore Delphinij.



Lycoctonon cæruleum paruum.



Primum ac tertium vnà cum Napello sæpenumerò aut non multò pòst, sed secundum serius multò floriferum est.

Lycoctoni esse speciem abundè manifestum: & nocendi non minoribus facultatibus præditum fore.

De Napello. CAP. XII.

NAPELLI caulis supra duos assurgit cubitos: foliis circumuestitur Ranunculi maioribus, è virore nigrioribus, prona tamen nonnihil albicantibus, numerosioribus item altioribusque incisuris in plures lacinias fissis, & magis relucentibus: flores à medio fastigium petunt, ordinata successione prodeuntes, colore eleganter cærulei, hiantem ac patentem galeam, omnibus suis partibus propemodum referentes; quinque enim constant particulis, quarum maior superior cucullo aut cassidi capitis cauo operimento similis: duæ latera contegunt mediocres, minores reliquæ angustæ inferiores: nonnullis exiguis staminibus mediis, è quibus duo repandi exoriuntur styli, non prius quàm eleuetur cucullus, se exerentes. radix oblonga, crassa, Napi figura, tamen minor, foris nigricans, intus candidior, creberrimè geminata, præsertim in hortis.

In Alpibus Ananiæ & Rhœtiæ, tum alibi in montibus, nullo serente prouenit, apud Belgas quandoque in hortis reperitur.

Maio aut Iunio, interdum etiam serius, alsiosis locis flores vigent: semen Augustus dat.

Recentior ætas vnà cum Barbaris Napellum à figura & effigie Napi in radice apparentis vocat: Germani Ysenhütlin / blowolfwurtz / kappen blůmen / narrenkappen / teuffelswurtz: nostri Wolfwortele. Dicitur & Thora quasi φθορὰ, id est, interitus aut corruptio, item & Taura aut Tura, vocibus deprauatis.

Lycoctoni est species, habet autem suas Auicenna rationes, cur & lib. II. deinde & lib. IIII Fen. VI. tractatu primo, à Chanach adip, id est, strangulatore lupi, siue Aconito Lycoctono separauerit.

Toxicum. Potest verò & Toxicum dici. Toxicum etenim perniciosum medicamentum, quo spicula, tela, sagittæ præsentaneo inficiuntur veneno: dictum à telis, quæ Barbari Toxeumata & Toxa appellitant. Conficitur autem istud etiam ex Napello, quanquam tamen & ex aliis. Diosco-

Napellus.



Dioscorides etiam Toxici symptomata & remedia referens, eadem fere, quæ ab Auicenna de Napello adfert. Scribit tamen de Napello & Toxico seorsum Auicenna, sed quid Toxicum sit (vt ipse fatetur) ignorans, vt minimè mirum fuerit, semel de Napello, iterum posteà de Toxico egisse.

Vis autem & facultas Napelli, & homini & quadrupedibus multis perniciosa est. Euidenti sed perquam miserabili experimento, id Antuerpiæ olim compertum, in recenti adhuc est memoria. Cùm enim ab imperitis huius inter acetaria illatæ essent radices, quicunque eas ederunt, mox sæuissimis correpti symptomatis, breui vitam cum morte commutarunt.

Intumescunt autem illicò ab assumpto Napello labia ac lingua, oculi prominent, crura rigescũt, vertigines & animi accedunt deliquia: vt quidem Auicenna lib. IIII. Tanta huius veneni vis, vt eo telorum mucrones imbuti lethalem vulneratis noxam adferant.

Aduersus autem tam perniciosum venenum & húc Napellum remedia quædam enumerat Auicenna, quæ post venenum ipsum vomitione redditum præsidio sunt: atque inter ea murem etiam (vt passim exemplaria habent) reperiri Napello enutritum, qui naturæ eius maleficæ tota substantia aduersetur, & assumenté ab omni vindicet ac liberet periculo.

Antonius Guanerius Papiensis sua ætate celebris medicus, in tractatu suo de venenis, hunc non murem, sed muscas esse existimat. Refert siquidem quendam Philosophiæ ac veritatis studiosum, sollicitè admodum ac diligenter murem huiuscemodi quæsiuisse, neque vnquam vel murem vel arrosam etiam Napelli radicem ab eo repertam, sed muscas abundè multas folia depascentes inuentas, quas Philosophus ille muris loco accipiens, antidotum ex iis confecit, quam & aduersus venena alia, sed contra Napelli vtilissimam ac efficacissimam comperit.

Accipit hæc terræ Lemniæ, baccarũ Lauri, antidoti Mithridatis singulorum vncias duas, muscas Napelli XXIIII. mellis & olei quantum satis est. *Antidotum ex muscis Napelli.*

In eadem cum Guanerio & philosopho illo sententia sunt quoque P. Pena, & M. Lobelius, qui murem Napellum depascentem nusquam affirmant visum, sed muscas esse, quæ turmatim aduolent, & floribus huius insideant.

Sunt hæ maiores cæteris muscis, & floribus Napelli propemodum (vt aiunt) concolores, nullamque herbam aut florem, quàm huius folius, appetunt.

Et verisimile est non murem esse, qui Napello sustentetur, sed muscas esse, quę fructu eius viuant. Nam aconitum, cuius Napellus species, mures ipsos interimit: atque inde μυοκτόνον καὶ μυόφονον, siue Muscicida dicitur.

De Thora Valdensi. CAP. XIII.

HÆc herba neque magna est, neque in amplitudinem vllam effunditur: singulari tantùm assurgit cauliculo, eoq; rotundo & palmum aut semipedem tantùm alto, cui vnicum, subinde duo, rarò plura adnascuntur foliola, duriuscula, rotunda, læuia, dilutè & aliquatenus ex cæruleo virentia, ambitu crenato: flosculus in cacumine eminet luteus, minor quàm Ranunculi, alioqui assimilis: globatum capitulum sequitur è seminibus congestum: radiculæ cohærent IX. aut X. instar Asphodeli, sed minores multò, & acuminatæ.

In Alpibus, & Allobrogum Heluetiorumque montibus gignitur; apud Valdẽses, qui partem horum montium Italiam versus incolunt, frequens: reperitur & in Baldo Italiæ monte.

Thoram, Tauram & Turam appellant, Valdensis cognominatur, ad differentiam Napelli, qui & Thora, vt diximus, vocatur.

Meminit exitialis cuiusdam herbæ Auicenna lib. IIII. Fen. VI. Farfiun dictæ. eandem autem

Thora Valdensis.



Anthora.



tem hanc cum Thora Valdensi esse, affirmare non fuerit facile, præsertim cum Farsiun sibi referat incognitũ, & nullis ab eo depingatur notis.

Perniciosa autem & venefica huius Thoræ vis, Napelli excedere fertur malitiam. Tantam autem esse aiunt, vt homo quidem præcipuè, deinde & quadrupes ferum, ac aliud etiam, vulneratum aut ictum telo huius succo imbuto illitóve intra semihoram pereat ac moriatur. Negatur tamen mortiferum, si bibatur, aut deuoretur, tametsi absque noxa id non fiat.

Vtuntur succo venatores ad feratum venationem, quem expressum & præparatum in bubulis asseruant cornibus, ad sagittas intingendas veneno ac toxico præsentaneo. Vim eius expertum acum eo succo inficiunt, qua ranam pungant. quæ si illicò moriatur, præsentaneum iudicant: auctor Gesnerus.

De Anthora. CAP. XIIII.

ANTHORA effigie Napellum refert, sed humilior ac minor est: caulis eius dodrantalis, aut paulò altior: folia crebris ac profundis incisuris fissa, vti Napelli, sed minora: flores forma eadem, non tamen cærulei, sed e luteo pallentes: semen & siliquæ respondent: geminæ subsunt radiculæ, Oliuas aut Orchios globulos referentes, foris subflauescentes, interius candidiores, frangi, vbi resiccatæ, satis contumaces, friabiles tamen, vbi quidem suæ spontis est: fœcunditate enim læti aut hortensis soli, lasciuienti subinde longiores ac plures subnascuntur radices.

In Alpibus apud Allobroges Heluetiosque, tum & alibi reperitur.

Lacus Lemani accolę & Taurini Ligures Anthoram, vulgò l'Anthoro appellant.

Auicenna herbam Napello similem illiusque veneno repugnantem, Moysis Napellum vocat, cap. CCCCC. lib II Cap. verò DCCXLV. Zedoariam ait vnà cum Napello crescere, atque huius vicinia, illius vires & malitiam retundi impotentioresque reddi: & esse Theriacen, id est, Alexipharmacum viperæ, Napelli, & venenosorum omnium aliorum. Atque hinc Anthoram non modò Napellum Moysis, sed & Auicennæ esse Zedoariam consequitur. Officinæ tamen aliam & ab Anthora differentem Zedoariam venum exponunt: radicem videlicet oblongioris formæ. Quæ non absque ratione Zerumbeth siue Zurumbeth Auicennæ ac Serapionis esse putatur.

Napellus Moysis. Zedoaria.

Dicta autem Anthora quasi ἀντιθόρα, quòd nempe Thoræ aduersetur, & alexipharmacum eius sit.

Thoræ autem ac Anthoræ, siue Turæ & Anturæ voces, nouæ quidem videntur, sed tamen extant apud veterem Marcellum Empiricum, qui ex Tura & Antura aduersus leucomata & albugines oculorum medicamentum conficere docet.

Est au-

Eſt autem Anthoræ radix valde & inſigniter amara, aduerſatur venenis omnibus, vtilis ad purgationes, ſetoſos ſiquidem & muccoſos etiam per inferiorem ventrem educit humores: lumbricos & ventris tineas pellit educitque.

Hugo Solerius non modo per inferiorem ventrem, ſed & per ſuperiorem largas ait Anthoræ radices expurgationes moliri, modum eſſe ad quantitatem Faſeli (quem vulgò Fabam) ex iuſculo aliquo aut vino: dari que duris corpore.

Antonius Guanerius Anthoram magnæ etiam aduerſus peſtem efficaciæ refert: tractatu de peſte, differentia II. cap. III. Et quod ad experientiam, inquit, vidi, conſimilis cum Dictamo virtutis Anthoræ radix exiſtit. Et eſt herba, quæ iuxta Thoram illam ſcilicet herbam naſcitur, ex qua venenum conficitur, cum qua in Alpibus Salutiarum & Pinarolij capras ſylueſtres venantur. Et hæc radix Anthoræ aſſimilatur nucleis oliuarum, & eſt Bezoar illius Thoræ, quæ eſt adeò venenoſa, quòd omnia animalia ſua interficit venenoſitate. hæc ille.

Meminerunt quoque Anthoræ Simon Ianuenſis in Synonymis, & Arnoldus Villanouanus in tractatu de venenis: ſed quæ adferuntur, non ſatis notam aut cognitam ipſis fuiſſe Anthoram, oſtendunt.

De herba Paride. CAP. XV.


Herba Paris.

PARIS herba cauliculum erigit teretem & ſingularem, atque circa hunc folia quaterna, ab vno veluti centro in decuſſis ſiue crucis figuram concinne digeſta: ſunt hæc lata, venoſa, oblonga, ſubnigricantia, & aliquantulum acuminata: in faſtigio ſupra hæc floſculus prodit herbaceus, foliolis aliquot anguſtis, veluti calycis ſui alabaſtris, inſidens: ſequitur inde bacca inſtar vuæ acini, ſemine intus minuto ſubcandicante, vt Halicacabi, farcta. radix tenuis, longiuſcula, geniculis aliquot articulata, obliquè ſerpit, alicubi interdum progerminãs.

In ſyluis opacis ac perinde aliis vmbroſis pingui ac læto reperitur ſolo.

Aprili flos exit: bacca Maio maturitatem aſſequitur.

Recentiores Paridem ferè herbam: pleriq; tamen Vuam verſam, & Vuam Lupinam appellant nonnulli verò etiam Solanum tetraphyllon. Falluntur, qui Aconitum Pardalianches exiſtimant. Germani Wolfsbeer/einbeer: Brabanti Wolfbeſien/& ſpinnecoppen, id eſt, Araneam, ab ementita videlicet araneæ forma, quam bacca vnà cum reflexis exiguis alabaſtris per maturitatem exprimit: Gallis eſt *Raiſin de regnard*: Hiſpanis *Centelha*, vt quidam aiunt.

Facultate autem fertur refrigerans, & Solanis proxima.

Baptiſta Sardus aduerſus mentis emotioñe, inſaniam, & fatuitatem, commendat, tam per morbi diuturnitatem aut ſæuitiam incidentes; quàm prauarum rerum aſſumptione contractas: ſi XX. continuis diebus dimidium cochlear pulueris huius herbæ ieiuno propinetur.

De Papauere. CAP. XVI.


PAPAVERIS duo prima genera, Plinio auctore Satiuum, & Sylueſtre.

Ad ſylueſtre pertinent Erraticum & Corniculata, de quibus poſterius & ſeorſum.

Satiua Papauera tria ſunt: album, nigrum, vtrunque magnum, & minus tertium.

Album Papauer folia promit oblonga, lata, læuia, lactucę foliis longiora, candidiora, marginibus ſinuoſa: caulis ſiue ſcapus rectus, quandoque tricubitalis, in cuius faſtigio flores candidi, in quibus mox ab initio multis ſtaminibus ſtipatum apparet capitulum, quod adultum globoſum, nonnihil tamen oblongam formam habet, & ſuperne operculo contegitur, intetenus membranis non paucis in loculos diſcernitur, in quibus ſemen copioſiſſimum, ſed minutum, 1.

Papauer nigrum satiuum.



Papauer satiuum tertium.



nutum, rotundū & candicans. radix subest nullius momenti, descendens in altum.

2. Huic simile est nigrum Papauer, sed capitulo aliquanto rotundiore & magis globato: flos eleganti phœniceo rubet colore: semen nigricat.

Sunt floribus horum duorum folia, vti & reliquorum, quaterna, eaque satis ampla, sed quæ citò defluant: rarò, sed tamen quandoque pluribus incisuris ac diuisuris dissecta, ac fimbriarum instar multifida.

3. Tertium Papauer caule, foliisque, floribus item & capitulo minus est. flos è cæruleo ac purpureo obsoletum & dilutum quendam colorem refert capitulum quoque rotundatur, sed maturato semine foraminibus aliquot, qua parte operculum ipsi insidet, circulariter hiat, facilem defluenti semini viam præbens, quod aliis duobus non contingit, quorum ita reclusi permanent calyces, vt nullum queat elabi semen.

4. Reperitur verò & Papaueris genus, cuius floris folia multiplicata, non rarò fimbriarum instar incisa ac dissecta apparent. Color horum subinde albidus, frequenter rubens, quandoque ex vtrisque variè permistus. Rubent verò nonnulli intenso colore purpuræ æmulo. alij autem dilutius, vel minus eleganter.

Capita huius generis Papaueris superiore parte, veluti tertij, hiant, facileque ab ipsis semen excidit, quod modò albidum, alias nigricans est, pro floris videlicet colore, quem refert.

Effluit ex his, capitulis eorum vulneratis, liquor candidus, qui ad medicinæ vsus colligitur,

Opium. & densatus Opium appellatur. Colligitur tamen præcipuè ex secundo genere; non modò Dioscoride, sed & Galeno, ac Plinio testibus.

Meconium. Exprimitur & ex capitulis ac foliis simul succus, quem Meconium nominant.

Seruntur hæc genera in hortis, ac etiam non rarò in ipsis aruis: tertium frequentissimum, quod crebrò non satum pluribus quoque reperitur locis, præsertim tamen in hortis.

Iunio mense flores exeunt: semen pòst perficitur.

Græcis *μήκων*: Latinis Papauer: nomen Officinæ seruant, nonnullis *ὀξύπνοον*: Germanis Magsamen/olmag: Belgis Huel & mancop: Hispanis *Dormideras*, & *cascall*: Gallis *Pauot*: Italis *Papauero domestico*.

1. Primum genus, cui quandoque calyx oblongior & semen albidius, *ἥμερον καὶ κηπαῖον*, id est, sa

Papauer satiuum quartum.



est, satiuum ac hortense dicitur. Dioscorides θυλακῖτιν etiam nominari refert. vulgò Papauer album.

2. Alterum genus nigro semine, Dioscoridi ἄγριον siue syluestre est, quod, inquit, πιθῖτις vocatur, & à nonnullis ῥοιάς, quia ex eo Opium colligitur. Plinio & Latinis Papauer nigrum: plerique nostræ ætatis à florum rubente colore Papauer rubrum.

3. Tertium genus ἀγριώτερον siue agrestius est, Dioscoride auctore, idem & φαρμακωδέστερον, id est, medicamentosius, aut ad medicamenta vtilius, maius & oblongiore capitulo.

Dioscoridis corruptus locus.

Verisimile auté hoc loco subesse mendum ac errorem. Tertium siquidem istud genus humilius ac minus est, neque oblongioris, sed globati ac rotundioris calycis. Fieri autem potest, vt pro μικρότερα perperam scriptum sit μακρότερα &, ἔχουσα τὴν κωδίαν ἐπιμήκη, accessorium. Non enim huius (vt diximus) sed candidi longius & maius est: longius item, sed minus erratico Papaueri.

Apparet verò & tertium istud Papauer agreste illud esse, ex quo διακωδίων compositio paranda: de qua Galenus prolixe lib. VII. De medicamentis secundum loca. Nam Crito & post Themisonem Democrates, ἄγριον siue agreste accipiendum præcipiunt, & illud quidem, addit Democrates, quod non seritur: μήκωνα ἀγρίαν, inquit, οὐδὲ γὰρ πῶς σπείρεται. quale tertium, quod nullo serente sæpe nascitur.

Plinij hæsitatio.

Plinius lib. XIX. cap. VIII. sub finem, tertium Papaueris genus Rhœam Græcis, Latinis Erraticum dici ait, & sponté in aruis cum Hordeo nasci: tria tamen illic satiui genera esse, atque istud tertium eorum facit. At lib. XX. cap XVIII. inter satiua & syluestria medium constituit: ita ostendens, vel tertium ex nostris, vel saltem discrimen istius & Erratici in frugibus nascentis, haud recté se agnouisse.

Cæterùm Papauerum omnium refrigeratoria vis est, vt Galenus in lib. De simpl. med. facultatibus.

Semen, vt idem in lib. De alimentorũ facultatibus ait, panibus vtiliter ceu condimentum inspergitur. Sed album nigro, eodem auctore, præstat. Refrigerandi autem ipsum facultatem habere ac somnificum esse, corporique nullum commemorabile præstare alimentum, etiam addit. Est autem seminis huius, facchato quidem inctustati, in secundis mẽsis quandoq; vsus, cum aliis tragematis. Refrigerandi verò eius potentia haud magna obseruatur. Ad somnum conciliandum non multùm efficax est.

Oleum quod ex eo exprimitur, gratum ac edule est, panique illitum, aut alio quouis modo in cibo, citra refrigerationis sensum sumitur. Conficitur verò ex tertij generis semine frequentius.

Codyis siue capitulis maior inest vis, quæ ad somnum conciliandum, defluxionesq; sistendas, ac reprimendas, plurimum faciunt, propinquamque, sed tamen mitiorem vim Opio obtinent. Opium fortissimum est: hoc ignauius Meconium. Vtrumq; autem quouis modo, vel assumptum, vel capiti applicatum, somnum, ac subinde profundum molestumq; soporé conciliat. Opium copiosius haustum etiam mortiferum: vt verè Plinius. Dolores autem omnes sopit, sed ægrius curabile malum non rarò relinquit.

Offenduntur eius vsu, vt Galenus lib. II. De medic. secundum loca, solidæ partes, adeò vt postea correctione opus habeant. Sic & collyria ex Opio multis detrimento fuère, ita vt debilem oculum reddiderint, & visus hebetudinem, veluti etiam auditus grauitatem induxerint, quæcunque ex Papaueris succo, ad vehementes aurium dolores componuntur. Quapropter fugienda omnia sunt medicamenta & pharmaca, quæ ex Papaueris succo consiunt sensum stupefacientia: neque nisi extrema vrgente necessitate ad eorum vsum perueniendum, cùm

videlicet

videlicet nullum aliud mitigatorium sæuissimis doloribus opem adfert, vel succurrit: vt Galenus lib. De medicamentis secundum loca tertio, luculenter docet.

De Papauere erratico. CAP. XVII.

1. Papauer erraticum.

2.



ERRATICO Papaueri cauliculi & folia longiora hirsutioraque. folia vtrinque altis incisuris instar Cichorij aut Erucæ diuisa. flores è fastigiis cauliculorum pulchro ac rubente phœniceo emicant colore, staminibus nigricantibus capitulum medium ambientibus, quod adultum minus est, sed tamen oblongioris formæ quàm tertij satiui. semen exiguum nigricat.

Huius & alia minor est species, foliis minoribus, oblongis, non Erucæ per margines diuisis, sed tantummodò serratis, reliquis prior similis.

Species eius etiam aliquot esse, satis Dioscorides ipse innuit, folia referens Origano, aut Erucæ, aut Thymo, aut Cichorio similia conspici. Nam in horum foliis magna diuersitas. Sunt tamen, qui dictiones ὀριγάνω ac θύμῳ redundare, & nullum minutis Origani, aut minimis Thymi foliis erraticū Papauer reperiri affirmēt.

Vnà cum Tritico, Zea, Secali, Hordeo, Auena, reliquisque frugibus in agris erraticum gignitur Papauer: non rarò quoque inter olera, ac secus margines hortorum.

Belle colorati flores Maio ac Iunio pulchritudinis venustatisque quandam gratiam aruis concilant.

Dioscoridi est μήκων ῥοιάς; Latinis Papauer erraticum, Gazæ Papauer fluidum; Officinis Papauer rubrum. Italis *Papauero saluatico*: Hispanis *Amapolas, rosella, papoulas*: Germanis Clapper rosen/ korn rosen: Belgis **Rooden huel/ wilden huel/ collebloemen.** Gallis *Coquelicoc, pauot sauuage, confanons.*

Et ῥοιάς nominari Dioscorides ait, quòd ei citò flos defluat. Decidunt tamen flores æquè citò & aliis Papauerum generibus etiam corniculatis. Nulli enim Papaueri diutinus aut durabilis flos est. Omnium citissime pereunt. Vt enim omnibus commune est, florem membrana quadam integi, ac veluti vagina quadam contineri, quæ ipso se exerente flore in duas dehiscens delabitur partes, ita quaterna ipsis folia, citò defluentia. Rhœadis nomen non modò huic, sed & aliis ea de causa commune esse potest, si modò à floris facili accessit delapsu. Quòd si verò à seminis profluuio (vti apparet) Rhœadis cognomen accesserit, satiuorum tertio proprium erit, cuius, vt diximus, citissime ac facillime semen excidit. Defluit verò & huic erratico, sed minus manifestè.

Anemone syluestris. Conuenire autem erraticum istud Papauer cum Anemone videtur syluestri. Et occurrit Anemones vox, inter confusas Papaueris apud Apuleium appellationes. Dioscorides etiam Anemonem syluestrem cum Papauere Rhœade à nonnullis confusam, cap. de Anemone scribit. An autem ipse se satis explicare potuerit, relinquimus diligentius elimandum, nobis non satisfecit.

At facultas erratici Papaueris similis est superiorum Papauerum, frigida & somnifica.

Quorundam error. Plerique fallacia experimenta magis quàm rationem ducem secuti, flores aduersus pleuritidem commendant, statim accedente dolore, vel stillatitium ex ipsis liquorem, aut sirupum ex frequenti foliorum maceratione propinantes: & leniri non rarò dolorem contingit; sed & pertinaciùs crebrò inde hæret, ægrè ac cum difficultate sputo procedente: præsertim quibus non est robusta corporis constitutio, valentesque vires. Erroris huius occasionem præbuisse potuit Baptista Sardus, qui flores huius Papaueris aduersus lateris dolores, à plerisque feliciter exhiberi, & aduersus sanguinis sputationes vtiles, memoriæ prodidit.

De

De Papauere corniculato maiore. CAP. XVIII.

Papauer corniculatum maius. 1.



PAPAVERIS corniculati tres reperiuntur species, & magnitudine & floris colore differentes.

Quod maius est, reliqua Papauera candidis & ambitu infractis ac laciniosis foliis satis refert, non tamen læuibus, sed nonnihil lanuginosis, instar ferè foliorum Verbasci: caules infirmiores breuioresque in plures alas diuiduntur: flores ochri colore luteo pallent, quos excipit non capitulū, sed tenue oblongum incuruumque corniculum, siue siliqua, in qua semen nigricans. radix subest oblonga, crassior, in nonnullos quandoque restans annos.

Vulnerata herba succum præbet luteum, & gustatu salsilaginem refert, vbi suæ spontis est; in maritimis videlicet, aridis, & squalidis, quæ amat; locis: in hortis succo illo magna ex parte destituitur.

Iunio ac Iulio flores illi exeunt.

Græcis μήκων κερατῖτις, Latinis Papauer corniculatum: ab Oribasio & Aëtio παράλιον: Plinio Papauer Paraliū: Carullo Papauer luteum: alus Papauer marinum: atq; inde Hispanis *Dormideras marinas*. Sunt & quibus μήκων ἀγρία, id est, Papauer syluestre; à nonnullis quoque, Dioscoride teste, Glaucion, propter foliorum similitudinem. Atque hinc in Officinis olim Memitha. Memitha siquidem Arabibus Glaucium est: Germanis geel Olmagen / geelen huel: Gallis *Pauot cornu*: Italis *Papauero cornuto*.

Vim autem incidendi & abstergendi, Galeno auctore, accepit.

Radix, inquit Dioscorides, ad dimidias cocta in aqua & pota, coxendicum dolores & iecinoris affectus sanare potest, his etiam qui crassas & ἀραχνώδη reddunt vrinas, prodest.

Semen acetabuli mensura cum aqua mulsa potum, aluum leuiter purgat: folia cum oleo trita argemas iumentorum sanant & abstergunt.

De aliis corniculatis Papaueribus. CAP. XIX.

PROXIMVM siue alterum corniculati Papaueris genus, priori tenuius ac minus est, & 2. foliis Erucæ modo altè incisis, nonnihilq; pilosis: cauliculi eius tenelli & ramosi procumbunt: flores minores intenso satis colore rubent, dilutius tamē quàm Papaueris erratici: corniculum minus est, cuius cacumini operculum subinde, aut veluti latius capitulum insidet: semen in his exiguum nigrum. radix verò oblonga.


Tertium huius generis Papauer, etiam secundo exilius, ac foliis tenerioribus, in minutulas 3. videlicet particulas dissectis: flosculus minor, cærulei purpurei coloris nigræ Violæ æmuli. radix tenuis longiuscula.

Non in maritimis, sed procul à mari hæc genera reperiuntur. Angelus Palea & Bartholomæus ab Vrbe-vetetum, qui in Mesuem cōmentati sunt, offendisse se ista tradūt, in Artagonum & Castellæ Hispaniæ regnis, locis mediterraneis; in agris & iuxta viarum semitas, saporis salsilaginem nequaquam referente.

Vtrunque corniculati Papaueris genus habetur: neutrum Anemones.

Existimatur à plerisq, rubentis floris Glaucium esse. Nec in totum à veritate aliena videtur sententia. Nam, vt Dioscorides ait, Glaucio folia sunt Papaueris corniculati similia, sed λιπαρώτερα, id est, pinguiora, χαμαίζηλα, humilia siue in terram procumbentia, grauis odoris, gustuque amariora, succus verò multùm croceus. Atque huiuscemodi succo Papauer istud corniculatum haud destitui, testes sunt P. Pena, & M. Lobelius: amarius quoque facilè esse potest, vtpote salsilaginis gustu carens. Quæ sanè affinitatem cum Glaucio (si non idem) magnam ostendunt. Glaucium.

Papauer corniculatum rubrum.



Papauer corniculatum violaceum.



Ait Dioscorides, nasci Glaucium ad Hierapolim Syriæ. sed & alibi quoque reperiri, quid prohibet? & fortasse nonnihil etiam immutatum.

Hypecoon.



Cæterùm corniculatorum istorum duorum Papauerum nostro quidem seculo *nullus*, quòd sciamus, vsus, atque idcirco de viribus ac facultatibus nihil occurrit afferendum.

De Hypecoo. CAP. XX.

AD Papaueris corniculati genera quadantenus etiam pertinet quod Hypecoon dicitur: folia huic quàm tertio corniculato Papaueri tenuiora, minutissimis incisuris diuisa, colore & aspectu, tum & figura graucolentis agrestis Rutæ minimæ satis similia. cauliculus breuis est. flosculus odoratus, perpusillus, lutei coloris, è senis foliolis, duobus maioribus, reliquis perquàm exiguis. cornicula succedunt recurua, articulata, in his semen flauescens, quadrangulare. radix oblonga, fibris non carens.

In aruis & iuxta agrorum margines plerisque locis reperitur, veluti nonnullis Hispaniæ, & in Gallia quoque Narbonensi, præsertim iuxta Nemausum Coloniam.

Ὑπήκοον, & à nonnullis Ὑπόφεον, teste Dioscoride, dicitur. Latini Hypecoi vocem retinent. Cur pro Cumino syluestri hæc sit habenda herba, nulla occurrit ratio: pro hac tamé ad se missam Matthiolus refert, si nos non fallit pictura.

Natura autem & facultate refrigerans Hypecoũ est, & Papaueris succo simile: auctor Diosc.

De

De Hyoſcyamo. CAP. XXI.

Hyoſcyamus niger.



Hyoſcyamus luteus.



HYOSCYAMI tres veteribus ſunt, niger, luteus & albus. Poſterior ætas Peruuianum quartum adinuenit.

Niger Hyoſcyamus folia promit ampla, longa, lata, candicantia, mollia, lanuginoſa, laciniata & marginibus conciſa: caules craſſi ſunt, cubito altiores, ramoſi, quos flores continua ſerie digeſti conueſtiunt, patentibus calathis figura aſſimiles, colore ſecundum margines ſubluteo, diſcurrentibus vna purpuraſcentibus aliquot venis, in medio verò ex obſcuriore purpura nigricantes: calyces ſuccedunt rotundi, oblongi, craſſi, ventricoſi, ſuperius aculeati ac operculati, in quibus ſemina haud ita magna, colore ſordentia. radix craſſa, prolixa, albicans, in alterum viuax annum, quoadusque videlicet ſemen perfecerit. Grauis odoris ac ingrati tota ſtirps eſt, caput aggrauans & ſomnolentiam inducens. 1.

Secus vias vbique ferè gignitur in ſabuloſis, & locis haud cultis.

Lutei Hyoſcyami caulis ſimplicior, folia indiuiſa, minora, lata tamen & oblonga, Solani lethalis maiora, candidiora, ac molliora: flores in cauliculorum faſtigiis inconditi, luteo pallentes colore, aliquanto minores quam nigri, vaſcula ferè ſimilia, ſed minora, teneriora & ſpinis carentia: ſemen pallidius, ſufflauum, vt Irionis puſillum. 2.

Candidus Hyoſcyamus candidiſſimis molliſſimisque foliis exit, lanuginoſis videlicet, nonnihil quoque circumroſis ac ſinuatis, ſed minus, ac minoribus quam primi, ſiue nigri: cauliculi breuiores ſunt: floſculi ſecundum cauliculos candidi, minores: calyces leues, haudquaquam ſpinoſi: ſemen candidius. 3.

Duo hi poſteriores Hyoſcyami rari ſunt, nec alibi in Belgio quàm in hortis, & quidem non frequenter reperiuntur. Candidum tamen maritima rudera aſpera non rarò præbent, præſertim vbi Rhodanus in Narbonenſi Gallia mari influit.

Æſtiuis menſibus & non rarò in multũ Autumnũ omnes florent: ſemẽ interea perficitur.

Græci ὑοσκύαμον: Latini Apollinarem & Fabam ſuillam: Arabes, vt Plinius ait, Altercum & Altercangenum vocant. Alius, veluti inter ſpurias voces refertur, διοσκύαμος ſiue Iouis Faba, πυθώνιον, ἀδαμάντη, ἄδ᾽ ἀάδυρον, ὑπνωτικὸν ἐμμανὲς, ἄτομον διθυράμβειον, à Pythagora & alius ξένιον, Zoroaſtri τηφώνιον aut τυφώνιον: Latinis, vt Apuleius ſcribit, Inſana, Alterculum, Sympho-

Hyoſcyamus albus.



phoniaca, Calycularis, Dentaria. Phrygibus Remenia. Tuſcis Fabulonia, aut, vt aliud exemplar habet, Faba Lupina. Gallis Bellinuncia, Marcellio Syluatico Dens caballinus, Milimandrum, Caſſilago, Iacobo à Manlis Herba pinula. in Officinis Iuſquiamus Italis *Hyoſquiamo* Hiſpanis *Velenno, meimendro* Germanis Bilſen kraut, bilſamen, teuffels augen noſtris Bilſen cruyt. Gallis *Hannebane* & *endormie*. Herculi aſcriptum eſſe Hyoſcyamum, Plinius ait.

Primus à floris nigricante colore μέλας & niger: alter & hinc luteus: tertius candidus, cùm à florum, tum & foliorum totiusque herbæ candore & albicante colore dicitur. In ſeminibus colorum diſcrimen non adeò magnum eſt.

In Plinianis codicibus candidus pro quarto: luteus pro tertio deſcribitur, errore manifeſto: huius tranſcriptoribus occaſionem præbuiſſe potuerunt antecedentia, acceſſione ſuperfluorum deprauata. Legitimam lectionem talem eſſe oportet, lib. XXV. cap IIII. Plura eius genera, vnum nigro ſemine, floribus penè purpureis, ſpinoſum. vulgare autem eſt fruticoſius & altius Papauere. Secundi ſemen Irionis ſemini ſimile: ambo inſaniam gignentia capitisq; vertigines. Tertium genus molle, lanuginoſum, &c.

Plinij locus redintegratus.

Temperamento autem omnis Hyoſcyamus omnibus ſuis particulis vehementer & quarto quidem ordine refrigerás eſt, ſoporiferus item, & dolores omnes ſedans: aduerſus acres calidasque defluxiones oculorum aliarumque partium proficit: ſanguinis eruptiones & muliebria compeſcit profluuia: ad teſtium aliarumque partium inflammationes adhibetur.

Proſunt ſubinde vel ſola impoſita folia, quandoque eadem cataplaſmatis permiſcentur. Eſt & ſeminis ſolius nonnunquam vſus, additur verò & antidotis dolorem ſopientibus. radix commanſa aut in aceto decocta dentium dolores finire poteſt. Breuiter, Hyoſcyamus ſimilem Opio ac Meconio facultatem habet: imminet quoque & ab ipſo, quod ab illis periculum. Teſtatur Dioſcorides folia in olere ſumpta mentis emotionem facere. Plinius etiam folijs mentem corrumpi ait, ſi plura quàm quatuor bibantur.

Mitior autem habetur candidus, quem medici, Dioſcorides inquit, recepere. deinde luteus: niger vt deterrimus improbatur.

Galenus nigrum etiam inſaniam ac ſoporem afferre affirmat: huicque flauum ſiue luteum propinquam obtinere facultatem: fugiendum vtrumque vt inutilem ac venenoſum: candidum ad ſanationes maximè idoneum eſſe.

Officinæ tamen paſſim pharmacopœorum in Germania quidem ac Belgio, nigro vtuntur: luteo & albo vt plurimùm deſideratis.

De Hyoſcyamo Peruuiano. CAP. XXII.

PERVVIANVS Hyoſcyamus altior eſt non modò nigro, ſed & luteo. caules eius ad tres vel plures cubitos non raro attolluntur, ramis nonnullis brachiati, qui folijs conueſtiuntur latis, oblongis, acuminatis, maioribus quàm lutei Hyoſcyami, Oxylapathi ferè ſimilibus, ſed tamen latioribus, mollibus, dilutè virentibus; tenuiterque hirſutis. quæ quandoque cauli ſic adhærent, vt ipſum quodammodo amplecti videantur: alias verò è pediculo non exiguo prominent. flores oblongioris formæ, intus concaui, maiores patétioresque quàm Hyoſcyami lutei, ambitu quinquangulares, colore dilutè purpurei, & ad marginem propemodum albicantes. vaſcula & ſemina qualia luteo. radix craſſiuſcula in multos ramulos finditur.

Ex Americæ, quam Occidentalem Indiam vocant, prouincijs, inter quas regio Peru eſt, in Europam primum venit, vbi in hortis ſatus feliciter adoleſcit, vno anno ad abſolutionem perueniens.

Seritur

Hyoscyamus Peruuianus



Hyoscyami Peruuiani alter icon.



Sentitur Vere. sub Augustum aut quandoque serius flores, semen postea succedit.

Americæ incolæ Petun appellant: alij Herbam sacram, aut Sanctam herbam: nonnulli Nicotianam: Nicolaus Monardis Tabaco. Hyoscyami esse speciem non forma modò qualis luteo, sed & assimilis ostendit faculras. Soporem siquidem inducit, mentem emouet, & similem ebrietati constitutionem adferr, vel solo fumo accepto; vt testis est Andreas Theuetus. Sunt autem hæc stupefacientium ac frigidissimorum opera, qualis est Hyoscyamus.

Inferitur siccum eius folium Palmæ conuoluto folio, deinde illo vna à parte accenso, per alteram fumus mdorq; vrentis, patente ore naribusque excipitur, dolorum ira lenimenta, famis sitisque obliuionem; & hilaritatem quandam initio, pòst largiore vsu ebrietatem etiam, veluti à meracissimo vino, adfert. Expurgari verò & eo modo multos per os, aiunt, humores, ac cerebri superfluos absumi.

Calidum ac siccum hunc Hyoscyamum esse, & quidẽ secundo ordine, Nicolaus Monardis sentit, ac vna resoluendi, sordidaque repurgandi cum quadam exigua adstrictione ei facultatem adesse. Adest verò & ei Narcotica siue stupefaciens vis, tum & per aluum expurgatoria; nec non, vt Monardis scribit, & Alexipharmaca quædam.

Calidam autem facultatem hunc obtinere foliorum ostendit acrimonia, quæ non modò gustu sentitur, sed & vlceribus neruosarum partium virentibus folijs impositis, quandoque percipitur. Saliuam verò & commanducata folia ciunt ac pituitam detrahũt quod & fumus eorundum receptus præstat. Quæ caliditatis haud exiguæ hunc participem esse ostendunt. Quæcunque enim commansa aut in ore detenta pituitam euocant ac saliuationem procurant, ea omnia calida habentur, veluti Pyrethri radix, & Pimpinellæ saxifragæ, aliaque similis potentiæ. Narcotica autem & huius facultas haud in obscuro est. Nam fumo per os naresque recepto similis ebrietati, mente perturbata, affectus superuenit, cui non raró somnus succedit, veluti ab assumpto Opio. Quod & acrimoniam quandam gustu refert, & caliditatis ideirco haud est expers. Quam & commanducatum ac assumptum mox exerit: in pectore calorem quendam excitans, mentem tamen non minus perturbans: vt Petrus Bellonius singulanum lib. tertio scribit. vbi & Turcas Opio frequenter vti refert, & semidrachmæ pondere ipsum assumere, nullo alio succedente incommodo, quàm quod leui inde quadam vebrietate corripiantur. Ita quoque & Hyoscyamus iste gustu acris & facultate calidus,

narcoticam nihilominus facultatem obtinet. Consequi autẽ hinc videtur non modò Hyoscyamum hunc Peruuianum, sed & Papaueris succum siue Opium ex differentibus partibus constare, quibusdam videlicet acribus & calidis, alijs verò extreme frigidis, narcoticis nempè siue stupefacientibus. Si modò narcotica vis siue facultas extremam frigiditatem consequatur, vt Galeno & veteribus omnibus visum. Sed si narcotica facultas non ab extreme & quarto ordine frigida qualitate pendeat, sed à substantiæ essentia procedat, poterit Hyoscyamus iste calidus simul & narcoticus esse. Temperie quidem calidus, narcoticus autem non temperatura, sed ab ipsius substantiæ proprietate. Non secus ac purganti medicamento, non à temperamento, sed ex totius substantiæ essentia, sua vis adest. De quo & Pempt primæ lib. primi cap. sexto scripsimus. Vt vt est, Hyoscyamus Peruuianus, qui acrimonia sua caliditatem ostendit, narcotica facultate haud est destitutus.

Folia autem huius Cephalcæ ac Hemicraniæ præsidio esse: tum & ventriculo perfrigeratione laboranti, præsertim puerorum, nephriticisque doloribus prodesse: vteri suffocationibus præsenti esse remedio: articulorum dolores sedare, si calefacta sub cineribus, parti dolenti admoueantur, Nicolaus Monardis ait.

Prodest verò & ad dentium dolores Hyoscyamus iste, si linteo huius succo imbuto dens extergatur, ac deinde ex folijs pilula admoueatur.

Succus cum sacharo coctus assumptusque ventris lumbricos expellit, vmbilico tamẽ folio imposito. Idẽ verò & vlcera vetera expurgat, detergit, & ad sanitatẽ perducit: eodẽ auctore.

Vtuntur autem huius folijs apud Belgas etiam pleriq; aduersus scabiem cutisque fœditates, & ad vulnerum curationes. Calidis verò & robustis corporibus tantummodo adhibẽda, sunt qui sentiant: Debilibus siquidem ac senibus non fore tutum horum vsum. Atque hanc, vt videtur, ob causam, à Petun herba mulieres (quod ait Theuetus) in America abstinent, neque vllo vtuntur modo.

Succo verò huius epoto quatuor aut quinque vnciarum pondere, aluum vehementer suprà infraq; purgatam, longum deinde & profundum subsequutum somnum, ab amico obseruatum accepimus. fuit autem is qui assumpsit rusticus, homo fortis, mediæ ætatis, hydrope laborans, qui ex somno expergefactus, cibum potumque postulauit, ac deinceps bene habuit. Atque hinc expurgandi quoque facultatem Hyoscyamũ hunc habere cognoscere licet.

Narrauit verò & idem se aqua ex folijs per organa destillata à febribus rusticos multos liberasse, hac pauco tempore ante accessiones propinata: deinde oleum ex relictis fecibus in sacculo suspensis collegisse, quod ad scabiem vulnerumq; curationem singulare foret ac eximium: aridarum vero fecum puluere intertrigines non modò hominum, sed & equorum citò curari.

Venenis quoque & hunc Hyoscyamum resistere, & toxici malitiam reprimere, vulneribus succo infuso, folio deinde superposito, Monardis refert: qui & aduersus omnium venenatorum morsus hunc quoque commendat.

De Solano hortensi. CAP. XXIII.

INTER Solana vnum hortense est: Vesicarium, Sopotiferum, Manicum reliqua, quibus Lethale vocatum ex recentiorum accedit sententia.

Hortense Solanum caule cubitali assurgit, frequẽtibus alis ramoso: folio nigricante, molli, lato, Ocymi assimili, sed latiore ac maiore. flores candiduli. baccæ aliquot in racemis aut potius vmbellis exiguis dependent, per initia virentes, maturæ verò, aut nigricantes, aut rubentes, aut lutei coloris. radices candicant, tenues & fibrosæ.

Solanum istud multis gignitur locis, nec enim modò in hortis, à quibus cognomen tamen accepit, & in quibus crebrò alijs herbis permixtum reperitur, verùm & secus vias, agrorum margines, sepimenta, veteres parietes, ruinas, & in asperis ruderibus subinde reperitur.

Æstate autem, & in multum quandoque Autumnũ floret. & tũc quidẽ fructus maturat.

Στρύχνος Græcis ἢ *τρύχνος*, & *στρύχνος κηπαῖος*: Latinis Solanum, & Solanum hortense: Officinis Solatrum: nonnullis Morella, Vua lupina, & Vua vulpis: Hispanis similiter *Morella & yerua mora.* Marcellus vetus medicinæ scriptor, & plerique alij eius ætatis, Strumũ appellant. Plinius lib. XXVII. cap. VIII. etiam Cucubalum refert nominari. Vtraque vox inter confusaneas Solani appellationes apud Apuleium etiam extat: qui omnia Solani genera vno capite complexus, nomina eorum inter se fœdè permiscuit. Germanis est Nachtschadt: Belgis Nastape: Gallis *Morelle*: Italis *Solatro*.

Apulei error.

Vsus autem Solani, auctore Galeno in lib. De simp. med. facult. ad ea, quæ refrigerari & adstringi postulant: potest enim hæc duo ordine secundo. Quod & in lib. De aliment. facul. affirmat, vbi inter ea quibus vescimur, nullũ esse olus ait, quod tantam habeat adstrictionem

ac So-

Solanum hortense.



ac Solanum, meritóq; idcirco rarò quidem vt alimento, vt medicamento verò assiduè eo medicos vti. minimi autem esse alimenti.

Dioscorides Solanum erysipelatis, herperibusque, ægylopis, capitisq; doloribus, æstuanti stomacho, aliisque similibus symptomatis ex acribus ac mordacibus humoribus prodesse scribit. Et fieri potest, vt huiuscemodi malis auxilietur, sed tamen semper non expedit, sæpè etiam nocet adhibuisse. Plus etenim non rarò periculi ab huius generis remediis imminet, quàm ab ipso morbo.

Erysipelas ab exterioribus ad interiora verti, non esse bonum, scribit Hippocrates Aphoris. lib. vi. particula xxv. Et similiter in Coacis. Erysipelas foris quidem accedere commodum, intrò autem, ait, cõuerti lethale. Quod nõ modò de Erysipelatis, sed & aliis quoq; similibus eruptionibus à natura procuratis veritatem habet.

Nam huiuscemodi frigefacientiũ ac repercutientium remediorum vsu, vitiosi, corrupti, acresque humores introrsum ad principes & nobiles partes repellũtur, quod absque summo magnoque vitæ periculo fieri nequit.

Proinde nec temere, nec facilè, aut citò ad talium remediorum administrationem perueniendum, erysipelatis, herpetibus, ac aliis similibus cutis efflorescẽtiis vitiisve apparentibus.

Solanum vesicarium.



De Solano vesicario. CAP. XXIIII.

VESICARIVM Solanum cubitales promit cauliculos, tenues, rotundos, læues, subrubẽtes, quasi geniculatos, paucioribus alis ramosos: folia Solani maiora, Smilaceis proxima, sed asperiora, quandoque albo maculata: flosculi subcandicantes è foliorum alis dependent, & post eos folliculi vesicularum instar, rotundi aliquantulum, turbinati, singulari intus acino, magnitudine Cerasi, vnà cum folliculo per maturitatẽ rubente, semine intus plano, rotundo, subcandicante, haud magno. tenues albicantes, latè serpunt radiculæ.

Nascitur in parietinis, locis vmbrosis, aliquantulum humentibus, quandoque circa agrorum margines.

Sub Autumnum fructus maturescunt: floresantè apparent.

Græcis στρύχνος ἁλικάκαβος & φυσαλὶς dicitur: Latinis Vesicaria, & Solanum vesicarium: Officinis Alkekengi Plinius lib. XXI. Halicacabũ & Callion vocari ait.

A folliculis autem vesicarum speciem imitantibus nomen accepit, siue, vt Plinius, quoniã vesicæ & calculis prosit. Germanis Schlutten/boberellen/Juden kirsen/teuffels kirsen: nostris Krieckẽn ouer zee/ id est, vltramarina Cerasa: Hispanis *Vexiga de perro:* Gallis *Alquequenges, bagenauldes.*

Facultate autem huius folia, vt Galenus sentit,

Halicacabus peregrinus.



tit, Solani similia sunt · fructus ciendæ vrinæ est idoneus, proinde multis cõpositis facultatibus, quæ ad iecur, vesicam, & renes accommodãtur, inseritur. Dioscorides fructum potum vrinam mouere, & morbum regium expurgare ait.

De Halicacabo peregrino. CAP. XXV.

AD Halicacabi genus & aliam quandam vesicariam recentiores referũt, quæ tenuibus, striatis, ac viticulosis cauliculis late sese diffundens, vicina quæque apprehendit adminicula: folia huius oblonga, diuisa, laciniata, & per ambitus profundius incisa: flosculi è longis pediculis candidi: folliculi distenti magnitudine Halicacabi, interseptientibus membranulis in tres distincti loculos, fructu in singulis vnico, duro, rotundo, Ochri figura & magnitudine, colore nigro, candido tamẽ vmbilico, qui mediocris magnitudinis, & cordis Conoidis latiorẽm speciem imitari videtur. radix satis crassa multis fibris capillatur.

Aliunde illata stirps est, Germanis nequaquam vernacula. Peregrinum Halicacabũ & Peregrinam vesicariam hac de causa appellant. Sunt qui Cor Indicum vocent: alij Pisum cordatum. A vero aberrant, qui Dorycnion esse existimant. Inter Solana nõ recte quoque reponitur. Magis videtur conuenire cum grano à Serapione Abrong aut Abrugi dicto, de quo cap. CLIII. his verbis scribit. Est granum paruum punctatũ nigredine & albedine, rotundum sicut granum Mes, nullius odoris. Adfertur de Seni: in sapore ipsius est amaritudo · & est calidum ac siccum in secundo gradu. Soluit ventrem & expellit lumbricos & ascaridas, & purgat superfluitates phlegmaticas ab intestinis.

Granum Abrong.

Solanum somniferum.



De Solano somnifero. CAP. XXVI.

SOLANVM somniferũ ad duorũ aut trium pedum altitudinem subinde attollitur. caules eius crassi, rotundi, duriusculi, foliis vestiuntur multis subpinguibus, latis, oblongis, Mali Cotonei maioribus, alioqui similibus: flosculi subrubentes in breuibus pediculis, è sinu foliorum, caules ambiunt. acini siue baccæ crocei coloris exiguis farctæ seminibus in folliculis succedunt hirsutis. radix subest longa, crassa, lignosa, foris nigricans, aut, vt Dioscorides, ὑπέρυθρῳ, id est, subrubente cortice vestita.

Nascitur in saxosis haud procul à mari, eodem auctore. In hortis Belgij satum, fructum perficere ægrè potest.

Dioscorides στρύχνον ὑπνωτικὸν appellat: Theophrastus στρύχνον ὑπνῶδες: ab aliis δίρκαιον dicitur: Latinis Solanum somniferum; à plerisq; etiam Solanum Manicum, Apollinaris minor, Vlucana herba, Opsago.

Cortex radicis huius, inquit Dioscorides, in vino potus drachmę pondere vim habet somniferam,

fetam, mitiorem tamen quam Papaueris succus: fructus valdè vrinam ciet. Dantur hydropicis corymbi XII. plures porò mentis emotionem faciunt.

Hæc Galenus ex Dioscoride quoque transscripta habet, adiiciens corticem radicis in tertio esse ordine refrigerantium, vtpote Opio imbecilliorem ac mitiorem.

De Solano Manico ex Dioscoride & Theophrasto. CAP. XXVII.

MANICVM siue furiosum Solanum, folia habet, vt Dioscorides ait, Erucæ similia, attamen maiora, & ad Acanthi, quem Pæderota vocant, accedentia: caules producit à radice πολυφυεῖς siue proceros decem aut duodecim, Orgyæ altitudinem habentes: caput verò in fastigio eminens, vti Oliua, sed hirsutius, instar Platani pilulæ, grandius tamen ac latius: flos niger: post hunc fructus racemosus, rotundus, niger, acinos X. aut XII. veluti Hederæ habens corymbos, sed vuæ modo molles. radix subest candida, crassa, concaua, cubitalis.

Theophrastus huic folium etiam εὐζώμῳ, hoc est, Erucæ simile tribuit & maius, caulem Orgyę longitudinis: caput verò Gethyi, grandius tamen ac pilosius, fructui Platani simile.

Gethyon autem ex Ceparum est numero, & vt quidem Plinius, Ascaloniæ genus: quod penè, vt Theophrastus ait, ἀκέφαλον, id est, absque capite est, ceruicis tantum longæ, & ideò totum in fronde. *Gethyon.*

Ὄργυια autem mensura est Hesychio, quanta est ambarum manuū extensio, siue, vt Marcellus, quantum protensa hominum vtrinque brachia per pectus longitudine patent. *Ὄργυια.*

Nascitur in montanis & vento expositis ac πλατυμώδη, hoc est, locis latis, magnisque, mari vicinis.

Στρύχνον appellatur μανικὸν, siue furiosum Solanum: à nonnullis πέρσιον, ab aliis θρύον, aut potius, vt Theophrastus habet, θρύορον vel βρύορον, item & περιττόν. Dicitur & ἔνορον, ὀρθόγυον, πεντάδρυον καὶ ἄνυδρον. Dioscorides lib. sexto De lethalibus medicamentis, Dorycnion etiam à nonnullis Solanum manicum appellari ait.

Vim autē habet Solani manici radix pota cum vino pōdere drachmę vnius, vt imaginationes faciat nō iniucundas. Duæ verò potæ mentē ad triduū emouent. Sed quatuor drachmæ epotæ interimunt. Remediū est aqua mulsa copiosa pota, & vomitu reiecta: auctor Dioscor.

Theophrastus eadem ferè habet. Datur eius radicis, inquit, drachmæ pondus, si placuerit vt quis ludat, seq́ pulcherrimū putet. Si verò vt amplius insaniat, drachmis duabus opus est: Si autem insaniam nunquam solui cupiueris, drachmas tres dabis: quatuor, si interimendum.

Solanum lethale.



De Solano lethali. CAP. XXVIII.

LETHALI Solano caules surgunt bicubitales aut altiores, rotundi, mediocris crassitudinis, ramosi, è subrubro colore nigricantes, quos conuestiunt oblonga, lata, mollia, & nonnihil lanuginosa folia, maiora latioraq́ quàm Solani: flores oblongi, caui, è foliorum alis, obscuriore purpura nigricant: bacca acino vuæ simillima, succedit singulis vnica, splendidè nigricans, magnitudine ferè mediocris Cerasi, exiguo semine grauida. radix longa, magna, inalbicans, diuturna ac viuax, in propagines plures distribuitur.

Circa syluas, iuxta parietes, sepimentaq́, agrorum, aliisque perinde parum cultis ac desertis reperitur locis: vmbrosa amat.

Augusto arrident maturæ baccæ: flores & antè & eodem reperiuntur tempore.

Vulgò Solanum lethale, siue Solatrum lethale appellatur: Italis ac Venetis *Bella dona*. Germanis Dollwurtz dollkraut/ schlaff beeren/ seukraut: Belgis Groote nascape & dulle besien. Sunt qui putent Fabam inuersam dici.

Ad Mandragoram Theophrasti (qui differt à Dioscoridis Mandragora) plurimùm accedit, si non ipsissimus est. Theophrastus húc caulem habere ait, & fructum ferre nigrum ῥαγώδη καὶ οἰνώδη τοῦ χυμοῦ, id est, acino vuæ similem, & succo vinosum. Respondent quoque facultates. *Mandragoras Theophrasti.*

Nam


Nam Solanum istud soporiferum est, mentem conturbat, insaniam facit, si pauciores baccæ sumantur: plures verò etiam interficiunt, citam festinamque mortem inferentes. Hæc & de Mandragora Theophrastus de causis lib. VI. Somnū, inquit, conciliat, & si copiosius etiam detur, mortem affert Mandragoras.

Solani huius & aliud est reperire genus, foliis angustioribus, venosis, deorsum reclinatis: caule anguloso: floribus oblongioribus calathi specie, marginibus crenatis, è pediculo dependentibus, quibus succedunt singulæ baccæ nigræ, aut ex nigro purpurascentes, seminibus refertæ, media sui parte calyci denticulato inhærentes: radix grandis, strumosa & albicans.

Matthiolus Solanum istud agro ait exire Goritiensi in monte Saluatino inter saxa & speciem alteram Solani somniferi esse sentit. Est tamen Solano lethali similius, ad cuius genus idcirco potius referendum.

De Mandragora. CAP. XXIX.

Mandragoras.



MANDRAGORAS Mas est & Femina; vt etiam Dioscorides ait.

Mari folia sunt magna, longa, lata, læuia, dilute virentia, veluti Betæ, sed maiora ampliora que & resupina: flosculi in singularibus pediculis inter hæc exeunt, herbaceo candicantes colore. mala inde rotunda, lutei coloris, relucentis læuoris, soporifero odore suaueolentia, in quibus semina modice plana & quasi resima. radix prolixa, crassa, candicans, subinde bifida aut trifida.

Feminæ folia angustiora sunt & minora nigrioraque: fructus pallidiores, minores, turbinati, Sorbi aut Pyri effigie, sed nō minus odorati: radix quoque prolixa, foris amplius nigricans, interius albida. Caret vterque caule, & folia ab ipsis promit radicibus.

In calidis regionibus, in syluestribus & mōtosis gignitur, veluti in Gargano Apuliæ monte. At in Germaniis satus tantummodo reperitur, & femina quidem perquàm rarissime.

Μανδραγόρας & à nōnullis κιρκαία Græcis dicitur: & Circæa quidem à Circe illa venefica procurādi amoris artifice. Creditur enim huius radix ad amatoria facere. Appellatur & ἀντίμηλον, διρκαία, ac vt nota habēt, ζρεγόνδη, ἀντίμιμον, ἢ ἀντίμιμον, βομβόγυλον: à Pythagora ἀνθρωπόμορφος: Latinis Terræ malum, Terrestris malus, Canina malus: Germanis **Alraun**: Officinæ & reliquæ nationes Græcam vocem retinent.

1. Marem Dioscorides ait, à nonnullis μόριον dici. Describitur tamen ab eo & alius Mandragoras Morion, qui, quantum ex ipsa datur colligere descriptione, mari similis est, sed omnibus partibus minor.

2. Femina μέλας μανδραγόρας, & θριδακίας appellatur.

Differt ab istis Mandragoris, Theophrasti Mandragoras, cuius superiore meminimus cap.

Habet autem Mandragoras vincentem facultatem refrigeratoriam, vt Galenus ait, adeò vt tertij sit ordinis refrigerantium.

Dioscorides multas huius particulatim facultates enumerat, quarū tamen haud aliæ huic propriæ, quàm quæ narcoticam & somnificam eius potentiam consequuntur. Est hæc in cortice radicum maior quàm in reliquis partibus. Poma mitiora, cum pipere & aliis perinde calidis cocta edi posse feruntur.

Galenus etiam pomis nonnihil caloris & humiditatis inesse ait: radicis autem corticem esse valentissimum, & non tantùm refrigerare, sed & desiccare.

De aureis Malis. CAP. XXX.

MALORVM aureorum stirps caules habet rotundos, bicubitales aut ampliores, multis alis ramosos, succi plenos, facilè collabentes: foliis luxuriat multis, multipliciter dissectis,

Aurea mala.



ctis, Agrimoniæ fere foliorum modo singularibus eorum incisis flosculi lutei sub foliis prodeunt, excipiunt hos fructus rotundi, profundis crenis striati, mediocris mali magnitudine, per maturitatem aut pulchre rubentes, aut auri luteo relucentes colore, in quibus copiosa humens medulla succi instar, qua semen conditur. Tota herba grauem fœtidumque odorem spirat, è viridi colore inalbicat, & aliquantulum hirsuta est.

Seritur subinde in hortis. Eodem quo sata est anno fructum, & quidem Autũno, perficit.


Nostra ætas Aurea mala appellat: Itali *Pomi d'oro*: Germani Goldtöpffel: Belgæ Gulden appel: Galli *Pomme d'amours*, id est, Amoris poma.

Alia sunt Aurea mala, de quibus fabulantur Poëtæ, hortorum filiarum Hesperi, quibus custos adhibitus fuit Draco, quem ab Hercule interfectum ferunt.

Facultate autem hæc mala aurea, cum vniuersa ipsa herba refrigerant, aliquanto tamen minùs quàm Mandragoras.

Poma à nonnullis cum pipere, sale & oleo præparata ac cocta eduntur. Præbent autem corpori alimenti quidem perquàm exiguum, & hoc ipsum prauum ac vitiosum.

Mala insana.



De Malis insanis. CAP. XXXI.

MALA insana appellata humilis producit herba: cauliculus breuis est, pauci ramuli, sed lata sunt folia, maiora, crassiora, candidioraque quàm Solani, ambitu nonnihil sinuata, ad Xanthij nonnihil accedentia: flosculi albicante aut purpurascente colore speciosi, stellæ modo radiati, luteis in medio staminibus: fructus calyci inhærens à mediocris longitudinis pediculo dependet, subinde oblongus, gallinacei oui forma & magnitudine, quãdoq; Mali instar rotundus, nonnunquam candidus, sæpius purpurascens.

Annua & hæc stirps. Sata Vere, Autumno fructifera est.

Peregrina quoque Germaniæ ac Galliæ. Sed in Ægypto passim in arenosis campis vel spontè gignitur, fructus adferens duplo aut triplo maiores, quàm in Gallia aut Germania: vt quidem Petrus Bellonius in Singularium suorum lib. II. scriptum reliquit.

Iudicauit idẽ Theophrasti Malinathallam esse. Apud Insubres Melongena; ab Hetruscis verò Petranciani, vt quidem ait Matthiolus, dicuntur: alij Melanzana vocant: Latinè Mala insana: Germani Melantzan dollöpffel: Galli *Pommes d'amours*, & *Verangenes*. posterior appellatio Hispanis & Belgis innotuit.

De Malinathalla autem sic Theophrastus: *μαλινάθαλλα.* Locis arenosis (in Ægypto) haud procul à fluuio nascitur terrenum, quod *μαλιναθάλλην* appellant,

pellant, figura rotundum, magnitudine Mespili, sine nucleo: folia vt Cypeiros mittit. hæc (radicem nempè Loti Corsium appellatam & Malinathallam) incolę legentes in βρόχῳ hordeaceo coquunt, dulcia admodum redduntur, hisque pro bellariis vtuntur.

Quæ sanè verba, Mala insana, haudquaquàm Malinathallam, sed differentem omnino esse stirpem ostendunt. Malum etenim ipsum Mespilum magnitudine excedit: folia autem herbæ non sunt Cyperi.

Cæterùm Mala insana apud Ægyptios, teste Bellonio, cocta sub cineribus, vel in aqua, aut etiam fricta singulis ferè diebus & mensis inferuntur, & eduntur. Hermolaus Barbarus ex oleo, sale & pipere fungorum modo coqui & mandi refert.

Qualicunque autem tandem vel cocta vel præparata modo esitentur, mali sunt succi, & nullum aut omnino exiguum præbent alimentum.

De Malis Aethiopicis. CAP. XXXII.

Mala Æthiopica.



DIFFERVNT non parùm à Malis Insanis, quæ nostra ætas Æthiopica cognominat. horum stirps caule assurgit subinde cubitali, in duas tresve alas diuiso: foliis latis, ex albido virentibus, angulosis, duriusculis, quibus à media costa siue neruo spinulæ quædā breues exeunt. flosculi secundum cauliculos, albicant, senum foliolorū, staminibus mediis subluteis. Fructus rotundus, striatus, Malo aureo minor ac durior, colore per maturitatem eleganter rubens, supereminente exiguo quodam veluti alterius mali rudimento, quod & rubet, sed dilutius.

Peregrinum istud Belgio: semina ex Hispaniis attulit honesta Domina Christina Bertolfia vidua clarissimi ac amplis. viri D. Ioachimi Hopperi.

Tardè admodum (sed tamen eodem quo satum anno) ad perfectionem Coloniæ venit.

Malum vocant Æthiopicum, quòd ex Æthiopia in Hispaniam primùm inuectum existimetur. Veteribus cognitum fuisse difficile fuerit affirmare. Cum Malinathalla, de qua ex Theophrasto superiore cap. scripsimus, nequaquam etiam conuenit: folia siquidem cum Cypeirinis haud conueniunt, cuiusmodi sunt Malinathallæ.

Feruntur verò hæc mala in pinguium carnium iure cum sale ac pipere cocta inferri ac edi: & minus mali succi esse, quàm Insana aut Aurea. propterea videlicet, quòd duriora, diutiusque asseruari queant, nec ita facilè vti illa corrumpantur. Sunt tamen nec hęc Æthiopica boni succi, & alimenti non multum corpori adferunt.


De Stramonia, siue pomo spinoso. CAP. XXXIII.

STRAMONIÆ caulis cubito non rarò altior, digitum crassus, in pauculos ramulos diuiditur: folia eius lata, sinuata, & acuminata, maiora, longioraque quàm Solani, aut Malorum Insanorum. flos ex oblōgo denticulato calyce exit, magnus, candidus, calathi effigie, Conuoluuli maioris floris æmulus, sed tamen omnino maior ac amplior, & per oras angulosus, staminibusque aliquot albidis in medio: fructus succedit singulis rotundus, breuibus, crassis, non tamen acutis spinis asper, magnitudine ferè Nucis regiæ, putamine suo nondum exutæ, aut maior; in quibus semina & magnitudine & forma Mandragoræ. Odor herbæ caput nonnihil aggrauat: floris gratior Lilio accedit, sed tamen & soporiferus.

Rara & peregrina stirps est. Vere seritur, si feruens serenaque Æstas fuerit, fructus Autumno in Belgio perficitur, secus non facile.

Stramoniam nuncupant, & Pomum siue malum spinosum: nonnulli Coronam regiam: alij Melospinum: Græci nostri tēporis πιεζχόκκαλον aut potius βαρυοκόκκαλον, quasi Nucem granan-

Stramonia.



grauantem & torporem ac molestiorẽ somnium inducentem: Itali hinc, vt quidem apparet, *Paracoculi*: Germani Stechöpffel vocant: Belgæ Dozen appel: Galli *Pomme de Peru*. Valerio Cordo Hyoscyamus Peruuianus: Matthiolo verò atque aliis Nux Methel Arabum esse videtur. Nucem autem Methel Serapio cap. CCCLXXV. fructum esse scribit similẽ Nuci vomicæ, cuius semen sit veluti Mandragoræ, cortex asper, sapore gratus ac virtuosus: qualitas quarto ordine frigida. Aloysius Anguillara Stramoniam Hippomanes illud Theocriti esse suspicatur, quo in Pharmaceutria equos in furorem agi refert. Crateuas siquidem, quem Theocriti citat interpres, Hippomanis plantam fructum habere scribit, vt Cucumeris syluestris spinosum. *Nux Methel Serapionis.* *Hippomanes.*

Facultate autem Stramonia soporifera ac narcotica, frigida etiam quarto ordine, Mandragora non inferior.

De Colchico & Hermodactylo.

CAP. XXXIIII.

COLCHICO folia terna, aut quaterna oblonga, lata, læuia, pinguia, Lilij albi foliis & forma ac læuore satis similia, inter quę medij in breuibus pediculis exeũt duo, tres, aut quatuor, instar siliquarum folliculi, triãgulares, crassi, oblongi, per maturitatem in tres sese explicantes partes, semine pleni rotundiusculo, e russo colore nigricante, quo maturo folia vnà cum cauliculis intercidunt. Paulo ante Autumni æquinoctium in breuioribus, tenerioribus, albicãtibus pediculis flores erumpunt (nullis iam apparentibus foliis) Croci flosculis & forma & colore assimiles, dilutius tamen cærulei, staminibus internis pallidè luteis. radix bulbo similis, turbinata, ab vna parte in planum compressior rimam siue sulcum, cùm floret, habens, reliquo tempore non apparentem: tunicis conuestitur nigricantibus, fibras aliquot inferius demittit. bulbus ipse carnosus, cãdidus, lacteo succo manans, dum quidem viret & recenter è terra erutus. resiccatus etenim rugosus & foris interiusque nigricat, aut etiam obscure rubescit, teste Val. Cordo. sapore autem est dulci, amaritudinis tamen exiguum saliuã eliciens subsequitur.

Colchicum.



Vulgare autem istud Colchicum Italię, Galliæ, ac Germaniæ est: vbi in humidis, sed tamẽ pinguibus ac lætis pratis exit, & non rarò in montium conuallibus. Reperitur etiam nõnullis locis, foliis angustioribus. Dioscorides in Messena & Colchide enasci tradit. Germinant folia Vere, circa æstiuum solstitium siliquę cum semine maturantur, flores circa Autumni ęquinoctium, vt diximus, reperiuntur.

Κολχικὸν Dioscorides appellat: plerique ἐφήμερον. est tamen & aliud ἐφήμερον non lethale. Latineà nonnullis Bulbus agrestis: Germanis Zeitlosen: nostris Tijtloosen: Gallis *Mort au chien*: vulgò Hermodactylus.

Hermodactylus.

Sed tamen quo in medicamentorum compositionibus Hermodactylo vtimur, ab isto differens est. Bulbus nempe huic magnitudine & forma satis respondens, verùm resiccatus, & albidus permanens, neutiquã rugosus, modicè durus, tundiq; facilis, cuius puluis cãdidus est.

Valerius Cordus Colchicum quoddam reperiri scribit superioribus simile, sed flore candido, & radicis bulbo, cùm resiccatus est, inalbicante interiusque candidissimo, cuius contusi puluisculus speciem exhibeat farinæ Triticeæ, sapore suaui ac dulci. Hoc in Germania, inquit, non nascitur, sed aliunde infertur. Et verisimile est albidi istius & peregrini Colchici radices esse, quæ in Officinis Hermodactyli nomine veneunt: nihilque aliud Hermodactylum istum esse, quam albæ candidæque radicis Colchicum.

Atque ita duo erunt vnius generis: legitimus videlicet Hermodactylus, candida & foris & intus radice, & spurius Hermodactylus, siue perniciosum Colchicum, nigricante aut rubente foris, interiusque bulbo.

In hac sententia fuisse Auicennam, quæ ab eo scripta sunt cap. CCCLII. ostendunt. Hermodactylum siquidem, ait, radicem esse plantę habentis rosas (id est flores) albos aut citrinos (rectius purpureos) & meliorem esse album: rubentem & nigrum malos, ac perniciosa venena.

Cæterum Hermodactylus vim habet purgandi, priuatim arthriticis, inquit Paulus, tunc cùm humores fluunt, exhibetur: verùm stomacho aduersatur. At Colchici radix, in cibo accepta strangulando enecat, similiter vt fungi, Dioscorides auctor.

De Cicuta. CAP. XXXV.

Cicuta.



PROCERO, ferulaceo, glabro, læui, eoq; crasso, intus inani, dilutè virenti, nõnullis tamen subrubentibus veluti serpentũ maculis resperso culmo, supra tres non rarò cubitos Cicuta assurgit; vmbellæ fastigia occupant, candidi in his flosculi; semina postea Anisi æmula aliquantò candidiora, radix dodrantalis, crassitudinis digiti, candida, & quando caulem facit interius caua, prius solida. Ingratum, grauem fœdumque ipsa tota spirat herba odorem.

Circa oppida & pagos abundat locis vmbrosis & pinguibus, prope fossas aggeresque, agrorum pratorumque sepimenta.

Cum floribus Iulio: semine prægnantem Augusto ac serius videre est.

Græcis *κώνειον*, Latinis Cicuta est: Germanis Schirling/wutzerling: Brabantis Scheerlinck/dulle keruel: Hispanis *Ceguta y Canaheta* Gallis *Cigue*.

Extremè, vt Galenus testatur, refrigerantis est facultatis. Temerarium fuerit hanc vel puerorum testibus, vel virginum mamillis imponere, incrementumque harum partium eo modo reprimere. Præter enim quòd partes illas facilè efficiat contabescere, cordi quoque ac iecinori foris admota etiam obest: tametsi multò magis intrò assumpta. Est etenim ex lethalium numero, frigiditate sua, vt Dioscorides refert, enecans.

Remedio est, Plinius ait, priusquam perueniat ad vitalia, vini natura excalfactoria: sed in vino pota irremediabilis existimatur.

Athenienses in interimendo sapientissimo philosopho Socrate Cicuta vsos, Plato refert. Quàm grauiter & periculosè hallucinantes Officinæ, huius semine loco seminis Harmel, id est, Rutæ, quandoque vsæ fuerint, exploso iamdudum errore, notissimum est.

LIBRI QVARTI PEMPTADIS TERTIÆ
FINIS.

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTADIS TERTIÆ LIBER QVINTVS,

DE FILICIBVS, MVSCIS, AC FVNGIS.

PRÆFATIO.

POST *deleterias ac perniciosas herbas, ad Filicum explicanda describendaq; genera, tam & Muscorum ac Fungorum conuertimur, quæ licet plurima parte perniciosa homini non sint, subinde tamen vel nocent, vel humano generi incommoda, vel parum vtilia existunt.*

Filicum autem complures sunt species: sunt & Muscorum: nec deest in Fungis differentia. Commune Filicibus omnibus est, vt & floribus & semine destituantur. Desiderantur eadem in Fungis: in plurimis quoque, sed non tamen in omnibus, quæ inter Muscos referre contingit.

DE FILICE.

CAPVT I.

Filix mas.



Filix fœmina.



FILIX duorum est generum iuxta veterũ sententiam: mas & femina; quæ quidẽ propriè Filix est nã aliæ, quas inter Filices referri cõtingit, proprias suas habẽt appellationes.

Mas folia mox à radice promit ampla, aspera, subdura, frangi facilia, diluto colore virẽtia, 1.
odore grauia, cubito altiora, alarum instar expansa, veluti de plurimis ad vnum cohærentibus pediculum cõposita, quorũ singularia pinnata, & secundũ margines crenata, à tergo veluti tenuissimo sordidoq; puluere obsidẽtur, qui temerè semẽ esse à plerisq; creditur. radix è multis cirris cõfibrata, crassa, nigraq; est. caule, flore, semineq; destituitur. tota natura sterilis.

Femina Filix & flore ac semine caret, sed caulẽ promit vnicũ, striatũ, aliquatenus angulo- 2.
sum, medulla refertũ versicolore, quo obliquè inciso, bicipitis Aquilę species quędã apparet,

 circa

circa húc folia sunt cõplura, allata, & maris folijs similia, sed minora: radix oblóga, nigra, sub terra serpit, digitum subinde crassa, aut aliquáto tenuior: odor quoq; huic grauis est, vt mari.

Amat vtraque Filix loca sterilia, arida, ac deserta & vt Horatius testatur:

Neglectis vrenda Filix innascitur agris.

Incultis ac stercoratis locis non prouenit: nam & fimo superiniecto, vt Theophrastus lib. VIII. cap. VIII. refert, intent.

Mas apertis gaudet ac patentibus locis: montibus ac saxosis, vt Dioscorides ait.

Femina circa margines agrorum, sub sentibus, & in syluis vmbrosis non tarò reperitur.

Marcescit vtraq; Filix sub hyemẽ noua Vere erumpunt folia, tota æstate in vigore futura.

1. Prior Græcis πτέρις ἢ πτέριον: a nonnullis βλῆχνον appellatur: a Nicandro in Theriacis βλῆχρον ab alijs πολύρριζον: item & πτερίνιον, δασύκλωνον, ἀνάτροφον. Latinis Filix mas. Italicè *Felce*. Hispanicè *Helecho*, *Falguera*, & *Feyto*. Germanicè Waldt farn & waldt farn menle: Gallicè *Fougere, ou feuchiere masle*: à Belgis Varen manneken.

2. Altera species Græcis est θηλυπτερις, id est, Filix femina, & Νυμφαία πτέρις: Latinis, vt quidem inter notha Diosc. Lingua ceruina. Germanicè Waldtfarn weiblin/ & groß farnkraut: à Belgis [illegible]: Gallis *Fougere femelle*.


Calidam, amaram, ac siccam, paulumumq; adstringentem facultatẽ Filix vtraque obtinet.

Latum lumbricum radix mascula, auctore Diosc. denariorum quatuor pondere pellit, cum aqua mulsa pota, melius verò si cum Scammonij aut Veratri nigri obolis quatuor detur. Oportet autem, ait, vt sumpturi allia præsumant. Ad eundem modum, addit Galenus, fœtum quidem viuum necare, mortuum verò eijcere mirum non est. Prodesse vero & huius radix lienosis traditur: iam & cum axungia trita & imposita contra ictus ab harundine factos vtilis. Cuius probationem Dioscorides esse ait, quòd Filix per ambitum sata harundine pereat, & vice versa, harundo Filice septa. Sed vanum est, existimare id per singularem aliquam antipatheiam accidere, & aliunde contingere, quàm quòd hæc Filix in humidis non adolescat, nec harundo in sicco.

Filix femina similem vim superiori, vt Galenus ait, habet. Dioscorides hanc præcipuè feminis sterilitatem, & abortum prægnantibus facere refert. Addit farinam huius humidis vlceribus inspergi & iumentorum ceruicibus attritis mederi. Fertur & vinum ne acescat conseruare posse Filicis radix in dolium immissa.

De Filice palustri. CAP. II.

Filix palustris.



PLAT.

PALVSTRIS Filix caules complures edit bicubitales aut altiores, foliosos veluti Filicis feminæ, cuius & folia referret, nisi particularia molliora latioraque essent, & haudquaquam per margines serrata: circa summos ramulos densa veluti seminum futurorum rudimenta adhærent, quæ tamen semina non sunt. (nam sterilis & hæc Filix vti cæteræ) radix crassa, amplissima omnium Filicum, multis crassis nigris fibris capillata, in quarum medio subcandidum quoddam, quod efficacissimum putatur radicis.

Nascitur hæc Filix locis riguis ac palustribus, non rarò in fossis aquas habentibus, in humidioribus quoque syluis. Apud Gallos, tum & apud Britannos plerisque locis reperitur: Germaniæ ac Belgio satis quoque frequens.


Viget vt antecedens æstate: hyeme marcescunt folia: radix restibilis.

Vulgò Osmunda in Belgio dicitur: rectius Filix palustris aut aquatilis nuncupatur: Sunt qui Filicastrum: plerique ex Chymicis Lunariam maiorem vocant: Valerius Cordus Filicem latifoliam facit. Videtur autem haud dissimilis ei Filici, quæ πτέρις μεγάλη à Theophrasto appellatur, cui Polypodium simile facit: nam huius singulari folio, Polypodij folium satis simile est. Germanis Groß farn: Belgis Groote varen/wilt varen.

Radix huius & calida quoque est ac sicca, sed minus quàm superiorum. Vtilis habetur, ac præsertim quod eius medium, non modo vulneratis, sed & cæsis, ruptis, ex alto deturbatis, decocta vel etiam tusa, & cum liquore aliquo sumpta: In decoctis, quæ vulneraria recentiores appellant, ea de causa ab Empyricis additur. Sunt qui tantam huius potẽtiam existiment, vt sanguinem alicubi intra corpus hærentem ac concretum dissoluere queat, & foras etiam per vulnus expellere.

De Polypodio. CAP. III.

Polypodium maius.



Polypodium minus.



POLYPODII folia Filicis maris similia videri possent, nisi & minora multò, & per margines haudquaquam serrata aut crenata forent: exeunt hæc mox à radicibus, vtrinque pluribus altis sectionibus ad mediam vsque costam diuiduntur; à fronte ac anteriore parte læuia sunt, à posteriore, veluti adhærentibus ex puluere verrucis, leuiter exasperantur. radix longa, digito tenuior, per obliquum serpit, in qua tubercula quædam acetabulis iis similia, quæ in Polyporum ac Sepiarum cirris apparent, sapore hæc dulcedinem quandam cum sub-

acerbo gustu præ se fert. Caret & istud Filicis genus non modò flore ac semine, sed & caule.

Nascitur in veterum arborum carie exesarum caudicibus, tum & super veteres muros, ac ædium tecta: reperitur & in aggeribus secus agrorum margines, præsertim sub arboribus ac sentibus, ac subinde in syluis & nõnullis lætius amplioreq́; folio: aliis locis minus ac tenerius.

Præfertur in veterum Quercuum caudicibus enatum. Huius loco vtuntur pleriq; eo quod sub Quercubus reperitur, quod tamen reuera Quercinum appellari nequit.

Quouis anni tempore viret colligique potest Polypodium. Vere nouo, noua folia promit.

Græcis πολυπόδιον est, ab acetabulis Polyporum in radicibus apparẽtibus: Latini nomen retinent, tamen & Filiculam, quasi paruam Filicem, quandoque nominant: Itali *Polipodio*: Hispani *Filipodio* & *Polypodio*: Germani Engelsüß / Baumfarn / Dropffwurtz: Belgæ Boomvaren: Galli *Polypode*.

Resiccantis autem Polypodium est facultatis, sed tamen citra morsum, vt Galenus ait.

Purgandi vim habere Dioscorides tefert, detrahereq́; bilem ac pituitam. Actuanus etiam bilem atram subducere posse addit. Aliis nulla, aut si quæ sit, omnino exigua clemensq́; subducendi vis Polypodio esse videtur. In qua sententia Ioannes quoque Manardus, qui admodum imbecilliter ipsum purgare sentit: cui & accedit ipsa rerum magistra experientia: Nam reuerà Polypodium per se haudquaquam purgat, sed ex iure veteris galli gallinacei cũ Beta aut Malua, aliisve lubricantibus aluũ decoctum, ad alui lenitionẽ nõnihil tantũmodo cõfert.

Ioannes Mesues Polypodium inter ea refert, quæ corpora maximè exiccare ac extenuare queant, fortassis ad Arthritidis quoddam genus respexit, quo non vna corporis pars, sed complures ferè afficiuntur: ad quod à Menapiis aliisq́; Rheni ac Mosæ accolis plurimum cõmendatur. Tument in hoc morbi genere manus, pedes, vtriusque genu cubitorumq́; articuli: adest impotentia præ doloris magnitudine mouendi, subinde superiores minus, grauius verò inferiores partes afficiuntur: facilè quoque ex vna in aliam partem humores fluẽtes decumbunt. Huic malo Menapij Polypodij decoctum, vt diximus, adhibẽt, quo superfluos humores absumi ac resiccari posse sperant, non quidem mox, sed temporis mora. nam continuis aliquot diebus decocti huius vsum præcipiunt ac instituunt.

Arthritis vniuersalis

Citius autem hoc morbi articularis genus, aut venę sectione, vel purgationibus, vel vtrisq; deinde sudore tollitur. Nec difficilis eius curatio, si tempestiuè vniuersalia hæc remedia adhibeantur: neque enim in ipsis articulis humores impacti hærent, sed circa ipsos non tam consistunt quàm confluunt. Idcircò citissimè corpus vacuandum; deinde quod reliquum procuratis sudoribus digerendum discutiendumque est.

Dryopteris candida.



Luxatis præterea efficaciter imponi Polypodij radicem, Dioscorides ait, & rimis quæ inter digitos fiunt.

De Dryoptere. CAP. IIII.

FILICEM marem Dryopteris fatis refert, minora tamen multò & tenuius dissecta eius sunt folia, anterius læuia, colore è viridi vnà cum pediculo mediisque neruis pallent: à tergo eodem quo Filicis exasperantur modo: absque caule & hæc Filix viuit: sine semine gignitur. radix è fibris inter se complicatis commissa, & mediocris crassitudinis, subinde noua germina molitur.

Locis rarò insolatis, in montium collibusque conuallibus quandoque reperitur, & in densis syluis.

Pereunt huius folia per hyemem: Vere noua erumpunt.

Græcis δρυοπτερίς est: Latinis Quercna Filix dici potest. Oribasius medicinalium collectionum lib. XI. Bryopterim appellat: & rectius fortassis Βρυοπτερίς, à musco cum quo reperitur, quàm Dryopteris nominatur. nam &, Diosc. auctore, in Quercuum musco nascitur.

tur. Officinæ Pharmacopœorum Adiantum olim perperàm appellarunt: ineptius pro Adianto medicamenrorum compoſitionibus admiſcuere. Valerio Cordo eſt πτερίδιον. Belgis Eyckenvaren: Hiſpanis *Helecho de roble*.

Miſtam autem, vt quidem Galenus, Dryopteris guſtatu facultatem præ ſe fert, dulcem, acrem, amaram, in radice verò acerbam haber & ſepticam; proinde & pilis glabram curem reddit. Dioſcorides Dryopterim cum radicibus tritam, pſilorhrum ſiue depilatorium eſſe quoque refert, ſi poſt ſudorem, eumq́ue exterſum, corpori imponarur.

De Dryoptere nigra. CAP. V.

Dryopteris nigra.



SVPERIORI Dryopteri & alia quædam Filicis ſpecies ſimilis reperitur, ſed cauliculis ac foliorum neruis nigricans, tum & foliis ſaturatiùs virens: exeunt hæc mox quoq; à radice, variè etiam, ſed rarius, diſſecta. radix ex pluribus tenuibus confibratur.

In ſyluis, ac locis vmbroſis ſubinde, ſed tamen haud frequenter, naſcitur.

Viret non ſecus ac Polypodium aut Adiantum anno toto; non ceſſat tamen ſub æſtatem noua folia promere. flore ſemineque, veluti prior, deſtituitur

A ſimilitudine cum Dryoptere, Dryopteris nigra à recentiorum nonnullis appellatur: ab aliis Adiantum nigrum, ad ſuperioris videlicet differentiam, quod perperam, vti oſtendimus, Adianrum nominatur. Sunt autem ex recentioribus, qui Lonchitidem aſperam eſſe velint: Sed quæ foliorum cum Scolopendrij ſimilitudo? planè nulla: Non eſt igitur aſpera Lonchitis: multò minus Adiantum Plinij. à Theophraſti Adianto non differt, quæ etenim de Adianto, ea ex Theophraſto habet. Adiantum legitimum paulò inferius deſcribendum. Vſurpatur tamen nihilominus hæc Dryopteris nigra à nonnullis Adianti loco: & verſantur hi quidem quoque in errore, ſed non tam graui ac illi, qui Dryopteridem priorem loco Adianti veri aſſumunt. *Adiantum Plinij.* *Error quorundam*

Eſt ſiquidem hæc nigra Dryopteris haudquaquam ſeptica, ſed Adianto & Trichomani facultate reſpondet.

De Phyllitide. CAP. VI.

PHYLLITIDIS oblonga, haud diſſecta ſunt folia, Oxylapathi ſimilia, ſubinde longiora, duriora, virentioraq́ue, parte anteriore læuia, poſteriore adhæreſcentes veluti vermiculos oſtentant, odore graueolentia, guſtu acerba. radix è tenuibus nigris fibris committitur. caule, flore, ſemineq́ue, vt alia huius generis, deſtituitur.

Per ætatem quandoque folium in partes veluti lacinias quaſdam ita ſinditur, vt ex vno folio alia exire ac progigni videantur.

Locis petroſis, in vetuſtis parietibus, ſecus fontes, in conuallibus, & aliis humidis ac vmbroſis gignitur.

Viret quouis anni tempore, haud aliter quàm Polypodium.

Græcè φυλλίτις dicitur: Latini nomen ſeruant: Officinæ Linguam Ceruinam appellant; perperàm verò Scolopendriam: à legitimo ſiquidem Scolopendrio multùm differens: Germani Hirſʒung: Belgæ Herſtonghe: Hiſpani *Lengua Ceruina*: Galli *Langue de Cerf*. Apuleius etiam Radiolum capite LXXXIII. nominat.

Phyllitis.



Phyllitis laciniata.



Adſtringens & reſiccans facultate eſt: ad dyſenterias & inteſtinorum leuitates commendatur. Serpentium etiam morſibus in vino potam aduerſari, Dioſcorides refert.

De Hemionitide. CAP. VII.

Hemionitis.



Hemionitis peregrina.



HEMIONITIS Phyllitidi ſimilis foret, niſi folia eius inferiore ſede latiora eſſent, & vtrimque angulos haberent prominentiores, veluti Ari ac minoris Dracunculi: ſunt etenim inferius lata & ſemicirculi inſtar, ferè dimidiæ ac Διχοτόμου Lunæ modo excauata;

reliqua

reliqua parte angustiora sunt, & in acumen desinentia; anteriore etiam superficie læuia ac viridia, à tergo quædam vermiculorum specie ipsis quoque adhærent radices similiter e pluribus tenuibus fibris commissæ.

Variat verò & quandoque foliorum huius forma, inferiore sede ac circa basim, veluti apophyses vtrimque habentium.


In obscuris quibusdam Romæ locis nasci Anguillara scribit: reperitur & in Britanniæ vmbrosis: translata illinc tenella quandoque in Belgium, posteaquam adoleuisset, Phyllitidem angustis & oblongis foliis æmulari reperta est: soli anguli inferiores, paulò prominentiores, nonnihil discriminis ostendere.

Dioscoridi ἡμιονῖτις est: nonnullis eodem auctore, Σπλήνιον dicitur. Meminit Theophrastus Hemionij, sed a Dioscoridis Hemionitide multum differt: Hemionion siquidem Theophrasto idem cum Asplenio, de quo mox.

Sapore autem ac facultate Hemionitis proximè Phyllitidem refert: est etiam gustu acerba facultate adstringens. Dioscorides ait ex aceto potam lienem absumere. Quod fortassis ex Asplenij facultatibus huc translatum.

De Asplenio siue Scolopendrio. CAP. VIII.

Asplenium.



ASPLENIO folia sunt parua, longitudine palmi, vtrimque profundis sectionibus alterno ordine incisa, inferius mollia lanuginosáq́; superius glabra ac virentia, quæ cùm inarescunt complicantur, & in teretem figuram contracta, forisque hirsuta, scolopendræ similia apparent. pro radicibus tenues nigræ inter se complicantur fibræ.

Nascitur in vetustis parietibus, in rupibus, in saxosis, opacis, ac vmbrosis. Galliæ, Italiæ, Hispaniæ, Britanniæ, Belgioque satis notum.

Toto anno viret, remissius tamen hyeme: æstiuis mensibus noua subinde folia promit.

Græcis est Ἀσπλήνιον καὶ Σκολοπένδριον Latini Asplenum, Asplenium, & Scolopendrium similiter appellant: nonnullis Σπλήνιον dicitur: Theophrasto ac aliis ἡμιόνιον Gaza Mulam herbam nominat: Dicitur & πτέρυξ: In Officinis Ceterach: Nicolao Myrepso λιθόπτερον, & (si non fallimur) ἀσπληνοδάκτυλον: Italis *Scolopendria*: Hispanis *Doradilla*, *Douradinha*: Germanis Steynfarn / Miltzkraut: Belgis Steen varen / Miltcruyt.

Asplenion autē ac Σπλήνιον ex eo dicitur, quòd aduersus splenis morbos efficax sit: Scolopendrium verò à similitudine cum Scolopendra, hirsuto ac multorum pedum verme.

Tenuium partium, inquit Galenus, herba ipsa est, non tamen calida. Dioscorides folia tradit in aceto decocta, per dies quadraginta epota, lienem absumere: contrita quoque ex vino lieni imponi: vrinæ stillicidio, regioque morbo prodesse: calculosque in vesica comminuere: (quæ ab iis perficiuntur quæ tenuium sunt partium) addit & singultus hanc sedare: in opinione deinde esse, hac herba conceptum adimi, per se aut cum muli liene appensam, atque eius rei gratia noctu colligendam Luna silente.

Simile & Theophrastus habet: folium Hemionij, inquit, sterilitatem mulieribus facere volunt, & aliquid vngulæ muli ac ἀσπέρματος, aliàs δέρματος, id est, cutis, miscendum præcipiunt. Plinius etiam non dandum Asplenium feminis ait, quoniam sterilitatem faciat.


Inter huius ætatis Empeiricos sunt, qui hac herba nō modò lienis durities ac tumores, sed & omnes iocinoris languores ac morbos feliciter ac citò curari posse prædicant: tantasque huius in roborando hoc viscere vires esse affirmant, vt etiam animalis alicuius excoctum iecur, si cum hac recoquatur, crudo simile reddatur, & ad priorem suam constitutionem restituatur.

Sed hoc inter aniles fabulas referendum, vnà cum eo quod Dioscorides de noctu colligendo

gendo Aſplenio refert,& pleraque alia vaniſſima, quæ in Veterum libris ſubinde ſparſim reperiuntur; à quibus nec recentiorum plerique abſtinent, qui mendaciis ac inanibus nugis paginas quandoque implent, ſtudioſiſque non parum imponunt.

De Lonchitide aſpera. Cap. IX.

Lonchitis aſpera.



ASPERÆ Lonchitidis dodrante longiora ſunt folia, ab vtraq; parte pluribus, ac multò crebrioribus, quàm Polypodij, inciſuris diſſecta, quæ anteriore parte virent, læuia ac glabra ſunt; poſteriore verò vt Polypodij exaſperantur. radix nigricans multiplicibus tenuibus capillamentis confibratur.

Naſcitur in ſcrobibus ac foſſis locis vliginoſis, humidis ac vmbroſis.

Nec caulem, nec florem, nec ſemen vlla anni parte profert: perpetuò viret æſtate viget.

Nonnulli hac ætate Aſplenium ſylueſtre aut Aſplenium magnum appellant. Valerio Cordo Struthiopteris eſt. Dioſcoridi verò Lonchitis aſpera cognominatur. Duas ſiquidem Lonchitides Dioſcorides deſcribit: vnam foliis Porri: alteram Scolopendrij folio maiore ac aſperiore, quæ vtique præſens eſt, cuius folia ampliora maioraq; ſunt, quàm Scolopendrij, aſperiora etiam, crebrioribuſque ſectionibus inciſa. Græcis λογχῖτις τραχεῖα dicitur: Latinis, eodem auctore, Longina & Calabrina: Germani Groß milte kraut: Belgæ Gracht varen nominant.

Lonchitidis autem aſperæ, Dioſ. ait, folia vulnera glutinandi vim habere, & prohibere ne inflammationes excitentur, potaque ex aceto lienem abſumere.

Galenus virentia quidem Lonchitidis aſperæ folia ad glutinanda vulnera idonea eſſe tradit: ſicca verò ex aceto pota lienes induratos ſanare.

Adiantum.



De Adianto. Cap. X.

BREVIS ac humilis herba Adiantum eſt: cauliculi eius palmum longi, læues, ſubnigro puniceo colore nitent: folia exigua inciſuris diuiſa, ambituque crenata, Coriandri aliquatenus æmulantia, nullo ordine digeruntur. radix è tenuibus plutibus capillamentis conſtat.

In parietibus, locis petroſis, vmbroſis, humidis, ſecus fontes & aquarum ſtillicidia exit: Italiæ & Galliæ notius eſt, quàm Germaniæ aut Belgio.

Viret quauis anni parte, nunquam tamen vel florem vel ſemen facit.

Græci Ἀδίαντον appellant: Theophraſto, ac deinde Plinio Adiantum eſt nigrum: duo ſiquidem his Adianti ſunt genera: candidum ac nigrum. De candido ſequente capite agetur. Dicitur verò Adiantum iſtud & καλλίτριχον, πολύτριχον, καὶ ἐθνόστριχον. Latine Polytrichum, Callitrichum, Cincinalis, Terræ capillus, Supercilium terræ: ab Apuleio Capillus Veneris, Capillaris, Crinita: à nonnullis Coriandrum putei: Officinæ Italiæ Capilli Veneris appellationem amplexæ ſunt: Officinæ Belgij pro Capillo Veneris, Ruta vtuntur muraria.

Ἀδίαντον autem ex eo dicitur, quòd folium, vt Theophraſtus ait, non madeſcat: aquas enim reſpuit, perfuſum merſumque ſicco ſimile, vt Plinius ait. Dicitur verò Callitrichon & Polytrichum

trichum ab effectu, tingit siquidem capillum, ac densum eum facit.

Est autem Adiantum, Galeno auctore, resiccans, extenuans, discutiens, in caloris frigorisq; medio. viscosorum humorum crassorum e pectore ac pulmonibus excreationibus non mediocriter confert: calculosque frangit epotum, & quidem non modò renum calculos expellit, verum & eos, qui in pulmonibus, & asperæ arteriæ exiguis ramulis hærent, frangit, atque cum sputo educit, Eclegmate, siue, vt vulgo, Serapio inde confecto.

Strumas verò & abscessus Adiantum quoq;, eodem auctore, digerit, & caput ex alopecia glabrum conuestit.

Adianti vires & facultates Diosc. multas refert, non modò differentes, sed & repugnantes: inter alias, sanguinis reiectiones ipsum cohibere ait: paulò verò antè, secundas ac menses ciere. Quæcunque verò sanguinis reiectiones cohibent, ea etiam menses supprimunt. Addit in fine, Seri circa ouilia vtilitatis pecorum gratia: quę autem vtilitas ex eo, non ostendit. Iam & seri Adiantum nequit, cùm semine careat, nec etiam commode transferri. Apparent idcircò hoc loco multa aliunde translata, huic capiti addita. Et fortasse quædam ex Cytisi historia accessere. *Dioscorides notatur.*

Adiantum ex dissimilaribus partibus Mesues constare tradit, quasdam quidem aqueas ac terreas habere, easque adstringentes: alteram superficiariam calidam ac tenuem. Et hac quidem obstructa aperire, crassa extenuare, ventrem subducere, præsertim dum recens est, nam vt tenuis hæc pars est, ita citò resoluitur: adstringentibus verò partibus ac terreis, ventrem sistere ac fluxiones cohibere.

De Ruta muraria. CAP. XI.

Ruta muraria.



RVTA muraria cauliculos edit complures, teretes ac tenues, ac circa hos foliola exigua indigesta, ambitu crenata, graueolentis Rutæ satis similia, anteriore parte læuia, virentiaq;, auersa verò obsoleti coloris, punctulis obsita. radix fibrosa nigra est.

Nascitur in parietibus ac muris vetustis, iuxta aquas, puteos, fontes, locis videlicet humectis, ac quæ sæpius riganrur, raroque à Sole illustrantur. viuax & hæc est: hyberno frigore non extinguitur.

Æstate amplius viret: flore & semine caret.


Vulgò Rutam murariam, aut Rutam muralem appellant: Germani Maurrauten: Belgæ Steenruyte: Galli *Rue de muraille*: sunt qui Vitæ saluiam nuncupent: Officinæ Belgij Capillum Veneris nominant, ac pro legitimo multo vsæ sunt tempore. Est autem Adianti genus, quod Candidum Theophrasto dicitur: nam Adianti duo hic genera facit, vt superiore cap. diximus: Nigrum vnum: candidum alterum; Et nigrum quidem superiore capite descriptum est, Candidum verò ipsa Ruta est muraria, quæ quidem nigro Adianto magnitudine & forma, deinde & reliquis satis similis. Conueniunt natales: folia crassiora pauloque minora sunt: cauliculi non nigri, sed ex albido virent; vnde Candidi cognomen accepit.

Plinius duo similiter Adianti refert genera: candidius vnum: alterum nigrum lęuiusque: Maius ait Polytrichon; minus verò Trichomanes nominari, perperàm Trichomanes inter Adianti genera referens: nam Trichomanes ab Adianto differt. *Plinius notatur.*

Nec desunt, qui Rutam murariam Paronychiam Dioscoridis esse sentiant: Paronychia autem Peplo similis est, minor longitudine, & maioribus foliis esse traditur. Pepli verò folia latam rotunditate oblonga sunt, ambitu nequaquam crenata, graueolentis Rutę haud similia; tam & quàm Rutæ muralis maiora. quæ manifestam Rutæ murariæ cum Paronychię descriptione dissimilitudinem ostendunt. nec repugnat quòd Peplus Rutæ folio describatur: non etenim graueolentis Rutæ, sed alterius Rutæ est folio, Hyperico similis, cui multarum, vt alibi ostendimus, herbarum folia comparantur.

Cæterùm Ruta murária Adianto temperamento ac facultatibus haud multo absimilis. Prodest tussientibus, difficiliùs respirantibus, latera dolentibus: crudorum pulmoni inhęrentium concoctionem decocta promouet: valet ad renum & vesicæ dolores: vrinam clementer cit: calculosque expellit. Sunt qui ad puerorum enterocelas commendent, ac valde efficacem referant, si quadraginta continuis diebus huius aridæ puluis sumatur.

Trichomanes.



De Trichomane. CAP. XII.

TRICHOMANES cauliculos quoq; promit tenues, teretes, complures, nigricante colore nitentes, circa quos ordine digesta perquam exigua tenuia vtrinq; foliola, aliquantum crenata, haud multò quàm ipsę sunt Lentes minora, ab aduersa parte punctulis exiguis exasperata. radices vt Adianti, tenuissima nigra capillamenta.

Iuxta fontes, riuulos, locis humidis, in vetustis parietibus ac muris, & saxosis alijs vt plurimum exit.

Diuturnum ac viuax quoque est: hyemis iniuria non offenditur: sterile vti Adiantum, & reliquæ omnes Filices, cuius species est.

Græcis est τριχόμανες: Latinis Filicula, quasi parua Filix: item & Capillaris: Apuleius cap. 11. cum Callitricho idem facit. Adianto, vt Dioscorides & Galenus referunt, facultatibus omnibus respondet.

Muscus arboreus.



De Musco arboreo. CAP. XIII.

MVSCI complures reperiuntur, & natalibus ferè differentes. quidam arboribus adnascuntur & adhærent: alij terræ superficiem occupant: non desunt etiam marini.

Arborei musci villosa quædam sunt, ex multis tenuiter ac varie dissectis, subinde veluti folijs inter se implicitis, confusa, quę arborum adhærescétia corticibus, à truncis ac ramis dependent. vnus in hoc genere magis tenuis, crassior alter: quidam breuior, prolixior alius, subcandido vt plurimum colore omnes candescentes; tamen quandoque & niger quidam est, sed minor & tenuior. Prima laus, inquit Plinius, candidissimis: secunda rutilis: nulla nigris.

Reperitur hic Muscus in Quercu, Populo alba & nigra, Vlmo, Berula, Pomo, Pyro, Pinu, Pinastris, Picea, Abiete, Cedro, Larice, ac alijs compluribus arboribus. Optimus, inquit Dioscorides, Cedrinus est, proximus Populeus, quo in genere candidus & odoratus præstat, nigricans improbatur. Matthiolus è Pinu, Picea, Abiete, ac Larice in Italia odoratum esse refert, & odoratiorem Larignum esse.


Græci βρύον appellant: Latinis Muscus dicitur, & σπλάγχνον, σφάγνος, καὶ ὕπνον: Oribasius Muscum δορκάδιαν βοτάνην appellat: Arabes & Officinæ Vsnea: Germanis Mosz: Belgis Mosch: Gallis *du mousch*: Italis *Musgo*: Hispanis *Musco de los arboles*.

Cæterùm


Cæterùm Muscus refrigerandi ac adstringendi nonnullam vim ac potentiam obtinet, quæ tamen pro natura ac facultate eius, cui adnascitur, arboris, ac potissimum eius corticis, vel remittitur, vel intenditur, eius siquidem cui adhæret corticis, veluti parentis sui, aliquam sibi asciscit ac retinet facultatem. Idcirco in Quercu natus muscus refrigerat ac valde adstringit, præter propriã, ascita etiã ipsius Quercus corticis vehementer adstringente facultate. Ex Cedro, Pinu, Picea, Abiete, Larice, Resiniferis, minus adstringit, & præterea digerendi ac emolliendi facultatis particeps est. Serapio vinum in quo Muscus aliquot diebus maduerit, album, ait, somnũ inducere, vẽtriculum roborare, vomitiones compescere, & aluũ sistere. Dioscorides Musci decoctum vtile ad insidendum tradit, ex vtero fluore laborantibus: vnguento denique Balanino, oleisque inspissandi gratia misceri: thymiamatum acoporumq; compositionibus conuenienes esse, ad quæ potissimum is conuenit, qui odoratissimus.

De Musco palustri ac terrestri. CAP. XIIII.


Muscus terrestris vulgaris.



Muscus terrestris siue Lycopodium.



Muscus terrestris minor.



Muscus terrestris minor alter.

1.
2.



IN terræ superficie varij quoque exoriuntur Musci, forma non parum differentes.

Quædam enim species omninò villosa, admodum densa, candicãs, quę late subinde expatiatur, ampla loca occupans hæc macro ac sterili solo, in syluis aut alijs desertis, sed tamen riguis, reperitur locis, rarum etenim est hunc Muscum alibi inuenire, quàm vbi aquæ subsunt.

Nomen hic aliud quàm generis commune, nondum inuenit, poterit tamen haud inepte Palustris Muscus appellari, quando vix alijs, quàm humidis reperiatur locis.

Altera species longis tenuibus, ac subinde ramosis, e luteo colore virescẽtibus, latè serpentiticulis, quæ minutissimis foliolis aut einus crassioribus pilis densissimè conuestiuntur, ab his fibræ hinc inde demittuntur tenues, quibus pro radicibus vtitur, superficiei sese affigit, ac proximis adhæret surgunt & à ramulis cauliculi albicãtes, in quibus veluti quędã spicę, Coryli iulis ferè persimiles, quę tamẽ steriles, nec semẽ nec florẽ ferũt.

Locis hic Muscus reperitur desertis, incultis, in syluis, subinde etiã petrosis: & non modò in Hercynia sylua, aut in Germania, verũ & in Belgio. Et nonnullis locis maior alijs minor ac tenerior.

Iunio mense spicæ vigent: reliquo tempore inanes ac effœtæ apparent.

Muscum terrestrem non pauci hac ætate appellant: Germani Beerlap/ Gurtelkraut/ Seilkraut/ hatschar/ Teuffels klauwen: Belgæ Wolfsclauwen appellant vnde Lycopodium & Pes lupi à nobis dici cœpit: Officinæ pleræque perperam Spicam Celticam nominant: peius ac cum maximo errore pro Spica Celtica in medicamentorum compositionibus substituunt.

Officinarum error.

Cæterum Muscus terrestris, Lycopodij donatus nomine, vrinas mouet, &, vt Hieronymus Tragus refert, calculos cõminuit ac educit. Contusus ac in vino decoctus, podagricos dolores impositus lenit. Vinum fluctuans quod iam lentorem contraxit, in vase suspensus, integritati restituit: eodem auctore.

Lichen.



De Lichene. CAP. XV.

LICHEN Musci quoque species, ex multiplicibus pinguibus foliolis, squamarum instar compactis, constat, quæ superiore parte amplius, infera minus virent. exeunt inter hæc tenuissimi breues pediculi, cacumine stellatim radiati. quædam perexiles deorsum demittuntur fibræ, quibus saxis semitisque adhærescens, viuit ac viget.

Vmbrosis, humidis, petrosis, lapidibusque stratis vijs, item & alijs semitis, quò Solis radij rarius perueniunt, & quas nullus viator frequentat, Lichen crebrò reperitur.

Maio ac Iunio mense capitula stellata profert, & simul alia sæpenumerò foliola prioribus addit.

Λειχὴν Græcis: Latinis Lichen: aliquibus etiam *βρύον*, id est, Muscus, Dioscoride teste, appellatur: Officinæ Hepaticam vocant: Sunt tamen & complures aliæ Hepaticæ nomine donatæ, ad quarum differentiam Hepatica petræa haud incommodè hæc nuncupari poterit, à Germanis mutuata appellatione, qui hoc Musci genus Steyn leberkraut appellant: Belgicè Steen leuercruyt.

Frigida

Frigida autem ac ſicca, & aliquantulum adſtringens, temperamento Hepatica hæc petræa eſt. Aduerſus iocinoris inflammationes, calores, febres acutas, & tertianas ex bile ortas efficax habetur.

Dioſcorides Lichenem impoſitum ſanguinis ſiſtere profluuia, inflammationes omnes arcere, impetigini ſiue Licheni mederi tradit: prodeſſe verò & iis, quos regius tenet morbus, à iocinoris nempè inflammatione exortus. oris deinde & linguæ inflammationes cohibere.

De Pulmonaria. CAP. XVI.

Pulmonaria.



ACCEDIT Lichen Pulmonaria & alia Muſci ſpecies, aridior, ambitu latior, ac ſquamoſa, huius ſibi inuicé multipliciter implicata folia maiora ſunt, non perinde læuia, ſed rugoſiora, aſpera, ac corij fere modo dēſa, lentaq́; virent hæc ſupina parte, prona inalbicāt aut pallent. Qua tota forma pulmonem aliquo modo referre hic Muſcus apparet.

In veterum Quercuum, fagorum, aliarumq́; ſyluestrium arborum caudicibus, in opacis ac denſis ſyluis gignitur: reperitur & in petris quandoque, vel etiam vmbroſis aliis locis.

Nomen à formę ſimilitudine inuenit Pulmonaria: Germanis Lungenkraut: Belgis Longhencruyt: Gallis *Herbe a poulmon.*

Refrigerantis hæc eſſe facultatis & reſiccantis videtur. Feruntur autem paſtores, ac etiam Mulomedici quidam, huius puluerem addito ſale vtiliter ouibus ac aliis pecoribus tuſſiētibus & difficiliùs reſpirantibus exhibere. Prodeſſe hinc & hominibus poſſe creditur, & ad pulmonis vlcera ſanguinisque ſputationem perquàm vtilis.

Commendatur etiam ad cruenta ac recentia vulnera, pudendorum vlcera, muliebria profluuia; quin & ad dyſenterias, tum & ad alias vacuationes nimias, præſertim biliofas, ſiue per inferna, ſiue per ſuperna: vomitum, vt aiunt, ſiſtit; & aluum cohibet.

De Rore Solis. CAP. XVII.

Ros Solis.



PARVA & humilis hæc herba eſt: foliola habet in tenuibus pediculis pauca, exigua, ſubrotunda, aliquantulum & inſtar auriſcalpij concaua, vnà cum cauliculis hirſuta ac rubentia, ariſsimis temporibus, ſubq́ue feruidiſſimo Solis æſtu, ipſa meridie ac pòſt, rore humoreque madentia. coliculi inter hæc ſurgunt quadrantales aut minores, in quibus floſculi candiduli. tenuiſſimæ ac capillaceæ radiculę ſunt.

Exit locis deſertis, arenoſis, apricis, ſed riguis, & rarò alibi, quàm in ipſo humi naſcente candido paluſtri muſco.

Æſtate Ros Solis viget: Maio aut Iunio floret: colligendus cùm cæli conſtitutio ſicciſſima ac sereniſſima fuerit. Aqua ex hoc per vitrea organa extracta ſiue deſtillata, auri luteo relucet colore. *Aqua roris Solis.*

Germanis Sondaw & Sindaw dicitur Latinis Ros Solis: à nonnullis Rotella ab aliis Salſirota. A rore, quo ſub ardentiſſimo Solis æſtu madet, nomen induit. Dicitur & Loopichcruyt, quòd huius etiam guſtatu pecudes ad Venerem incitentur; quod Loopich eſſe Belgæ vocant.

Acris admodum & caustica herba est ad quartum caliditatis ac siccitatis gradum accedit. Trita cum exiguo salis fohola, vesicas excitant & locum exulcerant, cuicunque tandem corporis parti applicata fuerint.

Existimarunt recentiores phthisicis ac tabidis omnibus hanc herbam singulariter & valdè vtilem, & præsertim stillatitium eius liquorem. Veluti enim herba humoris rorisque tenacissima videtur, atque adeo quidem, vt ne feruentissimus Solis ardor humorem queat absumere, ita & naturalem genitalemque in hominum corporibus humorem conseruan ac foueri hac creditum fuit Verùm aliud vsus docet aliud & ratio dictitat. Nam cùm acerrima sit herba, & hac ipsa acrimonia aqua stillaritia non integrè destituatur, citra offensam & noxam sumi nequit: perire etiam citius obseruarum huius stillatitio liquore vsos, quàm eos qui abstinuissent, & rectam viuendi victusque rationem sectati fuissent.

Incitantur huius vel exiguo pastu ad Venerem quadrupedes feminæ, quod non parùm vanam opinionem temere auxit: Neque enim ex eo turgere facit & ad libidinem incitat quadrupedes, quòd seminis materiam augeat, sed quia acrimonia sua sopitum Veneris desiderium excitet.

De Musco capillari. CAP. XVIII.

Muscus capillaris.

1.

2.



EST inter Muscos & alia humilis species, cuius exigui cauliculi palmum non alti, densissimis breuibus, ex obscuro luteo virescétibus, pilis conuestiuntur, à quibus aliquando tenuissimi nudi subnigricantes surgunt pediculi, in quorum fastigiis, veluti exigua dependent granula. radices tenuissimæ ac minutissimæ.

Huius & altera species omnino minor ac humilior. Nascitur Musci hæc species locis humectis, & frequenter in muscosis carieque exesis vetustis arboribus, item & in petris, ac sæpè in hiantibus parietum ac murorum rimis.

Germani Widertodt/ golden Widertodt/ Jungfrauwen har appellant: Belgæ gulden Wedertoot. Fuchsius Polytrichon nominat, & Apuleij esse existimauit: re vera tamen Apuleij Polytrichon haud aliud est, quàm Dioscoridis Trichomanes: atque ea de causa Muscum maluimus capillarem dici, a multiplicibus quibus conuestitur tenuibus pilis.

Cæterùm de facultate huius quod adferamus habemus nihil: videtur autem in calore ac frigore quidem esse symmetrum; siccum verò aliquantulum.

De Musco marino. CAP. XIX.

MARINVS Muscus graciles, geniculis interseptos promit coliculos, qui & in apophyses tenuissimas ac capillaceas dispartiuntur.

Durus totus hic Muscus est, lapidis substantiam proximius quàm herbæ refert: colore subalbidus est: subinde nonnihil rubet.

Nascitur in scopulis ac testaceis marinis: non rarò ostrearum testis adnatum reperitur est. Corallio etiam adhætescere sunt qui referant.

Græcis Βρύον θαλάσσιον: Latinis Muscus marinus Officinis, Italis, ac Gallis *Corallina*: Hispanis *Malhorquitana yerua*: Germanis Meermoß: Belgis Zee mosch: Anglis Zea mosse.


Theophrastus hunc inter Fucos retulisse videtur, & τριχόφυλλον, siue capillarem Fucum appellasse.

Compositus est Muscus marinus, inquit Galenus, ex terrena & aquea essentia, vtraque frigida, siquidem gustu adstringit, & calidis quibusuis impositus, etiam euidenter refrigerat. Dioscorides & podagris, vbi refrigetari opus sit, commendat.


Terrena autem Musci huius essentia particeps etiam salsilaginis, cuius occasione & potenter resiccat: vermes verò ac ventris lumbricos enecare recentiorum experientia compertum. datur aduersus hos denarij pondo aut etiam minus pueris.

Præfertur à plerisque Corallis adhærescens, nonnihil rubicundi coloris: subcandidum deterio-


Muscus marinus I.



Muscus marinus II.



Muscus marinus III.



deteriorem habent. In Oceano tamen Gallico, Britannico, Belgico, vel etiam Germanico vix alius quàm subcandidus reperitur, quo vicinæ gentes feliciter vtuntur.

De Fuco marino. CAP. XX.

FVCI marini, Dioscoride auctore, tria sunt genera: vnum latum: alterum oblongius: tertium Creticum.

Theophrastus primum genus non modò folio lato, sed & extenso, ac herbidi coloris esse refert. Huius meminisse videtur Aristoteles lib. De animalium historia VI. Purgamentum autem hunc esse ait maris. fieriq́ue æstatis initio, coq́ue ostreas tum & pisciculos ali. 1.

Atque huiusmodi Fuci genus & Oceano Germanico familiare est circa saxosos scopulos: foliolis tenuibus, latis, aliquantulum crispis, & eleganter virentibus, quod vnà cum mitulis, conchis, ac ostreis prima æstate subinde ad vicina loca defertur.


Proximum genus Dioscorides sublongius ac rubens refert. Istud hoc esse apparet, quod à Theophrasto radice describitur foris δασεῖα, densa siue pilosa: interius vero λευκόζεαι, testaceam, longam, crassam, κερμμυηπτέοις similem habens, quod inter φύκους primo loco à Theophrasto refertur. Nam alterum Fuci genus huic τρυχόφυλλον dicitur, quod in testaceis ac super lapides nascitur. Hoc autem non abs re idem videtur cum Musco marino Dioscoridis, vt superiore capite monuimus. Cum secundo autem Dioscoridis Fuco satis conuenit, (si nos coniectura non fallit) quod oblongo folio, & radice foris pilosa expressum est. 2.

Tertium Fucum Dioscorides crispum & valde floridum esse ait, ac nulla corruptionis labe pollui, ac in Creta nasci. Theophrastus & Fuci speciem in Creta insula haud procul à terra super saxa plurimum optimumq́ue prouenire refert, quo non solum vittas, sed etiam lanas vestesq́ue inficiunt, colore longe purpuram præstante, quamdiu recens est. 3.


Appellatur autem Fucus φύκος Græcè: est tamen & Fucus herba Anchusæ species, multùm ab isto differens, qui & ea de causa non rarò φύκος θαλάσσιος, & Fucus marinus vocatur: Sunt verò qui φύκον Algam Latinè dici velint, in qua fuit Theodorus Gaza sententia, qui in

 Theo-

Fucus marinus prior.



Fucus marinus alter.



Plinij incō-stantia.

Fungi.



Theophrasti versione φῦκος Algam reddidit. Plinius verò vno loco hanc interpretationem improbat: alibi sequitur Lib. XXXII. cap VI. Algam maris Theriacen esse ex Nicandro refert: Nicander autem φῦκος in Theriacis commendat. Et ibidem Plinius genera referens Algæ, Fuci ex Dioscoride recenset: Lib. autē XIII. in alia omnino est sententia: Non habet, ait, lingua alia nomen, quod Græci vocant φῦκος: quoniam Alga herbarum magis vocabulum intelligitur.

Cæterum Phycum etiamnum humentem resiccare ac refrigerare ordine secundo Galenus docet. Dioscorides non modò podagræ, sed etiam inflammationibus in cataplasmate vtilem ait, & humido eo vtendum, prius quàm marescat.

De Fungis. CAP. XXI.


FVNGORVM quidam ex terra exeunt: alij veterum arborum caudicibus adnascuntur, à prioribus omninò differentes.

Terreni fungi crasso tereteq; insident pediculo, instar lati ac circinatæ rotunditatis pilei siue galeri, superiore parte initio & dum vigere desierint conuexi, inferiore ac prona concaui, tenuibus incisuris à medio centro ad circumferentiam vsque productis striati: carent autem omnes medulla, neruo, vena.

Differunt nō parum magnitudine & colore.

Ampli

Fungorum alia genera.



Ampli quidam sunt,& exigui pilei magnitudinem referunt: minores alij,qui argentei nummi (cui talero nomen) latitudinem exiguùm aut nihil excedunt.

Rubent inferiore ac prona parte plerique: nonnulli verò intensius: alij remissius. quidam exiguùm aut nihil. conuexa superior facies aut pallet aut inalbicat,vel etiam sordente colore(griseum vulgò dicunt) cinerem refert,aut sublutea apparet.

Circa arborum radices, locis herbosis, in pratis & veruactis, in syluis quoque locis arenosis,sed tamen humentibus, proueniunt Fungi. Nascuntur & ex lignis,arborum caudicibus cariosis ac corruptis, sed reprobi & inutiles. Venenosi autem gignuntur,Dios.referente,vbi clauus ferreus rubiginosus aut panni marcor adfuerit, aut iuxta serpentis cauernam, vel arborum noxios proferentium fructus radices.

Præferuntur à nonnullis è montibus ac montosis locis: Horatius verò ait:

Pratensibus optima Fungis natura est.

Apparent nonnulli Aprili mense,quos Maio mense requirere temerè fuerit, nec etenim post Aprilem vigent: alij serius circa Augustum gignuntur: omnes tamen post pluuias, atque ideo eo vno anno citius: altero serius reperiuntur. Imbribus,inquit Plinius, proueniunt Fungi. origo,eodem auctore,ex pituita est arborum.

Græci Fungos *μυκήτας* appellant: Itali *Fonghi*: Hispani *Hungos*, *Cugumelos*: Galli *Campinion*,voce Belgis etiam vsitata,quibus & Campernoellen dicitur: Germani Schwemme/Pfifferling. Qui Aprili mense apparent,à nonnullis Spongiolæ: ab Italis *Prignoli*: Germanis verò Morchel appellantur. Dilutius rubentes inter serotinos,Boleros dictos volunt: quorum ortus & occasus septem diebus concluditur. Candidi aut sublutei Suilli existimantur: quos recentiores Porcinos nominant. Siccantur,inquit Plinius,pendentes Suilli iunco transfixi: Siccatorum autem in Bohemia & Pannonia superiore,hac nostra ætate etiam vsus est. Iuxta Populorum radices enati *ἀιγειρίται* Græcis: Latinis Populnei appellati reperiuntur.

Est autem Fungus,Galeno auctore, admodum frigidus ac humidus: quamobrem etiam proximè ad deleteriam enecantemq; facultatem accedens, præsertim qui admistam habet qualitatem putredinosam. In libris verò De aliment. facult. Boletos ait,si probè in aqua elixi fuerint,propè accedere ad cibos insipidos,non tamen ipsos solos, sed varie conditos edi: vt pleraque alia nulla insigni qualitate prædita: alimentum verò ex ipsis esse pituitosum ac frigidum,prauique succi, atq; hos quidem omnium minimè esse noxios, post hos secundo loco esse Aminitas. (cum Suillis conuenire putantur.) reliquos tutius non attingere. Tutissimi sunt qui callo rubent,minus diluto rubore quàm Boleti: mox candidi: tertium genus Suilli venenis accommodatissimum.


Nascuntur,inquit Athenæus,ex terra Fungi,ex quibus pauci sunt edules: plurimi etiam suffocant.

De Fungo orbiculari & Lucernarum Fungis.

CAPVT XXII.

SVNT & in Fungorum genere nonnulli, globosæ formæ ac instar rotundi orbis terræ adhærentes,nullo pede aut cauliculo fulti,albidi,nulla quoque parte patentes; quorum interior

Fungus orbicularis.



terior medulla laxa & præhumida: qui dum resiccati rumpuntur, tenuissimum pulverem instar fumi quodammodo eructant.

Locis isti reperiuntur patentibus, arenosis, & humidis, & quidem quoque post imbres.

Vulgò Lupi crepitus appellant. Itali *Vescie de Lupo*: a Plinio Pezicæ dicti videntur, quasi sessiles. Nam in Fungorum genere quosdam ait Pezicas dici, qui sine radice ac pediculo nascuntur. Hi nullo manduntur modo. Pulvis resiccatarum citra morsum resiccat: ad abrasa & intertrigines non inutiliter adhibetur.

Lucernarū Fungi. De Lucernarum Fungis hic nihil adferendum, non etenim ad stirpium naturam pertinent, cum aliud non sint, quàm quod in extremitate ellychnij concrescens, lumini impedimento est. Hos humidæ constitutionis esse præsagium, Virgilius Georgicon libro primo scribit, vbi signa futuræ pluuiæ recenset:

Tum Cornix plena pluuiam vocat improba voce,
Et sola in sicca secum spatiatur arena:
Nec nocturna quidem carpentes pensa puellæ
Nesciuêre hyemem: testa cùm ardente viderent
Scintillare oleum, & putres concrescere Fungos.

De Fungis arboreis. CAP. XXIII.

ARBOREI Fungi caudicibus, subinde etiam ramis arborum adnascuntur, circumferentiæ partem occupant ipsi semiorbiculares, superiore parte nonnihil plani, subinde exiguum concaui, inferiore in angustius contrahuntur. materia solida est, quæ resiccata ignem concipit, & aliquamdiu retinet.

Vix vlla est arbor, cui non senescenti huiusmodi Fungi subinde adnascantur.

Μυκῆται quoque appellant: verùm ad differentiam superiorum, Fungi dicuntur arborum, & Fungi arborei. Germani similiter Schwemme appellant.

Perniciosi omnes intro assumpti existimantur. Nicander lethales esse refert in Olea, Ilice, & Quercu enatos.


De Agarico. CAP. XXIIII.

INTER arboreos Fungos venit & Agaricum numerandum. est autem Fungus candidus, haud inodoratus, materia constans quam præcedentium rariore. Plinius lib. XVI. cap. VIII. Galliarum maximè glandiferas arbores Agaricum ait ferre, Sed non glandiferæ, verùm coniferæ, & inter has vel sola Larix hunc profert, & quidem non in Gallia, quæ nunc Francia, sed potius in Cisalpina Italiæ Gallia, vbi Laricum syluæ: quanquam & alibi, vbi Laricum prouentus, ipsum etiam reperiri contingat.

Præstat quod candidissimum, rarissimum, frangi facile ac leue est, primoque gustu dulce, durum, densum. Graue, nigricans, in fragmentis ceu villos neruorum ostentans, perniciosum habetur.

Græci

Agaricus



Græci Ἀγαρικόν: Latini & Officinæ Agaricum quoque vocitant: Itali, Hispani, aliæque nationes Græcam vocem imitantur.

Agaricum autem inter ea, quę ordine quidem primo excalfaciant, secundo verò resiccant, placuit veteribus numerari: Incidit, attenuat, extergit, viscerum obstructiones expurgat, tum & per aluum deorsum purgat.

Iuuat regio morbo ex obstructione laborantes: rigores a crassis frigidisque humoribus persanat: & demorsis à frigore lædentibus bestiis, cùm foris appositum, tum intrò assumptum · vrinas remorantes mouere potestatem & menses corporis colorem emendat: lumbricos pellit: febres, præsertim quotidianas, tum & erraticas, aliasque longiores curat, idoneis ad morbum facientibus permixtum. Et hæc quidem educendo, expurgandoque crassos frigidos & pituitosos humores, morborum causas, potest.


Modus exhibitionis in substantia aut puluere est, à denario vel sesquidenario ad duos: Infusi autem aut decocti à denariis duobus ad quinque.

Tarde autem purgat: ventriculum quoq; nonnihil perturbat · Idcirco & Zinziber miscendum ei præcipitur, vel Dauci, vel Ligustici semen, vel sal fossilis, quem Gemmæ cognominant.

Galenus (vt quidem Mesues refert) cum vino in quo maceratum Zinziber, exhibuit. Non desunt qui Agaricum cum Oxymelite propinent, quo modo tutissimè exhibetur.

De Tuberibus. Cap. XXV.

Tubera.



TVBERA globosa ac tuberosa quædam sunt sua sponte intra terram nata, & ab ea vndequaque circumdata, absque caule, foliis, fibris, aut capillamentis adnatis. sunt hæc foris aut nigra aut ruffa, interiore verò pulpa candida aut subflaua; magnitudine mali Cotonei, subinde ampliora.

Siccis,

Siccis, sabulosis, frutetosis tractibus gignuntur, vt in Pannonia, & plerisque Italiæ regionibus. locum in quo gignuntur nec extuberare nec rimas agere, Plinius refert: Martialis vero findi frequenter solum cui subsunt, his verbis ostendit.

Rumpimus altricem tenero de vertice terram
Tubera, boletis poma secunda sumus.

Cùm fuerint imbres Autumnales ac crebra tonitrua, tunc potissimum nascuntur, Plinio auctore.

Vere & æstate effodiuntur, Dioscorides ait.

Ὕδνα Græcis: Latinis Tubera: Italis *Tertuffi*, *Tertufali*: Hispanis *Turmas de tierra*, *Toferas*, *Tuberas de terra*. Gallis *Trufle*.

Tubera autem, vt quidem Galenus ait, iis annumeranda sunt, quæ nullam euidentem qualitatem habent; quibus omnibus commune est, vt alimentum nulla insigni qualitate constans præbeant; frigidiusculum tantùm.

De his Auicenna diligentius ac veriùs. Tubera terrena magis quàm aquea, omnisque qualitatis gustabilis expertia refert, sed tamen melancholicos & crassos ab ipsis in corpore gigni humores sæpiusque manducata apoplexim ac paralysim inferre.

LIBRI QVINTI ET PEMPTADIS TERTIÆ

FINIS.

IN REMBERTI DODONÆI MEDICI HISTORIAM FRVMENTORVM

IOHANNIS POSTII CARMEN.

VIDERAT hunc titulum flaua quæ cincta corona
Frugibus atque aruis præsidet alma Ceres:
Historiamque suam mirata, simulque figuras,
Omnia quæ referunt conuenienter, ait:
Dum renouabit agros, sulcis dum semina credet
Rusticus, & facili demetet arua manu:
Semper honos, Remberte, tuus, laudesque vigebunt,
Namque sacrabo mea nomen in æde tuum.
Et tibi solennes posthac mea turba choreas
Instituent, festas instituentque dapes.
Et positis læti repetent tua nomina mensis,
Rembertumque canet vir mulierque meum.
Atque aliquis iuuenum, grati monumenta laboris,
Suspendet tumulo spicea serta tuo.
Et pius optabit tua molliter ossa quiescant,
Sanctaque perpetuis floreat vrna rosis.

REM-

 Auctoris damnati, opera permissa

REMBERTI DODONAEI DE FRVMENTIS, LEGVMINIBVS, PALVSTRIBVS, ET AQVATILIBVS, AC EO PERTINENTIBVS HERBIS,

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTAS QVARTA.

DE FABA, EPISTOLA AD IVLIVM ALEXANDRINVM SVB FINEM ACCESSIT.

DE FRVMENTIS LIBER PRIMVS,

PRÆFATIO.

HACTENVS *stirpium herbarumque prosequuti sumus historias ad medicam materiam facientes: nunc verò ad eas properamus, quæ corpus alunt, atque ex numero sunt alimentorum: fruges videlicet & olera.*

Frugum autem nomine continentur Frumenta & Legumina, quæ Latinis Cerealia semina, Græcis σιτηρὰ καὶ δημητρία σπέρματα appellantur, quarum historias modò prosequi huius est instituti, tum & eorum quæ eò pertinere, necnon stirpium earum, quæ ipsis coniungi posse videbantur.

Pertinent verò ad frugum harum historiam, omnia ex frumentis factitia, vt far, chondrus, alica, tragus, amylum, ptisana, polenta, maza, βύνη, zythum, & si quæ sunt alia eiusce modi.

Faciunt eodem & alia multa semina à Theophrasto lib. octauo inter fruges, & tertio quidem loco, reposita, quæ & à Galeno primo De facultatibus alimentorum libro, inter ἐδώδιμα siue edulia enumerantur, cuiusmodi sunt Sesami, Erysimi, Lini, Cannabis, Fœnigræci, & aliorum similium, veluti & Fegopyri, quibus vel prior ætas in cibis vsa est, vel nostra hac vtitur.

Iam & frugum vitia, tam ex ipsis frugibus degenerantibus, & per cæli aut soli inclementiam in peius mutatis enata, quàm etiam inter eas exeuntia ipsis molesta, frugibus etiam opportunè succedunt: commodè saltem omitti, aut ab iis seiungi non possunt. Cum quibus non inconcinnè, nec præter institutum, aruorum quoque ac pratorum pestes ac vitia, in hanc operis partem admittuntur.

Addita sunt palustrium multarum & aquatilium herbarum descriptiones, quia nulli nostri operis parti commodius, quàm huic, coniungantur. Palustrium etenim plurimæ iumentorum aliorumque pabula quadrupedum sunt, veluti & multarum frugum vitia, & ipsæ quoque non rarò fruges. Aquatiles autem paucas quidem, aut nullas, animalia hac pascuntur, sed natalium locorum vicinitas ac affinitas, eas in palustrium consortium traxit.

Descriptæ autem sunt palustres non omnes, sed quæ huic parti congruere magis visæ sunt; non paucas siquidem de industria & data etiam opera omisimus, quas videlicet aptiùs aliis locis describi contigit. Sunt verò & inter palustres minimè tales, veluti trifolia quædam, quæ vel propter nominis communionem, vel terna cohærentia folia, ab aliis palustribus trifoliis diuelli non potuerunt.

Et propter has maximè rationes horum omnium historias in vnam hanc, vt diximus, partem contraximus. A frumentis autem exordientes, de Tritico primùm agemus, vt & priore loco describatur, quod omnibus frumentis etiam præfertur.

DE

DE TRITICO.

CAPVT PRIMVM.

Triticum.



TRITICVM folio exit Secalis minore: culmus assurgit plurimis, geniculatis, hordei altioribus, quorum tertio aut quarto articulo spica eminet, vt plurimum mutica, interdum verò & aristis nonnullis breuibus cincta: grana profert colore flaua, quæ e glumis ac folliculis facilè exeidunt, ac exiguo negocio in area exteruntur. radicibus firmatur multis tenuibus.

Prouenit in omnibus fere habitati ac culti orbis regionibus, à quibus & complura eius notantur genera, cognomina ab ipsis natalibus sortita; quæ colore, magnitudine, specie, & proprietate inter se differunt: testis Theophrastus.

Lætum autem pingueque solum Triticū postulat, idque magis apricum & siccum, quàm riguum. In sicco enim, vt Columella refert, melius coalescit. In humido verò ac vliginoso degenerat, & post tertiam sationem in Siliginem, hoc est, læuius & candidius Triticum conuertitur: quæ tamen & rursus in Robum, id est, præstantius Triticum biennio transit, si in conueniens solum translata, grauissima eius grana serantur: auctor Plinius.

Seritur frequentius Autumno: interdum Vere. Autumno satum per hyemem in herba est, & pluribus culmis attollitur, & frequentioribus radicibus firmatur. Æstiuis mensibus vtrumque ad maturitatem peruenit.

Appellant Germani Weyssen: Belgæ Tarwe: Itali *Grano*: Hispani *Trigo*: Galli *Bled ou forment*: Angli Weet. Græcis πυρὸς dicitur: Latinis Triticum. Significat verò Triticum generaliter quidem omne frumentum, quod ex spicis tritum ac trituratione repurgatum est: in quo significato Iurisconsultus nonnunquam hac voce vtitur: vt ff. de verb. oblig. propriè tamen idem eum eo, quod Græcis πυρὸς, est.

1\. *Robus.* In Tritici verò genere, quod durum solidumque, & rutilo colore non modò extrinsecus splendet, verùm etiam in partes diuisum, eundem interius refert: Columellæ Robus appellatur. Pondere hoc (quo maximè omnis frumenti præstantia discernitur) & nitore præstat.

2\. *Siligo.* Aliud genus mollius, læuius, interioreque medulla laxius ac candidum, (quale plerisque locis laudatissimum habetur) Siligo à veteribus Latinis appellatur. Hanc Plinius propter candorem, ac in mandendo suauitatem, commendat, & Tritici etiam delitias nuncupat. Siliginem (inquit) propriè dixerim Tritici delitias: candor est, sine virtute, & sine pondere, conueniens humidis tractibus, quales Italiæ sunt & Galliæ Comatæ: lib. XVIII. cap. VIII. Columella verò, eius quidem speciem in pane præcipuam concedit; sed tamen quia pondere inferior, Tritici vitium esse censet. Quod extrinsecus, inquit, albidum, intus verò conspicitur candidum, leue ac vanum intelligi debet, nec nos tanquam optabilis agricolis, fallat Siligo. Nam Tritici hoc est vitium, & quamuis candore præstet, pondere tamen vincitur.

3\. *Setanium.* Quod Vere seritur, Galli, Ruellio auctore, Martium cognominant: Belgæ Somertarwe: Græcis τρίμηνος πυρὸς, id est, Trimestre Triticum, & σητάνιας: Latini Setanium vocant. Huius vsus, Columella ait, agricolis gratissimus: vbi enim propter aquas aliamve causam matura satio est omissa, præsidium ab hoc petitur. Trimenon autem siue trimestre dicitur, quòd tertio à satione mense, Italiæ maturescat. A Tritico ac Siligine potissimùm, (cui candore leuitateque simile est, eiusque idcircò genus quoddam) solo sationis tempore differt. Quod si enim maturius sereretur, commodius proueniret. Neque enim vllum natura trimestre Triticum: quippe idem satum autumno melius respondet: Columella.

Triticum autem, vt inquit Galenus, frequentissimè ac summa cum vtilitate ab hominibus vsurpatur. Inter ea plurimum habent alimenti, quæ densa sunt, totamque substantiam

habent

habent adeò compactam, vt dentibus vix diuidi queant. Talia enim exigua mole, corpora plurimum nutriunt, quæ vero iis sunt contraria, quæque dentibus facilè franguntur, fractaque rara & laxa apparent, magna mole exiguum reddunt alimentum.

Vt medicamentum verò foris impositum, primi est ordinis excalefacientium, non tamen nec resiccare, nec humectare manifeste potest. Habet etiam quiddam lentoris obstruentisque naturæ.

Tritica, Dioscorides ait, cruda in cibis teretes lumbricos gignunt: canum morsibus prosunt mansa & imposita.

Farina cum Hyoscyami succo imponitur aduersus neruorum rheumatismos. item contra interaneorum inflationes: lentigines ex aceto mulso tollit. Seraniorum farina contra venenatos ictus cum aceto aut vino imposita prodest: eadem si decocta in glutini modum delingatur, cruentis excreationibus succurrit: contra tussim & exasperatas arterias, cum Mentha & butyro decocta efficax est.


Tritici γύρις si ex aqua mulsa aut hydrelæo decoquatur, omnē discutit inflammationem.

Furfures autem in acri aceto decocti lepras remouent, & incipientibus omnibus inflammationibus commode imponuntur: cum Rutæ verò decocto cocti, turgentes mammas sedant, viperarum ictibus auxiliantur, & torminosis prosunt.

Siliginis grana, Plinius lib. XXII. combusta & trita in vino Aminneo, oculis illita, epiphoras sedant. Tritici verò combusta, iis, quæ frigus vsserit, præsentaneo sunt remedio. Farina ex aceto cocta, neruorum contractionibus auxiliatur. Furfures tonsillis faucibusque gargarizatione prosunt.

De Tritico Typhino. CAP. II.

Triticum Typhinum.



REPERITVR verò & aliud frumenti quoddam genus, grano & culmis Triticum referens, quod culmos quidem habet breuiores ac tenuiores, spicam verò aristis longis & duris Hordei similitudine munitam, granum autem durum, densum, colore fuluum, Tritico minus, quodque facilè è glumis suis exteritur.

Nascitur in quibusdam Hispaniæ, ac insularum Fortunatarum agris: Phalaridis enim semini, quod illinc aduehitur, permixtum reperitur: vnde collectum atque in hortis satum, ea, qua depictum est, forma prodit.

Suspicari quis posset, semen hoc Typham esse, cuius Theophrastus & Galenus meminerūt. Sed cum Typhæ granum, multiplici folliculo inclusum, difficulter deglubatur, huius autem facilè, Typha propriè esse nō potest: licet tamen ex Typha natum, & degeneratū esse possit, nam quod ad reliquas notas attinet, ei simillimū est. Inter ea enim quæ Tritico ac Zeæ similia, leuissimum est, tenui ac simplici culmo assurgit, vt de Typha Theophrastus scribit. Semē eius paruum quoque est, & exile, densum item & coactum, atque colore quàm Triticum magis ruffo, vt Galenus de Typha scriptum prodidit. Iam & spica aristas habet longas ac duras, quales Typhę esse ex veterum plerisq; locis manifestum est.

Quæ omnia tam magnam huius frugis cum Typha similitudinem ostendunt, vt planè non aliud, quàm ex Typha Triticum ac Typhinum quoddam Triticum esse videatur. Nam & Typha, auctore Theophrasto, in Triticum transit, si pista ac purgata, seratur. Rationi autem consentaneum videtur Triticum ex Typha natum similitudinis plurimum cum ea retinere, non secus ac Triticum ex Zea genitum, quod culmo spicaque Zeam refert.

Huic non admodum dissimile videtur, quod Hieronymus Tragus Wälsch weyssen, hoc est, Triticum Italicum aut Romanum cognominat: nam & huius spica aristas habet longas & asperas, est tamen culmis, spicis, atque granis maius, spicas etenim habet pleniores, rotun- *Triticum Romanum.*

dioresque quàm Triticum; semen verò pulcherrimú atq; Triticeo simile, vti Tragus refert.

Seritur frequentius in Alsatia, rarius in alijs Germaniç regionibus, idque locis potissimum montosis, præsertim vbi apri fruges depascuntur, nam ab hoc vno fere abstinent, quòd durioribus eius aristis offendantur.

De pane ex Tritico. CAP. III.

CONFICITVR panis ex omni quidem frumento, sed ex Tritico longè præstantissimus. Veluti etenim Triticum reliquis omnibus frugibus præstat, ita & ex Tritico panis, reliquorum omnium frumentorum panificia antecellit.

Sunt huius panis aliquot genera, quæ à Triticeæ farinæ partibus, primaria differentiæ nomina acceperunt.

Moliti siquidem Tritici, partes quædam tenuiores sunt ac puriores, aliæ crassiores impurioresque, quas inter se commixtas ac confusas, tota farina continet.

Flos. Siligo. Purissima, mollissima, nec non tenuissima ea est, quæ ab omnibus furfuribus exactissimè repurgata Dicitur hæc Latinis Flos & Siligo, translato à candidiore ac leuiore Tritico nomine, quod propriè, vt diximus, Siligo nuncupatur. Greçi voce à Latinis mutuata hanc partem σιλίγιν appellant, proprio, vti Galenus ait, nomine destituti. σεμίδαλις inquit Græcum nomen & antiquum, σιλίγνις verò neque Græcum, neque ipsam aliter possum exprimere: lib. 1. De aliment. facul. Alij tenuissimam hanc partem, γύριν, ac παιπάλην appellari existimant. Hesychius tamen γυρίτην ἄρτον, αὐτόπυρον siue confusaneum interpretatur, & παιπάλη, Hordei Miliique non farinæ tenuissimum, sed ἄλευρον λεπτὸν, hoc est, farinam tenuem.

Pollen. Plinius purissimam Tritici farinam Latine etiam Pollinem nominat, sic tamen vt inter eum & florem, discriminis nonnihil faciat. Flos siquidem purissima ei est farina Siliginis, siue candidioris Tritici: Pollen verò Tritici alterius. Pollinem (ait) appellant in Tritico, quod florem in Siligine Verùm in hoc significato Pollinis nomen à Cornelio Celso non vsurpatur, qui per Pollinem impuriorem ac furfuraceam farinæ partem intelligit; vtpote ex quo panes fiunt cibarij, autopyris impuriores infirmioresque, veluti hæc ipsius verba lib. II. cap. XVIII. euidenter commonstrãt. Ex Tritico firmissima Siligo: Simila deinde, cui nihil ademptum est (quod αὐτόπυρον Græci vocant) infirmior est: ex Polline infirmissimus cibarius panis. Quæ Cor. Celsi verba, cum iis conueniunt, quæ à Paulo Ægineta hunc in modum scripta sunt, lib. I. cap. LXXVIII. τροφιμώτατος δὲ τῶν ἄρτων ὁ σιλιγνίτης, ἐφεξῆς δ᾽ ὁ σεμιδαλίτης, καὶ τρίτος ὁ συγκόμιστος, ὁ δὲ ῥυπαρὸς ἄρτος ἥττον μὲν τρέφει

Marcelli error. Quod cùm Marcellus Vergilius obseruauerit, ac in Commentariis, quos in Dioscoridem edidit, scriptum reliquerit, admirari animo subit, qua ratione vel argumento inductus Pollinem existimare potuerit, tenuissimum puluerem magis esse quàm farinam, qualis circa molas plerumque, & loca in quibus panis pinsitur, parietibus hærens inuenitur. Nam si panis ex Polline, cibarius, ac ῥυπαρῷ Græcorum respondet, (vt ordo ipse ostendit) Pollen Cor. Celso non puluis vel farina tenuissima, sed aliud nihil esse potest, quàm sordidior farinæ pars, furfurum multum habens, ex qua purissima mollissimaque farina excussa est. Ex Polline siquidem cibarium panem, post αὐτοπύρους Celsus collocat, eodem videlicet loco, quo apud Græcos ῥυπαρός.

Similago. Post Florem siue Siliginem, Similago, quæ & Simila est, à Greçis σεμίδαλις dicta, & tenuis quædam farinæ pars, sed Siligine impurior, vtpote ex qua non omnes excussi sunt furfures, sed crassiores tantum repurgati: medium videlicet quoddam genus inter florem & farinam confusaneam. Laudauit hanc Martialis in Xeniis hoc disticho:

Nec dotes poteris Similæ numerare nec vsus,
Pistori toties cùm sit & apta coquo.

Ex crassioribus verò moliti Tritici partibus, vna quidem impurior, quædam & furfuracea farina est, ex qua Flos siue Siligo, hoc est, tenuissima farinæ pars excussa est: altera verò, crassiorum partium furfures sunt. Priorem Cor. Celsus, vt diximus, Pollinem appellat: vnde & excussoria per quæ floris fit secretio, Pollinaria Plinio dicuntur. Posteriorem veteres Canicas, Græci πίτυρα nominant; Palladio cretura est: plerique vtriculos & exta Tritici dici volunt: alij Græcè κυρίβια appellant, quæ tamen Galenus Hordei purgamenta interpretatur, in expositione linguarum Hippocratis.

In horum omnium medio farina est, omnes frumenti partes in se continens, cui nihil vel floris vel furfurum decessit, Latinè Farinam dixeris confusaneam, Græci communi nomine, ἄλευρον nuncupant.

αὐτόπυρος ἄρτος. Ex hac panis coctus αὐτόπυρος nominatur, & συγκόμιστος, quasi confusaneus, quoniam castratus non sit, sed simul omnia ferat: item & ἀλευρίτης, ξυλομυλίτης, σύγκρος: ac teste Hesychio, γυρίτης.

Sed

Sed ex purissima, mollissima, nitidissimaque farina Siligineus ac σιλιγνίτης dicitur. Quod Siligineus
& Iuuenalis Sat. 5. ostendit, seruari referens domino, ex siligine confectú panem, his verbis: panis.

Sed tener & niueus molliq; Siligine factus
Seruatur domino.

Ex similagine verò, similagineus & σεμιδαλίτης. Simulagineus panis.

Qui autem ex polline siue furfuracea farina, coactus est, ῥυπαρὸς nuncupatur, ac Latinè Cibarius
cibarius, gregarius, ac sordidus, pauperum ac seruorum olim cibus. panis

Pacuuius sordidum panem Canicaceum, Festus Pompeius Acerosum nominat. Ex horum genere πιτυρίας, hoc est, Furfuraceus, qui furfuris plurimum recipit. Furfuraceus panis.

Panis autem nomen à Pano dici Varro putat. Messapij redundantiam & saturitatem πανίας (testis Athenæus) appellant: vnde Latini nomen Panis deflexerunt, vt Ruellius ait.

Parantur porrò omnes panes, aut cum sale & fermento, aut absque his: item aut in clibano furnove coquuntur, aut in craticula, aut sub cineribus, vel alio modo.

Qui fermentum, ac salem accepit, ζυμίτης & fermentatus, absque fermento verò factus Ζυμίτης ἄρτος
ἄζυμος, non fermentatus, & à Nicandro Colophonio δάρατος appellatur, testis Athenæus. Azymus

Κλιβανίτης ἢ κριβανίτης ac furnaceus, dicitur in furno coctus, idem Varroni testuaceus, nam panis
κλίβανον testum nominat. Ex horum genere ἰπνίται quoque sunt, in minoribus furnis cocti. Furnaceus.

Ἐσχαρίτης super craticulam torretur. Huic similes sunt, super cineres calidos, ἐπανθρακίδες Escharites
Athenæo dicti, aut foci pauimentum assati. Escharitem, Athenæus ait, passo olim intingi solitum, ac sub finem mensæ inferri, multis rebus iucundis ac mollibus ita mistum, vt multam habeat ob delitias, ad vinum passum proportionem, sic vt ebrios quasi resipiscere faciat, ac rursus esurire eos, qui antea satis comederant. ipnitæ panis

Ἐγκρυφίας, siue ἐγκρυφίτος, Latinè Subcinericius dicitur, qui cineribus obductus coquitur, Subcinericius.
qualis Iudæis olim familiaris.

Est & διπυρίτης siue δίπυρος, Biscoctus, qui ignem ac coctionem bis expertus est. Biscoctus.

Inter panes autem (vt Galenus in libr. De alimentorum facultatibus scribit) Siligineus plurimum alimēti præstat: post ipsum autem Similagineus: tertio loco medius, qui & συγκομιστὸς καὶ αὐτόπυρος: quartum post hunc est ῥυπαρῶν siue sordidorum genus, in quibus πιτυρίας, hoc est, Furfuraceus, postremus est, minimumque omnium nutrit, & omnium maximè per aluum secedit.

Concoctu autem inter panes, sunt facillimi, qui plurimum sunt fermentati, & probissimè subacti, quique in clibano igne moderato cocti sunt.

Atqui super craticulam, aut cineres calidos, aut foci pauimentum assantur, praui omnes sunt, vt qui inæqualiter se habeant, nam partes ipsorum extimæ supra modum sunt coctæ, interiores autem crudæ.

Cæterùm iis, quos subcineritios nuncupant, propterea quòd cineribus tecti decoquantur, cineres ipsi prauitatem quandam aspergunt, quapropter omnium panum (si ipsis cætera omnia pariter adfuerint) quod ad assandi saltem modum attinet, propemodú sunt deterrimi.

Panis cum melicrato coctus, (Dioscorides ait) & crudus, inflammationes omnes impositus mitigat. Nam emollit & quadamtenus refrigerat, præsertim herbis succisve quibusdam permistus. Vetus panis, ac aridus, cùm per seipsum, tum quibusdam admixtus, citam aluum cohibet. Recens autem muria maceratus & impositus, vetustas impetigines sanat.

Quod ex pane fit cataplasma, vt Galen. lib. De facul. simplic. medicament. tradit, vim habet magis digerentem, quàm quod ex Tritico: nimirum cùm salem & fermentum panis adiuncta habeat. Fermentum etenim vim habet attrahendi, digerendiq; ea, quę in alto residēt.

De Zea. Cap. IIII.

ZEA, siue, vt vulgò, Spelta, culmis spicaque Tritico similis; culmis enim assurgit numerosis, geniculatis, Hordei altioribus, spicam profert inconditam, vt plurimùm absque aristis. grana multiplici folliculo, à quo non facile deglubuntur, inclusa, geminis vtriculis duo simul iunguntur, quæ repurgata & è glumis extrita, Tritici granum referunt. Radix ei quoque, vt Tritici, multiplex.

Nascitur qualicunque solo, etiam humidiore, quoniam folliculum, ait Columella, quo continetur, firmum, ac durabilem, aduersus longioris temporis humorem habet; læto tamen pinguique melius proficit.

Mutatur atque in Triticum transit, si pista atque purgata feratur, idque non protinus, sed anno tertio; vt Theophrastus tradit.

Spelta, vt diximus, vulgò nominatur; Germanis Speltz / nonnullis verò Dinkel / nostris

Spelte· Gallis *Espeautre:* Italorum pleriſque *Farra farra:* Hetruſcis *Biada:* Inſubribus *Alga*, quaſi alica A Græcis ζέα καὶ ζεία nuncupatur.

Zeæ autem genera Dioſcorides duo facit, vnam ἁπλῆν ſiue ſimplicem, alteram δίκοκκον, quæ in duobus putaminibus grana bina cõiuncta fert. Eſt autem Spelta Dioſcoridis quidem Dicoccos, quæ eadem eſt cum Theophraſti ac Galeni Zea.

Antiquiſſimi ac Priſci Latinorũ, Zeam ſiue Speltã, Far nuncupauere, vt locupletiſſimus teſtis eſt Dionyſius Halicarnaſſæus. Nominabant (inquit) priſci Romani ſacras nuptias, vocabulo ſuo φαῤῥακίω, quia coniuges veſcerentur eodẽ Farre, quod nos Græci ζέαν dicimus. idem affirmat Aſclepiades apud Galenum, κατὰ τόπους lib. 9. ita ſcribens. φάῤῥεως ὃ καλοῦσι ζέαν, id eſt, Farris, quod ζέαν appellant.

Adoreum Appellatur vero Far iſtud Latinis quoque Ador, Adoreum & ſemen Adoreum, ac à poſterioribus propter frugis pręſtantiam, peculiari nomine Semen. Hôc populum Romanum tantùm, e frumento ccc. annis vſum, Verrius tradit.

Genera huius Columella quatuor ſcribit: Far Cluſinum candoris nitidi: Far quod vocatur Venniculum rutilum, atque alterum candidum, ſed vtrumque maioris ponderis, quàm Cluſinũ: Semen trimeſtre, quod dicitur Halicaſtrum, idq́; pondere & bonitate præcipuum.

Ex his cum Halicaſtro conuenire Spelta poſſet, ſi trimeſtris eſſet, ac Vere ſereretur, verum cùm Autumno ſeratur, Venniculo albo magis ſimilis eſſe videtur. Nam veluti Venniculum, ſic & Spelta, pondere præſtat ac candida eſt.

Nutrit Zea Hordeo, vt Dioſ. tradit, potentius, εὔστομος, hoc eſt, ori grata eſt, (Galenus εὐστόμαχος, hoc eſt, vẽtriculum iuuat,) panificia ex eo confecta minùs quam ex Tritico nutriunt.

Galenus Zeam vniuerſa ſua facultate, in medio quodammodo Tritici & Hordei eſſe, in lib. De ſimplicium medicamentorum facultatibus, ſcribit.

De frumento Monococco. Cap. V.

Monococcon.



QVOD Germani Einkorn/ hoc eſt, Monococcon, ſiue vnius grani appellãt, ad Zeam recentiores quoque referunt, breuioribus eſt & tenuioribus quam Zea culmis: ſpicæ in ordines quoſdam veluti Hordei digeſtæ ſunt, ac ariſtas habent aſperas: ſemina parua ſunt, Zeæ granis minora, ſingulis ſingula vtriculis contenta, à quibus nõ in area, ſed in mola, ac quo Zea modo, repurgantur. Culmis autem id, glumis, ariſtis, ſemineq́ue nigri ex rubore coloris eſſe, Tragus tradit. In Belgij tamen hortis ſatum, Tritico aut Hordeo colore ſatis ſimile enatum.

Naſcitur aſperis & montoſis pleriſque Germaniæ locis.

Autumno cum reliquis frugibus ſeritur, ſerius tamen ac ſubinde Septembri demũm mẽſe matureſcit.

Enckel ac Dinkelkorn à quibuſdam etiam appellatur: ab aliis, Sant Peters korn/ id eſt, D. Petri Frumentum: à nonnullis Blicken/ agro Wormatiẽſi Einkorn: quod Monococcon ſonat.

Noſtri temporis ſcriptores, vti iam diximus, ad Zeam referunt, ac ἁπλῆν ſiue ſimplicẽ Zeam Dioſcoridis eſſe volunt, & nec temerè quidem. Poteſt verò idem, & Mneſithei zea eſſe, quam

Zea Mneſithei. ipſe Typha ſua deteriorem facit; Typham nimirum, quæ Theophraſto Zea eſt, Zeã autem, tranſlatis & tranſpoſitis vocabulis, aliud omnino genus faciens, quod commum Græcorum Zea, à Theophraſto ac aliis deſcripta, longè ſit deterius. Nam ſimplex Dioſcoridis Zea, cum Mneſithei Zea conuenire videtur, & non alia de cauſa Zeæ generi adſcripta, quàm quòd aliud eius nomẽ ignoraretur, à Mneſitheo autem Zea nominaretur. Simplicis ſiquidem Zeæ Theophraſtus, Diocles, & alij plerique Dioſcoride vetuſtiores non meminerunt.

Mneſi-

Mnesithei autem hanc Zeam, Galenus non absque ratione conuenire cum eo frumento suspicatur, quod Macedoniæ ac Thraciæ incolæ Brizam appellant, frumentum Typhæ Græcorum, quæ in Asia nascitur, non arista modò, sed & tota planta simillimum; ex quo panis fit ater, grauis odoris, ac membranosam substantiam habens: cum qua Monococcon istud non exiguam quoque similitudinem, ac affinitatem habet. Panis etenim, qui ex Monococco conficitur, ex rubore nigricat, sordidus atque ingrati saporis, (Trago teste) est, veluti ex Briza factus. *Briza.*

Conuenire præterea Monococcon istud videtur, cum ea Farris, ac Frumenti barbati, siue, vt vulgò Galli nominare consueuere, Bladi apud Ruellium specie, quod Rubrum agricolæ appellant frumentum, partim etiam Locar, quasi loculare, quòd pluribus tunicis perinde quasi loculis inuolutum condatur, partim item Pullare, quia ex rubro in pullum degeneret colorem. Serunt id Galli, ait Ruellius, concauis tractibus, qui facile sentiũt rubiginem. Nam istud, vt volunt, nec pruinas, nec rubiginem horret: in perflatis & excelsis, etsi benè conualescat, sationem tamen inibi damnant. *Frumentum loculare.*

Similitudinem quoque nonnullam, fortassis & Monococcon cum Farre Venniculo rutilo habet: verùm in tanta Columellæ breuitate, simile aut idem sit, nec ne, quis diuinauerit? Multa siquidem sunt frumentorum genera, suis regionibus peculiaria, quæ licet aliarum regionum seminibus similia videantur, in aliquo tamen subinde differunt, idque partim loci natura, partim cultus, atque humanæ industriæ occasione: quæ ambo ad mutationem & seminum, & herbarum, plurimùm possunt. *Far Venniculum rutilum.*

Ex Monococco autem panis confectus, ater est & hominibus ingratus, vt superius scriptum, & Tragus ait.

De Amyleo frumento. CAP. VI.

ZEÆ generibus non perperam quoque accedit, Amyleum Germanis dictum frumentum, æstiuum siue trimestre genus, quod culmo ac grano Triticum proximè refert, cæterùm spicam habet, aristis quibusdam Hordei ferè similitudine cinctam, ac in duos versus digestam. Semen folliculis includitur, & non secus ac Zea, repurgari postulat.

Seritur Vere.

Germani, quia ex eo amylum conficiunt, Amelkorn appellant, Latinè Amyleum frumentum dixerimus. Existimant Tragus & Fuchsius trimestre Triticum esse, sed cum granum habeat glumis conditum, ex Tritici generibus esse nequit. Inter Farra citiùs reponendum fuerit, inter quæ Halicastrum forte erit. Hoc enim, teste Columella, Vere seritur, & trimestre eam ob causam cognominatur. *Far Halicastrum.*

De Oriza Germanica. CAP. VII.

AD Zeam quoque referre consentaneum videtur, Orizam Germanicam à Trago nuncupatam. Frumentum est culmis geniculatis, spicis, aristis asperis, atque acutis, Hordeo simile, singulis tamen maioribus, & grano candidiore, quod vtriculis etiam connectitur, ac Hordei, aut Zeæ modo deglubitur. Ex æstiuatum siue trimestrium frugum numero est.

Apud Mediomatrices, cum aliis trimestribus seminibus lætissimis agris seritur.

Nomen huic Orizæ Germanicæ à vulgari nomenclatura Hieronymus Tragus inuenit, qui & ipsam Farris speciem, ac Tragum cerealem esse existimat, in quo veritatẽ nobis haud videtur assecutus. Nam Tragus ille Chondro assimilis, ex Olyra aut consimili aliquo, res facticia est, vt Galenus testatur, tantùm abest, vt frumentum aliquod naturale sit.


Olyræ autem magis similis Oriza hæc Germanica est, quæ à Dioscoride Zeæ generi adscribitur, aut Plinij Santalo, Farris Gallici specie, nitidissimi grani, illic Brance, ait Plinius, vocant: aut certè Farri Clusino, quod forte idem cum Plinij Santalo est. vtrumque enim candidum, & Clusinum, à Clusio dici potuit, oppido transpadanæ Italiæ, quæ alias togata Gallia nominatur. Si quid repugnet, quò minùs hæc Oriza, vel Clusinum, vel Olyra sit, sola vtique erit vernalis satio. Nam Olyra & Clusinum Far, ex hybernis seminibus sunt. Adeò certè, de plerisque frumentaceis, definiri nihil potest: cùm propter veterum ipsorum breuitatem, tum frumẽtorum appellationes aut diuersas, aut sæpenumerò confusas, eandem rem aliàs aliter subinde appellantibus. *Santalum Plinij.* *Far Clusinum.*

Ruellius Farris Gallici, siue frumenti Barbati genus quoddam esse ait, cuius granum candidius, ac spica minoribus aristis circumuallatur, quàm Locularis, quod, inquit, Clusinum putatur: istud autem an simile sit, vel idem cum Oriza Germanica, expendendum est.

Vtilis autem Oriza Germanica, ad multa culinæ opera; cibis admixta ori grata est: cum lacte Orizæ modò decocta, probè alit.

De Zeopyro. CAP. VIII.

Zeopyron.



ANNVMERATVR præterea & Zeis, quod Germani Kern appellant. nascitur hoc, inquit Tragus, eodem quo Spelta modo, nisi quòd semen huius non perinde ac Zeæ siue Speltæ glumis ac folliculis inuoluatur, sed in area facilè exteratur, veluti Triticum, cui sub luteo colore simile est.

Seritur plerisque Germaniæ locis, ad pistrinarum & culinarum opera, in quibus Hordei vsum præbet.

Ζεόπυρον quoddam esse videtur, vtriusque enim similitudinem ac naturam habet, ζειᾶς videlicet ac πυροῦ siue Tritici. Cum Chondro aut Alica rebus factitiis (quod Tragus suspicatur) nullatenus conuenit.

Zeopyron siquidem, vt Galenus in lib. De alimentorum facultatibus scribit, vtriusque naturam refert: ac sicuti nomen ex Zea & Pyro compositum, ita substantia eius inter vtrumque media quodammodo est, veluti si ex vtroque esset commixta.

De Olyra ac Typha, ex Theophrasto, Galeno, & aliis. CAP. IX.

OLYRAM ac Typham Mnesitheus idem frumentum, vtroque nomine appellatum existimauit, sed eius opinionem Galenus reprobat, Diocli ac Theophrasto accedens: qui Olyram à Typha distinguunt. Olyram Dioscorides Zeæ generi ascribit.

Theophrastus Olyram ac Typham inter ea quæ maturè seruntur, ac Tritico similia sunt, enumerat, & Olyram quidem ait, Zea ac Bromo molliorem atque infirmiorem, Typham verò omnium leuissimam. nam simplici culmo assurgit, & solo tenui contenta est, nec, vti Zea, pingue lætumque desiderat. Vtramque præterea scribit multiplici folliculo includi: ac Typham vt Zeam in Triticum mutari solere, si pista feratur, idque non protinus, sed tertio anno.

Plinius Olyram Latinis Arincam dici affirmat. Ex Arinca, inquit, dulcissimus panis. ipsa spissior quàm Far, & maior spica, eadem ponderosior, raro modius grani non XVI. libras implet: exteritur in Gallia difficulter, ob id iumentis dari, ab Homero dicta, hæc est enim quam ὄλυραν vocant.

Recentiores Typham, cognominant cerealem, ad differentiam nempe alterius Typhæ, quæ in paludibus enascitur, de qua infrà suo loco.

Typhæ semen, Galenus ait, corticem extrinsecus veluti Olyra ac Hordeum habet. Quod verò ad colorem naturalem attinet, in Hordeis quidem ac Olyris est albus, in Triticis verò subflauus: Typhæ autem vel Triticis sunt flauiores. Quin & harum corpus coactum est, ac densum, quod fortassis ad seminis paruitatẽ nonnihil adfert momenti. Est enim id Tritico longè exilius, quamquam non desint, qui ipsum quoque in Tritici numerum ponant, velintque id semen esse, cuius Homerus meminit, cùm Hectorem equos suos alloquentem facit, his verbis: Ὑμῖν μὲν προτέροισι μελίφρονα πυρὸν ἔθηκεν:

Hoc est, Triticum enim vobis primum prædulce ferebam. Aiunt enim Typham paruum Triticum esse, eamque equos sine noxa mandere, verum autem Triticum non absque noxa. Nec absurdè certè Typham quis exile Triticum vocauerit, cùm ei, & colore, & densitate, & caliditate sit assimilis. Vtrumque autem semen Olyræ videlicet ac Typhę in Asia est frequẽs, & potissimùm in regione, quæ est supra Pergamum, adeò vt rustici ipsi panibus ex iis factis semper vtantur, propterea quòd Triticum omne in oppida comportent. Olyrini sanè, si modò ex bona Olyra fiant, post Triticeos saltem sunt præstantissimi: secundi autem ab his sunt Typhini. Quòd si Olyrini ex vitioso semine sunt facti, Typhini non erunt eis inferiores. Ca-

lidi

lidi verò panes ex laudatissima Typha facti, Olyrinis longè sunt præstantiores, asseruati verò deteriores seipsis euadunt. Cum enim massa eorum sit tenax ac ductilis, densatur maiorem in modum, & maximè cùm negligéter parati fuerint, adeò vt qui panem huiuscemodi, post vnum aut duos dies, ac multò magis sequentes aliquot, comederit, putaturus sit lutum ventriculo suo inesse. At calidus adhuc cùm est, ab ipsis etiam vrbanis expetitur, ipsumque cum caseo quodam mandunt, quem vernaculo nomine ὀξυγαλάκτινον appellant. Porrò hunc quoque tenerum esse oportet, & ipsum panem calorem clibani adhuc retinere. Qui certe hunc in modum est paratus, non rusticis modò, sed vrbanis quoque hominibus in delicijs habetur.

Qui verò trium, quatuórve dierum est vel ipsis rusticis manditur insuauius præterea concoctu est difficilior, ac tardiùs per aluum subducitur, quæ calido minimè accidunt: qui tametsi ab Hordeaceo, quod ad deiectionem attinet, multùm relinquitur, non tamé in eo adeò, vt Miliaceus, est vituperandus. Quin etiam corpus admodum, dum calidus est, nutrit, vt penè Triticeo syncomisto par sit.

Conguntur autem in panes Typhæ semen repurgatum, omnique vsu accommodatur: nam & ex aqua manditur, haud aliter ac vocatum à rusticis ἀπόπερμον, hepsemate, quod alij σίραιον nominant, iniecto nonnunquam etiam cum sale esitatur.

Et de Zea atque ei similibus hactenus: nunc ex his factitia sequuntur, quæ apud veteres in vsu esse solent, vt sunt: Far, Chondrus, Halica, Tragus, & similia.

De Farre factitio. CAP. X.

FAR aliâs naturale frumentum, quod Græcis, vti ostendimus, ζέα καὶ ζεία appellatur, aliâs res factitia artisque & non naturæ opus, de illo superioribus capitibus, de factitio verò modò.

Fuisse autem istud apud veteres illos Romanos, quos pulte Ferracea, non pane, longo tempore vixisse Plinius scribit, ex Farre frumento factum, nomen ipsum & frugi & rei farinæ commune, indicat. Quod inde translatum est, ad cuiusuis frumenti granum, ab vtriculis quibus conditur, eo modo, quo Archigenes Far confici tradit, repurgatum, atque in partes confractum. Nam & Far Hordei, Palladius vino conspersum, phasianorum pullis primis diebus dari præcipit. & Plinius in Ægypto ex Olyra Far confici scriptum reliquit.

Modum autem conficiendi Farris, Archigenes apud Aëtium Sermone IX. ostendit: Σῖτον id est, frumentum, ait, modico tempore aqua madefacito, indeque extractum ac in pilam coniectum, veluti ptisanam à cortice repurgato: vbi verò corticem exuerit, tollito atque in sole siccato: deinde manibus tritum, donec penitus à cortice fuerit mundatum, crassissimè molito, ita vt granum vnum in quatuor aut quinque partes redigatur, & siccum asseruato.

Porrò factitium istud Far, præsertim ex Zea siue Farre frumento, plerique nostræ ætatis idem cum Chondro aut Alica esse existimant, similitudine quadam eorum inducti. Chondro etenim simile est, non tamen idcircò idem, veluti ipse Archigenes ostendit, quando Far Chondri modo coqui scribit.

Differentiam horum præparationis modus efficit. Chondrus siquidem gypso harena addita (vt paulò pòst dicetur) purgatur: Far absque his cum aqua sola. Differt verò etiam ab Halica, Far etenim antiquum, quo Romanorum vetustissimi vixerunt; Halica verò, vt Plinius ait, res noua ætate Magni Pompeij nondum cognita, cui non solum aqua, sed & creta candorem teneritudinemque confert. Differentiam præterea horum etiam ostendit Trallianus lib. & cap. VIII. vtrisque vti diuersis vtens, & eorum inter se comparationem faciens.

Quod autem Germani ac finitimi Frisij, Hollandi, Batauique ex Hordeo & Auena conficiunt, Farri simillimum est, ac eius quoddam genus: Germani Grupen/ Hollandi Gort appellant, & ex Hordeo quidem gerstene grupen/ gersten gort/ ex Auena verò haberen grupen/ hauern gort.

Cæterùm Far quod ex Zea factum est, facultate Chondri aut Halicæ quodammodo simile est, nutrit ea de causa valenter, sed tardiùs descendit, ægriusque concoquitur. Vsus tempore, vt Archigenes tradit, Chondri modo coquitur, & à sanis in cibo sumitur. Pro ægris verò variè apparatur, & epithematis quoque admiscetur. Ex Hordeo autem vel Auena Far leuius est, minusque alimenti adfert.

Est & Far apud Aëtium cognomento Clusinum, non naturale aliquod Far; verùm puls quædam Farracea, de qua Martialis Epigrammaton lib. XIII. *Far Clusinum.*

Imbue plebeias Clusinis pultibus ollas,
Vt satur in vacuis, dulcia musta bibas.

De Chondro & Halica. Cap. XI.

CHONDRVS & ἄλιξ ex factitiarum similiter rerum numero sunt. Fit autem vtraque ex Zea, & Chondrus quidem ex Zea Dicocco, Dioscoride auctore. Theophrastus & ex Hordeo syluestri bonum fieri Chondrum tradit. Galenus Chondrum ex Tritici genere esse ait, quod nihil aliud sonat, quam ex Triticeo genere ipsum confici, non quòd Tritici aut alterius frumenti aliquod genus sit, veluti nonnulli perperam sibi persuaserunt. Nō enim frumenti aliquod genus, sed res planè, vti diximus, factitia.

Galeni & aliorū Græcorū medicorū interpretes χόνδρον, Latinè Halicam siue Alicam, interpretantur, Chōdrum omnino idem cū Halica esse putantes, qua in re, non parū à veritate recesserunt. Chondrus siquidem & Halica differunt, veluti abunde vnus pro multis, Paulus Ægineta non vno ostendit loco: aut videlicet de vtrisque seorsim agens, & suas cuique vires ac facultates tribuens, vt lib. I. cap. LXXVIII. aut vnam alterius loco substituens, veluti cap. XIX. XXXIX. & LXII. libri tertij.

Differunt autem hæc inter se, non quidem toto genere, sed quodammodo, veluti genus & species, aut potius vt vnius generis duæ species. Nam Halica siue Alica, Latinis ac Plinio generalius est nomen, Græcorum cum χόνδρον, tum ἄλικα ipsis peculiariter nominatam, sub se continens.

Est enim vna Halica ex Zea, quæ semen appellatur, propria quidē ac genuina, quæ à Plinio, lib. XXII. res Romana esse fertur, Magni Pompeij tempore nondum in vsu. Hæc à Paulo Ægineta Græce ἄλιξ dicitur, & à χόνδρῳ ipso præparationis modo differt, non enim gypso & arena veluti hic repurgatur, sed creta candorem perfectionemque suam assequitur.

Est verò & altera Halica, ex Zea in Africa degenerante, cognomento adulterina, Græcorum Chondro simillima: gypso siquidem & arena, veluti Chondrus perficitur. licet tamen Halica quidem ex degenerante, Chondrus verò ex Dicocco Zea, fiat. Nam præparandi ratio apud vtrasque nationes consimilis, eandem esse rem prorsus ostendit, quemadmodum & ea dissimilis res diuersas. Non enim tam species frumenti, quàm præparandi conficiendiq; ritus ac modus considerandus. Frumenti enim aliqua diuersitas, speciem rei factitiæ non videtur mutare, modò in præparandi ratione nihil varietur. Siquidem ex Zea & Hordeo Far: ex Zea & Hordeo syluestri Chondrus: ex Hordeo & Tritico Ptisana confici possunt.

Qua autem ratione Chondrus conficiatur ac præparetur, in libris De agricultura, siue τῶν γεωπονικῶν, Constantino Imp. dicatis à Cassio Dionysio Vticensi, docetur his verbis.

Zea tunditur & in feruentem aquam inijcitur, ac premitur, deinde gypsum album tusum cribratum, & arenæ albissimæ ac subtilissimæ ad gypsum pars quarta paulatim admiscetur, donec Zea probè repurgetur. Præparatur autē in Canicularibus diebus, ne acescat. Postquā verò rursus totus perpurgatus fuerit, per cribrum densius excutiatur. Optimus est Chondrus, qui primùm excussus est: secundum locum habet, qui succedit: deterior autem tertius est.

Halicarum verò præparationem Plinius lib. XVIII. cap. XI tradit. Halica fit, inquit, ex Zea, quam semen appellauimus: tunditur granum eius in pila lignea, nam lapidis durina conteritur. Nobilius, vt notum est, pilo vinctorum pœnali opera, primori inest pyxis ferrea, excussis inde tunicis, iterum iisdem armamentis nudata conciditur medulla, ita fiunt Halicæ tria genera, minimum, ac secundarium; grandissimum verò ἀφαίρημα appellant: nondum habent candorem suum, quo precellunt, iam tamen Alexandrinæ præferuntur. Postea, mirum dictu, admiscetur creta, quæ transit in corpus, coloremq; & teneritatem adfert.

Deinde paulò infra: Halica adulterina fit maximè quidem ex Zea, quæ in Africa degenerat. Pinsunt cum arena, & sic quoque difficulter conterunt vtriculos, fitque dimidij modij mensura, posteaq; gypsi quarta pars inspergitur, atque vt cohæsit farinario cribro subcernunt. Quæ in eo remansit, exceptitia appellatur, & grandissima est: rursus quæ trāsit, arctiori cernitur, & secundaria vocatur: item cribraria, quæ simili modo in tertio remansit, cribro angustissimo, & arenas tantùm transmittente.

Et hactenus quidem Cassij, & Plinij verba: ex quibus manifestum est, ἄλικα à Chondro differre, & Chondrum cum secunda Plinij Halica conuenire, vtramque item rem factitiam esse, & non peculiaria frumentorum genera.

Cæterum Chondrus, vti Paulus libro primo tradit, egregiè nutrit, & glutinosos parit humores, verùm puls ex eo confecta nocet, quoniam quamprimùm crassescens incocta permanet. Probatur magis χυλὸς ipsius ex integro Chondro bene decocto, expressus ptisanę similis.

Ἄλιξ in cæteris Chondro quidem respondet, sed aluum magis adstringit.

Galenus Chondrum valenter nutrire, ac succum lentum habere affirmat: siue in aqua duntaxat coctus, cum mulso, vino dulci, adstringentive: siue cum oleo salecque frixus sumatur.

tur. Atque eo modo, inquit, Chondrum medici ptisanæ fuisse confectionem dictitant; quidam autem ex χονδροσπερμίας ægrotorum fuisse cibarum. χονδροσπερμίας.

Veterum verò nonnulli, vt Diocles & Philotimus, πλακοῦντα χονδρὸν, Chondrum hoc modo apparatum appellant. Et vno quidem horum modorum, eo videlicet qui prior est, Halicam etiam coqui ac edi apud Romanos solitam, Martialis in Xeniis hoc disticho ostendit:

Nos Halicam, mulsum poteris tibi mittere diues,
Si tibi noluerit mittere diues, eme.

De Trago. CAP. XII.

TRAGVS Chondri, vt Dioscorides ait, similitudinem ac figuram gerit, res quoque facticia. Fieri eum, Galenus in lib. De alimentorum facultatibus, ex nobilissima Olyra ait, cùm, vt decet, fuerit excorticata: in Commentariis verò lib. primi De ratione victus in morbis acutis ἐκ τῶν ζειῶν, hoc est, ex zeis, quarum vtique Olyra species est. Cassius Dionysius Tragum ex frumento conficit Alexandrino. Plinius lib. XVIII. ex Tritici semine in Campania duntaxat & Ægypto fieri tradit. In Ægypto autem, cuius celeberrima ciuitas Alexandria, Olyra facilis fertilisque: eiusdem lib. cap. x.

A Chondro & Halica & materia, sed potissimum ipsa præparatione differt: Chondrum siquidem, gypsum & harena perficiunt. Halicam creta emundat, Tragus sola aqua maceratus excorticatur.

Eius conficiendi modum Cassius tertio De agricultura lib. sic docet: Frumẽtum Alexandrinum appellatum, maceratur decorticaturque, & in sole calido siccatur; deinde idem rursus fit, donec ei pelliculæ & quicquid fibrosum est, in frumento delabatur. Appellatur autem Tragus iste, subinde cognomento frumentaceus, ad discrimen eiusdẽ nominis, & animalis, & herbæ, non quòd naturale aliquod frumenti genus sit. Nam vt veterum auctorum testimoniis abunde constat, res factitia est.

Trago autem, Galeno auctore, plerique vtuntur, primùm eum in aqua decoquentes, deinde ea effusa ἕψημα, aut vinum dulce, aut mulsum infundentes, superiniiciunt & nuces pineas aqua præmaceratas, donec plurimùm intumuerint: multò tamen minùs quàm Zea, Dioscorides ait, nutrit.

De Amylo. CAP. XIII.

AMYLVM ex Siligine fit, vt Cato scribit, item & ex Zea: optimum verò ex Setanio, auctore Dioscoride. Fit etiam in Germania hac ætate, ex eo quod Amelkorn, id est, Amyleum frumentum nuncupatur, quod veluti Zea quædam trimestris ac Halicastrum (vti scripsimus) est.

Rationem conficiendi paucis complexus est Cato cap. LXXXVII. Dioscorides latius his verbis tradidit. Purgatũ trimestre Triticum madescit quinquies die, & si fieri potest nocte: cùm emolliri cœperit, effundatur sensim sine agitatione aqua, quò minus, quod vtile est, vnà effluat. Vbi mollissimum factum fuerit, effusa aqua pedibus calcare oportet, deinde affusa aqua iterum calcare, tum enatantes ibi furfures, cribro excipiendi, reliquumque per colum traiectum, confestim in tegulis nouis sub ardentissimo sole siccandum. Nam si vel modice humidum manserit, acorem contrahit.

Ἄμυλον autem ex eo nomen habet, quòd absq; mola, Græcis μύλη dicta, fiat. Officinæ corrupta voce Amydum appellant; Germani Ammel / Krafftmeel: Brabanti Amelbonck / & quòd glutine inde facto, mulierum pepla inalbentur, ac durentur, Styffsel.

Tritico, inquit Galenus, cùm frigidius, tum siccius est: læuigandi exasperatas partes vim obtinet. Dioscorides sanguinis rejectiones potu cohibere, contraq; oculorum fluxiones, cœlotetas, pustulasque efficax esse addit: quod verò ex Zea fit, nullius in medicina vsus esse; ad alia tamen conueniens.

Galenus lib. VII. κατὰ τόπους Amyli loco, Siligine, id est, purissima Tritici farina vtitur. Amyli succedaneum.

De Athera & Κόλλῃ, siue Glutine. CAP. XIIII.

ATHERA sorbitio est, inquit Dioscorides, ὥσπερ πολτάριον ὑγρὸν, id est, veluti pulticula liquida. Fit ex Zea tenuissimè molita. Apud Belgas non ex Zea tantùm, sed ex quauis etiam puriore farina coquitur, veluti Secalis, Hordei, frequentissimè autem Tritici, cum tenui ceruisia vel alio liquore permixta.

Est autem edulium, quod citò concoquitur, facileq; nutrit, infantibus idcirco & senibus conueniens; interiora tamen viscera nonnihil obstruens. Datur capite dolentibus, ex tenuissima Secalis, vel Hordei farina; dolorem enim sopit, & somnum clementer conciliat.

Athera crassius & solidius est gluten, Græcis κόλλα, ex Similagine & farina Tritici, quo Κόλλα.

chartæ

chartæ glutinantur. Quod propter eam, quam habet obstruendi vim, sanguinis excreationibus prodest.

Πολτὸς. Puls. In vtrusq; medio πολτὸς, siue puls est, solidior quidem ac spissior Athera, liquidior verò Glutine, & minus Glutine, plus autem quàm Athera viscera obstruens.

Atheræ, aut potiùs pultis genus est, edulium, quod Galenus ex multa Tritici farina lacti permixta fieri scribit, quo hac ætate Belgium, ac vniuersa inferior Germania frequentissimè vtitur. Cibus boni succi & multi alimenti, sed eos, qui ipso assiduè vtuntur, offendens. Nam in hepate obstructiones parit, & calculos in renibus gignit, auctore Galeno.

De Rogga siue Secale. CAP. XV.

Rogga siue secale.



SECALE folio cùm primùm prodit, rubescit, inde vt reliqua frumēta viret. numerosis culmis assurgit, Tritici tenuioribus, lōgioribus, quatuor, vt plurimùm, genicula habentibus. spica in ordines & versus digesta, breuibus, non acutis, sed innocentioribus aristis cingitur, quæ cùm floret, erecta est, semine verò prægnans, procumbit ac deorsum dependet. Granum oblongum, nigricans, gracile, ac nudum, quod è glumis facile concidit, ac sæpenumerò spontè exilit. radices multæ, tenues, fibrosæ.

Nascitur cùm in Germania ac apud alias nationes plurimas, præsertim Septentrioni subiectas, tum in Belgio omnibus ferè agris tam sterilibus quàm lætis, veluti in Brabātiæ Campania, quæ hoc frumentum, licet arida ac sterilis, feliciter progignit. Qualicunque enim solo prouenit, quantumuis rigenti, gracili, aut arido; fœcundiore tamē ac lætiore melius præstantiusq;.

Seritur Autumno, quod & lętius, item & Vere, ęstiuum, altero gracilius, paucioribus culmis, spica breuiore ac tenuiore, granoq; leuiore.

Germani Rocken / Belgæ Rogge appellant: Hispani *Centeno*: Itali *Segala*: Galli *Seigle*, veteris Latinæ nomenclaturæ vestigia retinentes.

Plinio Secale est, de quo lib. XVIII. cap XVI. sic scribit: Rarum dictu, esse aliquid cui profit negligentia; id autem, quod Secale & Farrago dicitur, occari tantùm desiderat. Secale Taurini sub Alpibus Asiam vocant, deterrimum (sed

Plinij locus emendatus. veriùs aterrimum) & tantùm ad arcendam famem vtile, fœcunda, sed gracili stipula, nigritia triste, sed pondere præcipuum, & tamen sic quoque ingratissimum ventri est nascitur qualicumq; solo cum centesimo grano, ipsumq; pro letamine est.

Quæ Plinij verba frumentum rocken ac rogge dictum, cum Secali conuenire satis cōmonstrant. Dicitur autem id, vt Plinius tradit, etiam Farrago; verùm non secus, quàm Far, Hordeum, Auena, Triticúmve, subinde Farragines nominantur, quando videlicet iumētorum, pecudumq; pabulo cedunt.

Farrago. Farrago siquidem, quam Græci χάσιν appellant, generale nomen est, ad omnem viridem segetum herbam, quæ pabuli causa seratur. Seritur ea, ex recrementis Farris prædensa, admixta aliquando & Vicia eadem in Africa fit, ex Hordeo: Plinius. Atq; inde Farrago, quòd Far sit ferro cæsum. aut quòd primùm in farracea segete seri cœptum, Varrone auctore, dicitur.

Ex Hordeo Farraginem facere docet Columella: Farraginem, ait, in restibili stercoratissimo loco, & altero sulco serere conuenit. Ea fit optima cùm Chanterini Hordei decem modiis iugerum obseritur, circa æquinoctium Autumnale, sed impendentibus pluuiis, vt consita rigataq; imbribus, celeriter prodeat, & confirmetur ante hyemis violentiam. Nam frigoribus cùm alia pabula defecerint, ea bubus cęterisq; pecudibus, optimè desecta prębetur & si depascere sæpius voles, vsque in mensem Maium sufficit. Quod si etiam semē ex ea voles percipere, à Calendis Martiis pecora depellenda, & ab omni noxa defendenda est, vt sit idonea frugibus. Similis satio Auenæ, quæ Autumno sata, partim cæditur in fœnum, vel pabulum, dum adhuc viret: partim semini custoditur.

Iam

Iam & ex Tritico Farraginem fieri Plinius quoque testatur. Et in Tritici, inquit, genere, pars aliqua pabuli est, quadrupedum causa sati: vt Farrago. Absyrtus etiam πυρίνην χορτόν, id est, Triticeam Farraginem, equulis maximè probat. ea si non adsit, κριθίνην, quam Eumelus iis refert, post trimatum dari solitam. Hoc modo & Secale Farraginis genus est, quando videlicet pecudum iumentorumque per hyemem pabulum efficitur.

Recentiores Roggam Siliginem fere interpretantur qua in re quantum hallucinentur, satis ex iis, quę capite De Tritico, scripsimus, apertum est. Nam Siligo candidius ac leuius Triticum est, ac Tritici, vt inquit Plinius, delitiæ, ex qua lautissimus panis & pistrinatum opera laudatissima fiunt, at Secale nigrum est, & ex eo panis ater, pauperum, non lautiorum, mensis ac cibis dicatus.

In non dissimilem errorem lapsi videntur, qui rocken cum Olyra conuenire autumant: Olyra siquidem candida est, ac vtriculis multis continetur, Secale verò præter quod nigrum est, glumis nullis implicatur. Ruellij coniectura plus verisimilitudinis habet, qui Secale a Briza non longè dissidere credi scribit, atque inde putat nomen Bizi panis in Gallię vulgus manasse. Panis siquidem ex Secali fit grauis, firmus, concoctu non facilis, qualem ex Briza fieri Galenus tradit, & hunc nigrum ex Secali panem, extrita litera r, *pain bis* Galli nuncupant; sic vt ab inuicem non diffidere existimati possint, nisi Secalis granum nudum foret, Brizę verò glumis implicitum, quod hæc inter se differre manifestè ostendit.

Quod verò Brizæ semen glumis implicetur, ex his videtur colligendum: tum videlicet, quòd eam Typhæ persimilem Galenus scribat, quæ multiplici folliculo conditur: tum etiam quòd membranosam substantiam panis ex ea factus habeat, ex ipsorum nempe folliculorum admixtione; contrà planè quàm Secalinus, qui Triticeo syncomisto membranas ac furfures vel pauciores vel non plures habere comperitur. Briza.

Porrò Secale proximum inter frumenta à Tritico Triticeisque sementibus locum habet. Panis ex eo factus, lentoris atque obstruentis naturæ nonnihil obtinet, difficulter concoquitur, ac ventriculo grauis est, præsertim si furfurum expers fuerit. Nam confusaneus, qui simul omnia recipit, ac ex tota farina concinnatus est, si probè coctus beneque fermentatus fuerit, minus lentus est, non admodum ægrè conficitur, citoque descendit, nondum tamen Triticeo syncomisto par, quo grauior & concoctu difficilior etiamnum est. Alimentum autem corpori solidum, ac firmum præstat, nec mali succi, si ex bono frumento coctus fuerit; ex malo autem fruméto & corrupto paratus, prauos & corruptos succos ingenerat, & diuturniores morbos procreat, veluti morbum, Germanis scorbuck aut scorbuyck/ dictum. Admiscetur huic non raro Triticum, vt leuiorem gratioremque panem efficiat, qui Secalino puro minus grauis ac lentus est, & teneritudinem suam Triticeo diutius retinet.

Secale autem vt medicamentum, Tritico in calefaciendo ac digerendo potentius est.

Panis ex hoc aut fermentum, promptius ac citiùs abscessus maturant & rumpunt, quàm ex Tritico facta.

Farina confusanea, diuturniores capitis dolores lenit, in linteo capiti circumligata.

De Hordeo. CAP. XVI.

CVLMO Hordeum est, quàm Triticum breuiore fragilioreque, pluribus articulis geniculato; folio in stipula latiore, scabrioreque: spica longarum, asperarum, mordacium que aristarum vallo munitur, ac in versus striata, ordinibus constat, subinde binis, aliâs ternis quaternisve, vt plurimum, vti Theophrastus ait, senis, sed, vt Tragus, etiam octonis. Spissior autem situque arctior est, quæ pluribus construitur. Granum tenui oblonga palea includitur: radices subsunt frequentes tenuesque.

Hordeum autem (vt Plinius inquit) frugum omnium mollissimum, atque ex omni frumento minus calamitosum, quodque celerrime reddit fertilissimumque.

Seritur (auctore Columella) soluta siccaque terra, & vel præualida vel exili.

Nascitur passim, ac vniuersæ familiare Europę est: cùm Autumno, tum frequentius Martio, Aprili, Maioque mensibus seritur.


Græcis κριθὴ dicitur: Germanis gersten: Belgæ gerste: Itali *orzo*: Hispani *Ceuada*: Galli *orge* nuncupant. In huius genere, quod pluribus versibus spicatur, πολύστιχον recentiores appellant, ac Germani groß gersten. Quod sex versuum ἑξάστιχον: Cantherinum hoc Columellæ est. Aliud duorum versuum δίστιχον, à Columella Galaticum, à Germanis futer gersten/ klein gerst/ id est, exiguum ac paruum Hordeum nominatur. Quod magnum & plenum, spicamque gerit erectam, ἀχιλλαΐς κριθὴ, ab Hippocrate vocatur, ærugini id obnoxium est: quod verò incuruatur, ἱππόκριθος, ab ærugine hoc minus infestatur.

Ad Hordei genus & reducendum, inquit Ruellius, putauerim, trimestre illud Hordeum, quod

Hordeum.



Hordeum distichon.



Secourgeon. quod Gallicè *secourgeon* dicitur, quòd rebus ad egestatem adductis, cùm annonæ premit penuria, plebem alat, & à famis noxa vindicet. Seritur verò & in Gallia, quod mundum Hordeum vocant, Ruellio eodem teste: huius granum nudum est, ac spontè gluma concidit, cætera Hordeo simile: Γυμνόκριθον ac nudum Hordeum, tale à Galeno, in lib. De aliment. facult. appellatur.

γυμνόκριθον.

Cæterum Hordeum, vt Galenus in lib. De aliment. facult. non eandem cum Tritico facultatem habet. Siquidem Triticum palam calefacit: Hordeum verò non modò non calefacit, sed quoquo modo ea vtare, siue panes ex eo feceris, vim quandam refrigerandi habere cernitur. Dissidet præterea à Tritico succi specie, quam vtrumque ipsorum gignere consueuit. Siquidem Triticum crassum & lentum est Hordeum autem tenuem, & nonnihil detersorium succum in nobis gignit.

Panes Hordeacei Triticeis multò minus alunt, qui tamen ex præstantissimo Hordeo conficiuntur, minus a Triticeis in eo superantur: qui verò ex laxo & leui, panibus furfuraceis respondent. Panes autem ex Hordeo eiusmodi citissimè per aluum subducuntur, quod reliquis non minimum accidit, si Triticeis eos contuleris. Sunt autem non modò Triticeis, verùm etiam Olyrinis, & multò magis Typhinis, friabiliores, nihil in se lentoris, vtili, habentes. Ex quo perspicuum est, quod exiguum corpori præbent alimentum, & potissimùm, si facti ex peiore Hordeo fuerint, ex quo Hippocrates ne Ptisanam quidem fieri voluit: neque enim dum coquitur, succum copiosum ex seipso emittit.

Laudatissimum autem Hordeum quod candidum, vbi pinsitum est, apparet, nonnihilque densitatis ac ponderis (quantum Hordeo datum est) habet. Porrò quod totum plenum est, & circumscriptionem externam habet tensam, melius eo est, quod gracile est, ac rugosum.

Hordeum primi est ordinis in exiccando & refrigerando, ait Galenus in lib De facult. simplic. habet etiam pauxillum abstersionis, paulò etiam plus desiccat, quàm farina fabacea, cui non insunt cortices.

Hordeum, Dioscorides inquit, abstergit, vrinam cit, inflationem parit, stomacho aduersatur, œdemata concoquit. Farina Hordeacea in mulsa aqua cum Ficu decocta, inflammationes & œdemata discutit: duritias, cum pice, resina & fimo columbarum concoquit: cum Meliloto

Iloto autem & Papaueris calyce, dolores finit, qui latus excruciant: aduersus intestinorum inflationes, cum Lini semine, Fœnograeco & Ruta imposita iuuat: strumas cum pice liquida, cera, oleo, & impubis pueri vrina, ad concoctionem perducit: cum Myrto verò aut Lentisco, aut Malicorio, aut syluestribus Pyris, aut Rubo, alui profluuia sistit: podagricis inflammationibus cum Cotoneis aut aceto prodest. decocta in acri aceto, modo quo ὠμὴ λύσις, & calida imposita, lepris medetur.

Est autem ὠμὴ λύσις, Pelagonio auctore, mistura æqualis Fœnigræci, seminis Lini, & farinæ Hordeaceæ. ὠμὴ λύσις.

Cremor verò farinæ Hordei ex aqua, aut cum pice & oleo decoctus, puri mouendo est: cum aceto subactus, itidem & cum pice, contra articulorum fluxiones prodest.

Habet præterea & Hordeum multiplicem vsum, nam ex eo Ptisana, Polenta, Mazæ, Maltum & Ceruisia conficiuntur, de quibus deinceps.

De Ptisana. Cap. XVII.

PTISANA ἀπὸ τοῦ πτίσσειν dicitur, & nomen quidem commune omnium frumentorum à corticibus suis, διὰ τοῦ πτίσσειν, purgatorum esse potest, sed propriè tamen & peculiariter non aliam, quàm Hordeaceam Ptisanam significat, quæ simpliciter ac citra adiectionem πτισάνη nuncupatur. Nam si hoc modo, frumentorum aliorũ quorundã semina mundata, alicubi (quod tamen rarissimum) Ptisanæ nominentur, frumenti appellatio coniungitur. Ita Hippocrates lib. περὶ παθῶν, & Dioscor. περὶ κριθῶν cap. πτισάνην πυρίνην, & ex Oriza Ptisanam Plinius dixit· ad Hordeaceæ nempe Ptisanæ differentiam, propriè & simpliciter Ptisanæ nominatæ.

Est autem Ptisana hæc aliud nihil, quàm Hordei granum à membranis & corticibus suis mundatum & excorticatum. Πτίσσειν, id est, macerare, tundendoque expurgare hoc oportet, ac in Sole siccare, deinde rursus πτίσσειν, rursusq; ad solem siccare. Quod autem tenue ex eo decussum est, ipsi inspergendum, hoc enim ipsam conseruat, vti Didymus in Geoponicis.

Humectat autem & refrigerat Ptisana, eduliumq; est (Hippocrates ait περὶ διαίτης ὀξέων νοσημάτων) in acutis morbis, reliquis omnibus frumentaceis præferendum. Nam viscositas eius leuis, continua, iucunda, lubrica, & mediocriter humida: sitim minimè infert, & si quid ablui eget, probè abluit: non adstringit: non malè turbat: nec in ventre intumescit, cùm saltem, vt decet (Galenus addit) fuerit parata: hoc est, quando in coctione, quàm plurimùm intumuent, posteà igne lento, per multum ocium in chylum fuerit redacta, acetum tunc ei admisceetur, cùm planè intumuerit: vbi verò cocta exactè fuerit, sub edendi tempus, salem tenuem inijcere oportet. Oleum autem si initio statim adieceris, coctioni nihil nocueris, aliud tamen nihil miscendum, nisi velis Anethi aut Porri quippiam, idque initio statim admisceto: hæc Galenus.

Nostro tempore rarò aut nunquam, horum aliquod additur, sed sacharum ferè, & aqua è Rosis albis stillatitia ei admiscentur; & subinde Amygdala aliquot amara, vt palato gratior fiat· aut seminum Melonum vel Cucumeris nonnihil, præsertim quando impensius refrigerandum, aut somnus ea conciliandus est. Admiscetur ei & nonnunquam Amygdalorũ dulcium χυλὸς, siue succus, (Officinæ lac Amygdalinum vocant) præsertim cùm aluum liquidiorem cohibere vtile est.

Fit item ex Ptisana potus, quem Officinę Ptisanam nominant, cùm tamẽ nec Ptisana, nec Ptisanę χυλὸς siue cremor sit, sed eius tantùm tenuius decoctum, ipsius substantiæ parum aut nihil retinens, quod ferè non ex sola Ptisana, siue Hordeo mundato, sed & ex Glycyrrhiza, & Vuis passis additis, decoquitur. Qua ratione parata potio vtilis est iis qui inflammatione pulmonis, partiumque respirationi deseruientium, vel renum vesicæque exulceratione aut inflammatione laborant.

Plus alimenti (inquit Dioscorides) Ptisana ob cremorem in decoctione redditum prębet, quàm Polenta ex Hordeo facta. Contra acrimonias atq; arteriæ asperitates, exulcerationesq; pollet.

De Polenta. Cap. XVIII.

POLENTA Hordei frixi farina est, quam Græci propriè ἄλφιτον nominant: quanquã subinde τοῦ ἀλφίτου nomen, de omni alia præsertim rudiore farina, sed impropriè, dicatur.

Pluribus hæc, Plinius ait, fit modis: Græci perfusum aqua Hordeum siccant nocte vna, ac postero die frigunt, deinde molis frangunt. Sunt qui vehemẽtius rostum, rursus exigua aqua aspergant, siccentq; priùs quam molant: alij verò virentibus spicis decussum Hordeum, recens purgant, madidumq; in pila tundunt, atque in corbibus eluunt, ac siccatum sole, rursus tundunt, & purgatum molunt.

Galenus ex recente Hordeo mediocriter frixo, laudatissimam fieri ait, atq; ex hac Mazas præparari, deficiente autem recente Hordeo, nonnunquã & ex aliis ipsam confici, omnemq; rectè factam boni esse odoris, eam verò suauEolentissimam, quæ ex optimo & recente Hordeo, quod aristam nondum habet siccam, est confecta.

Exiguum autem corpori, vt Galenus quoque tradit, Polenta alimentum dat, & priuatis quidem ac ab omni exercitatione abstinentibus satis multum, iis verò qui quoquo modo exercentur, minus quàm satis est

Desiccat verò multò magis quàm Hordeum: aluum etiam (Dioscorides ait) cohibet, & inflammationes mitigat.

De Maza. CAP. XIX.

MAZA ex Polenta humido aliquo permixta & subacta conficitur. Et aliqua quidem, cum sola aqua subigitur, aliæ verò, aut cum vino, aut cum oleo, aut cum melle, aut cum aliquot horum permixtis.

Cum aqua autem eam subigi, præter quod ex libro Hippocratis De diæta secundo satis euidens sit, testis quoque est Xenophon sexto παιδείας Cyri, vbi hic concione conuocata, milites suos ad aquæ potionem adhortatur, & à consuetis non admodum recessuros ostendit. καὶ γὰρ ὅστις, φησὶ, ἀλφιτοποιεῖ, ὕδατι μεμαγμένην ἀεὶ τὴν μᾶζαν ἐσθίει. καὶ ὅστις ἀρτοποιεῖ, ὕδατι δεδευμένον τὸν ἄρτον, id est: Etenim qui Polenta victitat, Mazam aqua permixtam edit, & qui pane vtitur, panem aqua subactum.

Subigi verò Mazam, & cum vino, ex Hippocratis libro De internis affectionibus apparet, vbi in hepatico morbo, cui suffocatio accedit, & similiter in coxendicum dolore, eam, quæ vino dulci subacta est, non edendam consulit.

Idem Mazam oleo & melle quàm maximè subactam, in typho quodam eodem libro exhibendam præcipit.

Hesychius verò μᾶζαν interpretatur, Polentam aqua & oleo permixtam.

Et à principio, Athenæus ait, popularem cibum ex Alphitis, Mazam veteres vocarunt, ipsamque præparare μάττειν dicebant, posteà verò necessarium victum, ob intemperantiam varietate distinguentes, studioséque paulatim immutantes, nomen ipsum Mazæ in μάττυαν commutarunt, ita appellantes omnem cibum magnificum, ματτυάζειν verò ipsos cibos præparare dixerunt. Atque inde fortasse, quæ ex Amygdalis & sacharo placentæ conficiuntur, in

Massepanes. Officinis Massepanes, hac ætate adhuc nominantur.

Porrò Maza, vt Galenus ait, panibus Hordeaceis ægrius concoquitur, magisque ventriculum flatu implet, in quo etiam si diutius manserit, turbationem excitat. Citius autem subducitur, si commixta diutius fuerit ac subacta. Quòd si mel quoque addatur, citius etiam ob id, ventrem ad excretionem incitabit.

De Crimno. CAP. XX.

CRIMNON, inquit Galenus in Commentariis libri secundi prędictionum Hippocratis, crassior Polentæ pars appellatur, quæ grandiuscula effracto inuehitur Hordeo, refugiens videlicet molæ exactiorem confractionem. Dioscorides, quem Galenus etiam in lib. De facultat. simplic. sequitur, non Polentæ modò, sed & Tritici, Zeæ, ac Olyræ, siue anteà tostorum, siue non tostorum crassiorem farinam κρίμνον appellat, Crimni nomen ad rudiorem crassioremque farinam cuiusuis frumenti transferens.

ἄλευρον. Solo molæ discrimine ac trituræ modo à farina siue ἀλεύρου differt. Ἄλευρον enim dicitur quando granum in tenuissimas partes quàm exactissimè contritum est, κρίμνον verò rudior farina, quæ fragmenta maiuscula ipsorum granorum continet.

Πόλτον, id est, pultem ex eo faciunt, inquit Dioscorides, quæ abundè alit, facilè conficitur, & aluum vehementius astringit, si Zea ex qua fit, prius torreatur.

De Malto siue Byne. CAP. XXI.

MALTVM à recentioribus nuncupatum, ex Hordeo quoque fit. Nam ipsum Hordei granum est, primùm donec intumuerit aqua maceratum, quod deinde germen emisit, ac postremò cum ipsis germinibus siue enatis ligulis resiccatum est.

Resiccatur autem frequentissimè ignis calore, quem ad hoc constructus fornax per exigua spiramenta admittit: rarò verò absque ignis subsidio, idque non nisi æstiuis mensibus vigente æstu, cum in tabulato, eminentiore loco perflato, tenuiter sparsum, sæpius per diem vertitur.

Nostri mout/ Germani maltz/ recentiores Maltum voce à Germanis mutuata appellant.

Βύνη. Aëtius Græcus medicus, Hordeum hoc modo præparatum βύνην nominat.

Ad Beræ siue Cereuisiæ decoctionem conficitur, & laudatissimum quidem Martio & Aprili mensibus.

Quali-

Qualitatem habet siccam quidem Hordei intensiorem, frigidam verò multò remissiorem, præsertim quod ignis calore tostum ac tesiccatum est. nam ἐμπύρευμα, quod illi ab assatione diutinaque tostione inhæret, siccitatem eius intendit, ac frigidam non solum remittit, sed & qualitatem quandam calidam ei imprimit. Quod verò æstiuis caloribus resiccatum, minus quidem calet, tamen & ipsum Hordeo calidius vel sola germinatione redditum; quæ absque leui quadam putrefactione, ob alienam humiditatem, non succedit. Putrefactione autem caliditatem multis accedere, satis notum.

Galenus lib. De aliment. facult. Hordeum ait, quoquo modo quis eo vtatur, siue Ptisanam coxerit, siue Polentam fecerit, vim quandam refrigerantem retinere, verùm id de Malto non videtur intelligendum, quod vel germinatione sola, deinde & tostione, si accesserit, magis à natura sua recessit, quàm Polenta, quæ vel ex crudo nondumque maturo Hordeo, vel in aqua macerato tantùm, vt diximus, conficitur.

Abstergit præterea & Maltum Hordeo potentiùs, minus lentoris habet, cùm, quia farinæ minus, siliquarum verò plus habeat, quàm crudum Hordeum, tum ab inhęrente illi nonnullo calore; partim à leui illa corruptione; partim ab empyreumate, qui abstersionem coniunctam habet. Ventris torminibus aliisq; similibus ex frigida causa doloribus, Maltum subuenit, tostum feruensq; in sacculo appositum.

Cataplasma ex Bynes farina tumoribus hydropicorum vtiliter, Aëtio teste, imponitur.

De Bera siue Ceruisia. CAP. XXII.

BERA ex Malto, & Lupuli salictarij floribus modo, proportioneq; certis, aquę dulci permixtis, coquitur: & simplicissima quidem ac propriissima talis est. Proxima, quæ Triticum, Zeam, aliásve fruges, vnà cum malto Hordeaceo admittit. Quæ verò præter fruges, herbas, semina, flores, aromata, aut alia huiusmodi caput implentia, ac ebrietatem inducentia, à frugum natura aliena, permixta habent, compositæ quædam Beræ, siue Ceruisiæ sunt ac medicatæ, ab Hordeacea Triticeáve Bera & sapore & qualitate dissidentes.

Nominant autem huiusmodi ex frugibus potum cùm Germani omnes, tum Britanni reliquæq; Septentrioni subiacentes gentes, communi quidem ac patria voce, Bitre siue Bere/ Latina autem passim Ceruisiam. Veteres verò ex Hordeo potum variis nominibus appellarunt: & οἶνον quidem κρίθινον, id est, Vinum hordeaceum, omnem ex Hordeo compositum Græci. Eundem Aristoteles, Athenæo teste, πῖνον dixit: alij βρῦτον: veluti Sophocles in Triptolemo, & Hecatæus in Europæ periodo, vbi Pæonas βρῦτον ait bibere, ex Hordeo; παραβίην verò ex Milio & Conyza. Hellanicus tamen non solùm ex Hordeo, sed & ex radicibus fieri βρῦτον asserit: Bibunt, inquit, ex radicibus βρῦτον, veluti Thraces ex Hordeo.

Ægyptij Hordeaceam potionem, ζύθον siue ζῦθον, Theophrastus ait, appellant. Idem testatur Plinius lib. XXII. Ex frugibus, inquit, potus, Zythum in Ægypto, Celia & Cetia in Hispania, Ceruisia & plura genera in Gallia, aliisq; prouinciis. Quos lib. XIIII. nominibus quidem aliis, sed ratione eadem confici tradit. ζῦθον.

Diodorus Siculus, Zythum non in Ægypto solùm, sed & in Galatia quoque fieri affirmat. Tanta est (inquit de Galatia scribens) aëris frigiditas, vt neque vinum ea regio, neque oleum, producat; quare coacti homines potum sibi ex Hordeo componunt, quē appellant Zythum.

Dioscorides vnum Hordeacei potus genus Zythum: alterum Curmi nominat.

Simeon Zethi ex posterioris ætatis Græcis, huiusmodi potionem Arabico nomine φοῦκας vocat, alij φουκάδιον, siue φουκάδιον: Arabibus tamen, Phoucas non ex Hordeo tantùm potus est, sed etiam, veluti Rhasis scriptum reliquit, ex pane Heueri, hoc est, Similagineo, Mentha, ac Apio compositus: ac, vt Hali Abbas testatur, quædam etiam Phoucas ex pigmentis; aut ex malorum punicorum succo conficitur. φοῦκας.

Hæc autem omnia siue similia sint genera, diuersis appellata nominibus, siue proprietate aliqua discrepantia, cum Bera siue Ceruisia nostra in eo conuenire possunt, quòd ex Hordeo, ac frugibus componantur, præparationis tamen modo, vel alia qualitate aliqua ab ea fortasse differunt. Nam si Zythum, vt Galenus ait, lib. De facultat. simplic. medicament. ex putredine proueniat, aut ex frugibus fiat aqua madefactis, donec resoluantur in liquorem Vino similem, veluti Hermolaus Barbarus in Corollariis scribit: ac acre maliq; succi sit. renes & neruos tentet, quæ à Dioscoride ac Galeno quoque ei attribuuntur, cum Bera siue Ceruisia nostra nequaquam conuenire potest. Nam Bera ex fruge non fit putrescente, multò minùs ex ea in liquorem resoluta, sed ex Hordeaceo Malto, vt diximus, coquitur, ab omni putredine asseruato. Est & Bera per se suauis, dulcis, ac boni omnino succi. Quę certè Beram à Zytho, cum conficiendi modo, tum facultate dissidere ostendunt. Sin autem Zythum non eo, quo Galenus, aut Hermolaus tradunt, conficitur modo, sed ex Hordeo ac Tritico fiat leuiter

ter tantùm putrefactis, ac à natura sua commutatis, vt Theophrastus scribit, Zythum & Bera simillima sunt. Nam Hordeum in Maltum transiens, leuiter quodammodo computrescit & à natura sua recedit. Verùm tunc Galenus, Dioscorides, & qui deinceps eorũ sententiam ac doctrinam insequuti sunt, minus rectè Zythi facultates cognouisse videbuntur. Propter leuem hanc etenim putrefactionem siue mutationem, Hordeum, aut ex eo potus, mali succi statim fieri non potest, non minus quàm Polenta, quæ ex non recente Hordeo, sed ex maturo & sicco in aqua macerato conficitur. Siquidem & tunc leuiter quodammodo Hordeum computrescit, humoremq́; alienum imbibit, veluti dum Maltum futurum est. Polentam tamen hanc ob causam, neque Galenus ipse, neque veterum quisquam, mali succi fore asserunt, sed contra omnem boni odoris, suaueolentemq́; esse, sicuti & Maltum ritè confectum est.

Zythum autẽ, siue ζῦθος, ex Hordeo & Tritico confici leuiter putrefactis, Theophrastus lib. De causis sexto, vbi de saporibus agit, his verbis tradidit. Nõnullos verò, ait, naturã commutantes & leuiter putrefacientes, in succos cogimus, ad bibendum idoneos, veluti qui vinum ex Hordeo ac Tritico conficiunt, quod in Ægypto ζῦθος appellatur.

Cæterùm vt ad temperiem Beræ veniamus, pendet ea ex qualitatibus eorum, ex quibus componitur. At materies eius, vt diximus, sunt, aqua, Maltum Hordeaceum, subinde Triticum aut Zea, & Lupuli salictarij flores. Aqua quidem simplex cuiusmodi ad Beræ decoctionem sumitur, frigida est & humida: Maltum cum exigua caliditate resiccat & abstergit. Triticum ac Zea temperatè calida siccaq́; sunt: Lupuli flores secundo ordine calefaciunt, resiccantq́;, caput tentant, vrinas mouent, abstergendi quoque, ac aperiendi potentia prædìti. Faciunt hi ad Beræ cùm saporem, tũ diuturnitatẽ; fruges verò alimenti materiã subministrãt.

Ex horum autem varia & inæquali mistura, diuersa Berarum genera, dissimilibus qualitatibus prædita, fiunt. Tenues quædam, potentes aliæ, rubicundæ siue nigræ hæ, candidæ illæ, amaræ pleræque, dulciores nonnullæ. Quæ frugum plurimum admiserunt, potentiores sunt: quæ minus tenuiores: minimũ tenuissimæ. Ex Hordeaceo Malto, diutiùs tosto, rubicundæ; & præsertim, si diuturnior decoctio accesserit: præcipua autem parte ex Zea ac Tritico confectæ candidæ sunt, senescentesq́; tenue & aquosum vinũ substantiæ tenuitate quodammodo referunt: amariores caputq́; citiùs tentantes, lupuli flores copiosius incocti efficiunt, dulciores eorum parsimonia. fruges enim ex se dulcedinem conferunt.

Inter has tenuissima, frigida quidem est & humida, superante in ea aquæ qualitate ac substantia, non tamen alicuius caliditatis expers.

Potentiores caloris plus habent, cuius enĩ vi atq; potentia, in vasa cõditæ nõ secus ac mustũ fluctuãt ac efferuescũt, minus tamẽ quàm mediocre vinũ calidæ, à quo nõ solũ tẽperamẽti caliditate, sed & tenuitate substãtiæ superãtur. Calefactio siquidẽ Beræ clemẽs mitisq́; est.

Alimentum autem præstant illæ quidem exiguum, aut nullum, hæ verò copiosius, copiosissimum potentiores: omnes probi succi, si ex bonis frugibus & bene decoctæ fuerint. Crassiores circa præcordia aliquantisper hęrent, tardeq́; descendunt: candidę, tenuiores & citius digeruntur: amarę, abstersione aluum leniunt: medię, medio se modo habent.

Compositę Berę, quę videlicet pręter fruges ac Lupulum, & alias quasdam herbas, vel flores, semina, fructus, aromata, similiáve recipiunt, pro qualitate eorum quę admiscentur, varias qualitates ac facultates obtinent, subinde etiam noxias.

Recens Bera quæ nondum subsedit, non secus ac mustum, vitia complura gignit: inflationem parit, aluum conturbat, calculum procreat, ac vrinę sępenumero stillicidium excitat. foris tamen admota, neruosarum partium dolores sopit, si dulci calenteq́; ea foueantur. pręstat ad hoc recentissima, & cui nondum Lupulus incoctus est, ac inter omnes potentior.

Acida neruos & renes tentat, ventriculum conturbat, ac vitiosum in corpore succũ gignit.

Acetum quod ex Bera conficitur, Vini aceto minùs acre, minusq́; potens est, nec partium adeò tenuium.

De Milio. CAP. XXIII.


MILIVM multiplici fruticat culmo, geniculato: folia habet ampla, harundinacea: summo caule, non spicam sed effusam promit iubam, siue φόβην, deorsum reflexam, flaui vt plurimùm coloris, subinde nigricantem, in qua semen gignitur paruum, durum, splendensq́;, paucis tenuibus tunicis conuestitũ, à quibus facillimè excidit. radice nititur numerosa, altaq́;.

Leuẽ solutamq́; humum desiderat, nec in sabuloso solùm, sed & in arenoso quoq; prouenit, modò vel humido cælo, vel riguo solo: nam siccum cretosumq́; reformidat, Columella ait. Milio Plinius Campaniam præcipuè gaudere tradit. Ante ver commodè seri non potest, teporibus maximè lætatur.

Milium, Theophrastus ait, siccitate sua diuturnum esse, plus *centum annis* seruari posse, si quò ventus & aër nõ perueniunt, vt auctor quoque est Varro, condatur.

Græcis

Milium.



Græcis κέγχρος, nonnullis κεγχρὶς dicitur; Hippocrati Paspale, vt Hermolaus ait: Hispanis *Myo, Mill.* Italis *Miglio:* Germanis hirs: Gallis *millet:* nostris hirs & milie.

Milij grana ac paleæ, vt Hippocrates ait, siccant & ventrem sistunt, & cum ficubus, fornibus doloribus conferunt. Ipsum autem Milium coctum alit, non tamen aluo secedit.

Primo ordine, Galenus ait, refrigerat, exsiccat verò tertio, aut certè secundo intenso, paululum etiam habet tenuitatis.

Panis qui ex Milio fit, exigui est alimēti; frigidus, præaridus, & friabilis; nihil enim in se habet neque lentoris, neque pinguedinis: iure ergo aluum humentē desiccat, veluti & Panicum, quo tamen ad omnia est præstantius, suauiusq; editur, facilius concoquitur, ventrem minùs sistit, magis nutrit: foris impositum in sacculis, idoneum est fomentum iis, quæ citra morsum exsiccari postulant.

Torretur, auctore Dioscoride, feruensque in sacco ponitur, vt torminibus reliquisq; doloribus, si foueatur, auxilio sit: neq; aliud, teste Plinio, vtilius, quoniam leuissimū mollissimumq; est, & caloris capacissimum. Itaq; talis vsus eius est, ad omnia quibus calor profuturus est.

Farina eius cum pice liquida, serpentum & multipedæ plagis imponitur.

Lachryma Iobi.



De Lachryma Iobi. CAP. XXIIII.

MILII generi asscribitur & quam Lachrymam Iobi recentiores nominant, arundinaceæ quoque naturæ φυτὸν: folia habet longa, lata, & arundinacea; culmos crassos, geniculatos, ex quorum superioribus geniculis duo, tres, aut plures exeunt pediculi, & in singulis semina singula, dura, quasi rotunda, Ocbris maiora, à quibus dependent quædam veluti spicæ inanes & muticæ: radices in fibras multas diuiduntur.

In hortis Italiæ, Galliæ, ac subinde etiam Belgij seritur; peregrinum siquidem est, & aliunde illatum.

Nonnulli Lithospermi speciē faciūt, propter seminis duritiem; toto tamen genere à Dioscoridis Lithospermo differt. Itali *Lachrymam Iobi* appellant: posset fortasse nō ineptè Arundo Lithospermos nuncupari, vt Gesnerus ait.

Vsum habet nullum, nisi quòd mulierculæ, seminibus istis lycio siue filo transmisso pro sphærulis precatoriis subinde vtantur, catenulas inde facientes.

De Panico. CAP. XXV.

PANICVM Milij similitudine culmis prodit complurimis, intus farctis, multis articulis geniculatis, ac sensim extenuatis: folia ei arūdinacea sunt, multò quàm Tritici latiora: spicā siue paniculam fert oblongā, crassam, prædensam, ex multis coaceruatam & cōpactam granis rotundis, duris, splendētibus, folliculis quibusdam

Panicum.



dam intectis, colore subluteis, Milio similibus, sed minoribus. Radice nititur fibrosa & valida.

Seritur simili, quo Milium, solo: calidis & siccis regionibus libentius nascitur: ex vernalium frugum numero est, quæ teporibus gaudent: nimia aquatione folium dimittit, vti & Milium: sed validius, ait Theophrastus, Milium, dulcius Panicum ac infirmius: consummatur celerrimè, & reseruari egregie potest.

Græcis ἔλυμος dicitur, nonullis μελίνη, aut μέλινος: Diocles medicus Mel frugū appellauit. Germani heydelpfennich aut pfennich: Hisp. *Panizo* Galli *panic*, Latini à panicula, nomen Panico dedere. Ruellius Panicū ab Italis *Melicā* nūcupari refert; Matthiolus autem Melicam Sorghum nominat. Errādi occasionē præbuisse videtur Ruellio, nominis Melicę cum μελίνης, siue μελίνου, vicinitas; quę fecit vt Panicū & Sorghū inter se cōfudent, & Melicæ descriptionem cum Panici miscuent.

Panicum autem facultate pauci nutrimenti est, & exsiccatoria, auctore Galeno: sistit quoque ventris fluxus ceu Milium, in lacte caprino decoctum (addit Plinius) & bis die haustum. Si verò foris illinatur, exsiccat atque refrigerat.


Panis, qui ex Panico fit, vt & is, qui ex Milio, exigui est alimenti, frigidus, præaridus, friabilis, nihil in se habens neque lentoris, neque pinguedinis, quare & aluum humentem desiccat.

De Panico Indico. - CAP. XXVI.

Panicum Indicum.



Panici Indici spica.




PRÆTER superius Panicum & aliud quoddam peregrinum ostenditur, quod Indicum cognominatur. Culmos istud promit crassos, VIII. aut IX. pedes altos, crebris geniculis articulatos. folia verò è singulis geniculis dura, magna, longa, lataque, omnino arundinacea: spicæ siue verius paniculæ crassæ sunt, & densè compactæ, aliquantulum hirsutæ, breuiores non rarò quàm vulgaris Panici, sed crassiores. exeunt hæ & è summo culmorum, & è foliorum sinubus, breuioribus ac tenuioribus veluti culmis insidentes. semen oblongum capillaceis glumis implicatur, quæ ipsas paniculas hirsutas efficiunt. radices validæ sunt ac fibrosæ, ampliores quàm prioris Panici.

Sub finem æstatis, etiamsi calida feruensque fuerit, maturitatem semen in Belgio vix consequitur: in calidioribus regionibus melius proficit.

Panici speciem esse, ipsa densè compacta panicula ostendit.

De Melica siue Sorgho. CAP. XXVII.

Melica siue Sorghum.



MELICA tribus, quatuor, aut pluribus assurgit culmis arundinaceis, præaltis, septem, octo, subinde decem, pedum altitudine vel ampliore, nouem articulis vt plurimùm geniculatis, medulla candida farctis: foliis è singulis geniculis cubito longioribus, trium quatuórve digitorum latitudine: iuba dodrantali aut longiore, milij crassiore, erecta, non dependente: grano multò quàm milij maiore, ac lentis ferè magnitudine, aliâs in rufo, aliâs plenius nigricante: radicibus nititur fibrosis, multis ac validis. Tota planta arundinem refert: culmi & spica, semine maturescente rubescunt.

Solum amat pingue & humidum. ex æstiuis sementibus est. autumno maturescit: gignitur in Italia, Hispania, ac aliis calidioribus regionibus.

Ab Insubribus *Melegua*, & *Melega*: Latinè Melica: in Hetruria *Saggina*. aliis Italiæ locis *Sorgho*: Germanis Sorgsamen/ hoc est Belgis Sorgsaet: Lusitanis *Milium saburrum* appellatur: nonnulli Panicum peregrinum, aut Indicum cognominant, idipsum videlicet ex Panici genere esse existimantes; quorum certè opinio probabilior est, quàm eorum, qui illud inter Farris genera reponunt. Cum Farre siquidem similitudinem nullam, cum Panico verò aliquam habere potest.

Conuenire & cum eo Milio videtur, quod Neronis principatu ex India in Italiam inuectum, nigrum colore, amplum grano, harundineum culmo, adolescit ad pedes altitudine septem, prægrandibus culmis, lobas vocant, omnium frugum fertilissimum, vt Plinius tradit.

Melicæ autem huic, & similis alia quædam Melica candida reperitur, quæ harundinaceis foliis, præaltis & geniculatis culmis, effusa iuba Sorghum quoque refert; sed semen eius rotundius & candidum est.

Bellonius hanc Melicæ speciem in Cilicia ac Epyro seri, & illic à se repertam scribit: ibiq; panes ex ea coqui.

Ab Arabibus Harcoman, eodé teste, appellatur. Apud Auicennam tamen Cap. CCCXXXI. Arcoman non Melica, sed Zea est, si interpreti fides.

Cæterùm Melicæ vtriusque semen Panico sapore & temperamento simile est. cogitur subinde à rusticis in panes, sed friabiles, & parum alimenti subministrantes: frequentius, & vt plurimùm, gallinacei generis ac columbarum saginæ seruit.

De Oriza, ex Theophrasto & aliis. CAP. XXVIII.

ORIZA Lolio aspectu similis est, vti Theophrastus refert: non spicam, sed veluti iubam effundit Milij aut Panici modo: folia ei, Plinius ait, carnosa, ac Porro similia, sed latiora:

Oriza.



tiora flos purpureus radix gemmeq; intúditans.

Aristobulus apud Strabonem, Orizam tradit in aquis conclusam stare, areolis quibusdam factis: eamque esse altitudine cubitorum quatuor, multiplicem spicam habere: copiosumq; fructum afferre: meti circa Pleiadum occasum, atque vt Zeam repurgari: nasci in Bactriano agro, & in Babylonio, & in Susio, & in inferiore Syria.

Hac autem ętate nō in iis solùm regionibus, sed & in aliis plurimis prouinciis, veluti in fortunatis insulis & Hispania prouenit: vnde in Belgium, pista ac ptisanæ modo repurgata adfertur. Nascitur palustribus ac riguis.

Vere seritur, & in India quidem, auctore Eratosthene, cum æstiuis imbribus madet.

Græci ὀρύζαν, aut vt Theophrastus, ὄρυζον appellant: Latini Græcam vocem retinent: Galli *Ris*: Germani Riß & Rys, nominant.

Semine hoc, inquit Galenus, omnes in sistenda aluo vtuntur, ipsum eodem modo, quo Chondrum coquentes: difficilius tamen quàm Chondrus conficitur, & minus alit. Belgæ Orizam eum lacte coquunt, edulium parantes, quod mediocriter cùm aluum adstringit, tum nutrit.

Frumentum Turcicum.



De frumento Turcico, siue Maiz.

CAPVT XXIX.

TVRCICO frumento culmus est arundinaceus, solidus, fungosa medulla refertus, multis articulis geniculatus, quinum seniumve pedum proceritate, inferiore parte crassus, ac subinde purpureus, superiore paulatim extenuatus: folia lata, longa, venosa, arundinacea: spicæ summo caule dodrantales, iubæ fere modo multiplices, muticæ, procumbentes, vacuæ, nullum semen gignentes, instar tamen Secalis florescentes, flore aut candido, aut luteo, aut purpureo, prout videlicet fructus coloratus est. Fructum ferunt prægrandes veluti spicæ, quæ ex culmi geniculis, atque ab vno culmo tres quatuórve, alterno exeunt ordine, multis foliaceis ac membranosis tunicis, veluti vagina quadam, obuolutæ, è qua longi tenuesque capilli prominent, singuli singulis granis adhærentes. Semina magna sunt, Eruiliæ magnitudine, qua mediastino hærent angulosa, superficie verò rotunda: colore aliâs candida, aliâs lutea, purpurea, aut rubra, sapore dulcia ac suauia: quæ in ordines ac versus octo aut decem digesta arctissimè coniuncta, nascuntur. Radicibus nititur hoc frumentum multis, fibrosis ac firmis.

Seritur in hortis, idque Martio aut Aprili: fructus autumno maturescit.

Haudquaquam ex Asia quæ Turcorum Imperatori paret, (vt à plerisq; & vulgò creditum est) aut ex Oriente, sed ab Occidente & ex America, vicinisque insulis, in Hispaniam primùm, deinde in alias Europæ prouincias inuectum

ctum est. vbi & seritur, & ex eo panis conficitur, ac subinde procerius multò adolescit.

Germani Turckischkorn: Belgæ Torckcoren: vulgò Frumentum Turcicum. Galli *Blé de Turquie* appellant: Americæ ac vicinarum insularum habitatores Maizium & Maizum nominant: Valerius Cordus Triticum nuncupat Bactrianum, sed ratione aut occasione non optima: Nec enim cum Tritico nostro similitudinem habet: neque cum eo quoque Frumento, *Bactrianum Triticum.* quod in Asiæ quodam loco vltra Bactra nasci proditur. Nam hoc Theophrastus quidẽ adeò grande fieri, narrari refert, vt grana singula magnitudine nucleos Oliuæ æquiparent. Quòd & Plinius lib. XVIII. cap VII. scribit. Tradunt, inquit, in Bactris grana tantæ magnitudinis fieri, vt singula spicas nostras æquent. In quibus verbis, pro dictione, spicas, fortassis rectius legeretur, Oliuas, vt apud Theophrastum, ex quo hæc transscripta. *Plinij locus suspectus.*

Extat etiam apud Strabonem, lib. XV. Bosmori mentio, qui Eratosthene teste, in Bactriano *Βόσμορος.* quoque ac Babylonio agro, iisdem quibus Oriza locis nascitur. Est hoc frumẽti genus, quod in veneratione esse, Onesicritus tradit, Tritico minus: inter amnes prouenit, excussumq́ areis protinus torretur. Iureiurando etenim adiguntur messores, non asportaturos se inde, priusquam coxerint, ne semen in alias terras exportari possit. Huic Bosmoro Frumentum istud etiam parùm simile, cùm semen eius Triticeo dissimile & maius sit.

Quam ob causam, cùm duo hæc apud veteres solùm reperiantur, quæ Bactriani Tritici nomine appellari posse videntur, atque his ipsis Frumentum Turcicum dissimile sit: nõ Triticum Bactrianum, sed nouo Tritici Turcici, aut Maizij nomine potius nuncupandum, donec vetus eius nomen Oedipus aliquis demonstrârit, qui à veteribus alicubi descriptum, aut cognitum fuisse, persuadere queat.

Cæterùm in nutriendo Frumentum istud Turcicum, Triticeis omnibus, ipsoq́; non solùm Secali, sed & Hordeo longè est inferius. Panis ex eo apparatus mediocriter quidem candidus est, absque furfuribus concinnatus, sed durus ac siccus, veluti biscoctus, nihilq́; lentoris habens. Concoctu eas ob causas difficilis, corporiq́; nullum aut omnino exiguũ alimentum præbens: tardè descendens, ac aluum constringens, veluti ex Milio, aut Panico factus.

De Phalaride. CAP. XXX.

Phalaris.



PHALARIS culmos tres, aut quatuor promit, cubitales, geniculatos, Zeæ aut Tritici culmis minores. folia item similia, sed minora quoque: spicas breues turbinatas, exiguis squamis candicantibus compactas, è quibus flores candiduli, à breuibus staminibus dependent: semen deinde inter eas gignitur, splendidum candidumque, vti Milium, maius, oblongum Lini semini forma ac magnitudine, aut, vt Plinius ait, Sesamæ simile.

Peregrinum hoc semen Belgio est; infertur autem ex Hispania ac Fortunatis insulis.

Seritur Vere: sub finem Æstatis hic maturescit.


Græcis pariter ac Latinis φαλαρὶς dicitur: Galeno φαληρὶς: nostri Canariesaet/hoc est, Canariense semen appellant, à Fortunatis nimirum insulis, quarum vna Ptolemæo Canaria nominatur.

Succus & semen ad vesicæ cruciatus vtiliter bibi, Galenus ait, creduntur. Pharmacopœi plerique, deficiente Milio, eo in fomentis non infeliciter subinde vtuntur. In siccis siquidem fomentis, Milij vsum habet, ac eius succedaneum est.

De Auena. CAP. XXXI.

CVLMO geniculato, folioq́; Triticum ac Zeam Auena imitatur. in cacumine veluti iubam emittit, ex qua paruulæ veluti bipedes locustæ dependent, in quibus semen oblongũ, superiore parte, exiguis capillis hirsutum, ac glumis

Auena.



Auena nuda.



ac glumis inuolutum, conditur. Radicibus nititur copiosis, à quibus plurimis dispargitur culmis.

Loca amat rigua. Vere sata, sub finem Æstatis maturescit.

A Græcis βρῶμος ἢ βρόμος dicitur: Germanis Habern: Brabantis Hauere: Gallis *Aueine*.

Est verò & βρῶμος cognomento πόα, ex frugum vitiis, de qua infrà.

Auena nuda. Iam & Auena quædam est, cuius semen nudum nullis glumis implicatur, aliâs vulgari Auenæ per omnia similis: nudam Auenam quis nuncupauerit.

Auena autem, vt Galenus ait, iumentorum est alimentum, non hominum: nisi vtique aliquando extrema fame, ad panes ex ea conficiendos compellantur. Panis qui ex ea fit, est insuauis, non tamen aluum aut sistit aut proritat; sed, quod ad illud saltem pertinet, medium locum obtinet.

Vt medicamentum verò similem Hordeo vim habet. nam cataplasmatis modo imposita desiccat, & mediocriter ac sine morsu digerit: temperiem autem habet paulò frigidiorem; nonnihil etiam astrictionis obtinet, vt ad ventris profluuia iuuet.

Pulte huius, Dioscoride auctore, aluus sistitur, & prodest eius in sorbitione tussientibus succus.

Auenæ farinam, in aceto coctam, tollere næuos, Plinius prætetea tradit.

De Fegopyro. CAP. XXXII.

IN frumentaceorum numero Fegopyrum quoque esse videtur, subinde enim cogente necessitate, panis ex eo, aut cum eo conficitur: habet id culmos rotundos, læues, striatos, rubicundos, in plures alas diuisos: folia Hederæ molliora minoraq́; , Semydæ proxima. flores paruos, candidos, racemosos: semina sordido colore nigricantia, triangularia, Smilacis nigræ (malocociſſum veteres nominant) similia, sed paululum maiora: radicibus nititur paruis ac fibrosis.

Nascitur qualicunque solo, neque vllum quantumuis aridum, macrumq́; respuit: gaudet imbribus: citò prouenit, celeriter maturescit.

Seritur Martio aut Aprili; ac non rarò Autumno, pabuli causa. Plerisque Germaniæ locis

Fegopyron.



locis & Brabanticæ Campaniæ vulgare; Italiæ etiam non incognitum.

Tridentina rura *Formentone*: Foroiulienfia *Saracino*, vt teftis Matthiolus, nominant: Germani fuperiores **heydenkorn** / inferiores **boeckweydt** aut **bueckenweydt**/ quæ hirci aut Fagi Triticum fonant. Græcè Φαγόπυρον aut φηγόπυρον, Latinè Fagotriticum dixeris à feminis figura, quod Faginam glandem, forma triquetra & colore fordido, quodammodo refert, licet quantitate multò minus.

Apud veteres nullum nomen habet: nam Ocimum quidem non eft, fiue illud Diofcoridis, fiue alterum Varronis & Columellæ. Ocimum fiquidem Diofcoridis, aut vt pleriq; Ozimon, herba eft odorata, quam noftra ætas Bafilicum nominat.

At Varronis ac aliorum rei rufticæ Latinorum fcriptorum Ocymum, non alicuius herbæ genus, fed pabuli nomen eft, ex fegetibus videlicet, ac leguminibus, veluti Varro lib. II. cap. XXXI. de Ocymo fcribens, teftatur. Id genus pabuli funt, inquit, fegetes virides fectę antequã filiquas ferant. Item & Plinius lib. XVIII. cap. XVI. Apud antiquos, ait, erat pabuli genus, quod Cato Ocymum vocat, quo ciebant (exemplaria pleraque minus bene, fiftebant, habent) aluum bubus, id erat è pabulis, fegete viridi diffecta antequã gelaret. Sura Manilius id aliter interpretatur, & tradit Fabæ modios decẽ, Viciæ duos, tantundem & Eruiliæ in iugero Autumno mifceri & feri folitos, melius & Auena Græca, cui non cadit femen admixta: hoc vocitatum Ocymum, boumq; caufa feri folitum, Varro appellatum à celeritate proueniendi ait.

Ocymum.

Plinij locus emendatus.

Ex quibus fanè euidentiffimum eft, Fegopyron propriè Ocymum non effe, fed frugem nouam, veteribus vel non cognitam, vel non vfitatam, vel neglectam.

Cæterùm Fegopyron Tritico quidem, Secali ac Hordeo minus nutrit, plus tamen quàm Milium aut Panicum.

Pulmentaria ac placentæ quæ ex eius farina conficiuntur, facilè concoquuntur, citò defcendunt, alimẽtumq; corpori adferunt, exiguum quidem, non tamen malum aut vitiofum.

Panis qui ex eo aliquando, cogente annonæ penuria, coquitur, aut farinam eius admixtam habet, humidus eft, citiusq; defcendit, ac flatulenti plus obtinet, quàm ex Secali coctus.

Herbam viridem priufquam femen maturuerit, boues iumentaq; pafcuntur. Semine gallinaceum genus paftum citiffimè pinguefcit.

LIBRI PRIMI PEMPTADIS QVARTÆ

FINIS.

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTADIS QVARTÆ

LIBER SECVNDVS,

DE LEGVMINIBVS.

PRÆFATIO.

FRVMENTIS succedunt Legumina, frugum alterum genus. Veteres siquidem Frugum nomine Frumenta & Legumina complexi. Legumina Græcis ὄσπρια dicta sunt, quæ quia manu leguntur, non autem vt frumenta subsecentur, Legumina Latinis nominari putantur. Galenus in lib. De alimentorum facult. tertium quoddam genus addit, eorum videlicet, quorum semina in cibariorum numerum subinde admittuntur. horum autem multa inter Legumina reposita, pauca alibi descripta.

De Bœnis siue Faselis, ac primùm de maiore.

CAPVT PRIMVM.

Bœna siue Phaselus maior.



VVLGO dictarum Bœnarum tria occurrunt genera: maior, minor, & syluestris.

Maior Bœna culmo siue scapo exit quadrangulari, glabro, inani, nullis geniculis intersepto, longo & erecto; qui vbi quidem dense seritur, pedamentis aut adminiculis quibus sustentetur non eget: vbi verò seorsim, facilè in terram collabitur. folia ex interuallis promit oblonga, ex pluribus vni costæ siue pediculo adnatis composita, quorum singularia subpinguia sunt, venosa, glabra, rotundis longiora: flores spicati sunt, forma oblongi, colore aut candidi, lituris nigris conspicui, aut ex purpura nigrescentes: succedunt siliquæ longæ, crassæ, carnosæ, inferiore parte tenuiores, interius quodam veluti candido tomento aut mollibus floccis lanosæ & hirsutæ, quæ ante maturitatem virent, post verò sicciores factæ, nigræ sunt ac durinsculæ, veluti & Genistæ siliquæ, his longiores tamen maioresque; in quibus fructus tres, quatuor, aut quinque, rarò plures, oblongi, lati, compressi, humani ferè vnguis similitudine, magni & semidrachmæ sæpenumerò pondo, vt plurimùm candidi, subinde ex rubicundo colore purpurascentes, qui superiore sua parte oblongum nigrum veluti vmbilicum habent, quem tegit oblongus dilutè virens vnguiculus. Putamen huius densum est, interior pars resiccata dura solidaque, in duas partes facilè finditur, & ab vno latere germinationis principium euidens habet; veluti & Ochri, Pisa, Ciceres, & plura alia legumina. Radices huius longæ sunt, ac multis fibris firmantur.

Seritur Bœna hæc in agris ac hortis.

Floret Aprili ac Maio mensibus, & particulatim quidem ac diu: fructus Iunio ac Iulio ad maturitatem peruenit.

Germani Boonen: Galli *Febues*: Itali *Fauam*, quasi Fabam, vulgarem appellationem secuti, nominant: Hanc etenim veterum Græcorum κύαμον, ac Latinorum fabam esse, non solum Officinæ, sed omnes passim crediderunt, qua in re quantum à veritate absint, ea vel liquidò ostendunt, quæ de Fabæ forma & magnitudine, apud veteres sparsim repeririuntur, quę parum admodú aut omninò nihil, cum Bœna, præsertim eius fructu, conueniunt. Nam Fabæ quidé fructus rotúdus est, & paruus, Bœnæ verò longus, latus, & Fabæ comparatione magnus.

Rotun-

Rotundam autem esse Fabam, multorum rotundorum & fructuum & aliorum ad eam collationes ostendunt. Theophrastus, Terebinthi semen, magnitudine Fabæ esse scribit: similiter & Loti rotundum fructum, quem Dioscorides Pipere maiorem facit. Tiliæ item fructum, & acinos Vitis Idææ (passulas Corinthiacas nominant) quos Hederæ acinis similes etiam perhibet: Taxi denique fructum, Faba minorem affirmat. Dioscor. Xyridis rotundum semen Fabæ simile asserit. Plinius Tithymali Paralij fructum, magnitudine Fabæ esse ait. Galenus lib. xi. De simplic. medicament. facul. Oniscos qui sub hydriis nascuntur, etiam κυάμους, hoc est, Fabas appellari refert: quod vbi sese in globum conuoluerint, esculentis Fabis sunt persimiles: Libro verò De aliment facul. cap. de Aphace & Vicia, Horum seminum, inquit, figura non est rotunda, veluti Fabarum. Cornelius Celsus, acrochordones thymos, epinyctidas, rotunda & exigua tubercula Fabis similia facit.

Quæ omnes similitudines & comparationes, non solùm Fabæ rotunditatem, sed & paruam eam esse, euidenter commonstrant. Omnia enim ipsis comparata non solum rotunda, sed & exigua quoque sunt.

Paruitatem porrò earum, præter illa, & hoc similiter confirmat, quòd Dioscorides Ægyptiam Fabam, vulgarem Græcorum magnitudine superare tradat: quæ tamen & ipsa parua est, Bonaque longe minor. Pendet enim Ægyptia Faba, auctore Galeno, semiobolum tantùm: Bona verò semidrachmam (vti scripsimus) id est, obolos integros tres, sæpè complet. Idem ostendunt, quæ apud veteres nonnullis locis reperiuntur & alia, veluti apud Galenum & alios eius ætatis scriptores, huiuscemodi capituli alicuius titulus: Si calculus aut Faba aut consimile quippiam in auditorium meatum illapsum fuerit. Item quod Lucianus in ὀνείρῳ Mycillum adducat obiicientem gallo, quòd Fabas sublegisset: ac in Icaromenippo formicam fingat Fabæ tunicam apportantem: & alia similia, passim occurrentia: sicuti & quod Aristoteles libro De animalium historia sexto, pullorum gallinaceorum oculos, decimo ab incubitu die, Fabis maiores esse scribit, qui tamen in exclusis, non admodum magni sunt. Decimo iam die, inquit, pullus totus perspicuus est, & membra omnia patent: caput grandius toto corpore est: oculi capite grandiores hærent, quippe qui Fabis maiores per id tempus emineant.

Ex quibus omnibus euidentissimum manifestissimumque, veras Fabas rotundas ac paruas esse, multoque ipsis Bonis minores, quæ omnibus iis quæ Fabis comparantur, longè sunt maiores, & ea de caussa, à Fabis differentes. Vt interim prætereamus, Fabam substantiam habere, vti Galenus ait, raram & laxam: Bonam verò reficcatam cornu modo solidam: iam & Fabam, eodem auctore, minus alere, quàm ciceres; Bonam autem Ciceribus gratiorem, ac alimentum corpori humano copiosius præstare: & si quæ alia sunt eiusmodi argumenta, quæ Fabarum & Bonarum dissimilitudinem aliquo modo ostendunt.

Bona igitur non Faba, sed omnino alterius nominis legumen. Cùm autem apud veteres nullum aliud reperiatur quod Bonæ similius esse queat, quàm Faselus, Bonam eandem cum Faselo esse consequi videtur: quem Græcorum complurimi φάσηλον, Dioscorides φασίολον, Simeon Sethi φασούλον nominauit.

Habet enim in primis Bona, fructum Dolichis forma similem, at maiorem, quæ maior est, cuiusmodi Faseli esse Dolichus innuit, diminutiua voce, à similitudine Faseli, φασίολος nuncupatus.

Iam & Bona alta proceraque est, qualem Faselum esse Columella testatur lib. x.

Et grauis at triplici consurgit longa Faselus.

Vulgarem item olim per Italiam fuisse Faselum, ex libris Columellæ, Palladij, Virgilij notissimum est, sationis enim eius & tempus & modus in his docetur: Bona verò hac ætate nihil familiarius.

His accedit, quòd minoris Bonæ fructus, Sparti fruticis, siue Spartij lobum magnitudine ac forma, & non rarò colore, proximè referat: at Spartij λοβοὺς ὥσπερ φασήλους ἢ φασιόλους, Dioscorides tradit, id est, lobos veluti Phasiolos.

Phasioli autem, quibus Sparti fruticis lobi à Dioscoride similes perhibentur, iidem sunt cum Phaselis, à Galeno in lib. De aliment facult. appellatis. Differentem etenim φασίολον, à Smilace hortensi, qui aliàs δόλιχος, Dioscorides facit: tertium autem similis nomenclaturæ legumen, nusquam descriptum reperitur, quam ob rationem, quadrisyllabus φασίολος per ἰῶτα secunda syllaba, à trisyllabo φασήλῳ per ἦτα differre nequit.

Duorum præterea Bona est generum, candida videlicet & rubicunda: duplex quoque φάσουλος apud Simeonem Sethi: vnus candidus, rubens alter. φασούλον autem nuncupat, quem alij φάσηλον.

Reperiuntur postremò in Bona facultates eæ, quas φασήλῳ Dioscorides tribuit: nam re-

cens Bona nondumq́; matura esitata, & inflationem parit, & tam ægrè difficulterq́; cõcoquitur, vt sæpè vnà cum excrementis alui, non permutata descendat, aluum quoque cõmouet, ac non rarò cit; quæ Dioscorides Phasiolo tribuit. Phasioli, inquit, inflant, flatus mouent, ægrè concoquuntur, virides cibo aluum emolliunt, ad vomitiones autem idonei.

Quæ omnia pariter ac simul, tam manifestè innuunt, ostendunt atque demonstrant, Bonam Germanicè dictam, veterum Græcorum & Latinorum φάσηλον, ac Dioscoridis φασίολον esse, vt dubitandi nullus locus superesse videatur: nihil enim de Phaselo alicubi occurrit, quod non cum Bona conueniat.

Est autem Bona, siue Faselus, quod ad facultates eius attinet, in alimẽtorum numero non postremo loco, arida vt cætera legumina, decocta & in cibis assumpta: nam recens quidem inflat, & flatus, veluti mox scripsimus, gignit. At resiccata & arida, probeq́; deinde cocta, minùs aut parùm admodum flatulenta est, corpori alimentum mediocre, & illud mediocriter confert: descendit autem cum putaminibus quidem, nec omninò facilè nec omninò tardè; absque his autem aluum constringit, & potentius quidem, quæ rubra est.

Farina Bonarum, cataplasmatis præsertim resiccantibus, deficiente Fabarum, eius loco hac ætate admiscetur, & non inutiliter quidem. Sicuti enim temperies eius parum à medio recessit, ita ad multa vtilis est. Talia siquidem medicamenta, auctore Galeno, multis aliis miscentur, ceu materiæ quædam. Abstergendi autem facultatem Fabaceæ farinæ, Bonarum non habet.

Galenus lib. 1. De aliment. facult. Phaselus, ait, medium quodammodo locum obtinet inter ea quæ succum bonum & prauum generant: inter concoctu facilia & difficilia: tardè & celeriter transeuntia: flatulenta & flatus expertia: parùm & multum nutrientia. Nullam enim effectricem habet qualitatem instar quorundam, quæ acres, aut austeros, aut acerbos, aut salsos, aut amaros, aut dulces habent sapores.

De Bona siue Faselo minore. CAP. II.

MINOR Bona caule, foliis, floribus, ac siliquis, maiori similis est, singulis tamen minoribus, & foliis pluribus multoq́; crebrioribus; ex quorum alis, flores in singulis paruis pediculis, vt plurimum seni, spicatim digesti prodeunt, quos totidem ferè succedunt siliquæ, totosiores minoresq́; quàm alterius: fructus quoque minor est, verùm non omninò latus neque compressus, sed teretis quodammodo figuræ, ac in rotunditate oblongus, colore aliâs subalbicans aut subflauus, aliâs niger, qui & vmbilicum superiore parte paruum ac nigrum habet. Putamen huius duriusculum quoque est; interior autem medulla minus densa aut dura, sed rarior & laxior. Fœcundum admodum legumen, quod maiorem Bonam nõ solùm multitudinẽ foliorum, sed & florum, siliquarumq́; numero superat.

Seritur in agris, & frequentiùs apud Zelandos, equorum iumentorumq́; pabulo. Medium quoddam genus est, inter maiorem, ac syluestrem rotundam Bonam: maioribus siquidem, minor & rotundior; syluestribus verò maior ac longior.

Brabanti vnà cum Flandris, Hollandis, Zelandis, ac aliis finitimis, vulgò Peerts boonen/ hoc est, Bonam equinam, & clepn boonkens, id est, paruas Bonas, appellant; plerique etiam Zeeusche boonkens/ siue Zelandicas Bonas.

Est verò hæc Bona, & Phaselus siue Phasiolus quidam, & potissimum ille, quem Dioscorides videtur solùm nouisse, ille certè, cum cuius fructu Sparti lobum comparauit, qui huic fructui, & forma, & magnitudine tam similis est, vt sublato eo, quo stirpi adhæret, ac adnascitur pediculo, nihil aliud, quàm huiuscemodi parua Bona, primo aspectu videatur.

Cæterùm facultate ac temperamento, hęc Bona non admodum dissimilis maiori est, non tamen, tam hominum cibo, quàm equorum saginæ seruit ac vtilis est. In cataplasmatis farina huius idem quod maioris potest.

De syluestri Bona siue Faselo. CAP. III.

SYLVESTRIS siue nigra Bona, caule quoque est angulari, inani, nullis geniculis intersepto, & quidem vbi suæ spontis est, vt fertur, breuiore ac erecto; in hortis autem nostræ inferioris Germaniæ, longiore, ac nisi adminiculis fulciatur, caduco: foliis quoque Bonæ similibus, sed in clauiculas desinentibus, quibus propè assistentia apprehendit, ac complectitur. Flos Bonarum forma, colore è puniceo nigricans: siliquæ quoque veluti aliatum per maturitatem nigræ, interiore sui parte albos mollesq́ue floccos continentes, in quibus semina tria, quatuor, aut quinque rotunda, Eruiliæ forma & magnitudine, subinde paulò maiora, colore nigra, paruum candidum vmbilicum habentia; quorum septem, octo, aut subinde nouem semidrachmam pendent. Substantia horum seminũ rarior est, ac minus dura solidave, quàm

Bona-

Bona syluestris.



Bonarum maiorum: dum autem manduntur, fœtorem veluti quendam ingratum excitant.

In Narbonensi Gallia ac Aquitania plerisq; locis sua sponte exit: apud Belgas rarum est legumen, neque alibi quam vbi satum est, prouenit. Siccitatibus in Belgio gaudet: imbribus ac humido cæli statu æruginosum efficitur, maximè cùm in flore est: paucis à satione diebus exit, citoq; attollitur.

Nostri wilde boonkens & sweerte boonkens/ hoc est, syluestrem & nigram Bonam appellãt, à similitudine videlicet & caulis, & foliorum, & siliquarum cum Bona.

Græcorum κύαμον, & Latinorum Fabã forsitan quis dixerit. Quæ enim de Faba sparsim apud Theophrastum aut alios veteres repeniũtur, multa cum hac Bona cõueniunt, vt ex his, quæ sequente capite de Faba collegimus, satis manifestum est. An autem propter hanc similitudinem, pro vera Faba haberi debeat, considerandum relinquimus.

Porrò vsum Bona hæc nigra nullum apud nos habet, cùm, vt diximus, rara sit, & in paucorum hortis, quos varietas & studium herbarum delectat, tantùm seratur.

De Faba, ex Theophrasto, & aliis.

CAP. IIII.

FABA inter legumina sola potissimùm, inquit Theophrastus, caule constat erecto, quadrangulo, ac, vt Plinius tradit, vnico, eoq; geniculato (aliàs ἀγονάτωδές ἐστι, hoc est, absque geniculis) & inani, quamobrem calamus appellatus est: foliis exit rotundis, multis. floret diutissime, diebus quadraginta, & particulatim quidem, alio atque alio flore subinde prodeunte. fructus paruus, rotundus, & numerosus, (inuentus est enim, teste Plinio, scapus centum fabis onustus) siliquæ adhæret, germinationis principium euidens ostendit: putamen eius crassum: interior substantia rara laxaq;: in colore & sapore differentiam obtinet, candidior autem dulcior, est & nigra quædam. Nam apud Galenum lib. x. De medicamentis secundum loca, Asclepiadis pharmaco admiscetur, ἄλευρον ἐρεγμένον τοῦ μέλανος, hoc est, nigræ Fabæ lomentum siue farina. Radice nititur Faba parua, non numerosa.

Solum amat leue, terramque solutam. Columella tamen Fabæ, ait, pinguissimus locus vel stercoratus destinatur, & si veruactum erit, in valle situm, quod à superiore parte succum accipit. Aquas fluentes his magis prodesse quàm cælestes affirmat Theophrastus. Solum in quo sata est lætificat stercoris vice, ideoque circa Macedoniam & Thessaliam cùm florere incipit, vertunt arua, Plinius. At Columella, sunt qui putent, inquit, in aruis hanc vice stercoris fungi; quod ego sic interpretor, non sationibus eius pinguescere humum, sed minus hanc quàm cætera semina vim terræ consumere.

Nascitur & sua sponte plerisque in locis, sicuti in Septentrionalis Oceani insulis, quas ob id Fabarias Romani appellarunt. Item in Mauritania syluestris passim, sed prædura & quæ percoqui non possit: auctor Plinius.

Seri debet ante hyemem, maturæ imbecillitatis suæ causa, quo serenis diebus radices concipiat, quibus valenter frigori & tempestatibus hyemis possit resistere: si enim cùm sata fuerit, imber plus æquo successerit, prouentu omnino difficilis redditur. Virgilius per Ver eam seri iubet, Circumpadanæ Italiæ ritu; sed maior pars malunt fabalia maturæ sationis, quàm trimestrem fructum eius.

Floret Vere ortu Vergiliarum. Apicula procedens Fabam florere indicat, Fabaque florescens eam euocat. Solstitio autem metitur.

Prodest Fabæ imber cùm floret, tunc enim præcipuè madefieri cupit, sed posteaquam defloruent, parum omnino aquæ desiderat, imberque ei tunc nocet.

Sentit Faba inter legumina ἐρυσίβην, hoc est, rubiginem magis: tum quia folia vndique

multa gerit, tum quia densè obseritur, tum etiam quia humorem maximè ad se trahit, suæ raritudinis causa, adde quia fructum terræ proximum gerit. putrescunt enim inferiora potissimùm, quoniam minus perflantur.

Fabam autem hanc Græce κύαμον ἑλληνικὸν appellant, hoc est, Fabam Græcam: item & πύανον, vnde πυανέψια Atheniensium festa, Apollini sacra, quibus πύανοι, id est, Fabæ & legumina coquebantur, à quibus rursus mensis, quo hæc celebrabantur, πυανεψιὼν nuncupatus est, qui ferè cum Octobri conuenit.

Nominantur porrò κύαμοι, etiam testiculi, quòd sint τοῦ κύειν αἴτιοι, hoc est, pariendi auctores, vel εἰς τὸ κύειν δυνατοί, quod est, ferendo vtero valentes. Ab his κυάμοις abstinendum Pythagoram præcepisse plerique interpretantur, ac rei venereæ vsum, hoc symbolo, eum detestarum aiunt, non autem esculentarum Fabarum.

Farina Fabarum lomentum, inquit Plinius, appellatur. Græce ἔρεγμος aut ἔρεγμος, Faba fresa aut fracta nominatur, & ἐρέγμινον ἄλευρον, Fabæ fresæ farina.

Flatulentus autem cibus (inquit Galenus lib. De aliment. facult.) Faba est, etiamsi cocta diutissimè fuerit, ac quouis modo parata. Habent verò substantiam nō densam nec grauem, sed fungosam ac leuem: quæ vim quandam habet detergendi. Apparet enim perspicuè, ipsarum farina sordes à cute detergere: ob quam sanè facultatem ventrem non cunctanter permeat. Cùm autem Fabarum puls sit flatulenta, multò adhuc magis erunt flatulentæ, si quis integris ipsis coctis vtatur. Si tamen frixæ fuerint, flatum quidem deponunt, sed concoctu sunt difficiliores, tardeque prætereunt, & crassi succi alimentum corpori exhibent. Quod si virides priusquam maturæ sint atque exsiccatæ, edantur, idem eis accidet, quod fructibus omnibus, quos ante perfectam maturitatem mandimus, humidius scilicet alimentum corpori præbebunt: obque id excrementosius, non in intestinis modò, sed in toto etiam habitu: meritò igitur Fabæ eiusmodi minus quidem nutriunt, sed promptiùs deiiciuntur.

In lib. verò De simplic. medic. facult. Faba, ait, in vtroque medij temperamenti proximè est in exsiccando & refrigerando. Caro eius paulum quoq; abstergentis facultatis continet. sicuti putamen nonnihil adstringentis: idcircò medicorum nonnulli totam Fabam cū oxycrato decoctam, dysentericis, cœliacis, ac vomentibus exhibuerunt. Excreationibus ex pectore & pulmone idonea est: fotus imposita desiccat innoxiè in podagricis. ea sæpenumero vsi sumus ex aqua cocta, & ita adipi suillo admixta: ad neruorum tum contusiones, tum vulnerationes farinam eius cum oxymelite imposuimus; ad eos quos ex ictu plegmone occupauerat, cum polenta: sed & testium, & vberum aptum est cataplasma. Nam hę partes cùm inflammatione tenentur, moderatè refrigerari amant, maximè quando vbera ex lacte in ipsis concreto inflammationem patiuntur. Quin lac quoque ab eo cataplasmate extinguitur, sicuti puerorum pubes farina Fabacea illita, plurimo tempore glabra permanet.

Furunculos (addit præterea Dioscorides) suggillata parotidasq; cum Fœnigræci farina, & melle, lomentum eius discutit: cum rosa autem thure, & oui candido oculorum procidentias, staphylomata & œdemata reprimit: subactum vino suffusionibus & ictibus oculorum medetur.

Manducata sine cortice Faba, ad sistendas fluxiones fronti imponitur: decocta in vino, testium inflammationem sanat: puerorum pubi ex ea cataplasma impositum, ipsos diu impuberes conseruat: alphos quoque abstergit.

At cortices Fabarum, capillis euulsis impositi, graciles & vt non nutriantur eos conseruat: cum polenta, scisso alumine, & vetere oleo impositi, strumas discutiunt: decoctum illorum lanas inficit.

Faba dempto cortice in duas illas partes diuisa, ex quibus natura coaluit, sanguinis fluxiones ab hirudinibus natas, imposita supprimit, si dimidia apponatur.

De AEgyptia Faba, ex Theophrasto & aliis.

CAPVT V.

ÆGYPTIA Faba, folia habet ampla, petasi similitudine, super aquas eminentia, caulem lignosissimum, quatuor cubitorum, (Dioscorides cubitalem tradit) digiti crassitudine, calamo molli, & non geniculato similem, qui rimas intrinsecus habet, tendentes per totum, Lilij modo: flos duplo maior, quàm papaueris, colore roseus, qui vbi defloruerit, caput profert fauo orbiculato vesparū simile, in cuius singulis cellulis, singulæ Fabæ continentur, paululū & bullantis, vt Dioscorides, ampullæ modo supereminētes, multitudine, vt plurimùm, triginta, quæ resiccatæ nigrescunt, & vulgares Græcorum Fabas magnitudine superant. In his amarum quoddam est, ex quo fit, inquit Theophrastus, ὁ πίλος. Radix crassissima, harundine plenior, spinosa, rimas similiter ac caulis habet.

Nascitur

Nascitur Faba hæc in Ægypto, vel sua sponte plurima, in paludibus ac stagnis. Seritur & in limo paleis admixtis, vt descendat, incorruptaq; maneat, sicq; fabeta, siue Græce κυαμῶνας, faciunt. Si autem semel apprehenderit, perpetuo manet: radix enim valida est, nec harundinum radicibus dissimilis, cæterùm spinas ferens. In Syriæ etiam & Ciliciæ lacubus reperitur, sed tractus ipsi non plene conficiunt. Et circa Toranam agri Chalcidici quodam in lacu exit, magnitudine mediocri, vbi & percoquitur & perficitur, & in plenum fructificat.

Fabam hanc Græci κύαμον αἰγύπτιον, id est, Fabam Ægyptiam appellant, nonnulli etiam κύαμον ποντικόν, vt Dioscorides refert.

Fructum, inquit Galenus, incolę κλῶν καὶ κιβώριον nominant. Item κιβώριον, auctore Dioscoride, quasi scriniolum, aut arculam, quoniam feratur ipsa humenti glebæ mandata, & ita in aquam demissa.

Radici κολοκασία nomen est, quæ & cruda & elixa & assa manditur, eoque cibo, qui paludes incolunt, vtuntur.

Cæterùm Ægyptia faba, vt Galenus lib. 1. De aliment. facult. tradit, sicuti Græcorum magnitudine longè superat, ita & naturam habet humidiorem, magisque excrementitiam.


Adstringendi facultatem obtinet, Dioscorides ait, & stomacho vtilis est: dysentericis, cœliacisque prodest, inspersa, polentæ vice, farina: datur quoque in pulte. At cortices in vino mulso decocti, si terni inde cyathi bibantur, magis efficaces sunt.

Facit ad aurium dolores, quod in earum medio viride spectatur, gustu amarum, si tritum & cum rosaceo coctum instilletur.

Cornelius Celsus Ægyptiæ fabæ amarum cum Rosis contritum, oculorum cum dolore inflammationibus adhibet.

De Dolicho siue Phaseolo. CAP. VI.

Dolichus siue Phaseolus.



Phaseolus peregrinus.



DOLICHVS caules profert tenues, longos, ramosos, perticis ac vicinis fruticibus sese circumuoluentes: folia per interualla Hederæ foliis maiora, asperioraq; tria vni pediculo hærentia: flores ex omnibus aliis erumpunt numerosi, candidi, lutei, pallidi aut rubentes, 1.

Eruiliæ

Eruiliæ similes: siliquæ deorsum pendent longæ, rotundis latiores, extrema parte in paruum veluti vnguiculum desinentes, in quibus continentur semina septem, octo, aut nouem, oblonga, in latitudinem compressa, paruis renibus, ac maioribus vulgaribus Banis siue Faselis similia, sed minora, colore luteo, nigro, rubente, aut vario, sæpenumero etiam candido, qui & reliquis paulò longiores sunt, & renum formam pressius referunt. Radices subsunt multæ, longæ ac duræ.

Facilè ac citò Dolichus assurgit, ac in longitudinem maximam excrescit, longis pedamentis prope affixis, aut iuxta topiarias ac perticales scenas satus, quas iis sese circumuoluens adumbrat: aliàs humi procumbit, tardè germinat, difficulter fructificat, vitiosus ac æruginosus, vt Theophrastus ait, redditur.

Seritur Vere, fructus sub finem Æstatis maturescit.

Hippocrates, Diocles, Theophrastus & plerique alij, δόλιχον appellant; nonnulli à siliquarum magnitudine λόβον ac λόβιον, Latinè Siliquam: à Dioscoride σμίλαξ κηπαία nominatur, quòd Smilacis similitudine conscendat, & vicina adminicula aut frutices apprehendat. Ab aliis φασίολος dicitur voce diminutiua à φασήλῳ, cui fructum, vt diximus, similem, sed minorem gignit.

Neque enim, vt quidam existimant, φάσηλος ac φασίολος idem sunt legumen diuersis nominibus appellatum, sed fructus diuersi ac differentes, veluti Galenus lib. I. De aliment. facult. satis ostendit, vbi de vtroque agit. Nam primum quidem, de Phaselis & Ochris, deinde posteà, aliis interpositis, de Dolicho, qui & Phaseolus, disputat: & licet videatur addubitare, quale legumen sit à Theophrasto Dolichus appellatus; tamé Dolichum colligit ac resoluit, fructum esse in Italia quidem hortensis plantæ, in Caria verò, in agris nascentis, qui formam habeat Lathyris longiorem, ac vulgò sua ætate Fasiolus nominabatur.

Huic accedit Paulus Ægineta, de Phaselo & Phaseolo, quem Dolichum nominant, vt diuersis, eodem cap. tractans, lib. videlicet primo cap. LXXIX.

Iam & Faselus, Italiæ quidem ac Romæ vulgare olim fuit legumen: Dolichus verò peregrinum. Nam sationis Faseli, Columella & Palladius rei rusticæ scriptores meminerunt, & vilem eum Virgilius appellat; Georg. primo.

Si verò viciamq; seres vilémque Faselum.

De satione verò Dolichi nemo Latinorum scripsit, vtpotè qui in Italia rarus fuerit, atque in hortis tantùm satus, veluti Galenus innuit, eum subinde plantam hortensem nominans, ac in Caria, vt diximus, seri referens: & similiter Dios. σμίλακα κηπαίαν, id est, Smilacem hortensem eum nuncupans, quòd videlicet in hortis seratur. Qui etiam seorsim, separato ac alio capite hanc perstringens, aliam ac differentem Smilacem hortensem siue Dolichum à Faselo esse, quem Phasiolum nuncupat, euidenter commonstrat.

Quas ob rationes dubium esse nequit, Faselum trium syllabarum, à Faseolo quadrisyllabo diuersum esse; non minùs quàm Cicer, Cicercula, & Cicera differunt, quæ tamen nomenclaturis affinia sunt: ac à veritate recessisse eos, qui vnum legumen diuersimodè appellatum esse existimant

At Dolichi, vt Hippocrates tradit, magis Pisis per aluum secedunt, minus inflant, & probè alunt, & non minùs quàm Pisa, auctore Diocle, nutriunt: præterea flatu similiter carent; quòd verò ad suauitatem ac delectionem pertinet, vincuntur.

Dioscoridis locus suspectus. Siliqua, vti Dioscorides ait, cum seminibus cocta oleris loco, veluti Asparagus estur; vrinam cit, & tumultuosa somnia facit: Quod tamen postremum, perperam à nonnullis adiectum existimatur, ac ex capite De Smilace læui, huc, ab imperitis, translatum.

2. Est verò & alius Dolichus, minor, breuior, siliquis minoribus, cuius flores & fructus, forma Dolichis similes, sed multò minores. Sunt hi fortè Fasioli illi quos Alexander Trallianus lib. VII. φασιόλους μικρούς, & lib. XI. Phasiolos Alexandrinos nominat, si modò non per Fasiolum paruum, Dolichus veniat intelligendus, quod verisimillimum videtur. Dolichus enim, vt diximus, Faselo minor est.

3. Iam præter hos & alius quidam extat peregrinus Phaseolus, perticis & vicinis adminiculis sese quoque circumuoluens, cui terna ab vno pediculo folia etiam dependent, veluti Phaseolis, sed singula angustiora multò, ac similiter nigriora: siliquæ breuiores, planiores ac magis compressæ, pauciores fructus continent.


De Piso maiore. CAP. VII.

PISVM quod malus vulgò dicitur, caules habet longos, fistulosos, fragiles, ex candore virescentes, ramosos, humi sparsos, nisi propè appositis adminiculis sustineátur: folium frequens, amplum, & longum, ex multis rotundis læuibus ac candidis, vni costæ adnatis, & ex

Pisum maius.



Pisi maioris alia icon.



auerso situs, compositum, extrema parte in clauiculas, ac capreolos desinit, quibus iuxta assistentibus adminiculis sese implicat. Flos candidus, circa vmbilicum purpuream notam habet: siliquæ longæ sunt, teretes cylindri figura, in quibus grana continentur, Ochris, id est, minoribus pisis, maiora, quę resiccata angulosa sunt, inęqualesq; angulos habent: colore aliâs candido, aliâs sordido. radices subsunt paruæ.

In Germania ac Belgio, subinde in hortis seritur: serendum autem vere, sicuti & legumina alia, cum quibus etiam æstate perficitur. Cæli statu calido felicius prouenit: frigoribus, præsertim quando floret, facilè offenditur.

Nostri vulgò **Roomsche erwten**/ & **groote erwten** aut **stock erwten** appellant, ac Latinè Pisum Romanum aut maius. Theophrastus & alij veteres, Græcè πίσον, Latinè Pisum nominarunt. Plerique etiam λέκυθον, sed parum propriè nuncupant. Lecythos siquidem non peculiare aliquod legumen aut frugis genus, sed pulmentarium ex leguminum farinis, vti Galenus lib. De Euchymia & Cacochymia testatur: ἔτνος appello, inquit, pulticulam, quæ ex decorticatis & fresis leguminibus fit: λέκυθον verò ex molitorum farina, in aqua, cum aliquo pingui decocta. ἔτνος. λέκυθος.

Pisum autem, veluti Hippocrates tradit, minus Fabis inflat, per aluum autem magis secedit. Galenus, Pisa cum Fabis tota substantia quandam habent, inquit, similitudinem, eodémque cum Fabis modo sumuntur. His duabus tamen rebus ab eis discrepant, tum quòd non æquè ac Fabæ sunt flatulenta, tum etiam quòd detergẽdi facultatem non habent: ideoq; segniùs quàm illæ per aluum secedunt.

De Piso minore, siue Ochro aut Erulia.

CAP. VIII.

PISVM minus, siue vt Græci ὦχρος, caule inani, foliis, capreolis, siliquisque maiori Piso simile est, singulis tamen minoribus: flores habet vt plurimùm candidos, aliquando tamen ex purpura obscuros; siliquas quoque cylindri figura, rotundas ac longas, in quibus semina nascuntur octo, nouem, aut decem rotunda, Pisis minora, colore vt plurimùm luteo, subinde virenti.

Pisum minus.



Eruilia sylvestris.



In hortis & agris prouenit, & quod quidem in hortis, maius est, ac nisi prope affixis adminiculis ac pedamentis sustenteтur, exiguum fructum cumque ferius reddit. Quod verò in agris seritur, amplum vagumque humi spargitur, ac absque vllis, quibus incumbat aut fulciatur adiutoriis, fructum perficit, vberiorem tamen loco aprico, & cęli statu calido siccoque, nam vliginosis parum proficit, & veluti Pisum frigoribus quoque citò offenditur.

Seritur autem Vere. Iulio mense ad maturitatem peruenit.

Germani Erweyssen: nostri Erwitten. Galli *des pois*, appellant. Græci ὤχρον, à luteo videlicet ochræ colore, quem interior fructus medulla refert. Plinius & alij Latini auctores Eruiliam, recentiores ac Officinæ, passim Pisum, & Pisum minus nominant: propter eam nempe, quam cum Piso, & caulis, & foliorum, & siliquarum similitudinem gerit, licet tamē fructus rotundus, & non angulosus sit, quale, Plinio teste, Pisum est.

Facultate autem, & viribus Pisum istud Faselo simile est, nullam effectricem qualitatem insignem habet, & medium quodammodo locum obtinēt inter ea, quæ boni ac praui sunt succi: multum ac parum nutriūt: facilè ac difficulter concoquuntur: tardè & citò descendunt, flatulenta sunt ac flatus expertia, veluti Galenus lib. De aliment. facult. de his, & Faselis scriptum reliquit.

De Eruilia siue Ochro sylvestri.
CAP. IX.

SYLVESTRIS Eruilia caules promit angulosos, Lathyri quodammodò similes, sed latiores, infirmos atque humi procumbentes, ex quibus per interualla folia exoriuntur, longa, lata, in capreolos desinētia, & inferius quidem singularia, altius verò in plura parua foliola diuisa. Flores candidi sunt, siliquę Lathyri similes, minores, in quibus rotunda semina Eruilis minora ac duriora, colore sublutea, aut nigra, sapore subinde amara. radix, vt aliorum leguminum, fibrosa est. Caules foliaque Pisum, Ochrum, ac Lathyrū colore referunt.

Rarum quidem & peregrinum legumen, quodque à studiosis herbarum stirpiumque tantùm, ac rarò quidem in hortis seritur.

Eruiliam, siue Ochron sylvestrem appellauimus, alio destituti nomine, propter eam quam fructus cum Eruilia similitudinē habet.

Multum autem à veritate recessit, qui legumen istud Aracum, & quidem nigrum fecit. fructus etenim tametsi quandoque non tamen semper niger est. Aracus siquidem, Galeno teste, Lathyro similis est, angulosus videlicet, sed tamen minor ac durior: istius autem fructus, vt diximus, rotundus est. Plus autem

huic

Lathyrus siue Cicercula.



huic similitudinis cum legitimo Eruo est, vt inferius Cap. XVII latiùs ostenditur.

De Lathyro siue Cicercula. CAP. X.


LATHYRVS caules habet complures angulosos, vtrinque in membranosam latitudinem extensos, vagos, humi procumbentes: folia è caulium geniculis exeunt glabra, angusta, in mucronem desinentia, bina vni insistentia pediculo, inter quæ medius hæret capreolus, intortus, quo adminicula propè assistentia, ac proprios etiam cauliculos apprehendit: flores candidi sunt: Siliquæ Eruiliæ siliquis minores, non cylindraceæ, sed latæ atque compressæ, colore similes, fructus in his gignuntur angulosi, foris candidi, intus lutei, sapore Eruiliæ. radix tenuis & fibrosa.

Rarum Belgio legumen, quodque in hortis tantum colitur, & eorum quidem, quos varietas stirpium delectat: vnà cum aliis leguminibus & seritur, & colligitur.

Græci λάθυρον: Latini Cicerculã nominant.

Substantiam Ochris & Faselis assimilem, vt Galenus scribit, habet, crassiorem tamen: obq; eam ipsam causam plùs aliquantò quàm illa nutriunt.

Aracus siue Cicera.



De Araco, siue Cicera. CAP. XI.

1. SIMILIS Lathyro Aracus est, caule enim foliisq; eum omnino refert: flores habet ex rubra purpura in puniceum inclinantes, siliquas paulò minores: atq; in his grana angulosa quoque & Lathyris similia, sed minora duriotaque, minusque compressa, colore obsoleta, nigroque proxima.

Rarum & hoc etiam legumen, quod neque ab aliis quàm rei herbariæ studiosis seritur.

Galenus lib. De aliment. facult. ἄρακον appellari scribit, & posteriorem nominis syllabam, per κ, in Aristophanis Holcadibus, notatam inueniri, ad differentiam videlicet alterius Arachi, per χ, qui cerealium frugum vitium est. Latini Ciceram nominant, quòd videlicet Cicerculæ similitudinem habeat, atque solo potissimùm colore ab eo dissideat. Cicera, inquit Columella, sapore nihil à Cicercula differt, colore tantùm discernitur: nã est obsoletior & nigro proprior. Item Palladius in Martio, nunc Cicera seritur, quæ distat à Cicercula solo colore, quo sordet & nigrior est.

Vsus omnis Araci, & facultas, inquit Galenus, Lathyri facultati est assimilis, nisi quòd Araci sint duriores, minusq; facilè elixantur: quæ causa etiam est, cur Cicerculis concoctu sint difficiliores.

2. Est porrò & alius Aracus, flore fructuq; candidis, cæterum magnitudine, & forma seminis, reliquisq; omnibus, priori similis, quem nõ Aracũ, sed Lathyrũ minorẽ esse, fortè quis dixerit.

De

Lathyrus syluestris.



Mochus siue Cicer satiuum.



De Lathyro syluestri. CAP. XII.

CVM Lathyro & Araco, similitudinem magnam, syluestre quoddam legumen habet, quod plerisque Germaniæ ac Brabantiæ locis, sua sponte exit. Caules id promit, folia, capreolosque Lathyri longiores maioresque, flores Araci colore, siliquas deinde paruas, & angustas, in quibus semina parua, rotunda, duraque continentur, Craccæ, siue Aracho rotundo similia radix huius magna, crassa, dura, lignosa, ac diuturna, singulis regerminat annis.

Læto pinguique agro, circa eorundem margines, prope sepes, dumos ac senticeta enascitur, quæ capreolis suis apprehendens conscendit ac superat.

Syluestrem Lathyrũ, aliud eius nomẽ ignorantes, nuncupauimus, neque enim, vt plerique aliquando perperam crediderunt, Eruum est. Eruum enim non viuiradice constat, sed veluti alia legu mina, singulis annis seritur, & fruticosum, siue vt Theophrastus ait, πλαγιοκαυλον est, spõteque sua assurgit istud autem inualidum, & ἐπιγειόκαυλον, per terram spargitur, nisi propè nascentibus fulciatur.

De Mocho, siue Cicere satiuo.
CAP. XIII.

LEGVMEN quod ab Italis *Mochus* siue *Moche* appellatur, caulem habet duriusculum, non quidem erectum, nec tamen procumbentem, sed in latus vergẽtem, πλαγιόκαυλον siquidem (vt huiusmodi legumina Theophrastus nominat) est: folia Lentis similitudine ex paruulis & angustis compluribus, vni pediculo, siue costæ aut ῥάχει vtrimque adnatis, & sibi inuicem oppositis, componuntur: Flores exigui sunt, subcandidi, post quos paruæ, oblongæ, torosæ, à seminibus interseptæ, siliquę sequuntur, in quibus terna quaternaue semina, plurima quidem parte rotunda, sed vno eminente angulo, Arietinis Ciceribus quodammodo similia, sed multò, atque ipsis etiam Eruilis minora, gustui non insuauia, sed Eruiliæ haud multum absimilia. Radicibus firmatur tenuibus.

Nascitur Hispaniæ & Italiæ compluribus locis: In Germania verò ac Belgio non nisi in hortis, & a paucis seritur.

Dioscorides legumen istud ἐρέβινθον ἥμερον, id est, satiuum Cicer appellat. Theophrastus Cicer magnitudine ab Arietino differens ὀροβιαῖον nominat, ab Orobi videlicet aliqua similitudine.

Plinius verò, Columbinum ac Venereum: Ciceris differentiæ, inquit, plures sunt, magnitudine, figura, colore, sapore. Est enim Arietino capiti simile, vnde ita appellatur, candidum & nigrum: est & columbinum, quod alij Venereum vocant, candidum & rotundum, læue,

Ареti-

Arietino minus, quod religio peruigiliis adhibet. Deinde mox, dulcissimum, quod Eruo simillimum.

Officinis legumen istud incognitum est. Itali *mocho*, vti scripsimus: Hispani *yeruo* & *yeruos*, quasi Eruum appellant, non, vt verisimile videtur, antiqua nuncupatione, sed a quibusdã medicis aut pharmacopœis recens introducta. nam Mochum hunc multi ex recentioribus ὄροβον siue Eruum esse existimant. Sed hi nostra quidem opinione & aliorum recte iudicantium sententia, a veritate non parùm recesserunt. Mochus siquidem folia non habet angusta, verùm Lentis modo alata, nisi singularia, ex quibus totius folij compositio est: ad quę foliorum angustia non videtur referenda. Nulla prætereà gustabilis qualitas euidenter amara, aut ingrata ei inest: vnde & cum Eruo nequaquam conuenire potest.

Eruum enim στενόφυλλον, siue angustifolium est, & vt Galenus ait, gustu insuauissimum, ac prani succi, & ab eo quidem homines abstinent, boues verò, in aqua dulcoratum pascuntur. *Eruum.*

Porrò Cicer satiuum aluo, Dioscorides ait, idoneum est: vrinam cit: inflationem parit: colorem bonum facit: menses ac fœtus pellit: lac auget. Cum Eruo decoctum imponitur ad testium inflammationes & myrmecias: ad scabiem: vlcera capitis manantia: impetigines, λειχῆνας vocant: carcinomata, & vlcera quæ cacoethe dicuntur, cũ melle & Hordeo prodest.

De Cicere Arietino. CAP. XIIII.

Cicer Arietinum.



ARIETINVM Cicer, caules profert tenues, lignosos, ramosos, modice hirsutos, in latus declinantes: folia ex pluribus vni pediculo siue ῥάχει vtrimque adnatis, & sibi inuicem oppositis congesta, quorũ singularia parua sunt, lata ac in ambitu crenata, Teucrij foliis minora. flores parui sunt, colore aut candidi, aut ex purpura rubescentes, quibus succedunt singulæ paruæ, breuesq́; siliquæ, vesiculorum modo ac veluti à flatu distentæ, in quibus duo, aut ad summum tria claudũtur semina, angulosa, turbinata, vnoq́; acuto angulo prædita, Arietino capiti nõ admodum dissimilia, colore aut candida, aut ex subrubente purpura nigra, quę germinationis principium haud obscurum ostendunt. Radice nititur gracili, candida, longaq́; vt enim Theophrastus ait, radicem inter legumina altissimam Cicer agit.

In Italia, Hispania, & Gallia, passim in agris seritur: perutilis eique familiaris est salsilago. Natura enim eius, vt Theophrastus tradit, est cum salsilagine nasci, ideoque solum vrit, & non nisi madefactum pridie, Plinio auctore, seri debet.

Græcis ἐρέβινθος κριὸς, Latinis Cicer Arietinum dicitur, & colore quidem ex purpura subnigrum, Cicer nigrum, Officinis rubrum Cicer: alterum vero candidum, siue album appellatur.

Cicer autem edulium est, Galenus lib. De aliment. facult. scribit, non minùs quàm Fabá flatulentum, sed valentiùs nutrit quàm illa. Ad Venerem autem incitat: creditumq́; est, semen quoque generare, vnde quidam equis admissariis ipsum exhibent. Inest prætereà Ciceribus, facultas abstergendi maior, quàm Fabis: adeò vt quidam ex ipsis calculos in renibus constantes manifestè comminuant, nigra autem sunt ea & exigua, Arietinaque ipsa nuncupant. Satiùs autem est, succum ipsorum in aqua coctorum bibere.

Dioscorides, Arietinum vtrumq́;, inquit, vrinas cit, dato cum Rore marino, hydropicis aut regio morbo laborantibus eorum decocto. Lædunt autem ea exulceratam vesicam & renes.

De syluestri Cicere. CAPVT XV.


CICER syluestre satiuo simile est, Dioscorides ait, odore acri, sed semine discrepat. Recentiores aliquot syluestria Cicera proponunt.

Vnum

Cicer syluestre primum.



Cicer syluestre alterum.



1. Vnum cauliculos promit complures, ramosos, humi decumbẽtes; circa quos folia ex pluribus ad vnam costam commissa, veluti Arietini Ciceris, sed ambitu haud crenata, Securidacæ folijs idcirco similiora: flores in pediculis iuxta cauliculos exeuntibus, è luteo pallentes, spicato ordine prodeunt: succedunt folliculi exigui, Arietini Ciceris fructus figura & magnitudine, nigri & nonnihil hirsuti; in quibus semen exiguum, durum, planum, splendens, gustu Phaseoli. radix satis altè dimittitur, fibris aliquot firmata.

Herbosis & incultis prodit tractibus, & non modò in Italia aut Gallia, sed & apud Bohemos.

Æstiuis mensibus semina perficit.

2. Alterum syluestre Cicer cauliculos quoque complures habet per terram iacentes; circa quos folia mollia subhirsuta candicantia, ex tribus aut quinque ferè ad vnam costam cõmissis, composita, quorum minima, quæ ad pediculum, maximum verò extremum: flores ex annexu foliorum exeunt lutei plures simul, sequuntur folliculi oblongi, molles, & hirsuti, in quorum singulis siliqua parua, in qua duo grana Arachis similia.

3. Tertium syluestre Cicer & ramosum, cauliculos verò spargit cubitales aut longiores, circa quos terna folia, Trifolij modo, maiora, crassiora, latioraque quàm singularia Arietini Ciceris, ambitu tamen crenata: siliqua breuis est: semina in his compressa, multò Ciceribus minora. radix restibilis singulis annis promit germina.

In Heluetiorum & Allobrogum, quos Sabaudos vocant, finibus reperiri P. Pena & M. Lobelius auctores sunt.

Cicer syluestre non aliud apud Græcos quàm ἀγρίου ἐρεβίνθου nomen habet: à recentioribus verò nullum inuenit.

Ex illis verò, quæ pro syluestri Cicere ab his ostenduntur, quod primo loco descriptum, magis quàm reliqua, cum syluestri Cicere conuenire nobis videtur.

Cæterùm Cicer syluestre, vt Dioscorides ait, idem quod satiuum præstat. Galenus verò agreste Cicer ad omnia efficacius satiuo ait; & eo tum calidius, tum siccius, quantò & acrius & amarius.

De Lente. CAP. XVI.

LENS tenuibus exit cauliculis, duriusculis ac obliquis foliolis, ab vtraque medij pediculi parte, multis & angustis, Viciæ similibus, sed angustioribus & minoribus: flores exigui

sunt,

Lens.



Lens minor.



sunt,colore purpurascentes: siliquæ paruæ, latæ, semina in his, tria, aut quatuor, parua, rotunda,plana,compressaque: radicibus firmatur paruis.

Solum amat tenue, cælique temperiem siccam.

Græcis φακὸς ἢ φακῆ Latinis Lens & Lenticula: Germanis Linsen: Gallis *Lentille*: Italis *Lenticchia* nominatur. Hispanis *Lenteia* & *Llentillas*.

Tenent autem Lentes, vt Galenus ait, medium caliditatis & frigiditatis, desiccant tamen secundo ordine, corticem habent adstringentem, & quæ ipsotum est veluti caro, crassi est succi, ac terrei, austeram qualitatem habens exiguam, cuius cortex multæ est particeps. Succus porrò in ipsis est, adstringenti contrarius. Quocirca si quis in aqua ipsas coxerit, & deinde aquam sale & garo, aut cum ipsis oleo condiens sumpserit, potus is aluum deiicit. At ex biscoctis Lentibus, Lens apparata, facultatem habet succo contrariam, vt quæ ventris fluxus siccet, stomachum, intestina, & totum denique ventrem corroboret. Quam ob rem cœliacis, & dysentericis, cibus est accommodus.

Lens verò decorticata, vt illam adstringendi vehementiam, & ea quæ ipsam consequuntur, amittit, ita magis nutrit, quàm quæ cortice spoliata non est, succum crassum prauumque gignit tardeque commeat, non tamen alui fluxus desiccat, vti ea cui cortex non est ademptus. Iure igitur, qui largius hoc edulio vtûtur, elephantiasin, & cancros incurrunt. Siquidem crassa siccaque cibaria, succo melancholico generando sunt idonea. Quare iis duntaxat, quibus aquea in carnibus est καχεξία, Lens in cibo vtiliter præbetur: aridis verò & squalentibus admodum damnosè. Eandem ob causam visum integrum & inculpatum hebetat, ipsum immoderatè exsiccans: ei verò, qui contrario modo se habet, confert. Ad menstruas autem purgationes non est accommoda: crassum enim & tardissimum sanguinem reddit: at muliebri profluuio est vtilissima. vt Gal in lib. De aliment facult.

Somnia tumultuosa (vt Dioscorides prætet hæc scribit) excitat, capiti, neruis, & pulmoni inutilis. Contta alui fluxiones, melius suo fungitur officio, addito cum aceto, Intybo, aut Portulaca, aut Beta nigra, aut Myrti baccis, aut putamine Punici, aut Rosis aridis, aut Mespilis, aut Sorbis, aut Pyris Thebanis, aut Malis Cotoneis, aut Cichorio, aut Arnoglosso, aut Gallis integris, quæ post decoctionem abiiciuntur, aut Rhoë, quæ obsoniis insperguntur: verùm

rum acetum cum eo diligenter percoqui debet, aliàs aluum cõturbat. Contra subuersionem stomachi, triginta grana Lentis decorticata, deuorari proderit decocta cum polenta, & illita podagras lenit: sinus cum melle glutinat: crustas rumpit, vlcera purgat: decocta in aceto duritias & strumas discutit: cum Cotoneo Malo aut Meliloto medetur inflammationibus oculorum, sedisque, addito rosaceo. verum in maioribus sedis inflammationibus & magnis sinubus, cum putamine Mali Punici, ac siccis Rosis adiecto melle decoquitur & similiter ad nomas gangrænicas, adiecta maris aqua. Pustulis item & herpetibus, ac erysipelatis, pernionibusque, vti dictum est. Contra mammas verò, in quibus lac in grumos coit, & quæ lactis nimiam redundantiam non ferunt, cocta in aqua maris, & imposita auxiliatur.

De Eruo, ex Theophrasto & aliis. CAP. XVII.

ERVVM ex leguminibus est, quorum in latus caulis tendit, vt Theophrastus ait, siue, vt Dioscorides, frutex, paruus est, tenuis, angustis foliis: floris eius productio diuturnissima est, veluti Ciceris. σπερμάτια, id est, exigua semina, in siliquis cylindraceis se inuicem contingunt Arachis, Galeno teste, maiora, Æthiopidis verò, Dorycnij, ac Lithospermi similia, Lathyridis autem, auctore Dioscoride, minora, sapore insuauissima: quæ sapore & colore differentiam obtinent, & dulciora quidem, ac minus medicamentosa candida sunt iis, quæ ad flauitiem, siue πρὸς τὸ ξανθὸν, aut ad ochræ colorem accedunt.

Lætatur solo, ait Columella, macro, maturè ac serò seritur, sed si Vere seratur, facilè gratumq; exit, non graue, veluti autumno satum. Seritur inter Brassicas, contra papiliones.

Græci ὄροβον nominant. Officinæ Germaniæ Orobi nomen retinuerunt, rem autem ignorantes, pro eo Viciam perperam substituerunt.

Neotericorum plerique, Eruum esse existimant, quod ab Italis *Mocho* nominatur, verùm quàm parum cum Eruo conueniat, cùm ex capite de Mocho siue Cicere satiuo, tum ex præsente Erui descriptione, facilè animaduerti potest.

Eruo similius videtur, syluestre quoddam legumen, quod subsequente capite, pro Eruo syluestri descriptum est, quamquam nec ipsum verum aut legitimũ sit. Nam στενόφυλλον quidem est, ac πλαγιόκαυλον, siliquasque habet cylindraceas, & forma modoque loquendi Dioscoridis, oportunissimè θαμνισκὸν ipsum quis dixerit, nullis enim pedamentis, aut propè assistentibus adminiculis eget, sponteque sua erigitur, & in altum assurgit; cuiusmodi stirpes, Dioscoridem θάμνους ἢ θαμνίσκους aliquando appellare, πολυγόνατον abundè ostendit, quod ipse θάμνον facit, non alia de causa, quàm quòd ab humo sursum spõte sua assurgat. Sed cùm semen proferat Aracho non maius, & durum, sapore non amarum, non ingratum, pro vero Eruo haberi non potest, nisi fortè & paruum quoddam Eruum sit, quod in has inferioris ac maritimæ Germaniæ regiones translatum, insuauitatẽ suam deponat, quod verisimile nõ est.

θαμνισκοὶ

Accedere verò ad Erui descriptionem & legumen illud appatet, quod Cap. IX. huius libri Eruiliæ syluestris nomine descriptum est. folia siquidem eius oblonga sunt, quæ nõnullorum comparatione angusta dici possunt fructus rotundi Arachis maiores, Lithospermi seminibus magnitudine haud dissimiles, colore sublutei, quandoque nigri, sapore veluti Eruum amari, minus tamen qui albicant quàm nigricantes. Quæ huius leguminis cum Eruo (si non idem) affinitatem maximam ostendunt, & tantam quidem vt pro Erui succedaneo citra errorem haberi queat, atque omnibus medicamentis eius loco adhiberi: repugnantibus licet siliquis non omnino cylindri modo teretibus: quales Eruo Theophrastus tribuit. Quæ si tales, exiguum Erui descriptioni repugnans adesset. nunc verò ad Lathyri accedentes, scrupulum iniiciunt. Veluti quoque & ipsa stirps non θαμνίσκος, vt Diosc. ait, hoc est fruticis in modum assurgens, sed humi, nisi pedamentis sustineatur, procumbens. Quod & syluestrem Eruiliam ab Eruo differentem facit.

Erui succedaneum.

Cæterùm ab Eruo, vt Galenus lib. 1. De aliment. facult. tradit, homines prorsus abstinent, est enim insuauissimum & praui succi, boues verò tum in Asia, tum apud alias plerasque gentes in aqua dulcoratum pascuntur. In magna tamen fame, quemadmodũ Hippocrates quoq; scripsit, necessitate coacti ad ipsum nonnunquam accedunt. Nos verò ad eundem modum, quo Lupinos, præparantes, Orobis cum melle vtimur, ceu medicamentis crassos thoracis ac pulmonis humores expurgantibus.

Porrò inter Orobos, albi minus sunt medicamentosi iis, qui ad flauitiem aut ochræ colorem accedunt. Qui verò cocti bis fuerint, & in aqua identidem dulcorati, insuauitatem quidem deponunt, sed vnà cum ea abstergendi etiam & incidendi facultatem, vt sola in eo relinquatur terrestris substantia, quæ alimentum fit: quod citra insignem amarorem, desiccandi vim habet.

In libris verò De simplic. medicament. facult. desiccat, ait, Orobus excessu secundo intenso, ca-

so, calefacit verò primo: porrò quatenus amaritudinis est particeps, eatenus incidit, extergit, obstructiones expedit. cæterum si sumatur copiosè, sanguinem per vrinas euocat.

Dioscorides, capitis, inquit, Eruum grauitatem efficit. aluum esu turbat, & sanguinem per vrinam extrahit: elixo tamen boues saginantur apposito.

Fit è seminibus farina, quam ὀρόβινον ἄλευρον, id est, farinam Eruinam nominant, ad medendi vsus conueniens. ὀρόβινον ἄλευρον.

Parandæ eius ratio hæc est: Vberiora grana candidaque deliguntur, permiscēdoque aqua resperguntur, & donec sufficienter combiberint, sinuntur, postea torrentur, vsque dum cortex disrumpatur, deinde mola trita, farinario cribro incernuntur, farinaque reconditur.

Hæc aluo vtilis est: vrinam ciet: meliorem colorem efficit: frequenter in cibo aut potu sanguinem cum torminibus per aluum, & vesicam ducit: vlcera cum melle purgat, lentigines, item, ephelidas & maculas, quas αἰθόλικας vocant, totumq; corpus emundat. nomas, σκληρώματα, & gangrænas serpere non patitur: mammarum duritiem emollit: vlcera fera, quæ θηριώδη vocant, carbunculos, fauosq; emarginat ac rumpit: cum vino subacta morsibus canum, hominum, viperarumq; illita medetur. vrinæ difficultates, tormina, tenesmosq; ex aceto mitigat. Prodest etiam iis, qui alimentum à cibo non sentiunt, frixa & ad nucis magnitudinem melle excepta sumptaq;. Decoctum eius fouendo, perniones & pruritus in toto corpore sanat.

De Eruo syluestri siue Catanance prima.

CAPVT XVIII.

Eruum syluestre.



SYLVESTRE istud à nobis nuncupatum Eruum, cauliculos profert pedales aut longiores, rotundos, erectos, nonnihil ad latus inclinantes, in exiguos quosdam ramusculos diuisos: folia tenuia, oblonga, angusta, graminis foliis multò & minora & angustiora: flores tenuibus pediculis, ex foliorũ alarumq; sinubus exortis hærent, parui, luteoli: siliquæ deinde suboriuntur paruulæ, forma oblonga, tereti & angusta, in quibus semina nouem aut decem vel plura, rotunda, dura, nigra, splendentia, Arachis aut exiguis Eruis similia, gustu non insuauia.

Floret magna æstatis parte, exoriētibus subinde nouis, prioribus marcescentibus flosculis. Nascitur sua sponte plerisque in aruis, & iuxta scrobes fossasque, reperitur etiam locis quibusdam non procul à mari, quod siliquas non rotundas, sed latiusculas progignere fertur. Herbarum studiosi subinde apud Belgas in hortis serunt.

Syluestre quoddam Eruum videtur, cum descriptione enim eius, excepto solo semine, vt superiore capite diximus, conuenit. Videtur etiam Dioscoridis prima Catanance, tametsi etiam semen non in capitulis, sed in siliquis ferat. κεφαλὰς etenim in quibus semen hanc Catanancen ferre Dioscorides scribit, nō capitula, sed siliquas hoc loco interpretari debere, quod cũ eo coniungitur, ostendit: nãCatananchē κεφαλὰς veluti Orobũ habere, Dioscorides ait: at Orobus nō capitula gerit, sed siliquas.

Verba autem Dioscoridis de priore Catanance hæc, in veteri exemplari, sunt: ἡ μέν τις αὐτῶν ἔχει φύλλα μακρὰ, ὡς κορωνόποδος, ῥίζαν λεπτὴν, σχοινώδη, κεφαλὰς δὲ ὡς ὄροβος, ς' ἢ ζ', ἐν αἷς καρπὸς ὅμοιος ὀρόβῳ· κάμπτεται δὲ ξηραινόμενος ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ ἰκτίνου ὄνυξιν ὁμοιοῦται νεκροῦ, id est, vna quidem folia habet longa vt Coronopus: radicem tenuem, iunceam, siliquas veluti Eruum senas septenasve, in quibus semen Eruo simile: Arescens in terram flectitur, & se contrahit ad speciem milui exanimati. *Dioscoridis locus expositus.*

Plinius Catanancen Thessalam herbam, qualis sit, superuacuum scribi ait, cùm sit eius

vsus

vsus ad amatoria tantùm, ad quæ etiam sola cum hæc, tum altera à Dioscoride vtilis traditur. Vtramque, inquit, narrant in amatoria experi: Thessalicæ mulieres his vti traduntur.

At Erui istius syluestris nullus omnino est vsus.

De Lupinis, ac primùm de Satiuo. CAP. XIX.

Lupinus satiuus.



INTER Lupinos hi satiui: alij syluestres sunt. Satiuus Lupinus caule assurgit singulari, rotundo, interiùs concauo, externus modicè lanuginoso, firmo, & qui absque adminiculis rectus consistit, è quo, postquam primi marcidi facti sunt, flores in huius fastigio eminentes, alij tres ramuli, infra spicam florum prodeunt, quorum singuli non rarò & alios quoque, modò binos, aliâs ternos eodem proferunt modo, præsertim si tempestiue Lupinus satus, æstatem calidam diuturnamque nactus fuerit: folia ex quinque, sex, aut septem cohærentibus componuntur, Viticis similia, superiore parte virent, inferiore verò candida & lanuginosa, & sub vesperam circa Solis occasum, veluti flaccida facta deorsum dependent. Flores in summo cauliculorum spicatim digesti candidi sunt: succedunt siliquæ crassæ, latæ, Bonæ siue Faseli minores, duræ, subflauæ, foris tenuiter hirsutæ, intus verò glabræ, in quibus semina quina, senave, plana, rotunda ac veluti compressa, foris alba, intus lutea, sapore amarissima, quæ & germinationis principium haud obscurum, & qua parte siliquæ adhærent, concauitatem quandam, veluti exiguum vmbilicum habent. radice Lupinus nititur singulari, tenui, lignosa, paucis capillamentis fibrata.

Poscit, inquit Theophrastus, solum arenosum ac vitiosum, cultis ægrè prouenit, natura sua syluestris.

Floret apud Germanos, primùm quidem, sub finem Maij, deinde Iunio, aut initio Iulij secundò, tertiò verò Iulio aut Augusto mẽsibus, si anni tempestas calida siccaque fuerit. Fructus duo priores sæpè ad maturitatem peruenniunt, tertius in inferiore Germania rarius.

Græci hoc legumen θέρμον ἥμερον: Latini Lupinum, & Lupinum satiuum nominant: Germani Feigbonen: Itali *Lupino domestico*: Hispani *Entramocos*: Brabanti Vijchboonen & Lupinen: Galli *Lupins*.

Lupini semen πολύχρηστον, hoc est, frequentis multique vsus est, Galenus in lib. De aliment. facult. ait: elixus enim, deinde in aqua dulci maceratus, tantisper donec in ea omnem sibi ingenitam exuerit insuauitatem, ita demum manditur cum garo aut oxygaro, vel etiam sine his, sale mediocri conditus Lupini dura & terrestris est substantia. quocirca ipse concoctu sit difficilis, succumque crassum gignat est necesse, ex quo non probè in venis confecto, crudus propriè appellatus succus aceruatur. Cæterùm cùm inter parandum quicquid habuit amaritudinis deponat, τῆς ποιότητος, id est, qualitatis quæ sensu deprehendatur expertibus, similis euadit, & ita præparatus, vt in lib. De medicam. simplic. ait, ex genere est emplasticorum.

At vbi natiua etiamdum manet amaritudo, extergendi digerendique vim obtinet: interficit lumbricos, tum illitus, tum addito melle linctus, tum ex posca epotus. Quin & decoctum eius lumbricos eiicere potest: tum etiam foris identidem perfusum vitiligines, achoras, exanthemata, psoras, gangrænas, vlcera maligna iuuat, partim extergendo, partim citra mordacitatem digerendo siccandoque. Expurgat iecur & lienem cum ruta & pipere suauitatis gratia, assumptum elicit menses, ac fœtum eiicit, cum Myrrha & melle impositum.


Porrò Lupinorũ farina, sine mordacitate digerit, nec enim liuida tãtum, sed & chœradas & phymata curat, sed tunc in aceto aut oxymelite, aut posca coquatur oportet, idq; pro laborantiũ temperamento & affectus diuersitate, quod ex vsu est eligendo. digerit item & quæ liuida sunt, & quæcunq; modò diximus præstare posse decoctum, eadẽ omnia efficit & farina.

Decocti

Lupinus sylvestris.



Vicia.



Decocti pluuiali aqua Lupini, Dioscorides præter hæc scribit, donec in cremorem lentescant, faciem abstergunt medentur ouium scabici, cum radice nigri Chameleonis, si tepente decocto abluantur.

Cit vrinam radix cum aqua cocta & pota.

Lupini vbi edulcati fuerint, triticum aceto, poti stomachi fastidium leniunt, & cibi appetentiam excitant.

De Lupino sylvestri. CAP. XX.

SYLVESTRIVM Lupinorum duo triáve sunt genera, vnum florem profert luteum: alia purpureum.

Luteus caule foliisque satiuo similis est, vtrisque tamen minoribus ac breuioribus, flores habet pulchros, luteos, suaueolentes, in spicam congestos, violæ luteæ colore & quadamtenus odore: siliquas paruas, duras, aliquatenus hirsutas: semina parua, plana, rotunda, sapore amarissima, colore vario, sordida, satiuis multò minora.

Purpurei, caules longiores proceriorésque sunt quam lutei, & in plures alas ramosq; diuisi. folia verò minora tenuioraque: flores parui ac luteis minores, ex purpura cærulei, aut subrubentes: fructus colore similiter vario, amari, & inter omnes minimi.

Nascuntur sylvestres Lupini plerisque locis sua sponte, verùm apud Germanos non nisi sati proueniunt.

Florent eodem quo satiui tempore.

Amariores sunt, vt Galenus ait, & ad omnia valentiores, quàm satiui, eiusdem genere cum ipsis facultatis.

De Vicia. CAP. XXI.

VICIA tenues habet & quadrangulares cauliculos, tres ferè pedes altos. folia oblonga in clauiculas desinunt, ex pluribus vni costæ siue neruo adnatis composita, quorum singularia maiora, latiora, crassioraque sunt quàm Lentis· flores Bonæ siue Faseli forma similes, sed colore ex purpura nigri· siliquæ latæ, exiguæ, atque in singulis grana quina senáve, non globosa, sed Lenticulæ instar propemodum compressa, colore nigra, gustu insuauia.

Seritur quocunque solo, cultu facillimo.

Maio floret, fructum inde perficit.

Latinis Vicia, à vinciendo, vt Varroni placet, dicitur, quòd item capreolos, inquit, habet vt Vitis, quibus sursum versus serpit, ad scapum Lupini, aliúmve calamum, ad quem vt hæreat, eum solet vincire. Galenus in Asia Pergami βίκιον. ab Atticis verò ἄρακον aut κύαμον nominari ait. Germani Wicken: Brabanti Wicken: Galli *Vesce* nominant: Officinæ pleræque perperam ὄροβον ac Eruum: multum enim Eruum à Vicia differt.

Aphace legumen.

Theophrastus lib. VIII. Aphaces cuiusdam leguminis meminit, cuius siliquæ latæ, & fructus celeriter perit: hæc an cum Vicia nostra conueniat, considerandum est.

Porrò Viciam, cum ipsis siliquis atq; integra planta rustici reponunt, vt brutis pecudibusq; sit pabulo. Per famem tamen noui, Galenus ait, qui hanc quoque comederint, potissimum Vere, cum etiamnum viret: quemadmodum Fabas & Ciceres citare consueuerunt. Est autem non insuauis modò, sed concoctu etiam difficilis, aluumque inhibet.

Perspicuum ergo est, quòd cum natura sit huiusmodi, alimentum, quod ex ipsa distribuitur, habeat haudquaquam boni succi, sed crassum & ad succum melancholicum gignendum idoneum.

De Sesamo ex Theophrasto, Plinio & alijs.

CAPVT XXII.

Sesamum.



SESAMO caulis siue culmus est ferulaceus, altus, crassior multipliciorq; quàm Milio Seminis ferax & fœcũdum est, quod oleosum ac pingue & vasculis continetur, candidumque, vt Plinius. Theophrastus, genus eius quoddam candidum, inquit, radice singulari cohæret. Vnde Sesamum nullum mandit animal, propter amaritudinem & grauitatem saporis: sed siccatus, acceptior euadit frutex eius, & suaue semen efficitur, ciboque idoneum.

Nascitur cùm in Ægypto, tum in India. Ab Indis, Plinius ait, Sesama venit, ex eo oleum conficiunt.

Ex æstiuis sementibus est, & quæ ante Vergiliatum exortum, Plinio auctore, feruntur. Columella tamen, Sesama, scribit, ab æquinoctio autumnali serenda sunt, in Idus Octob.

Putre solum, quod Campani pullum vocant, plerumq; desiderant. non deterius tamen etiam pinguibus arenis, vel congestitia humo prouenuint. Sed hoc quidem semen Ciliciæ Syriæque regionibus ipse vidi mense Iunio & Iulio conseri, & per autumnum cùm permaturuerit tolli. Palladius in Septembri, nunc Sesama, inquit, seritur, putri solo vel pinguibus arenis, vel terra congestitia.

Quadraginta diebus à flore, Plinius ait, maturatur, magna tamen cæli terræque differentia. Molestissimum terræ Sesamum, plurimum eam posse extenuare putatur. Diuturnum est: optime reponitur, quia pingue.

Hanc frugem Græci σήσαμον, Latini quoque Sesamum ac Sisamum, nonnunquam feminino genere, Sesamam nominant. Officinis Germaniæ incognitum est.

Semen eius, vt Galenus lib. De aliment. facult. ait, pingue est, ideoque repositum celerimè fit oleosum: quamobrem eos, qui ipso vescuntur, celeriter implet, stomachumque subuertit, ac tardè concoquitur, pingueque corpori præbet alimentum. Liquet ergo quòd ventriculi partibus vigorem ac robur addere nequit, quemadmodum nec aliud quoduis pingue. Est autem crassi succi, ideoq; non propere peruadit. Ipso autem solo non admodum vescuntur, sed cum melle crudo, quas σησαμίδας vocant effingẽtes. Panibus etiam inspergitur, temperamento est calidum, ob eamque causam sitim etiam excitat.

In libris verò De facult. simplic. Sesamon non parum in se continet, ait, viscosum & pingue, quare emplasticum est, & emolliens, ac modice calidum. Eiusdem facultatis est, quod conficitur oleum, & herbæ quoque decoctum similem vim obtinet.

Dioscorides, Sesamum, scribit, stomacho aduersatur: oris graueolentiam facit, quoties inter mandendum commissuris dentium inhæsit: neruorum crassitiem impositum, discutit: medetur aurium contusionibus, inflammationibus, ambustionibus, artuum doloribus & cerastæ morsibus: capitis dolores, qui ab æstuatione oriũtur, ex rosaceo lenit: eadem efficit herba decocta in vino: præsertim autem inflammationibus doloribusque oculorum prodest.


Ex ea fit oleum, quo Ægyptij vtuntur, quod auribus, Plinio teste, vtile est.

De

De Camelina, siue Theophrasti Erysimo, & Myagrio Dioscoridis.

CAPVT. XXIII.

Camelina siue Myagrion.



CAMELINA surculosa est herba, caule recto, rotundo, in alas diuiso, duos aut tres pedes longo: folia oblonga, angusta, in acutum desinunt, singularibus Rubiæ foliis haud dissimilia: flores secundum cauliculos, exigui: semen orbiculatis vtriculis, Lini vasculis propemodum similibus, sed compressioribus continetur, minutum Fœnogræco minus, pingue & oleosum.

Plerisque Galliæ locis, vt apud Suessiones, bene subactis & stercoratis agris, vt Ruellius scriptũ reliquit, seritur: seritur & in agro Leodiensi, apud Zelandos, & aliis Belgij locis: in Germania non nusquam sua sponte exire fertur, atque vnà cum Lino enasci, cuius vitium existimatur.

Germani Flachsdottern & Leyndottern nominant, Galli *Cameline*, quo etiam nomine Belgis innotuit: Officinæ pleræque Sesamum appellant, oleoq́ue huius pro Sesamino vtuntur.

Est autem Camelina hæc, cereale illud Erysimum, quod à Galeno lib. I De aliment. facul. ac à Theophrasto ἐρύσιμον appellatur, quodq́ue inter fruges vnà cum Sesamo refertur. Siccum id, vt inquit Theophrastus, cibo idoneum est, quia quãtum in eo amaritudinis difficultatisq́; solis opera percoctum excretumq́ue est. Viride verò à nullo animali tangi videtur, propter amaritudinem, & grauitatem saporis. *Erysimum Galeni.*

Est tamen & aliud ἐρύσιμον, à Dioscoride lib. II. descriptum, cuius lib. De simplic medicam. facult. VI. Galenus meminit, ab hoc Theophrasti Erysimo multùm differens: nam præsentem frugem Dioscorides non ἐρύσιμον, sed μύαγρον nominat, quod aliqui, inquit, μελάμπυρον vocãt, similitudine fortè foliorum, quam cum altero Theophrasti ac Galeni Melampyro, à Myagrio differente, habet.

Plinius frugem Sesamo similem Latinis Irionem, Græcis ἐρύσιμον, Gallis *Velarum* appellari, lib XXII. cap. XXV. scribit: & Libro XVIII. cap. X. huic (scilicet Sesamo) simile, ait, in Asia Græciaque ἐρύσιμον, idemq́ue erat, nisi pinguius esset, quod apud nos vocant Irionem.

Porrò quemadmodum, Galenus inquit, Milio Panicum, adsimile quidem quodammodo est, verùm vndequaque deterius ad eundem modum & Sesamo Erysimum, corporis substantia quodam pacto est affine: sed in cibo est insuauius, corporiq́ue alimentum parcius exhibet, prædictoque omnino est deterius.

Temperamento autem, calidum quoque, vti Sesamum est, sitimq́ue etiam excitat.

Seminis oleosa pinguitudine corporis asperitates læuigari atque expoliri, Dioscorides ait, creditur.

Vlceribus oris herbam succo suo mederi: oleo pauperes in epulis, diuites in lucernis vti, Ruellius auctor est.

De Lino. CAP. XXIIII.

TENVIBVS ac rotundis culmis siue virgis Linum assurgit, folia ei oblonga, angusta, acuminata: flores in summis virgis speciosi, colore cærulei, quos parua, rotunda, orbiculata capitula, siue vascula succedunt; in quibus semen, figura aliquatenus oblonga, læue, glabrum, splendens, ex fuluo colore punicans. radicibus nititur exilibus.

Pingui lætoq́ue solo, locis humilioribus non sitientibus, felicius prouenit. Pinguissimum enim, vt Columella ait, locum & modicè humidum poscit. Aliqui, inquit Palladius, macro solo spissum serunt, ita assequuntur vt Linum subtile nascatur. Plinius scribit seri sabulosis, maximè vno sulco, nec magis festinare aliud, vrereq́ue agrum & deteriorem ipsum facere; quod & Virgilius in Georgicis attestatur:

Linum satiuum.



Vrit Lini campum seges, vrit Auena,
Vrunt lethæo perfusa Papauera somno.

Seritur Linum Vere. Maio & Iunio mensibus floret: post messem (Plinius lib. XIX. cap. 1.) virgæ ipsæ merguntur in aquam, solibus tepefactam, pondere aliquo depressæ: maceratas indicio est membrana laxior; iterumq́ inuersæ, vt priùs, Sole siccantur: mox arefactæ in saxo tunduntur stupario malleo. Quod proximum cortici fuit, stupa appellatur, deterioris Lini, lucernarum fere luminibus aptior.

Græci λίνον pariter vt Latini nominant, Germani Flachß: Itali & Hispani *Lino*: Galli *du lin*: Belgæ Vlas.

Hoc semine, Galenus lib. I. De aliment. facul. ait, nonnulli quidem frixo vti obsonio cum garo, non secus ac factitio sale, vtuntur: Vtuntur autem & melli permiscentes. quidam panibus & ipsum quoque aspergunt. Stomacho autem noxium & concoctu difficile, exiguumq́ue alimentum corpori exhibet. Quod verò ad ventris dejectionem pertinet, ipsum nec probaueris nec vituperaueris. exiguam tamen vrinę mouendę habet facultatem, quæ magis apparet cùm frixum sumitur. Tunc autem aluum quoq́ magis sistit. Rustici autem homines, eo vtuntur sæpenumero, frixo tusoq́, mel admiscentes.

In libris verò De simplic. medicament. facult. Lini semen esum flatuosum est, inquit, etiam si frigatur. adeò sanè recrementitia humiditate plenum est. Est verò etiam in primo ordine quodammodo calidum, at humiditatis & siccitatis veluti in medio est situm.

Quantopere autem flatuosum, & recrementitia humiditate plenum semen Lini sit, paucis ab hinc annis Middelburgi in Zelandiis animaduerti potuit, cùm propter frumenti aliarumq́ frugum inopiam, plerique ex ciuibus pane & libis ex hoc coctis vescerentur. Distenta enim his valde citò hypochondria fuerunt, & facies aliæq́ partes tumidæ factæ. quorum non pauci sic affecti, etiam mortui sunt. Neque enim aliunde hęc symptomata, quàm ex recrementitia seminis humiditate, quæ flatulentiam parit.

Lini semen, vt Dioscorides memoriæ prodidit, easdem quas Fœnumgræcum vires obtinet: discutit & emollit, omnem intus forisq́ inflammationem, cum melle, oleo, exiguaque aqua decoctum, aut melle cocto exceptum: cutis in facie vitia, quas ἐφήλεις vocant, crudum, & varos cum nitro & ficubus impositum tollit: cum lixiuio verò parotidas duritiasq́ discutit: herpetas fauosq́ cum vino decoctum expurgat: vngues scabros eximit, cum pari modo Nasturtij & mellis: quæ in pectore vitiosa educit, cum melle eclegmatis modo acceptum, & tussim lenit. Venerem exstimulat, si pipere & melle acceptũ, pro placenta largius assumatur.

Huius decoctum ad interaneorum vuluæq́ erosiones immittitur, & alui excrementa educenda: insessu ad vteri inflammationes, veluti Fœnumgræcum, perquàm vtile est.

Oleum quod ex semine eius exprimitur, multiplicem vsum habet, nec enim à pictoribus aut statuariis aliisve artificibus expetitur solùm, vel ad lucernas tantùm vtile est, sed etiam medico vsui seruit. Nam & duritias omnes mollit neruorum tensiones, contractionesq́ laxat, dolores illitum sopit. Sunt etiam qui bibendum exhibeant lateris aut coli dolore laborantibus, verùm recens sit oportet, rancidum enim factum & nauseam excitat, & plus quàm par est calefacit.

De Lino syluestri. CAP. XXV.

LINVM syluestre satiui Lini similitudinem ac speciem quandam habet: cauliculis assurgit tenuibus; circa quos angusta sunt foliola, veluti Lini. flosculi forma similes, sed aliquantò minores, & haudquaquam cærulei, sed colore lutei: succedunt rotunda quoque capitula, sed minora.

Haud

Linum ſylueſtre.



Haud procul à mari, in pratis ac herboſis locis, in nonnullis regionibus gignitur, veluti in Narbonenſi Gallia.

Iunio ac Iulio floret, ſerius quàm ſatiuum.

Linum appellatur ſylueſtre, quod non ſatũ, ſed ſponte exeat: item & Marinum Linũ, quòd maritimis gaudeat. in ſtamina diduci & iſtud poſſe refertur.

Sunt verò & alia quædam ſylueſtria Lina à C. Cluſio diligentiſſimè deſcripta in ſuis per Hiſpanias obſeruatis.

Vnum foliis refert eſſe latiuſculis, trineruiis, 1.
lanuginoſis: ramulis faſtigio, vti Heliotropij maioris, reflexis: floſculis Lini maioribus: capitulis & ſemine ſimilibus.

Alterum anguſtioribus foliis, floſculis, capi- 2.
tulis, & ſeminibus Lini minoribus.

Tertium perpetuò virens: foliis anguſtis, 3.
ſubalbidis, & radice reſtibili.

Reperiuntur in Hiſpaniis primũ & tertium: alterum in Gallia haud procul Lutetia.

Cæterùm ſylueſtria hęc Lina nullum in medicina vſum habent, facultates idcircò eorum incompertæ.

De Cannabe. CAP. XXVI.

CANNABIS caules profert rotundos, erectos, inanes, quinque aut ſex pedes altos, alis compluribus luxuriantes, quando videlicet, ſua ſponte ſylueſtris exit: vbi verò in agris

Cannabis ſterilis.



Cannabis fœcunda.



ſeritur,

seritur, ramis nullis, aut omninò paucissimis. folia ei dura sunt, aspera, subnigra, & si cõfricentur graueolentia, ex sex, septem, aut pluribus aliis simul hærentibus coaceruata, quorum singularia angusta, oblonga, acuminata, & per oras serrata. semen ex alarum & foliorum sinubus exit rotundum, duriusculum, medulla refertum candida. radices multas fibras habent.

Est in huius genere quædam sterilis, flores tamen proferens paruos, herbaceos, racematim cohærentes, sed inutiles & vanescentes: alia verò seminis fœcunda, cuius flos non est conspicuus.

Est & syluestris quædam Dioscoridi Cannabis: eadem & Maluæ syluestris, siue Alceæ species, de qua in olerum historia inter Maluas.

Solum autem Cannabis, vt Columella scribit, pingue stercoratumque & riguum, vel planum atque humidum, & altè subactum deposcit. In quadratum pedem seruntur grana sex seminis Arcturo exoriente, quod est vltimo mense Februario, circa sextum, aut quintum Calendas Martias. nec tamen vsque in æquinoctium, si sit pluuius cæli status, improbè seritur.

Apud Belgas, hac ætate Arcturus ἀκρονυχὼς exoritur circa Martij diem IX. aut X. & Cannabis Martio seritur ac Aprili.

Græci κάνναβιν ἥμερον nominant: item σχοινοστρόφον: Latini Cannabem: Officinæ nomen retinent. Germanis Zamer Hanff: Italis *Canape*: Hispanis *Canamo*: Gallis *Chanure*. Brabantis Kemp dicitur.

Semen Cannabis, Galenus in lib. De alimentorum facultatibus prodidit, concoctu est difficile, stomacho ac capiti nocet, prauique est succi.


Τραγήματα. Sunt tamen, qui eo frixo cum aliis tragematis vescãtur (Τραγήματα voco, ait, quæ post cœnam, voluptatis inter bibendum excitandæ gratia, eduntur.) Multùm autem calefacit, ideoque sumptum paulò largius, caput ferit, vaporem sursum adipsum mittens calidum simul ac medicamentosum.

Flatus item extinguit, vt lib. De medicament. facult. adeoque desiccat, vt si plusculum edatur, genituram exsiccet.

Succus ex recenti herba conuenienter aurium doloribus, Dioscorides ait, instillatur, ab obstructione, vt mihi videtur, Galenus addit, natis.

Rustici in Belgio seminis contusi medullam, ac liquido aliquo expressam, ictero laborantibus initio ipsius mali, exhibent, & crebrò non absque præsidio, si quando ex sola obstructione, citraque febrim exoritur. Aperit enim fellis meatum, & bilis per corpus digestionem promouet.

Fœnumgræcum.



Gallinas Matthiolus, hoc semine, ait, ouiferaciores reddi.

De Fœnograco. CAP. XXVII.

CAVLEM Fœnumgræcum emittit singularem, tenuem, virentem, intus concauum, in alas ramosque diuisum: folia pratensi Trifolio similia, rotundiora tamen ac minora, quæ superiore parte virent, inferiore verò ad cinericium inclinant: flores in summis virgis exiguos candicantes, Lupini floribus minores. siliquas longas, graciles, angustas, instar corniculorum recuruas, in quibus semina non magna, forma oblonga, angulosa, flauescentia, quæ resiccata cum grauitate quadam iucundè olent. radice nititur tenui & candida.

Seritur in Belgio in hortis medicinæ causa, & quidem Vere, olim in agris serebatur. Lætum poscit solum, tenui enim, vt Theophrastus ait, marescit.

Duo tempora sationum habet, auctor Columella, quorum alterum Septembris mẽsis, cùm pabuli causa seritur, iisdem diebus quibus Vicia, circa æquinoctium: alterum mensis Ianuarij vltimo, vel Februarij primo, cum in messem seminatur.

Græcis

Græcis τῆλις appellatur, item κέρατις, siue, vt Pliniana exemplaria, κάρφος: & βούκερως, αἰγόκερως, καρφίς, λώτιν: Latini Fœnumgræcum: rustici Siliquam, Columella ait, appellant. In Plinio Silicia legitur, apud Varronem verò Silicula: Germanis Bockshorn oder Fuhorn: Italis *Fiengreco*. Hispanis *Alfornas & alholuas*. Gallis *Fenegrec*. nostris Fenugriecк dicitur.

Semen Fœnigræci inter manifestò calfacientia, Galenus in lib. De aliment. facult. tradit, censetur, eundemque hominibus in cibo vsum præstat, quem Lupini. Sumitur enim ipsum cum garo, alui subducendæ gratia estque huic rei multò quàm Lupini accommodatius, cùm nihil ex propria substantia habeat, quod transitum remoretur. Manditur autem & cum aceto & garo, sicut Lupini. Multi præterea & Fœnumgræcum & Lupinos ex vino, garo, & oleo sumunt: alij etiam panem addunt, eoq; obsonio sunt contenti, quod vt ventrem minus subducat, caput certè (ceu nonnullis Fœnumgræcum ex garo facere solet) non ferit: præterea stomachum non subuertit: nam id quoque Fœnumgræcum in quibusdam efficit.

Vescuntur autem nonnulli Fœnogræco, prius quàm planta ipsius semen produxerit, aceto & garo intingentes: quidam autem oleum affundentes, eo obsonij vice, cum pane vtuntur, suntqui cum aceto quoque & garo ipsum mandunt. Caput autem hoc quoque sumptum copiosius ferit: quod faciet impensius, si quis ipsum sine pane sumpserit: quibusdam etiam stomachum subuertit.

Succus autem elixi Fœnigræci, cum melle sumptus, ad omnes prauos humores, qui in intestinis habentur, subducendus est accommodus, suo quidem lentore leniens, calore autem dolorem mitigans. Quod autem abstersoriæ facultatis quoque sit particeps, intestina etiam ad excretionem instigat, sed parcius mel ei est admiscendum, ne mordacitas exuperet. In diuturnis verò thoracis citra febrē affectibus, pingues cum eo Palmulas elixare quidē oportet, vbi autem succum ipsum expressum, copioso melle miscuens, ac rursum super carbones ad mediocrem crassitiem coxeris, tum demum longè ante cibum vti.

In lib. De simplic. medicament. facult. Fœnumgræcum, ait, calidum est, secundi ordinis, desiccat primo. proinde feruentes phlegmonas irritat acerbatque. quæ verò minus sunt calidæ & magis duræ, eas digerendo curat.

Fœnigræci farina, Dioscorides tradit, vim habet emolliendi discutiendiq;: cum melicrato decocta & imposita, facit ad inflammationes, tam internas, quàm externas; lienem cum aceto & nitro subacta, & imposita extenuat.

Spergula.



Decoctum eius insessu, ad muliebria mala, quæcunque ex inflammatione, aut præclusione consistunt, vtile est.

Expressus in aqua decocti succus, capillos, furfures & manantia capitis vlcera, ἀχῶρας vocant, purgat: cum anserino adipe pessi vice subiectum, locos circa vterum dilatat & emollit.

Viride cum aceto debilibus locis, & exulceratis prodest. Decoctum eius aduersus tenesmos, & grauiter olentia dysentericorum excrementa confert.

Oleum quod ex eo exprimitur, capillos & in genitalibus cicatrices abstergit.

Sunt porrò & quædam syluestria appellata Fœnogræca, de quibus inferius cap. XV. huius Pempt. lib. III.

De Spergula. CAP. XXVIII.

SPERGVLA cauliculis exit tenuibus, rotundis, geniculatisque, dodrantem aut pedem altis. foliola circa genicula radiantis stellæ modo, in orbem disponuntur, parua, tenuia, & angusta. flores in summo cauliculorum candiduli, Alsines persimiles. parua deinde rotunda ac orbiculata vascula, Lini capitulis similia, in quibus semen conditur, paruum, rotundum, nigrum, Rapi semine minus. radix tenuis est.

Seritur

Seritur in aruis, & potissimùm quidem autumno, vt hyeme, ac primo vere, cùm alia pabula defecerint, bubus præbeatur.

Vulgò in Brabantia Spurrie appellatur, atque inde Latinè Spergula. Nonnulli Polygalum nominant, quòd lactis abundantiam bubus promoueat. Non est tamen Dioscoridis πολύγαλον, quod multùm ab hac differt.

Pabuli, vt diximus, causa seritur, nec alium vsum, quòd sciam, habet.

Semen vomitione pituitosos humores educere plerique referunt, estur tamen à gallinis & columbis, quæ non solum citra noxam idipsum sublegunt, verumetiam, hoc pastæ, & oua plura, & citius excludere creduntur.

LIBRI SECVNDI PEMPTADIS QVARTÆ

FINIS.

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTADIS QVARTÆ

LIBER TERTIVS,

DE VITIIS FRVGVM.

PRÆFATIO.

De Frugibus hucvsque egimus, ad earum vitia, pabulorúmque reliqua genera, & si qua quoque ipsorum vitia, ac alias consimiles transire consentaneum est.

DE LOLIO.

CAPVT I.

Lolium.



PRIMVM inter vitia locum Lolium facilè obtinet. Gerit id folia culmosq; Tritici aut Hordei, hirsutiora tamen, spicam longam veluti ex multis paruulis σταχυλλίοις, ac alterno ordine digestis, compositam, quorum singulæ bina ternáve grana continent, Triticeis minora, quæ nullis quoq; aut exiguis glumis includuntur, & facillimè similiter exteruntur.

Nascitur in aruis cum Tritico ac Hordeo, seminibus ipsorum corruptis ac in deterius, vt Galenus ait, permutatis, & solo quidem, præsertim vliginoso, per cæli, mēsibus potissimùm hybernis, tempestatem humidam.

Græci *αἶρα* nominant. Arabes *Zizaniam* & *sceylem*: Galli *Turaye*: Itali *Loglio*: Belgæ Dolick.

Desiccat, vt Galenus lib. VI. De simplic. medicament. facult. & excalefacit efficaciter, vt propinquum sit acribus, magis quam Iris: sed non est perinde vt illa subtilis essentiæ, verùm multum ab hac deficit. Secundum hoc, ponat ipsum quispiam in principio tertij ordinis excalefacientium, secundi verò in fine exiccantium.

Dioscorides, Lolium molitum, ait, vim habet compescendi nomas, putrescentia vlcera, gangrænasque cum raphanis & sale impositum: feras impetigines siue *λειχῆνας*, & lepras cum sulfure viuo & aceto sanat: cum fimo columbino & Lini semine in vino decoctum, strumas discutit, & quæ ægrè maturantur rumpit: decoctum cum *μελικράτῳ*, & impositum Ischiadicis prodest. Cum polenta autem, aut Myrrha, aut Croco, aut Thure suffitum, conceptionem adiuuat.

Lolium autem frugibus, ex quibus ceruisia coquitur, permixtum; ebrietatem citò excitantem eam reddit: idem potest pani copiosius additum. Nocet verò & oculis, caliginem ipsis adferens: quod & Ouidius Fastorum lib. primo scriptum reliquit:

Et careant Loliis oculos vitiantibus agri.


Atque hinc natum videtur Prouerbium; vt cæcutientes Lolio victitare dicantur.

De Ægilope. CAP. II.

ÆGILOPS Triticum ac Hordeum foliis æmulatur, sed culmos promit tenues & breues, dodrante haud altiores, atque in horum fastigio exiguas spicas, bina ternáve grana proferentes, quàm Hordei paulò minora, glumis striatis implicita, à quibus tenues, prælongæ, & acutæ aristæ eminent.

In Italiæ & Narbonensis Galliæ agris inter segetes crebrò reperitur. Frequenter, vt Gale-

Ægilops.



nus ait, in Hordeis inuenitur. Germaniæ minus cognita est, cui tamen & alia vitia non desunt, frugibus molesta.

Græcis αἰγίλωψ dicitur: Latinis, Plinio teste, Festuca.

Digerendi vim obtinet, Galenus ait: id quod ex gustu patet, leuiter enim est acris: verùm & ex eo liquet, quod phlegmonas induratas & ægilopas sanat.

Medetur, inquit Dioscorides, herba ægilopis, & duritias discutit, cum farina imposita: Succus ad eadem seruatur, farinæ admixtus & resiccatus.

De altiis Festucis. CAP. III.

REPERIVNTVR verò & in Germaniæ ac Belgij agris, quæ ad Ægilopis siue Festucæ similitudinem accedunt.

1. Prior Festuca folio quoq; Tritico similis est: culmi huius tenues, spicæ siue iubæ Auenæ similiores: grana oblonga sunt, hirsuta, subrubra, folliculis inclusa, ac tenuem capillaceam longamque aristam habent.

Non modò in Hordeo, sed & cum Secali hęc frequentius enascitur: potissimùm vbi hyemis constitutio humida fuerit: aut ager fimo columbino, vt plerique aiunt, stercoratus

2. Altera Festuca culmis foliisque Secale refert, culmos obtinet Tritico Hordeóve tenuiores, in quorum summo veluti effusæ pendent iubæ, Auenæ propemodum similitudine, sed breuiores arctiusq; coniunctæ. Semina oblonga sunt, longitudine grani Secalini, sed angustiora, te-


Festuca prior.



Festuca altera.



breuiora,



Phœnix siue Lolium murinum.

nuiora, leuioraq́; multò, quæ membranulis siue vtriculis paruis continentur, è quibus cùm in area teritur, concidunt.

Propriè Secalis est vitiũ, cum aliis enim frumētis, aut non, aut rarissime reperitur: succrescit, veluti & alia huius generis, per imbres frequentes, anni, hyemisque constitutionem clementem ac tepidam.

Priorem Ægilopis esse speciem satis apparet: 1.
nec impropriè ideircò & Festuca dicitur: Brabantis Ghebaerde euene appellatur.

Alteram Germani Dort & Lulch vocant: Bra- 2.
banti Draufch: Latinè Festucam alterã non malè quis dixerit. Nam inter ea quæ frugum similitudinem gerunt, illasq́; interim infestant, minimum ac leuissimum est granum, Festucis ea de causa simillimum.

Sunt autem facultates harum Festucarum incognitæ, & nondum exploratæ vires.


De Phœnice. CAP. IIII.

PHOENIX culmis, foliis, spicaq́; Lolio similis, singulis tamen minoribus. culmos habet multos, breues, geniculatos: folia Hordei minora angustioraque: spicas Lolij, sed minores, tenuiores, breuiores ac rariores.

Nascitur in aruis, secus vias, & in ædificiorum tectis: in Italia & Gallia frequens & vbiq; fere obuia: reperitur etiam in Vbiorum & Eburonum finibus.

Φοίνιξ Grecis à phœniceo colore dicitur: Latinis etiam Lolium rubrum & Lolium murinum: Plinius Hordeum murinum nuncupari scribit.

Appellatur autem Belgis Hordeum aut Triticum murinum (vulgò Muyse coren) & aliud omninò herbæ genus, breue ac humile, frequentibus breuibusque culmis, dodrantis altitudine, foliis angustis, quod spicas gignit complures, frequentibus aristis cinctas, Hordeo similes, sed breuiores, tenuiores, mollioresque: nascitur secus vias; nullius planè vsus ac omninò inutile. *Triticum murinum.*



Bromos herba.

At Phœnix, vt Dioscorides scriptum reliquit, vim habet, vt in vino austero pota diarrhœam, sanguinis ex vtero profluuium, & copiosiorem vrinæ fluxum sistat.


Sunt etiam qui sanguinem eam supprimere prodant, phœniceæ lanæ inuolutam & corpori alligatam.

De Bromo herba. CAP. V.


BROMVS herba Auenæ & Ægilopi similis est, habituque ipso syluestris quędam Auena, multiplicibus enim geniculatisque culmis, foliisque eam refert, licet vtrisque tenerioribus. iuba rarior, aristas asperiores, longioresque habet. radice firmatur copiosa ac tenui.

Herba natura sua in totum syluestris, æstate secus vias & agrorum margines reperitur.

Alopecuros.



Triticum vaccinum.



Nominant eam Græci βρῶμον πόαν, id est, Bromum herbam, ad differentiam Auenæ, quę Græcis quoque βρῶμος aut βρόμος dicitur.

Exiccatoriam, Dioscorides inquit, vim habet. Decoquitur cum sua radice in aqua ad tertias, colatur, deinde mellis tantúdem admiscetur, rursusq́ue decoquitur, ad liquidi mellis spissitudinem: facit ad narium ozænas & fœtida vlcera; linteo eo humore imbuto naribus indito. aliqui tritam Aloen addunt, & eo modo vtuntur facit & cum Rosis siccis in vino decocta, ad oris graueolentiam.

Est verò & alia quędam quorundam iudicio herba Bromos, Agrostis videlicet altera, infrà descripta. Quam nos non Bromum aut Bromi herbæ speciem, sed à veteribus etiam pro legitimo Gramine ac Agrosti habitam non absque veterum testimonio iudicauimus.

De Alopecuro. CAP. VI.

ALOPECVROS geniculatis culmis foliisq; frumentaceis similis est, culmos tamen habet breuiores, foliaq́, minora & angustiora: Spica eius nec acuta nec aristata est, sed mollis, hirsuta, densaque lanugine constans, haud multum dissimilis vulpium caudis, vnde & nomen obtinet.

Nascitur in aruis vnà cum frugibus æstate, reperitur in pluribus Galliæ, præsertim Narbonensis, agris.

Ἀλωπέκουρον Græcè Theophrastus nominat, Latinè Caudam vulpinam dixeris: Gallicè *Queue de renard*: nostrate idiomate Voſſenſteert.

Nullius, quod scitur, est vsus, de viribus enim eius, Theophrastus vel Plinius, nihil scriptum reliquere.

De Tritico vaccino, siue Melampyro.

CAP. VII.

VACCINVM Triticum, caulem gerit cubitalem aut minorem, in alas diuisum: folia oblonga, acuminata, nigricátia, per oras serrata: spicas in summo caulium latas, crassas, aspectu pulchras, foliorum florumq; purpureorum plenas, quæ, posteaquá defloruerunt, virent, ac complures folliculos latos proferunt, in quibus bina vt plurimùm semina, Triticeis similia, sed minora nigrioraque.

Exit in aruis vnà cum Tritico ac Secali, & lęto potissimum pingui ac restibili agro. Theophrastus ex Tritico, aut Hordeo corruptis nasci ait.

Vnà cum frugibus floret, & ad maturitatem peruenit.

Germani Kuweyssen/ hoc est, Triticum vaccinum aut bouinum: nonnulli braun fleischblumen: Brabanti Peerts bloemen nominant

Galenus Græcis μελάμπυρον dici ait, quasi dicas, nigrum Triticum; & ex Tritici quoq; mu-

tatione

Vstilago.



tatione generari, sed prauitate quàm plurimùm à Lolio relinqui.

Theophrastus quoq;, res innocens Melampyrum ait, neq; sicuti Lolium graue, & caput tentans.

De Vstilagine. CAP. VIII.

QVAM recentiores Vstilaginem nuncupant, Auenę ac Tritici propriè morbus & vitium est, spicas siue iubas eius, priusquam perfectè è vaginis suis erumpere queant, infestans. Marcescunt hoc vitio spicæ, & atro puluere obsidetur.

Nascitur Aprili & Maio mensibus, cùm cæli tempestas crebrò incõstans, aliâs nimbosa, aliâs serena, feruensq; fuerit, tunc enim spicæ humore madidæ, à solis feruore corrumpuntur, ac quodammodo, vti aiunt, aduruntur.


Germani vulgò *brant*: Latinè Vstilaginem appellant. Videtur ἐρυσίβη quædam, Latinè rubigo, ac robigo dicta, quæ, veluti Theophrastus ait, corruptela quædam est residentis humoris, ac commune quoddam vitium cerealium seminum, frumentacea tamen magis quàm legumina infestans: frequentissima hæc in roscido tractu, conuallibus, ac perflatum non habentibus: è diuerso carent ea, ventosa & excelsa. Gignitur plenilunio. ἐρυσίβη quæd.

De Cracca siue Aracho.

CAP. IX.

FRVGVM, ac frumẽtorum præcipuè, vitium quoque Cracca siue Arachus est. cauliculos 1.

Craccæ primum genus.



Craccæ alterum genus.



promit graciles, angustos. folia ex pluribus, paruis, angustis foliolis, vni costæ, siue ῥάχει adnatis, ac sibi inuicem oppositis, congesta, in capreolos siue viticulas desinunt flores parui & purpurei. siliquæ paruæ, rotundiores, minoresq; quam Viciæ, semina in his sena, septenave, rotunda, nigra, duriuscula, Eruo, vt Galenus inquit, minora

Græci huiusmodi vitium ἄραχον nominant, & tertiam nominis syllabam per χ exprimunt, ad differentiam alterius Araci per κ scripti. Galli *Vesse sauuage*, & *Vesseron*, quasi Viciolam aut Viciastrum dicas. Germani Wilde wicken/ & Sant Christoffels kraut: Brabanti Crot. Ruellius Craccam etiam appellari refert. Leonhartus Fuchsius in commentariis suis De stirpium historia, Craccam hanc Aphacen appellat. Matthiolus vero, in commentariis in Dioscoridem, Aphacen nominans quam passim Viciam, Craccam non Aphacen, sed Viciam fecit: quantum autem vterque hic a veritate recesserit, seminis Craccæ figura ostendit, exquisitè globosa: nam Viciæ & Aphaces seminum forma non est rotunda, sed aliquantò latior veluti lentium. testatur Galenus lib. 1 De aliment. facult.

2. Craccæ autem huius, & aliud simile genus est, caule foliisq; paulò minus: flosculis, in paruis spicis, candidulis, siliquis deinde breuioribus ac paruulis, in quibus bina, terna aut quaterna gignuntur grana, rotunda, colore & sapore prioris Craccæ similia.

Arachus Appellatur & istud genus, Brabantis Crot/ & Arachus quoque quidem est, aut potius ἀραχίς quædam: nam vt in expositione linguarum Hipp. scribitur, minuta Tritici legumina, Græci ἀραχίδας nominant.

Prouenit vtrumq; vitium vnà cum segetibus, quibus cæli statu humido admodum perniciosum est, tunc enim citò incrementum sumens, confestim segetem præoccupat, teneramq; pertinaci vinctu, crebrisq; circumuolutionibus, deorsum trahit, delapsamque erigi non patitur, ac calamitosam ipsam efficit.

Seligunt hæc, Galenus ait, rustici apud nos, & abiiciunt vti Securidacæ semen.

At nostri cum herbas ipsas virentes æstate, tum resiccatas hyeme, cum aliis frugum repurgamentis, bubus non iniucundè obiiciunt.

Craccæ granum, vt auctor Ruellius, columbarum cibo gratissimum habetur, serunt eadē causa eam villici, qui numerosa fieri columbaria cupiunt, siquidem illectæ eo cibatu colūbæ, cùm emittuntur ad peculiares cellas tam cicures alias, quam feras adcersere noscuntur.

Arachus latifolius.



De Aracho latifolio. CAP. X.

EST verò & aliud quoddam syluestre legumen, quod citius ad Arachos, quam ad Eruum referri potest.

Cauliculos iste Arachus profert complures, crassiusculos, sed breues, pedalis vix longitudinis, qui non attolluntur, sed humum versus inclinantur: foliis luxuriat, quę ad vnum pediculum ferè quinque, rarò tria, lata, & in rotunditate oblonga è sinu horum in longioribus pediculis congesti flores, colore aut candidi, aut dilutè purpurei, minores quam Eruiliæ, alioquin haud absimiles: succedunt siliquæ longæ, angustæ, planæ, in quibus semen Vicia minus. radix diutinè viuax, fibris firmatur.

In collibus herbosis apud Bohemos subinde reperitur. In hortis Belgij facile proficit.

Floret Vere: Æstate siliquæ cum semine perficiuntur.


Pleriq; Eruum Venetum appellant, non tamen Eruum aut Erui species, sed syluestre legumen, quod haud alio quàm ad Arachi, per ch, genera referendum videtur.

De vsu autem ac facultate huius Arachi latifolij nihil compertum habemus.

De Ornithopodio. CAP. XI.

ORNITHOPODION paruulis, multis, tenuibus ac gracilibus exit cauliculis, non quidem erectis, sed per terram stratis. foliola ei sunt

Ornithopodium.



sunt parua Arachi ac Lentis minora & tenuiora flosculi in exiguis corymbis luteoli: siliquæ paruæ, tenues, oblongæ veluti articulatæ, extrema parte recuruæ, in quibus sena, septenave minuta, rotunda semina, Napi ac Rapi similia.

Nascitur in aruis, segete potissimum demessa reperitur & locis incultis, veluti in collib. pratisque siccis & apricis, ac secus vias, quod in aruis nato, minus etiam ac tenerius est.

Brabanti Vogelvoet appellant, id Græcè est ὀρνιθοπόδιον, Latine auis pes, à similitudine nempe pedum paruarum auicularum, quos simul coniunctimq; nascentes, tenues, recuruæ articulatæque siliquæ referunt. Ex Arachidum quoque est numero ac genere.

Nonnulli πολύγαλον esse existimant, quod Dioscorides tradit, exiguum fruticem esse, palmi altitudine, foliaque habere lenticulæ similia, & gustu esse subacerbo, qui potus lactis abundantiam facere credatur. *Polygalon.*

Porrò Ornithopodium eundem quem Arachides vsum habet. bubus enim ac iumentis lætum iucundumque pabulum est.

Aliud præterea ab isto & nonnulli Ornithopodion ostendunt, folia cuius maiora & Galegę fere similia, attamen minora sunt. flores in parua vmbella, corymbi forma exeunt, coloris dilutè rubentis; post quos tenues aliquantulum recuruatæ, plures simul exiguæ siliquæ, Ornithopodij superioris siliquis fere similes, sed maiores, & nequaquam articulatam digitorum speciem referentes. 2.

Reperiri fertur plerisq; Gallię, pręsertim Narbonensis, locis, secus vias & in agris.

Ornithopodion quoque appellari posse videtur, à similitudine siliquarum, cum paruarum auicularum pedum digitis: & Ornithopodion quoddam esse maius.

Aphace.



De Aphace. CAP. XII.

APHACE tenuibus, angulosis, geniculatis, longis, Lenteq; altioribus cauliculis assurgit: folia ei sunt parua, tenuia, latiuscula, in acutum desinentia, e singulis geniculis bina, sibi inuicem opposita, & circa hæc, tenues viticulæ, & graciles pediculi, flores ferentes, paruos ac luteolos: quos siliquæ sequuntur latæ, Lentis longiores, in quibus semina quatuor, quinave lata, nigra, dura & Lente minora, plana, rotunda. radicibus nititur paruis ac fibrosis.

In agris frumentariis lęto pinguique solo, vnà cum Tritico, Secali ac aliis frugibus exit.

Floret Maio: semẽ Iunio ac Iulio maturũ est.

Nostris ἀνώνυμος, licet tamen non infrequens sit. Dioscoridi verò & Plinio ac similiter Galeno ἀφάκη est. est tamen & ἀφάκη quædam apud Theophrastum, cuius siliquæ & fructus celeriter perit, quæ cum hac Dioscoridis Aphaca non conuenit, sed Viciæ, de qua suprà scriptum est, *Aphace Theophrasti.*

 similior

similior videtur. Nam Aphace, hoc capite depicta, durabilis est, ac diutinè asseruari potest.

Aphace alia. Est item & Aphace apud Theophrastum, ex olerum & intubaceorum numero, herba ingustabilis & amara, quæ & cum hac Aphaca nihil habet commune.

Cæterum Aphace, vt Galenus lib. De facult. simplic. medica. ait, facultatem obtinet adstrictoriam, sicut & ipsa Lenticula: sed & similiter vt ipsa Lenticula edi solet, verùm ægriùs quàm illa concoquitur: valentius autem desiccat, & moderati caloris est: his autem haud dissimilia de Aphace & Dioscorides quoque scribit.

Semina, inquit, adstringendi vim habent, quapropter stomachi & alui fluxiones tosta, fracta & decocta Lentis modo sistunt.


Hanc autem adstringendi facultatem ac vim Aphacen, quam descripsimus, habere, certo experimento cognouimus.

De Hedysaro. CAP. XIII.

Hedysarum primum.



Hedysarum alterum.



HEDYSARVM caules promit à radice multos, cubitales, rotundos: folia oblonga ex multis Lentis foliolis rotundioribus, vt Arachi, Viciæ & similium, congesta: flores in corymbis, luteos: siliquas deinde oblongas, planas, nonnihil recuruas, in quibus semina complura, ruffa, & amara angulosa securis effigie.

Est huius & alterum genus, superiori caule foliisque simile, vtrisque tamen minoribus: siliquæ huic breuiores sunt & magis recuruæ, in quibus & semina quadrangularia, ancipitem quoque securim æmulantia.

Nascitur Hedysaron, Dioscorides ait, in Hordeis & Triticis. Galenus Lentis vitium esse, atque vnà cum ea enasci, lib. 1. De aliment. facult. scribit. Idem testatur Plinius. Theophrastus autem, cum Aphace exire refert.

Primum in Germaniis incultum non prouenit, floret in hortis Maio ac Iunio mensibus: alterum sua sponte, plerisque superioris Germaniæ aridis & apricis locis exit, Gesnero in hortis Germaniæ teste.

Græci hoc, siue legumen siue cerealium frugum vitium, ἡδύσαρον & πελεκῖνον nominant, Latini à seminis figura Securidacam: Officinis incognitum est.

Huius semen, Galenus lib. De simplic. medicament. facultat. VI. ait, amarum & subacer-

bum

Ferrum equinum.



bum appaiet. Quamobrem potum gratum est stomacho, & viscerum obstructiones expurgat: idem præstant totius fruticis germina.

Dioscorides, stomacho etiam in potu commodum refert, & antidotis admisceri, ante verò coitus, existimari, cum melle appositum conceptionem impedire.

De Ferro equino. CAP. XIIII.

FERRVM equinum vulgò Italorum nuncupatum, cauliculos habet multos, tenues, & procumbentes: folia tenuia Hedysaro minora: flores secundum ramulos paruos: siliquas deinde oblongas, latiusculas, & nonnihil recuruas, quæ ab vno latere, profundas, rotundas, ac sinuosas incisuras, soleam equi ferream quodammodo præ se ferentes, obtinent: radix longiuscula est.

Prouenit incultis quibusdam & apricis Italiæ & Narbonensis Galliæ locis.

Sferro de cauallo Itali vulgò nominant. Latinè Ferrum equinum dixeris.

Tota amara est, & Hedysaro natura assimilis.

De syluestri Fœnograeco. CAP. XV.

Fœnumgræcum syluestre primum.



Fœnumgræcum syluestre alterum.



SYLVESTRE appellatum à Trago & recentioribus Fœnumgræcum, multis, rotundis, & longis repit caulibus: folia ei oblonga sunt, veluti Viciæ, singulis particularium tamen maioribus, latioribus ac rotundioribus: flores ex foliorum sinubus prodeunt, albicantes: sili- 1.

quæ

quæ oblongæ sunt & aliquantulum recutuæ, Fœnigræci similes, sed minores; in quibus semen angulosum, sapore Viciæ Radix longa & sæpe ticubitalis, quę non facile intermontur, verùm singulis annis primo Vere regerminat.

Reperitur in vtraque Germania, locis syluosis, opacis & incultis.

Germani Waldtbockſhorn: Belgæ Wildt fenigriecks/ id est, syluestre Fœnumgræcũ appellãt. Nullius in medicina, aut cibatu, quod scitur, vsus.

2. Præter istud verò, & aliud syluestre Fœnumgræcum recentior ætas obseruauit, Fœnogręco legitimo similius, vtpote etiam trium foliorum. folia siquidem habet terna Trifolij modo cohærentia, eaque exigua & per ambitum crenata: flores perpusillos, aliorũ minurorum leguminum persimiles: siliquas deinde teretes, tenues, paruulas, oblongas, tres quatuórve simul ab annexu foliolorum exeuntes, in quibus semen exiguum.

In Hispania plerisque incultis locis sponte exire istud Fœnumgræcũ syluestre accepimus. Facultatem aut vtilitatem porrò, nobis cognitam, nullam habet, in medicinæ vsu.

De Galega. Cap. XVI.

1.

Galega.



GALEGA caulibus constat nitidis ac erectis. folia Arachi maiora ac longiora flores spicati sunt, colore aut cærulei aut candicantes; siliquæ forma oblongæ, rotundę & angustæ radix breuis & lignosa, multas fibras habet, & diuturna est, aliquot continuis annis primo Vere regerminans.

In Italia passim locis pinguibus, humectis, & prope aquarum riuos copiose prouenit. In Germania verò & Belgio non nisi sata.

Itali Galegam & Rutam capranam, nonnulli corrupte Gralegam nominant. Hieronymus Fracastonus herbam Gallicam; Hetrusci *lauanese*. Appellatur verò & aliis differentibus nominibus in diuersis Italię locis, vt Gesnerus ait, vt sunt: *Castracane*, *lauanna*, *thortna* vel *taurina*, *martanica*, *sarracena*, *capragina*, *herbanesa*, Fœnumgræcum syluestre, & teste Brasauolo, *giarga*.

Quidam Onobrychim à veteribus nuncupatam esse iudicant, alij Glaucem, nõnulli Polemonium esse volunt: verum omnibus, non tam Petr. And. Matthiolus in suis commentarijs, quàm singularum descriptiones à Dioscoride memoriæ mandarę, ac scripto traditę, contradicũt quemadmodũ & iis, qui Galegam Polygalon esse autumant, & Galegę nomena Polygalo inxatũ, ipsa quoq; Polygali descriptio repugnat: altior enim & maior Galega est, quàm exiguus frutex palmũ tantùm altus, dici possit.

2. Galegæ autem huic & alia quædam, altera veluti Galega, similis reperitur, quæ caulibus, foliis, floribusq; eam æmulatur. Cauliculis hæc est tenuibus: foliis oblongis in exiguos capreolos desinentibus, Aracho similibus: flores in spicis ex purpura cærulei sunt. siliquæ verò paruæ, latiusculæ, & semina in his parua, Viciæ minora radix durabilis quoque naturæ pluribus annis, primo Vere regerminat.

Nascitur subinde in sentibus circa margines agrorum, frequentiùs autem in pratis secus fossas, fluminum ac riuulorum siue torrentium ripas.


Nostri wilde Vitsen/ hoc est, Viciam syluestrem appellant: Galegam autem syluestrem aut Germanicam nõ impropriè quis ipsam nominauerit: nam Galegæ quædam species videtur.

Porrò Galega, vt Baptista Sardus, & alij scriptum reliquere, ad omnes pestilentes morbos, contra ventris lumbricos, & venena assumpta efficax est: remedio quoque est, aduersus animalium venenosorum cum morsus, tum ictus, & succo epoto & herba contusa plagis imposita. Pueris etiam conuulsis, ac comitiali morbo laborantibus, succus dimidię vnciæ pondo sumptus prodesse fertur.

De

De Onobrychi. CAP. XVII.

Onobrychis.



QVAM Onobrychin hoc loco nominamus, caules profert à radice multos, cubitales, non sua quidem sponte erectos, sed procumbentes, & per terram reptantes: folia Galegæ similia, tenuiora tamen, subtus albicantia, ex pluribus angustis in acutum desinentibus, coaceruata: flores in longiusculis spicis dilutè rubent, fructus echinati sunt, asperi, plani, ac subrotundi.

Plerisque superioris Germaniæ locis exit; circa Curiam, inquit Gesnerus, in pratis abundat: in Bohemiæ agris secus scrobes, per quas pluuia delabitur aqua, frequens est: apud Brabantos ac Flandros ab herbarum studiosis in hortis subinde seritur.

Augusto cum flore & fructu reperitur.

Ἀνώνυμος recentioribus herba est; à veteribus autem ὀνοβρυχὶς dicta apparet: quæ enim de Onobrychi apud Dioscoridem aut Plinium reperiuntur, ea omnia huic maximè conuenire videntur. Scribit autem Dioscorides quidem sic:

Onobrychis folia habet Lenti similia, longiora. caulem dodrantalem, florem phœniceum, radicem paruam: nascitur in humidis & incultis. Plinius verò hunc in modum:

Onobrychis folia habet Lentis, longiora paulò: florem rubentem, radicem exiguam & gracilem: nascitur circa fontes.

Quæ omnia & singula ἀνώνυμον hanc herbam habere euidens est. Quam ob causam & eam veterum esse Onobrychim minimè dubiam esse videtur.

At Onobrychis, vt Galenus lib. De facultat. simplic. medicament. scriptum reliquit, rarefaciendi digerendique vim obtinet, proinde folia eius virentis, etiamnum imposita ad morem cataplasmatis phymata digerunt, arefactæ verò si in vino bibantur, strangurias sanant. Quin etiam sudores elicit, cum oleo inunctum.

Quæ & de Onobrychi Dioscorides quoque his verbis perhibet: Vim habet herba phymata discutiendi trita & imposita; cum vino verò pota strangurias sanat; cum oleo, autem illita sudores mouet.

De altera Onobrychi. CAP. XVIII.

AD Onobrychim superiore capite descriptam proximè accedit alia, temerè inter Secundacas relata. Sunt huic multi à radice cubitales cauliculi, procumbentes ad humi proserpentes: folia è multis congesta veluti Lentis, sed quàm Onobrychis superioris latiora: flosculi veluti Genistæ, minores, eleganti colore rubent, spicatim digesti: succedunt fructus asperi, spinosi, plani, clypeolis exiguis similes, in quibus semen minus quàm Genistæ. radix satis altè demittitur.

In hortis Belgij apud herbarum studiosos conspici interdum contingit. qua in regione spontè nascatur, aut qualibus locis gaudeat, nondum cognouimus.

Falluntur qui ad Securidacæ genus referre student. Securidaca nomen habet, quòd semina eius angulosa securim æmulentur: talia autem huius non sunt. Cum Onobrychi superiore plus habet affinitatis: quamobrem & alteram idcircò Onobrychim nuncupauimus.

Non desunt verò qui velint Helenium esse Ægyptium: Dioscorides enim duo descripsit Helenia: vnum Inula & Enula campana vulgò dicitur: alterum ait Crateuam referre in Ægypto gigni: herbamque esse cubitalibus ramulis, Serpylli modo per humum repentibus; *Helenium Ægyptium*

Onobrychis altera.

Helenium Theophrasti.

Helenium Plinij.

1.



Terræ glandes.

2.



pentibus foliis veluti Lẽtis, sed lõgioribus, & ad cauliculos multis: radice lutea, digiti parui crassitudine, inferius tenui, superiùs crassa, cortice vestita nigro: nasciq; in maritimis collibusque.

Meminit verò & Theophrastus Helenij quod φρυγανῶδες esse refert, & lignosum, & vniuersa sua natura cum foliis ac floribus odoratum.

Facit & mentionem Helenij Plinius lib. xxi. cap. x. quod ait fruticem esse humi sese spargentem, dodrantalibus ramulis, foliis similem Serpillo. Sint autem hæc vna vel diuersæ stirpes, relinquimus diligentiùs perquirendum: hoc tamen addendum, si inter se conueniant, non posse Onobrychim alteram, Helenium Crateuæ esse, cum odorata non sit.

De Terræ glandibus. CAP. XIX.

TERRÆ glandes exilibus & infirmis cauliculis exeunt: folia tenuia & paruula, oblongis & tenuibus adnascuntur pediculis, qui in viticulas desinunt, quibus propè assistentia complectuntur atque apprehendunt. flores summis caulibus, piso similes, sed minores, ex purpura rubent, odoris nõ ingrati, quos paruulæ, oblõgæ siliquę succedũt, in quibus semina terna quaternáve rotunda. radices crassæ, oblongę, glandibus forma quodámodo similes, sed multò maiores, foris nigrę, intus albicãtes, sapore ferè Castaneę, à quibus inferius longa tenuisq; fibra dependet. Exeunt ab iisdẽ & aliæ fibræ, iuxta caulis exortũm, quibus obliquè serpentibus aliæ adnascuntur glandulosę radices, ita se multiplicãte stirpe.

Proueniunt in agris frumentariis, tũ vna cum ipsis frugibus, tum circa margines agrorũ in rubetis ac senticetis. Reperiuntur in superiore ac inferiore Germania, in Bohemia Belgioq; locis plurimis, &, vt Ruellius testatur, in Gallia quoq;.

Seri & semine & radice potest, sed radice citius perficitur, vna enim glãs sata, in plures breui tempore multiplicatur.

Cæterùm huic simile & aliud quoddam reperitur Legumen: cauliculi eius tenues, imbecilles, angulosi, vicinis stirpibus sese implicant: folia paruula, veluti superioris, bina cohærent, pediculo in capreolo desinente: flosculi alterius similes, sed colore lutei. radix tenuis serpit, extuberãtes glãdes nullas profert. durabilis autẽ est.

Secus aruorum margines multis in Brabantia locis gignitur.

Florent Iunio & Iulio. post messem effodiuntur ac colliguntur radicum glandes.

Germani erdnussen/ erdeychelen/ grundeychelen/ ackereychelen/ erdfeyghen: Belgæ eerdnoten/ & eerdeekelen appellant, & subinde muysen met steerten/ hoc est, mures caudatas, à domesticorum paruorum murium similitudine, quam nigræ, rotundæ, oblongæ, glandes retrò propendente tenuis fibræ parte referunt. Recentiores Latinè terræ glandes, siue terrestres glandes nominant, & Græce quidem χαμαιβαλάνους.

Est

Est tamen & alius χαμαιβάλανος, qui ἄπιος, & ἰσχὰς dicitur, cum quo terrestres glandes non conueniunt, vtpote & forma non parum, viribus autem plurimùm ab eo differentes. Nam Apios quidem Tithymali species est, & radice sua aluum vtrimq; mouet, glandes verò istæ eandem constringunt, non secus ac Astragalus, cui similiores videntur. Talorum siquidem similitudinem quandam gerunt, ac formam etiam quodammodò referunt, vnius satiuæ rotundioris, ac breuioris Raphanidis, minores tamen, plures quoque παραφυάδας iuxta ipsas nascentes, sibi inuicem implicatas habent, & resiccatæ duræ sunt, ac ægre tunduntur. ἄπιος.

Porrò terræ glandes coctæ ac in cibo assumptæ, difficiliùs quidem quàm Rapæ aut Pastinacæ concoquuntur, sed alimenti tamen non minus quàm Pastinacæ subministrant, minùs quàm illæ inflant, tardiùs descendunt, ventrem quoque adstringentes: crudæ vero esitatæ etiam difficiliùs concoquuntur, & ægriùs seriusq; descendunt.

Temperiem autem obtinent calidam quidem mediocrem, siccã verò paulò intensiorem, cum non exigua adstrictione coniunctam, vnde etiam non solùm ventris fluxus, sed & sanguinis fluores, præsertim ex vtero, aut per vesicam reprimunt.

De Astragalo, ex Plinio & aliis. CAP. XX.

ASTRAGALVS, vt Plinius tradit, folia habet longa, incisuris multis, obliqua circa radicẽ: caules tres aut quatuor foliorum plenos: florem Hyacinthi: radices villosas, implicatas, rubras, præduras.

Dioscorides verò, Astragalus, ait, paruulus in terra frutex: foliis & ramis Ciceri similis: flores purpurei, parui; radix rotunda veluti Raphanus grandis, propagines habet firmas, nigras, duras, veluti cornua, inter se implicatas, gustu adstringentes.

Nascitur in petrosis, apricis, & iisdem niualibus: Plinius. Aut, vt Oribasius, in ventosis ac niualibus. Dioscoridis exemplaria addunt, συσκίοις, id est, opacis. Copiosa in Pheneo Arcadiæ, vt Galenus & Plinius. In Dioscoridis exemplaribus ἐν Μέμφιδι τῆς Ἀρκαδίας legitur: at Memphis Ægypti ciuitas est, in Arcadia verò nulla. *Dioscoridis locus animaduertitur.*

Radices habet Astragalus, inquit Galenus, adstringentes: quamobrem etiam ex numero est non insti enue exsiccantium: nam vlcera vetera glutinat, & aluum fluxu tentatum sistit, si quis in vino decoctam radicem bibat.

Eadem quoq; de Astragali viribus memoriæ Dioscor prodidit: alui fluxum, ait, sistit radix in vino pota, & vrinam mouet: facit ad vetusta vlcera sicca inspersa. sanguinem supprimit: ægrè autem propter duritiam tunditur.

Astragaloides.



De Astragaloide. CAP. XXI.

CAVLES Astragaloidi eriguntur, & cubiti altitudinem petũt, angulosi sunt, tenues, duri, & in alas diuisi: folia qualia Galegæ, ex multis ad vnam costam collecta: flosculi elegantes in summis virgulis è cæruleo-purpurei, minores quàm Viciæ: siliquæ succedunt teretes, oblongæ, nigricantes, vti maioris Arachi, in quibus semen Vicia minus, maius verò quàm Arachi, sed non perinde rotundum ac globosum. radix longa, tenuis, non absque fibris, altè descendit, & multo tempore durat, hyemis frigorisque patiens.

Ad hortos Belgij aliundè illatum, peregrinum est legumen.

Iunio ac etiam seriùs floret, siliquæ interea perficiuntur.

Quod cum Astragalo similitudinem habere existimatur, Astragaloidis nomen accepit: nonnulli Eruum syluestre appellant.

Non desunt verò & alia quædam leguminosa, siliquas proferentia, quę & Astragaloidea dici possunt: horum cognitionis cupidus requirat in Caroli Clusij obseruationibus diligẽtissimis.


Astragaloides autẽ quali sit facultate donatũ, aut cuiusmodi virib⁹ prędirũ, cõpertũ nõdũ est.

De Anthyllide Lenti simili. CAP. XXII.

Anthyllis Lenti similis.



Anthyllis altera Lenti similis.



DVPLEX Dioscoridi Anthyllis: vna Lenti similis: altera Chamæpytin siue Aiugam refert.

1. Ad prioris descriptioné proximè accedit herba quædam humilis, cauliculi cuius dodrantales: folia Lentis modo ex pluribus formata, vtraque verò mollia, tenui lanugine incanescentia: flosculi in cauliculorum fastigiis lutei, complures, veluti in vmbella coniuncti; post quos siliquæ paruæ, in quibus semen exiguum. radix tenuis, duriuscula. Talem siquidem priorem Anthyllidem esse Dioscorides refert: foliis siquidem Lentis similibus, sed mollibus: ramulis dodrantalibus rectis: radice parua tenui. Qualis est quam descripsimus.

2. Nec tamen & illa ab Anthyllidis prioris similitudine abhorret, quæ à C.Clusio in suarum obseruationum lib. 2 pro Glauce depingitur. Ternis aut quaternis hęc assurgit tenuibus cauliculis, incanis, folia quos conuestiunt e pluribus ad vnam costam cohærentibus veluti Lentis, superiore parte herbido colore virentia, inferiore verò lanuginosa & albicantia flosculi in summis virgulis coaceruati purpurascunt: radix tenuis & candidula.

1. Prior harum circa agrorum margines plerisque Galliæ Narbonensis & Angliæ locis, teste Lobelio, gignitur. reperitur & in longius à mari sitis regionibus, veluti in quibusdam Germaniæ, & Parisiorum agris· Brabantis hortensis est.

2. Alteram Clusius refert à se iuxta Thormis fluuij ripas, infra Salamancam Hispaniæ, procul a mari repertam.

Vtraque ad Anthyllidem priorem referenda videtur, quæ Græcis Ἀνθυλλὶς, Latinis similiter Anthyllis: Auicennæ Zabara appellatur cap. 755.

Cæterùm quòd ad facultates attinet prioris Anthyllidis, vrinæ difficultatibus & renibus plurimum prodesse denariorum quatuor pondere epotam, scribit Dioscorides: tritam verò cum rosaceo & lacte vteri inflammationes emollire impositam. Plinius verò vuluis vtilissimam, torminibusque & secundarum moræ in vino potam refert. Galenus autem vtramque modicè desiccare ait.

De Limodoro siue Orobanche. CAP. XXIII.

Limodoron siue Orobanche.



LIMODORVM cauliculus est pedalis aut maior, subrubens, fistulosus, fragilis: flores secundum caulem, parte superiore nascuntur, subcandidi, aut subluteí, Vrticæ inertis floribus haud multum absimiles. floribus succedunt oblongi calyculi, in quibus semina minutissima, candicantia, & inutilia radices subsunt rotundæ, turbinatæ, digiti aut pollicis crassitudine, foris squamis nigricantibus contectæ, intus verò subcandidæ aut subluteæ· quæ recentes succum habent lentum, ac facile franguntur, aridæ verò cornu modo durescunt.

Gignitur in agris, inter legumina quidem frequentius, cum Lino quoque Cannabe, & Fœnograæco non rarò exit etiam vnà cum segete, iuxta vias quoque secusque agrorum sepes, vt Matthiolus scribit, in Italia frequẽs prouenit. In Belgio in arenosis iuxta maris littora tumulis, etiam reper tur.

Theophrastus huiusmodi vitium λιμόδωρον, appellat, veluti λίμον, hoc est, famem adferens. frugum enim alimentum ad se trahit, ipsasque & extenuat, & incrementum sumere, perfectéve adolescere, non sinit. Sotioni ὀσπρολέων siue leguminum Leo est, aliis κυνομόριον, à similitudine canini genitalis, vt Plinius refert: Dioscoridi verò ὀροβάγχη nominatur.

Est tamen & alia Orobanche, quæ complexu ac circumligando se, legumina Eruumque enecat, quam Theophrastus & Plinius peculiariter Orobanchen nominant.

In oletum, inquit Dioscorides, Orobanche numero est, & tum cruda tum cocta in patinis Asparagi modo editur: cum leguminibus decocta facere creditur, vt ipsa citius percoquátur.

De Anblato, Neottia, aliis Limodori generibus.

CAPVT XXIIII.

AD Limodori genera referenda sunt quoque Valerij Cordi Anblatum, & quam Neottiam ex vernaculæ vocis significatione dixeris.

Sunt autem Anblato folia quidem nulla, cauliculus verò dodrantalis, erectus & succosus, à cuius medio summum versus, flores in ruffo candicantes, ab exiguis veluti calyculis squamosis exeunt, omnes antrorsus & ad eandem partem spectantes, post quos parua acuminata vascula prodeunt, in quibus semen paruum. radices habet minusculas, albicantes, succulentas, & squamis, vt Limodori contectas.

Putri & vmbroso gaudet solo: in Franconiæ, Bohemiæ, Silesiæ, Italiæque syluis, ac alibi reperitur.

Vere germinat: Aprili ac Maio mensibus viget, postea delitescit.

Anblatum Cordus appellat: alij radicem squamatam: Matthiolus Dentariæ maiorem speciem facit.


Facultate autem resiccans hæc est· radix gustu acerba. Aquam ex tota stirpe destillatam aduersus Comitialem morbum nonnulli cõmendant, si aliquanto tẽpore à ieiuno sumatur.

Profert similiter & Neottia caulem absque foliis, Limodori colore quidem similem, sed tenuiorem, teneriorem, ac minorem, in cuius summo flosculi veluti in paruam spicam congesti, eiusdem cum caule coloris. radices multæ fibrosæ sibiinuicem, nidi alicuius auis modo, implicantur, vnde νοττίαν, auis nidum, & vulgò nostrate Brabantica lingua Vogels nest nominarunt: Gallicè *Nid d'oiseau*: Germani autem margen drehen appellant.

Λιμόδωρον, vt diximus, genus quoddam est, quod fortè etiam λειμόδωρον per ει prima syllaba, aut λειμωνόδωρον potiùs, haud abs re, quis nuncupauerit, veluti τῶν λειμώνων δῶρον, hoc

 est,

Anblatum.



Neottia.



est,pratorum donum: nam in palustribus & vliginosis locis prouenit , ac in syluis humidioribus,veluti & Anblatum,quod eadem ex causa & λειμωνόδωρον esse potest.

Sunt porrò & alia Limodori genera,vt quæ à Cisti radicibus exit Hypocistis,& Rapũ quod passim cùm in superiore, tum in inferiore Germania Genistæ connascitur. Sed de his in capitibus de Cisto & Genista , suis locis agetur.

De Cassutha. CAP. XXV.

CASSVTHA plurimis lyrarum fidibus similibus, lõgis repit cirrhis, aliàs crassitudine capreolorũ ac clauicularum vitis, alias tenuibus ac capillamentorum quorundam instar, qui statim ab ipso exortu, herbarum fruticumque ramulis ac folijs sese implicant, atque crebris voluminibus proserpentes, comas complectuntur , tam spisso non rarò contextu, vt & propriam parentem subinde laqueis suis strangulent, sic vt, aut mole oneratę stirpes procumbant, aut natiuo alimento destitutæ cõrabescant. Cirrhi autem vel candidi sunt, vel ex dilutiore purpura rubẽt. Flores edit Cassutha paruos, cirrhos ipsos quibusdã locis veluti ambientes, à quibus semina quædam exigua, sed inutilia prodeunt. folia habet nulla. radicibus nititur nullis, in terra enim non gignitur, sed fruticibus herbisque tantùm innascitur.

Reperitur Iunio, Iulio & Augusto mensibus: in Rubo, Vepribus, Lupulo & Lino, maior, crassior & candidior. in Thymo verò, Thymbra, & alijs humilioribus, ac durioribus, vt Eryngio, Genista, & alijs, tenuior ac ruffior.

Maiorem crassioremque Officinæ passim Cuscutam appellant · nonnulli quòd Linum amplectatur, podagram Lini : doctiores Cassutham aut Cassytham, Gesnerus Ἀνδρόγυνον: Arabes *Kessuth* ac *Chasuth*· Brabanti vulgari sua lingua Schorfte & Wranghe : Germani Filtzkraut & Todtern/ Flaschseyden: Galli *Goute de Lin*, & *Augurre de Lin*.


ἐπίθυμον. Minorem ac tenuiorem, quæ duriori Thymo Thymbræque se implicat, Dioscorides ἐπίθυμον nominat, Officinæ nomen seruant. Alij inter quos Actuarius solius Thymi Epithymum; quod verò Thymbræ Epithymbrum; & similiter quod Stœbæ innascitur, Epistœben

ἐπιστοίβη. nominauere, singularem cuique generi appellationem tribuentes.

Videtur autem Cassutha, nonnullis quidem huius ætatis doctis, eadem esse cum Cadyta,

quam

Cassutha.



quam Theophrastus Syriacam herbulam tradit, arboribus, vepribus, & aliis quibusdam innascentem. Verum cum Cassutha non solum non βοτάνιον, hoc est, herbula, siue exigua herba, sed nec herba proprie videatur, vt quæ longioribus tantummodo cirrhis cõstet, ac vitium siue morbus potius sit, quam herba: nec in Syria solùm, sed nusquam ferè non reperiatur: ac non arboribus quidem, sed herbis citius, vel herbosis fruticibus, vepribusq; se implicet, cum Cadyta non admodum conuenit.

Cadytas etenim, vt Theophrastus ait, βοτάνιον est & Syriacum quidem, quod etiam arboribus innascitur, modo quo Viscum, Stelis, Hyphear, Polypodium, & alia similia quædam, de quibus eodem loco Theophrastus agit, quo de Cadyta scribit. Meminit Cadytæ Plinius quoque lib. XVI. exemplaria quædam Cassythas, sed emendatiora Cadytas habent. *Cadytas.* *Plinij locus emendatus.*

Alij Cassuthan siue Cuscutam, Dioscoridis Androsacen esse existimant, sed quantum & illi a vero aberrarunt, Antonius Musa Brasauolus in examine simplicium dilucide commonstrat. tametsi enim Androsace ἄφυλλος ac sine foliis sit, alia tamen ac diuersa à Cassutha est. Nam maritima Androsace est herba, breuis, tenuibus veluti iunciis aut cirrhis, ab vna radice constans plurimis, in quorum summo, exigui nascuntur folliculi, semen continentes: amara insuper, totaq; candida est, & non vepribus aut aliis herbis innascitur, sed è terra, Musa teste, prodit. *Androsace.*

Probabilior ac verosimilior, eorum videtur sententia, qui Cuscutam siue Cassutham, Orobanchæ similem, & genus quoddam eius esse existimant, non quidem Dioscoridis Orobanches, sed eius de qua Theophrastus, & quam Plinius lib. XVIII. ait, circumligando se, Cicerenecare ac Eruum. Hæc etenim Orobanche Cassuthæ quædam species esse videtur, Erui videlicet Cassutha.

Orobanchen siquidem Theophrastus Erui vitium esse scribit, Eruumq; ipsum superare, & amplexu compressuq; suo necare: atque in hoc ei similem Aparinen facit, quòd ea videlicet Lentem ita aggrediatur, ac veluti laqueis, vel retibus totam capessat, sicuti Eruum Orobanche, siue Eruangina, vt Latinè Theodorus Gaza vertit. *Orobanche Theophrasti*

Temperiem autem, Cassutha habet calidam quidem remissiorem, siccam verò paulò intensiorem, secundi nempe ordinis, abstergendi deinde facultatem, cum quadam adstrictione coniunctam, & præsertim ea quæ in Rubo reperitur. Parentis enim suæ, cuique innascitur stirpis, naturam ac facultatem aliquam sibi quoque adsciscit. Quæ enim calidioribus herbis, Thymo videlicet, ac Thymbræ adnascitur, calidior, siccior, tenuiorumq; partium redditur. Quæ Genistam superat, vrinas potentiùs mouet, & ad alui deiectiones magis efficax est: humidior quæ Lino implicatur. Adstringendi, vt diximus, facultatem admixtã habet, quæ Rubo insidet: quæ & propter hanc potentiam adiunctam, aliis ad iocinoris lienisq; affectus meritò præfertur: cum enim expurgandi adstringendiq; facultates simul habeat, visceribus istis in primis vtilissima est. Talia enim iocinoris lienisque oportere esse medicamenta, Galenus lib. XIII. methodi medendi abundè docet.

Expedit autem hæc Cassutha iocinoris infarctus, lienisq; obstructi vitia: venas à pituitosis biliosisq; corruptis ac superfluis humoribus exonerat. vrinam mediocriter pellit: renes aperit. regio morbo quem iocinoris felisq; obstructio comitatur, succurrit: febribus auxiliatur diuturnis, vt tertianis impuris ac longioribus, item quartanis, & propriè infantium febribus, vt Mesues apud Serapionem ait. Qui & naturam Cassuthæ esse tradit, flauam bilem per aluum deducere: ac efficaciorem cum Absynthio præbere effectum: nimio deinde eius vsu ventriculum grauari. Auicenna tamen non grauare eam, sed fortem efficere ventriculũ qui debilis sit, scriptum reliquit, quod & nobis magis probatur. *Cassutha ex rubo vires.*

Epithymi vires.

Epithymum, Cassutha de qua scripsimus, calidius est & siccius, ad tertiũ videlicet vtriusq; qualitatis gradum, Galeno teste, accedens partiu item tenuiorum, & extergendi aperiendiq; efficaciore potentia præditum, lieni idcirco vtilissimum, & longè quàm iocinori vtilius. Nam vt Galenus lib. XIII. methodi scribit, valentiora lienis medicamenta esse debent, quam iocinoris, tanto videlicet, quantò crassiore vtitur alimento.

Opitulatur igitur Epithymum cũctis fere lienis affectionibus obstructionibus ac schirrosis eius vitiis omnibus succurrit ad diuturnos capitis dolores, morbũ comitialem, melancholiam, & potissimùm hypochondriacam efficax est, aliosq́ue ab atra bile morbos exortos: prodest lue venerea, malignis vlceribus, elephantiasi & scabie laborantibus: datur etiam vtiliter aduersus quartanas.

Crista Galli.



Purgat humores atros & melancholicos per inferna, vt Aetius, Actuarius & Mesues scribũt; nec nõ pituitam, Dioscoride teste. Purgat item & inferiorem ventrem, quod in Thymbra ac Stœbe nascitur, sed facultate, vt Actuarius ait, est imbecillius.

De Crista galli. CAP. XXVI.

TENVIS & erectus caulis altitudine pedis, Cristæ galli est: folia angusta per ambitum crenata: flores lutei aut candidi, inertis Vrticæ haud multum absimiles. semen latum, colore nigrum aut subluteum, in valuulis latis, quæ quodam veluti folliculo breui, conteguntur radix tenuis & parua.

Exit in aruis & non rarò in pratis, vtrobique inutilis & vitiosa: plurima æstatis parte floret.

Belgæ Ratelen & geele ratelen nominant, & plerique Hanecammekens/ vulgò Latinè Cristam galli, & gallinaceam Cristam. Germani geel Rodel. Videtur nonnullis ἀλεκτορόλοφος veteribus dicta, aut Mimmulus herba.

Alectorolophos.

De priore Plinius lib. XXVII. cap. v sic: Alectorolophos, quæ apud nos Crista dicitur, folia habet similia gallinacei cristæ, plura, caulem tenuem, semen nigrum in siliquis.

Fistularia.

Mimmulus

Mimmuli autem herbam in pratis pessimam ait, lib. XVIII. cap. XXVIII.

Sed Alectorolopho similior, quàm Mimmulo, Crista galli nostra videtur.



Qua autem hæc facultate aut potentia prædita, cognoscere, curæ adhuc nulli fuit, cùm inutilis habeatur.

De Fistularia. CAP. XXVII.

FOLIA Fistularia parua habet, crebris incisuris crispa, caules tenues, breues, quosdam per terram serpentes, alios erectos, circa quos flores vt Cristæ gallinaceæ, sed minores & colore rubentes aut albicantes: siliquæ deinde haud absimiles, paruæ, in quibus semen latum, & nigricans radix tenuis & fibrosa.

Nascitur in vliginosis pratis herba non solùm parum vtilis, sed & noxia, ac pratorum ipsorum vitium.

Maio ac Iunio mensibus cum flore ac valuulis reperitur.

Germa-

Germanorum plerique braun rodel/alij leuſkraut & braun leuſkraut, Græcè φθεῖρον, Latinè Pedicularem ab effectu nominant, quod pecori ac iumentis, quæ in pratis vbi hæc prouenit, paſcuntur, pediculorum copiam gignat nostri roode ratelm, recentiorum nonnulli Fiſtularam, non pauci Criſtam etiam galli appellant. Cum Mammulo Plinij plus ſimilitudinis, quam ſuperior habet.

Creditur ad Fiſtulas & ſinuoſa vlcera vtilis eſſe, nec non menſes, & aliunde profluentem ſanguinem, in vino auſtero decocta, potaque ſiſtere.

De Tribulo terreſtri. CAP. XXVIII.

Tribulus terreſtris.



TERRESTRIS Tribulus, quem nunc deſcribimus, caules promit tenues, folioſos, circa quos folia ex multis vni coſtæ adnatis congeſta, Mochi ſiue ſatiui Ciceris, aut citius Lentis folijs ſimilia: fructus ſecundũ caules, poſt quinq; foliolorum floſculos, iuxta foliorum exortus, à breuibus dependent pediculis, duri, multis aculeis ac ſpinis horridi, in quibus ſemen, radice nititur fibroſa.

Apud Hiſpanos in aruis frequens, frugibus infeſtus, ſed tamen, vt Plinius ait, inter frugum morbos potius, quàm inter terræ peſtes numerãdus: reperitur & pleriſq; Italiæ ac Galliæ locis.

Fructus æſtate perficitur.

Τρίβολος Græce, & Latinè Tribulus dicitur, ac ad differẽtiam alterius in aquis naſcentis τρίβολος χερσαῖος, & Tribulus terreſtris.

Eſt autem terreſtris Tribulus Theophraſto duplex, vnus folio exit Ciceris: alter ſpinoſo conſtat. Hunc φυλλάκανθον appellari ait, ſerius germinare, & ſemen nigricans in lobo ferre: illum verò πρώϊον ſiue præcoquum eſſe. Cum πρωΐῳ autem, qui hoc loco deſcriptus, magis conuenit, quem & terreſtrem Theophraſti Tribulum, non omninò abs re, quis nuncupauerit. *Tribulus terreſtris Dioſcoridis.* Dioſcorides enim, qui vnius terreſtris tantùm meminit, hunc omiſit. Suum ſiquidem Tribulum, non Ciceri ſed Portulacæ, ſimilia tradit habere folia, ac tenuiora, & κλήματα, ſiue tenuiores teneroſque ramulos, per terram ſtratos, in quibus ſpinæ acerbæ & duræ. Qui certè Tribulus φυλλακάνθῳ, alteri videlicet Theophraſti tribulo, magis ſimilis eſt, quàm πρωΐῳ ſiue præcoquo.

Cæterùm in terreſtri Tribulo terrea & frigida qualitas, quæ & adſtringens, auctore Galeno, ſuperat: fructus eius cùm tenuium ſit partium, potus lapides in renibus comminuit.

Terreſtris tribulus, Dioſcorides ait, drachmæ pondere epotus & impoſitus commorſis à vipera opitulatur: auxiliatur etiam aduerſus venena cum vino potus, decoctum eius reſperſum pulices necat.

LIBRI TERTII PEMPTADIS QVARTÆ
FINIS.

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTADIS QVARTÆ

LIBER QVARTVS,

DE GRAMINIBVS ET TRIFOLIIS.

PRÆFATIO.

SVCCEDVNT Frugum vitiis Gramina & Trifolia, quorum plurima in pabulum cedunt iumentorum, veluti quoque ex vitiis multa. Sunt autem graminum innumeræ quodammodò species, sed non omnes vtiles: Trifoliorum etiam non pauca genera, quæ aliò referri possent: sed congeneres ac similes ab inuicem diuellere, nostrum institutum non admisit. Proinde graminum multa, Trifoliorum verò quotquot occurrerunt genera, hoc libro complecti conati sumus.

De Gramine, quod Græcis ἄγρωστις dicitur.

CAPVT I.

1. Gramen.



FOLIIS, culmis, ac iuba paruę Harundini Gramen istud haud multùm absimile est: folia etenim ei sunt angusta, in acumē fastigiata, Harundinis quidem longe minora, sed quàm pratensis Graminis duriora ac maiora: culmi rotundi, sesquipedales, aut paulo longiores, quatuor aut quinq; genicula habentes: non spicam, sed iubam fert, Milij aut Harundinis similitudine, minores tamen ac rariores. radicibus serpit longis, candidis, geniculatis, gustu non ingratæ dulcedinis, sibi inuicem implicitis, quæ plurimis locis emicantes progerminant, folia caulesq; proferunt.

Nascitur potissimùm in aruis, & agris frumentariis, tam frugum quàm agrorum vitium ac pestis, agricolis ingratum: nam agro proscisso radices rastris eruunt, ac collectas, flammis ne renascantur exurunt. Facile enim licet semiaridæ, terra obrutæ radices reuirescunt: tam pertinacis est vitæ, & ægrè intermoritur.

Floret æstate vnà cum frugibus, autumno radices leguntur. Rura Brabantiæ Peen nominant, alij Ledtgras. Græcis ἄγρωστις est, Latinis communi nomine Gramen: Ἄγρωστις autem ab ipsis agris dicta putatur, qui Græcis quoque ἀγροὶ nominantur. Appellatur porrò idem & αἱμαξῖτις, ἀγριον, Sanguinalis & Viniola.

Radix Graminis mediocriter frigida est & sicca, sapore dulcis instar aquæ, acre tamē quiddam exiguum ac subacerbum, vti Galenus scribit, obtinet: cruenta vulnera glutinat. Decoctum radicis, renibus & vesicæ prodest: vrinam mediocriter mouet: calculos subinde pellit.

Dioscorides easdem Gramini, quas Galenus, tribuit vires. Radix, inquit, trita & imposita vulnera glutinat: decoctum eius potum ad tormina facit, & vrinæ difficultatem: calculosa etiam circa vesicam excrementa conterit.

Recentiores decoctum radicum infantium ac puerorum vermes necare, ac excludere potum, autumant.

2\. Aliud item & Agrostcos reperitur genus, quod culmis foliisque præcedens refert, & non spicam,

ſpicam, ſed iubam quoque profert, tametſi non tam effuſam, ſed rariorem & Auenę ſimiliorem, nonnihil tamen ab eius differentem radices eius craſſis, magnis, crebriſq́; tuberibus valde ſunt nodoſæ, & hàc illacq́; ſerpentes progerminant.

Naſcitur iſtud Gramen ſimilibus vti præcedens locis, & non raró ſecus agrorum margines repentur.


Noſtri à crebris geniculis ac tuberoſis radicum nodis, Knoopgras / id eſt, Nodoſum Gramen, appellant.

Meminit huius Marcellus vetus auctor, cap. XXVI. Herba, inquit, quæ Gramen dicitur, nodorum XXVII ex vino ad medias decocta & expreſſa atque colata, potuiq́; ſtrangurioſo ex vini cyatho vno mixta data, adeo potenter ſuccurrit, vt vbi ſine tormento vrinam facere cœperit, dari non oporteat ſed febricitantibus ex aqua ſola dabitur.

Ex quibus verbis apparet, nodoſum iſtud Gramen, apud veteres pro Gramine propriè dicto ſiue Agroſti habitum, & aduerſus calculum & veſicæ morbos commendatum quoque fuiſſe. Recentior ætas nunc huius, modò illius indifferenter, pro Graminis radicibus vtitur.

De Gramine Manna. CAP. II.

Gramen Mannæ primum.



Gramen Mannæ alterum.



AD Graminis genus referenda videntur & alia duo ſylueſtria ſpuria degeneraque Frumenta, cerealium ſeminum vitia.

Vnum culmis aſſurgit cubitalibus aut altioribus, crebró geniculatis, per maturitatem ſubrubentibus. foliis arundinaceis, piloſis, præſertim ea qua culmos ambiunt, & amplectuntur parte Iuba fere Milij modo effunditur, minùs tamen denſa, colore nigricans, cuius ſingulæ ſectiones ac veluti ſpicę, longæ & perquam tenues ſunt, ſemenq́; ab vna tantum parte habēt, Milio minus, forma oblonga, quod à glumis ac vtriculis, quibus continetur, repurgatum candidum eſt radix vt aliorum cerealium ſeminum fibroſa. *Gramen Mannæ primum.*

Pleriſque Italiæ & Germaniæ locis incultis ſua ſponte exit, repetitur & in Bohemia ſylueſtre, apud quos tamen & in agris ſeritur, veluti & in Goritienſi agro & Carinthia, vti Matthiolus refert; apud Belgas peregrinum, non niſi ſatum, prouenit.

Germani Himelðau / id eſt, Cæli rorem, appellant; Matthiolus ea de cauſa Mannę gramen.

Milij

Milij syluestre ac spurium quoddam videtur genus. Creditur à Leoniceno ac Ruellio Capriola ac Sanguinaria dicta. Sunt qui velint Plinij Gramen aculeatum esse, sed quia eius omninò breuis descriptio, affirmari nihil potest. Multum autem à veritate recedunt, qui Coronopum esse existimant. Coronopus siquidem, vt Dioscorides ait, per terram repit & folius est fissis. huius verò culmi erecti assurgunt, & folia harundinacea nequaquam in partes finduntur. quæ Mannæ gramen non esse Coronopum euidenter ostendunt.

Cæterùm facultate Graminis istius semen Milio ac Panico simile esse videtur. Bohemi cum pinguium carnium iure coctum edunt, & sic apparatum, gratum ac suaue edulium est.

Gramen Manna alterum. Alterum Mannæ gramen harundinaceæ quoque naturæ est. culmos gignit complures, quosdam autem erectos, nonnullos verò in latus & terram versus reclinatos· folia vti prioris harundinacea: non iubam, sed veluti spicam fert, eamque asperiusculam, Panici paniculis breuiorem, rariorem & tenuiorem multò, & subinde singularem, non raro autem multiplicem ac ex pluribus constantem, quandoque item herbacei coloris, aliâs in rubore nigricantem; in qua semen candicans, duriusculum, Panico minus.

Frequens est iuxta agrorum aggeres, in hortis & alibi: reperitur non modò in Germania & Belgio, verùm & Italia, Gallia, ac alijs Europæ prouinciis.

Panicum palustre nonnulli, alij Panicum syluestre appellant. Eiusdem cum superiore generis est, & cerealium quoque frugum vitium quoddam, veluti & illud, Mannæ graminis species, ea de causa, altera.

Semen à gallinis, columbis, atque alijs auiculis, veluti & superioris, subinde editur.

De alijs Graminibus. CAP. III.

Gramen pratense I.



Gramen pratense II.



SVNT verò & alia multa propemodum infinita Graminum genera. Ex his quædam iumenta & quadrupedia pascuntur animantia: alia parùm aut nihil vtilia sunt.

Quæ pabulationi conueniunt omnia angustis folijs, & gracilibus quoque excutit culmis: quorum quædam Lolij, aut Milij, aut Panici, aut alterius omninò frugis; nonnullæ peculiarem, ac sibi propriam spicam, ut iubam proferunt. radices omnibus tenues, plurimis fibrosæ, capillamentis similes, paucissimis longæ & serpentes.

Nascun-


Gramen pratense III.



Gramen pratense IIII.



Gramen pratense V.




Gramen pratense VI.



Nascun-

Gramen pratense VII.



Gramen Eriophoron.



Nascuntur frequentius in pratis ac locis palustribus, non rarò tamen & in montibus, & quibusuis aliis incultis, aut desertis locis virent.

πόα. Hæc genera Theophrastus πόας, hoc est, herbas nominat. Est tamen & πόα, eodem auctore, generaliter omnis herba a radice foliata, non ramosa, quæ caule semen fert, vt frumenta, & pleraque olera.

Huiuscemodi autem Gramen Latini generali ac communi Graminis nomine appellant; Gallis *de l'herbe* dicitur: Germanis ac Belgis Gras.

Pascuntur id boues & iumenta, cùm viride, tum siccum & iam fœnum factum.

Inutilium Graminum non exigua quoque est turba. Quædam horum in locis exeunt palustribus riguis & plurima parte aquas habentibus, alia in aridis & apricis.

8. Inter palustria aut potius aquatilia, & vnum est, quod Eriophoron rectè appellatur. Habet istud pauca perquàm angusta & oblonga folia Gramini similia, inter quæ medius exit teres & longus stylus, iunco læuore & forma similis, ad cuius summum mollis, candicans dependet lanugo. radix huius vti aliorum fibrosa.

Plerisque humidis & desertis Brabantiæ & Germaniæ locis, huiuscemodi Gramen reperitur, præsertim Iunio ac Iulio mẽsibus, quãdo ex ipsis iunceis stylis lana candicans depẽdet.

Germani Matten flachs appellant.

9. Ex eorum verò numero, quæ in apricis & aridis locis exeunt, minimum quoddam ac tenuissimum est, subinde vix palmum altum, cui pro foliis iunci sunt tenuissimi, inter quos geniculati, & tenuissimi similiter culmi exeunt, dodrantales, aut breuiores, mollem, lanuginosam, inconditamque spicam, aut potius φόβην, siue iubam, proferentes. Pro radicibus fibræ sunt capillis similes.

Nascitur non in palustribus, sed tenui ac macro solo, locis aridissimis.

Spicæ siue iubæ, Iunio & Iulio mensibus emicant.

Gramen quis dixerit iunceum, propter eam, quam cum tenuissimis iuncis folia similitudinem habent.

Spartum herba. Sparti autem herbæ, quæ in Carthaginiensi Hispania gignitur, species fortè quædam est. Nam & huic Sparto, pro foliis, styli iuncei sunt, lenti, obsequiosi, ad omnia vitilia vtilissimi: locis quoq; gignitur aridis: Plinio etenim auctore, Spartum istud, iuncus proprie est aridi soli.

De Gramine Leucanthemo. CAP. IIII.

Gramen Leucanthemum.



AD Graminum genera pertinet & Leucanthemum gramen. cauliculos id gerit à radicibus multos, tenues, teretes, crebrò geniculatos, facile in terram nisi propè nascentibus fruticibus fulciantur, procumbentes: folia ex singulis geniculis bina, contra se posita, angusta, oblonga, duriuscula, Graminis tamen breuiora. Flosculi summis caulibus erumpunt plurimi, singuli suis insidentes pediculis, candidi, ex aliquot exiguis & angustis foliolis congesti, Leucoij floribus minores, quibus pereuntibus, folliculi succedunt oblõgi, in quibus semen paruum Milio simile. radices tenues & geniculatæ, latè veluti Agrosteos serpunt.

Secus scrobes, agrorum aggeres, locis frutetosis ac opacis crebrò reperitur.

Floret Maio & Iunio mensibus, & non rarò serius quoque.

Recentiorum pleriq; Eufragiam faciunt, verùm perperam; multùm enim ab Eufragia differt. Germani Augen-tröst graß: Brabanti Ooghen-troost gras nominant. cum κραταιογόνῳ autem Dioscoridis similitudinem habet nonnullam, quòd à nonnullis κραταιόγονον, à Theophrasto verò κραταῖος appellatur. Nam folium quidem habet Myagrio, quod à Dioscoride Melampyron quoq; dicitur, haud multùm dissimile, verùm minus: culmos etiam geniculatos, ab radice vna complures, & semen exiguum: conueniunt etiam natales, nam frutetosis quoque ac opacis locis prouenit.

Cratæogonon autem, vt Dioscorides ait, folia habet Melampyro similia: caules ab vna radice multos, geniculatos: semen Milio simile: nascitur in vmbrosis ac fruticosis, vehementer autem acre.

Porrò, vt Theophrastus tradit, κραταῖος nascitur ὥσπερ λίνον πύρινον, hoc est, veluti Linum triticeum, & fructum tanquam Milium fert.

Plinius autem Cratæogonon non Melampyri folio, aut Lino pyrino: sed spicæ Tritici simile esse prodidit, non absq; errore. qui vti satis euidens est, ita & suspicionem mouet, Theophrasti quoque locum corruptum ac vitiatum esse, ac pro eo, quod legitur, ὥσπερ λίνον πύρινον, legendum esse, ὥσπερ μελάμπυρον: præsertim cùm Lini pytini, vel apud Theophrastum, vel alios etiam auctores, ne nomen quidem vspiam reperiatur. *Plinij error.* *Theophrasti locus corrigitur.*

Cæterùm Cratæogoni, vt Galenus inquit, herbæ fructus & acris gustanti est, & vtenti admodum similis Milio. Traditum est à quibusdam, Dioscorides scribit, seminis Cratæogoni potionem efficere, vt mulier masculum pariat, si post mensium purgationem, priusquam concipiat, ieiuna ter in die, trium obolorum pondo, in cyathis aquę duobus, per dies quadraginta bibat, similiter & vir, totidem diebus, deinde cum ea coëat.

De Gramine Polyanthemo. CAP. V.


ACCEDIT Graminum generibus & Polyanthemum Gramen, quod folia pratensis Graminis minora, tenuiora ac breuiora profert: cauliculi inter hæc exeunt dodrantales, foliis vidui, in quorum summo flosculi in exigua vmbella compacti, in candido leuiter purpurascentes, Leucoij floribus singuli minores. radice nititur tenui & longa.

Reperitur in pluribus per Germaniam, Bohemiam, & Silesiam locis in agris, ac non rarò iuxta Rhenum ac Mosam: atque vno quidem loco maius ac altius, alio verò minus ac humilius. Exit & in palustribus nonnullis, haud procul à mari in Zelandia.

A Maio mense in multam æstatem floret.

Gramen appellari potest Polyanthemum, à florum multitudine, alio nempe destitutum

Gramen Polyanthemum minus



Gramen Polyanthemum maius.



nomine: Nam cùm μώλυος similitudinem nullam habeat, propriè ψευδομώλυ (quod plerisq; visum) esse non potest.

Vsum in medicina habet nullum: flosculi gratiam aliquam obtinent, & coronis subinde adduntur.

Gramen Parnasium.



De Gramine Parnasio.

CAP. VI.

AD Graminum genera pertinere videtur, quod Parnasium vulgò cognominatur. Sunt huic folia lata, nonnihil acuminata, Hederæ foliis satis similia, sed nequaquam angulosa, minora item & candidiora, dilutè nempe virentia. erumpunt inter hęc complures dodrantales, graciles, angulosi cauliculi, vnico ferè folio, eoq; absque pediculo, ipsum amplectente, in cuius fastigio flosculi odorati, candidi, quinq; foliorum; atque inde capitula rotunda, acuminata tamen, in quibus semen. radix nigricans fibris multis firmatur.

In riguis & humidis pratis, solo tamen gracili, sæpius prouenit, tum apud Germanos ac Belgas, tum & alibi.

Iulio mense cum flore reperitur, semen postea succedit.

Germani Leberblümlin appellant, atque idcirco Valerius Cordus Hepaticam albam. Poloni Enneadynamin Gesnero teste vocant. Cum eo Gramine, quod à Dioscoride Parnasium dicitur, similitudinem non exiguam habet: atque inde Belgis Gramen Parnasium nominatum. Describitur

bitur autem istud à Dioscoride his verbis: Quod in Parnaso Gramen nascitur, πολυκλαδώτερον siue multorum est ramulorum: folia Hederæ similia fert: florem album & odoratum: semen exiguum, non inutile: radices quinque aut sex digitalis crassitudinis, candidas, molles, & admodum dulces. Cum qua descriptione Gramen a nobis propositum conueniret, si radices responderent, quæ neque crassæ neque candidæ sunt. Qua de causa non legitimum, sed spurium genus habendum.

Cæterum spurium istud Gramen Parnasium adstringentis facultatis non expers est, quod sapor eius nonnihil acerbus satis ostendit, quale quoque legitimum esse apparet. Nam Dioscorides Graminis in Parnaso nascentis semen ait valde quidem diureticum esse siue vrinas mouere: aluum autem & vomitiones sistere.

De Trifolio pratensi. CAP. VII.

Trifolium pratense.



PRATENSE trifolium caules cubitales aut longiores promit, rotundos, subinde nonnihil hirsutos, plurima sui parte per terram serpentes: folia circa hos per interualla ex tribus simul hærentibus composita, quorum singularia, quæ quidem terræ ac radicibus proxima, rotundiora sunt, quę verò secundum caules enascuntur, oblongiora, & crebrò candidiorem maculam διχοτόμου, Lunæ ferè similitudine in medio habent: Flores in summis caulibus exeunt ab vmbella crassiore ac breuiore veluti spica, colore aliâs in rubro purpurei, aliâs candidi, gustanti dulces. semen in exiguis folliculis rotundum, radix longa & lignosa, teres, in altum descendit.

Nascitur in pratis ac palustribus locis, præsertim iis, quæ subinde fluuiali aqua rigantur.

Seritur & in aruis apud Brabantos nonnumquam huius generis Trifolium. est hoc, eo quod in pratis gignitur, lætius & procerius.

Floret Maio & Iunio, ac reliquę deinde æstatis maxima sæpenumero parte.

Græci huiusmodi Trifolium, τρίφυλλον ἐν τοῖς χορτοκοπείοις γιγνόμενον, & nō rarò, λωτὸν τὸν ἐν χορτοκοπείοις nominant: Latinis Trifolium pratense dicitur: Italis *Trifoglio*: Hispanis *Trebol*: Germanis Wisenklee vnd fleyschblumen: nostris Claueren: Gallis *Treffle*, & vetere eiusdem gentis lingua, *Visumarus*, vt tradit Marcellus scriptor antiquus. Quod in agris seritur, Medicam, imperiti cognitionis herbarum ac simplicium, perperam nominant.

Trifolij autem huius, cùm folia, tum flores refrigerandi ac resiccandi potentiam obtinēt. Fertur, ex horum decocto addito melle enema, intestinorum rosiones ac dolores sedare, & viscidos lentosque adhærentes intestinis humores educere: ex ipsa verò herba cataplasma vtiliter inflammationibus imponi.


Pascuntur herbam cùm boues & iumenta, tum vtilissimè vituli & agnelli. Flores apibus grati sunt.

Trifolium quoque inhorrescere & folia cōtra tempestatem surrigere certū est, Plinius ait.

De Trifolio Bituminoso. CAP. VIII.

TRIFOLIVM bituminosum, virgis fruticat tenuibus, magna ex parte erectis, bicubitalibus & altioribus; vnde longiores enascuntur pediculi, tenues, velut ramuli; in quibus terna folia, oblonga, veluti in mucronem desinentia (quæ tamen ante caulem exeunt rotundiora sunt) pratensis Trifolij latiora, maiora ac nigriora, è quorum sinubus rursus alij tenues prodeunt cauliculi, vmbellas ferentes, Scabiosæ vmbellis siue σκιαδίοις minores, plenas florum, coloris cærulei, siue Hyacinthini, id est, eius quem Hyacinthus refert cæruleus. Semen inde subsequitur oblongum, & vti Dioscorides tradit, aliquatenus latum, hirsutum,

Trifolium bituminosum.



Tarfilon.

&ab altera parte summoque cacumine, veluti apicem habens. radix tenuis est & oblonga. Odorem herba, foliaque bituminis referunt.

Nascitur, Hippocrates non Cous, sed Hippiatros ait, locis fragosis, vt Ruellij conuersio habet In Belgio ac Germania, nusquam sua sponte, sed in hortis tantummodo satum prouenit, vbi Iulio & Augusto demum mense floret.

Græci τρίφυλλον, & vti Dioscorides scribit, ὀξυτρίφυλλον nominant: plerique μινυανθὲς, alij ἀσφάλτιον, nonnulli κνίκιον Nicander etiam τριπέτηλον: Romani Trifolium acutum aut odoratum: nostra ætas Trifolium bituminosum. Auicennæ Tarfilon est, non autem, vt quidam existimant, Handacocha. Sub Handacoche siquidem nomine Auicenna Dioscoridi Lotos dictas comprehendit, vrbanam videlicet, syluestrem, & Ægyptiam, quas vno capite inter se confundit.

Describit Trifolium istud Scribonius etiam Largus cap. CLXIII. his verbis Quod ὀξυτρίφυλλον Græci appellant, nascitur hoc Siciliæ plurimum, nam in Italiæ regionibus nusquam eam vidi herbam, nisi in Lunę portu, cùm Britanniam peteremus cum Deo nostro Cæsare, plurimum super circumdatos montes. Est autem folijs & specie & numero similis communi Trifolio, nisi quòd huius pleniora sunt, & quasi lanuginem quandam super se habent, & in extrema parte veluti aculeum eminentem. Sed huius frutex duorum pedum interdum, aut etiam amplior conspicitur, & odorem grauem emittit, quorum nihil circa pratense Trifolium inuenitur.

Vis autem Trifolio, quod Asphaltion dicitur, calida & sicca, Galenus ait, vti bitumen, vtrimque tertio ordine, proinde potum laterum dolores ab obstructione iuuat, & vrinam mensesque prouocat.

Hippocrates Trifolium non solùm menses prouocare, sed & fœtus cùm sumptum, tum appositum expellere tradit Mulier, inquit, si ex partu non fuerit purgata, Trifolium in vino albo bibendum dato, hoc etiam menses educit & fœtus. Et alio loco. Idem etiam (de Trifolio scribens) appositum menses erumpere facit, & fœtum eicit.

Dioscorides, semen, ait, & folia in aqua pota, pleuriticis, vrinæ difficultati, comitialibus, iis, qui aquæ inter cutem principia sentiunt, & hystericis auxiliantur. Dari autem debent seminis drachmæ tres, foliorum verò quatuor. Præsidio etiam sunt commorsis à serpentibus folia trita & ex aceto mulso pota. Tradunt aliqui, totius fruticis, radicis, foliorumque decoctum, fotu dolores eorum finire, quos serpentes momorderint: qua autem aqua sanatus quis fuerit, si ea quispiam alius vlcus habens foueatur, perinde eum affici ac à serpente ictus. Quidam etiam terna folia, aut semina in tertianis cum vino exhibent, & in quartanis quaterna, veluti febrium circuitus exoluentia. Radix quoque antidotis additur, Dioscorides ait.

At veteres alij non radicem modò, sed & semen ipsis admiscuerunt, vt ex plurimis compositioribus, lib. II. De antidotis apud Galenum videre est: Theriacis videlicet Ælij Galli, Zenonis Laudocei, Claudij Apollonij, Eudemi, Heraclidis, Dorothei & Heræ.

De Trifolio ex America. CAP. IX.

Trifolium ex America.

TRIFOLIO bituminoso aliud quoddam simile reperitur peregrinum ex America Trifolium. caules istud fert à radice complures, rotundos, ramosos, in latus declinantes folia in singulis pediculis terna, colore in virore subnigra, figura rotundiuscula, primis & è radice exeuntibus bituminosi Trifolij, forma, colore & odore quoq; quadantenus similia, latiora tamen & per ambitus magis crenata. flores in summo ramulorum exeunt, exigui, subcandidi,

Trifolium ex America.



Trifolium odoratum siue Melilotus.



candidi, spicatim digesti; fructus inde rotundi, aliquantulum plani, Aphaces à nobis descriptæ semini fere similes. radix in plures diuiditur.

Ex America in Belgium Trifolium istud illatum est, vbi Iulio & Augusto floret.

Trifolij bituminosi speciem odor grauis, & eius odori haud multum dissimilis, ostendere videtur.

De Trifolio odorato, siue Meliloto.

CAP. X.

TRIFOLIVM odoratum, siue vt Pharmacopœorum Officinæ nominant, Melilotus, stirps est tres aut quatuor pedes alta, caule in alas ac ramulares adnascentias complures, mox à radice diuiso: folia ei terna, Trifolio aut citius Fœnograeco similia, candidiora, per oras lente ac minutè fimbriata: flores lutei melini coloris, in breuibus spicis exeunt: semen inde subsequitur in exiguis, nigris ac latiusculis siliquis, paruum, colorè pallidum. radix longa est. Refert tota herba odorem gratum, ac præcipuè flos eius luteus, qui & siccescentibus ipsis intenditur, exiguam quoq; amaritudinem cùm folia, tum flores gustatu referunt. 1.

Est & alterū huius genus flore candido, caule, folijs & reliquis priori simile. 2.

Item & tertium quoddam peregrinum ac rarissimum genus, flore purpureo cæruleo, sed inodorato. 3.

Reperitur & lutei floris longioribus siliquis, quam Ciliciam plerique cognominant. 4.

Præter hanc & alia est lutei floris quædam, folijs per circumferentiam non crenatis. 5.

Nascitur lutea siue vulgaris Melilotus nō in Germania, Gallia, ac Italia modò, verùm & in Belgio, circa aruorum & pratorum margines, fluuiorum ac torrentium ripas, ac subinde secus vias, locis asperis & in ruderibus. Similibus locis & candida in multis regionibus exit, apud Belgas tamen rarior, vbi nonnunquam in hortis seritur.

Nominant priorem Melilotum recentiorū nonnulli Trifolium odoratum: plerique Trifolium equinum & caballinum, quod videlicet ab equis auidissimè in pabulo expetatur. Germani grosse Steinklee, id est, nostra lingua, groote Steenklaueren/ item & Berenklee/ id est, Trifolium vrsinum: Romani ac Herrusci *Tribolo*, vt Matthiolus scribit: Saxifragam luteam Fuchsius, alij Melilotum Germanicam aut Officinarum, appellare malunt. Altera, Melilotus alba dicitur. 1. 2.

Vtuntur autem luteo Trifolio odorato, vniuersæ Germaniæ Officinæ in omnibus medicamentis ac compositionibus, pro veterum vera Meliloto.

Reprehendunt id ex recentioribus complurimi, qui veram esse Melilotum pernegant:

quorum rursus nonnulli nouum & veteribus incognitum Trifolij genus: alij Cytisum veterum esse contendunt: verùm neutri horũ veritatem assecuti. Cum Cytiso enim exiguum, imò nihil similitudinis habet, vt ex ipsa Cytisi descriptione, satis euidens est: nec etiam prioribus seculis incognita stirps est. Nam etiam si non alterius (quod tamen nõ verisimile) ipsius certè Auicennæ Melilotos est, quam eandem cum Dioscoridis Meliloto esse, de viribus ac facultatibus eius, ipsius Dioscoridis testimonium adductum, ostendit.

Duorum autem generum Melilotum Auicenna facit, vnam videlicet lutei floris, alteram candidi: vtramque odoratam & nonnullæ amaritudinis participem, ac simul digerendi facultatem cum nonnulla adstrictione habentem. Qualis vtique est præsente capite delineata, qua officinæ & huius inferioris & superioris Germaniæ, vtuntur. Qua de causa nec noua nec veteribus incognita stirps, sed ipsa veterum verissima videtur Melilotus præsertim cum ei nullæ veræ Meliloti notæ desint, & in qua facultates ac vires omnes, Meliloto à veteribus asscriptæ, reperiantur.

Est enim odorata herba, quæ & plenius resiccata redolet, ac talis aliquandiu perdurat, qualem Melilotũ esse, Theophrastus lib. De causis sexto, XXII. & XXIII. cap. memoriæ prodidit.

Florem etiam habet lutei coloris, veluti eius esse, quæ in Campania nascitur, Dioscorides tradit, (color enim ad florem contrahẽdus, nam herba, Plinius ait, incana est) laudatissimam siquidem in Attica, Cyzico & Chalcedone natam ait, quæ colore Croco vicina est, & boni odoris; at eam, quæ in Campania, in luteum languescere ac odore infirmiorem. Vnde colligendum odorem & colorem floris, remitti atque intendi, pro locorum ac regionũ varietate.

Iam & habet Melilotus Germanica amaritudinem, quam Auicenna, vti diximus, Meliloto inesse scripsit.

Digerendi quoque potentiam obtinet, quam non Auicenna modò, sed & Galenus Meliloto tribuit. Cataplasmatis siquidem, ac emplastris digerentibus resoluentibusque, necnon concoquentibus, tum & acopis omnibus vtiliter admiscetur.

Quæ certè omnia satis luculenter ostẽdunt, vulgarem Melilotum à veterum non discrepare, quam Græci quidem μελίλωτον, Latini Sertulam Campanam, Cato Sertam Campanam, plerique Coronam Regiam nominant.

Copiosior autem, vt Galenus ait, in Meliloto substantia est calida, quàm frigida, (primi videlicet ordinis calida & sicca) habet etiam quiddam adstringẽs, sed & discutit & maturat.

Dioscorides Melilotum tradit adstringentem & malacticam vim habere: At malacticam habet non propriam, sed quatenus in inflammationibus, aut aliàs collectos humores discutit ac digerit: nam catenus, quod durum est ac tensum, emollit, quæ propriè non emollitio, sed digestio & per halitum discussio est, cuiusmodi facultatem διαφορητικὴν Græci nominant.

Atque hoc modo inflammationem omnem emollit, præsertim, vt Dioscorides tradit, circa oculos, vterum, sedem, aut testes, cum passo cocta & imposita: interdum autem addito oui luteo assato, aut Fœnigræci farina, aut Lini semine, aut Tritici farina, aut capitulis Papaueris, Serideve. Sanat eadem recentes melicerides per se in aqua: & ἀχῶρας siue manantia capitis vlcera, cum terra Chia, Vino aut Galla illita: stomachi item dolorem & cocta, & cruda, cum aliquo ex antedictis, leuat.

Aurium etiam dolores crudæ expressæ succus cum passo instillatus, sedat: Capitis verò dolorem, quem κεφαλαλγίαν nominant, lenit, cum aceto & rosaceo irrigatus.

De Cytiso, ex Dioscoride, Galeno & aliis.

CAPVT XI.

FRVTEX Cytisus est, vt Dioscorides ait, candidus totus, vti Rhamnus, (aut, vt Plinius, aspectu canus, breuiterque si quis exprimere similitudinem velit, angustioris Trifolij frutex) ramos spargit cubitales aut longiores, in quibus folia Fœnograeci aut Loti insolia, sed minora, & medio eorum neruo maiore ac eminentiore, quæ digitis contrita Erucam olent, gustu Cicer nondum maturum resipiunt.

Galenus lib. I. De antidotis, Cytisum fruticosam plantam esse tradit, eam altitudinem attingentem, ad quam Myrti crescunt. Theophrastus χαλεπὸν, siue molestum eum esse scribit, ac omnia sibi propè assistẽtia enecare, sed eo tamen valentiorem ἄλιμον, qui ipsum etiam Cytisum interimit.

Materies Cytisi nigra est, & proximè ad Hebenũ accedere videtur, vt Plinius post Theophrastum lib. XVI. refert.

Pro legitimo autem Cytiso à recentioribus ostenditur frutex quidam lignosus, bicubitalis, aut altior, in multos ramulos sese explicans: folia cuius vnà cum caulibus incana & albicantia, quæ trita Erucam nonnihil redolent, & terna ab vno pediculo Trifolij instar dependent:

Cytisus vt existimatur.



dent: flores in summis virgulis elegantes, luteo auri relucent colore, forma Genistæ, sed minores, & amplius colorati: valuulæ planæ sunt ac recuruæ, & falcatę, crescentis Lunę formam referunt; in quibus semen. radix in ramulos spargitur.

Belgis hæc stirps hortensis tantùm est.

Inuentus est hic frutex in Cythno insula, inde translatus in omnes Cycladas. mox in vrbes Græcas, magno casei prouentu, propter quod maximè miror rarú in Italia: nō æstuum, non frigorum, non grandinum aut niuis iniuriam expauescit: Plinius.

Galenus in Mysia, qua parte Græciæ finitima est, tractum quendam occurrere, memorię prodidit, quem Britum nominant, vbi collem non magnum, Thymo, & Origano refertum, alibi locum Cytiso plenum vidisse se, scribit.

Satio autem Cytisi (Columella ait) vel autumno circa Idus Octobris, vel Vere fieri potest. Cùm terram bene subegeris, areolas facito, ibique, veluti Ocymi semen, Cytisi autumno serito, plantas deinde Vere disponito, ita vt inter se, quoquo versus quatuor pedum spatia distent. Si semen non habueris, cacumina Cytisorum Vere deponito, & stercoratam terram circumaggerato. Si pluuia non incesserit, rigato quindecim proximis diebus, simulatque nouam frondē agere cœperit, sarrito. Potest etiam ante Septembrem, satis commodè ramis Cytisus seri, quoniam facilè in quouis agro, quamuis macerrimo comprehendit, & iniuriam omnem sine noxa sustinet.

Nuncupant hunc fruticem Græci ac Latini κύτισον, Theocritus etiam κύτιλον, nonnulli κύθισον per θ, alij τηλίν. A Cythno, aut vt alij, à Cythisa Insula nomen, auctore Seruio, habet.

Refrigerant porrò Cytisi folia, Dioscoride auctore, tumores intra initia discutiunt, si cum pane trita imponantur: decoctam vrinam cit potum. Galenus Cytisi folia digerendi facultatem obtinere refert, aqueæ ac temperatæ mistam, sicut & Maluæ.

Mulieres, Columella ait, si lactis inopia premantur, Cytisum aridum in aquam macerare oportet, & cùm tota præmaduerit, postero die expressi succi ternas heminas permisceri modico Vino, atque ita potandum dari, sic & ipsæ valebunt, & pueri abundantia lactis confirmabuntur. Hippocrates Cytisum etiam inter ea, quæ lac extinctum reuocant, libr. De natura muliebri, & de morb. mulieb. enumerat. Aristomachus quoq; Atheniensis apud Plinium, nutricibus in defectu lactis, aridum, atque in aqua decoctum potui, cum vino dari iubet.

Apes non defore Cytisi pabulo contingente, promittunt Democritus & Aristomachus. Siquidem de Cytiso scriptores vno ore, Galenus inquit, traduut, apes ex Cytisi flore plurimum mellis excerpere.

Columella Cytisum etiam vtilissimum tradit gallinis, apibus, capris, bubus, & omni generi pecudum, quod ex eo citò pinguescit, & lactis plurimum præbere ouibus.

Marcellus antiquus auctor, alium quendam Cytisum describit, à superiore Græcorum Cytisus Marcelli.
Cytiso differentem, quem non iumentorum pabulo laudat, aut ad lactis copiam augendam commendat; sed mirum esse remedium tradit aduersus ischiadem & arthritim.

Herba est vel fructetum, ait, quòd maximè circa sepes vinearum nascitur, Latinè Cytisus dicitur, virgultis est subtortis vel curuis, folijs oblongis, bene virentibus, floribus conclusis, oblongis, albis vel etiam galbineis, bene olentibus, id est, mellito odore, fructetum ipsum semper virens æstate atque hyeme.

De Pseudocytisis. CAP. XII.

OCCVRRVNT verò & aliæ Trifoliæ, lignosæ ac fruticosæ stirpes, quę cum Cytiso similitudinem habere posse videntur.

Pſeudocytiſus prior



Pſeudocytiſus alter.



1. Aſſurgit vna à radice cauliculis teretibus, fragilibus complurimis, in alas ac ramulos diuiſis; folia circa quos crebra, minora quàm Trifolij pratenſis, colore virentia: floſculi circa virgularum faſtigia ſpicato quodammodo ordine digeſti, lutei, minores quàm Geniſtæ, alioqui conſimiles: ſuccedunt ſiliquæ tenues, oblongæ, anguſtæ, & ipſis Geniſtæ ſiliquis minores, in quibus ſemina exigua nigricantia. radix longa, alte deſcendit, quandoque in obliquú tendit.

2. Altera ſpecies copioſis ramulis ac cauliculis ſuperiorem referret, niſi humilior ac lanuginoſior eſſet, nec attollerentur, ſed magis ad latus cauliculi eius inclinarent: folia quoque paulò maiora, ſed tamen quàm Trifolij pratenſis minora: floſculi etiam magis coniuncti, atque veluti in capitulum compreſſi, tum etiam nonnihilo maiores ſunt ſiliquæ quoque aliquanto grandiores, hirſutęque. radix alte demittitur, in paucos diuiſa appendices. Contingit autem non rarò vno loco hanc reperiri hirſutiorem ſiue lanuginoſiorem, quàm altero: quo autem hirſutior ac lanuginoſior, hoc etiam magis incaneſcit, nam ipſa hirſuties albicanté quendam colorem vnà confert.

Reperiuntur huiuſmodi Cytiſi, in noſtra ætate appellata, Morauia, Marcomannorum olim prouincia, & in Pannonia ſuperiore ſiue Auſtria, iuxta vias, præſertim profundiores, & agrorum limites. vmbra etenim aliquo modo gaudere videntur.

Iunio ac Iulio cum floribus præcipuè vigēt: ſemen interea & poſt, ad maturitaté peruenit.

Carolus Cluſius in ſuis per Hiſpanias obſeruationibus & huiuſcemodi aliquot genera deſcribit, quæ ab iſtis exiguum vel nihil differre videntur. Differentia ſi qua eſt, cœli ſoliqúe differentium ac diſſimilium occaſione contingere poteſt: Nam hæc duo ad ſtirpium mutationem plurimum poſſe, Theophraſtus ſcribit.

Cytiſi autem eſſe ſpurias ſpecies ſatis manifeſtum; idcirco & Pſeudocytiſi dici ac nuncupari poſſunt, vel Cytiſi ſylueſtres.

Qualis autem facultas horum fruticum, vel ad quæ vtiles, exploratum aut cognitum nondum habemus.

De Trifolio fruticante. CAP. XIII.

TRIFOLIVM fruticans virgulas profert tenues, virentes, bicubitales & longiores, in obliquas, breues, ramulares adnaſcentias ſubinde diuiſas: folia circa has proximè ab ipſis radicibus

Trifolium fruticans.



radicibus plurima, singulis pediculis terna, sed medio eorum maiore ac longiore, Trifolijs angustiora & minora, ex nigro virentia, inferiore tamen parte viridiora: flosculi in ramulorum summo, exiguis insident pediculis, lutei, ab angustiore exigua veluti fistula, sese in quinque aut sex foliola pandentes, Buglossi vulgaris floribus quodammodo similes, sed minores: fructus rotundus est, magnitudine Eruiliæ, initio viridis, per maturitatem verò niger, in quibus semina lata, Lentibus similia. radix alba, longa, late sub terra serpit, ac plurimis non rarò progerminat locis.

Reperitur istud Trifolium apud Belgas in studiosorum hortis aliunde inuectum.

Floret æstate: autumno semen maturatur: frutex ipse perpetuò viret, & viuit radice cõstat.

Cytisum plerique appellant: nos Trifolium fruticans nominare maluimus cum Cytiso etenim non conuenit, vt ex eius descriptione superiore capite satis manifestum, nisi Marcelli Cytisus sit, cum quo aliquam forte similitudinem habere videri posset, si flos, qui ei luteus est, albus esset aut galbineus.

Galbineus autem color idem videtur cum cæruleo, aut similis. Vegetius enim Renatus in sua veterinaria, lib. I. cap. XVII. & lib. III. cap. II. Eryngium herbam describens, florem, inquit, habere aureum vel galbineum. Reperitur autem Eryngij flos cæruleus & luteus *Galbineus color.*

Sunt verò & nonnulli, qui Trifolium istud Polemonium esse existimant, quòd videlicet cum vulgaris Rutæ, aliquam huius folia similitudinem habere videantur. Sed Polemonium non vulgaris siue graueolentis Rutæ est folio, sed alterius, Hypericoidis videlicet, veluti & Hypericum, Anonis, & Cẽtaurium minus, quæ etiam folio Rutæ describuntur.

Porrò Trifolium fruticans nullius quidem vsus est, nec animantium cuiquam, multò minus apibus, quod sciatur, gratum.

Trifolium odoratum alterum siue Lotus satiua.



De Trifolio odorato altero, siue Loto satiua. CAP. XIIII.

TRIFOLIVM odoratum alterum, cauliculos habet erectos, rotundos, inanes, cubitales aut longiores, ramulares adnascẽtias multas: folia singulis germinationibus trina, Trifolio similia, leniter ac superficie tenus per ambitum crenata, ex quorum alis in singulis pediculis flores in exiguis veluti spicis, pallidi ex cęruleo albicantes, quos aspera sequuntur capitula, in quibus semen Fœnograeco minus. radix fibrosa est.

Tota herba cum caulibus & folijs, Trifolio non solùm bituminoso, sed & pratensi candidior est: odorata item est, & aroma cum grauitate quadam sentit, & plenius resiccata quidem: qui in decerpta aridaque diu etiam odor inhæret,

inhæret, & pluuiosa ac humente cæli constitutione intenditur. Fertur virens atque crescens septies in die odorem mutare, vnde & Germanice sieben gezeiten kraut / annosæ anus ipsum appellant.

Floret Iunio, Iulio ac Augusto eiusdem, quo satum est, anni mensibus in hortis cùm in superiore, tum in inferiore Germania, in Italia, Gallia, ac aliis in regionibus seritur.

Trifolium vulgò odoratum appellant: Germani, vt diximus, sieben gezeiten / nostri Seuen ghetijtcruijt, hoc est, septem temporum herbam: Hispani *Trebol Real*: Galli *Treffle odoriferant*. Lotus videtur vrbana, siue satiua, de qua Dioscorides lib. IIII. quæ Græcis λωτὸς ἥμερος, & à quibusdam τρίφυλλον, ab aliis ἑπτάφυλλον nuncupatur.

Vim autem vrbanam siue domesticam Lotum mediocriter concoquendi, & resiccandi possidere, Galenus ait, & in caliditatis frigiditatisq; coniugatione mediam quodammodo ac temperatam esse. Quæ certè facultates in hoc odorato Trifolio euidenter conspicuæ sunt.

Dioscorides, extractus, ait, succus addito melle oculorum argemas, nubeculas, λευκώματα (albugines vocant) & quæ pupillas oculorum obscurant, expurgat.

Nostri oleum in quo folia floresq; odorati huius Trifolij macerata, recentia vulnera glutinare tradunt, & ad puerorum enterocœlas, bubonocœlasq; plurimùm commendant. Interponitur & arida herba vestimentis, quæ ne à tineis rodantur, defendere putatur.

De Loto syluestri. CAP. XV.

Lotus syluestris ex Cod. Cæsareo.



DIOSCORIDES trium Lotorum, excepta tamen Loto arbore, mentionem facit: Satiuæ videlicet, syluestris, & Ægyptiæ. has tres Auicenna vno capite, videlicet 341. sub Handocochę nomine complexus est.

De ea quæ pro satiuo habetur, præcedente capite scriptum.

Syluestrem Lotum Dioscorides caule esse ait bicubitali, & maiore, multas alas habente: folia similia Trifolij pratensis: semen veluti Fœnograeci, minus paulò, gustu medicam.


Plurimum hanc in Libya nasci, idem author est, & Trifolium minus appellari. Huiuscemodi autem syluestris Lotus hactenus incognita latet. In vetusto autem Bibliothecę Cęsareæ Codice, Loti syluestris huius imago reperitur. Depingitur autem caule recto, foliis Trifolij, & e sinu horum, pediculis flores, deinde siliquas, proferentibus, quæ tenues sunt, & quàm Fœnogręci minores, vt imago ostẽdit.

Vim autem calfacientem & leuiter adstringentem habet: vitia cutis in facie, & ephelidas cum melle peruncta expurgat. bibitur & vtiliter per se trita, aut cum Maluæ semine, cum vino passo, aduersus vesicæ dolores.

De Loto Aegyptia. CAP. XVI.

LOTVS quæ in campis Ægypti aqua inundatis prouenit, caulis est, vt Dioscorides refert, Ægyptiæ fabæ assimilis: florẽ habet paruum, candidum, Lilijs similem; quem ferunt oriente Sole explicari, occidente verò occludi; totoque capite sub aquis condi, & rursus oriente Sole emergere. simile caput eius est Papaueris maximo calyci, in quo semen Milij quantitate, quod resiccatum Ægyptij in panificium recipiunt. radicem Cotoneo malo similem habet. Eadem de hac Loto Theophrastus refert paulò tamen latius hanc describens: florem siquidem, ait, candidum, Lilijs angustia foliorum proximum, multos verò ac densos promiscuè exire, Sole occidente sese contrahere caputq; integere, ad ortum verò aperiri, & supra aquam assurgere: idq; facere dum caput perficiatur, floresque defluant. capitis autem magnitudinem quantum Papaueris maximi: radicem totũdam mali Cotonei amplitudine, cortice nigro, quali Nux castanea tegitur; corpus verò internum candidum esse.

Lotus Ægyptia ex Cod. Cæfareo.



Extat in antiquo illo Bibliothecæ Cæfareę Codice, Ægyptiæ Loti icon, fed quæ non nifi folia & radicem exprimat folia autem depinguntur tria, lata, fingula longis ac craffis pediculis infidentia, ac e radicibus exeuntia radix verò rotunda, mali inftar.

Ægyptia Lotus dicitur, quòd in Ægypto gignatur. Radicem huius Corfium appellari Theophraftus ait: Strabo autem Geographię lib. XVII. Corfium fructum effe tradit piperi fimilem.

Radicem crudam & coctam edi Diofcorides fcribit: Theophraftus elixam affamq; in fpeciem albuminis vetti memoriæ prodidit, & cibis gratam: mandi etiam crudam, fed gratiorem decoctam, feu aqua, feu pruna.

Qui huius radicibus victitant Lotophagos dici, Strabo auctor eft. Theophraftus autem ex Loti arboris fructu, qui dulcis ac fuauis eft, viuentes, Lotophagos appellat.

De Trifoliis Corniculatis.
CAP. XVII.


CORNICVLATORVM, hoc eft, quæ exiguas filiquas inftar corniculorum proferũt, Trifoliorũ aliquot reperiuntur genera.

Corniculatorum autem horum Trifolio- 1.
rum primum genus, multis exit tenuibus &
infirmis cauliculis, humi procumbentibus;
circa quos foliola incana, minora & angufto-

Trifolium corniculatum I.



Trifolium corniculatum II.



ra quàm

ra quàm Trifolij flores profert luteos, splendentes, Ochri floribus minores, complures simul in virgularum fastigiis eminentes: succedunt siliquæ aliquot paruæ, oblongæ, tenues, teretes, & angustę, in quibus semina rotunda exigua. radix dura ac lignosa, singulis annis regerminat.

2. Alterum genus cauliculos quoque habet tenues, longosque: folia Trifolij aut Fœnogræci, ambitu serrata: flosculos luteos, pallentes, in vmbella instar ferè pratensis Trifolij, post quos exiguæ complures, recuruæ corniculorum modo, siliquæ exeunt, in quibus semina parua, sapore ac forma seminis Genistæ. radicibus firmatur longis, tenuibus & fibrosis.

3. Tertium genus caule, folijs, ac radicibus, prioribus, vti Tragus ait, simile, flores autem maiores, & in luteo splendidiores, siliquæ verò ei longiores, ex singulis tres, aut quatuor, auium vnguibus persimiles, in quibus semina rotunda, vt Arachi.

Nascuntur hæc genera, pluribus Germaniæ locis sua sponte: primum Belgio familiarius est, vbi secus vias, & agrorum margines passim reperitur: florent æstate.

Trifolia corniculata, ad differentiam aliorum nominari possunt, aut Loti syluestres. Differunt tamen non parùm, à Dioscoridis syluestri Loto, quæ in Libya prouenit. Nam Dioscoridis syluestris Lotus, caule est bicubitali, & sæpe maiore: alis multis: folijs Trifolij pratensis: semine Fœnogræci, multò minore, gustu medicato. Qualem in totum nullum horum corniculatorum Trifoliorum est.

Syluestris Lotus.

Habent autem ista corniculata Trifolia, cum Serapionis, aut Ysaaci Meliloto similitudinem maximam. Serapio enim ex Ysaaco Melilotum describens, vaginas ipsam facere ait, veluti & ista Trifolia faciunt, quam ob causam (cæteris notis non repugnantibus) Ysaaci & Serapionis Meliloti videntur. non tamen idcircò Dioscoridis, aut Galeni, licet tamen has inter se Serapio confundat, vt sæpè multas alias confundere, Arabibus proprium quodammodo est vitium.

Differentiam vtriusque, ipse siue Ysaac, siue Serapio ostendit, vaginam & semen huius Meliloti præcipue commendans: nam alterius Meliloti floribus potissimum, veteres Græci vsi sunt, non siliquis aut semine, vt ex emplastrorum, malagmatum, & aliorum compositionibus, quæ apud Galenum, Paulum, Aëtium, & alios reperiuntur, euidens est. Meliloti siquidem, quod à Dioscoride describitur, in floribus præcipua facultas est.

Melilotus Ysaaci aut Serapionis. *[ ] Videtur redundare.*

Describit autem Melilotum suam ex Ysaaco, Serapio his verbis. Alchilel, siue Melich (ita enim Melilotum Arabes hi nominát) herba est, quæ habet folia rotunda, viridia: ramuli eius sunt subtiles multùm, & folia rara, & fructus habens vaginas subtiles, rotundas [sicut virgæ puctorum paruulorum] & sunt in eis grana pauca, glauci coloris, rotunda, minora granis Sinapis, & quod de ipsa administratur, sunt illæ vaginæ, cum eo, quod est in eis ex granis.

Quæ certè descriptio istis corniculatis Trifolijs satis respondet, & præsertim primo ac tertio generibus.

1. At primum horum Germani **wilden klee / stein klee / vnser frauwen schuchlin / vnd voghels wicken** appellant: nostri **steen claueren** & **vogels witsen**: nonnulli herbam leporinam. Fuchsius Melilotum Germanicam facit.

2. Alterum genus idem Melilotum Italicam, & Germanis **Wälscher steinklee** nuncupat, & cum vera Meliloto conuenire existimauit, cum qua tamen per omnia non communicat.

1. Facultatem autem primum genus possidet euidenter adstringentem, frigidum ac siccum natura sua, incipientibus idcirco inflammationibus vtile, & omnibus, quæ reprimi ac refrigerari desiderant.

Cæterorum duorum non ita exploratæ, aut cognitæ nobis vires sunt.

De Trifolijs cochleatis, hoc est, quorum siliquæ testæ cochlearum similitudine, in vertiginem tortæ sunt. CAP. XVIII.

1. HVIVSCEMODI Trifoliorum duo potissimùm sunt genera. Primum cauliculos habet tenues, rotundos, non erectos, sed per terram repentes: folia Trifolio similia, verùm minora, teneriora: & per ambitum crenata: flores ex luteo pallentes, paruulos in summo pediculorum: fructus latus est, & aliquot circumuolutionibus in spiras cochleæ modo contorquetur, in quibus semina parua, candida, nonnihil recurua. radix tenuis est.

2. Alterum cauliculis prius refert: folia quoque Trifolij minora, sed haudquaquam per margines incisa: flosculi quoque lutei: valuulę quoque in spiras contortæ, sed longiores, angustiores, & spinulis aliquot horridulæ.

Conuenit istud aut saltem proximum est ei, quod à Carolo Clusio Medica Manna appellatur, & à se in Hispania, & Gallia Narbonensi iuxta maris Mediterranei; in Lusitania verò iuxta Oceani littora, repertum refert.

Apud Belgas & Germanos vtrumque hortense est. Æstate flores ac semina proferunt.

Galli

Trifolium cochleatum primum.



Trifolium cochleatum alterum.



Galli huiuſcemodi Trifolium *L'herbe au limaſſon* nuncupant: Recentiorum plerique hæc Trifolia Medicas eſſe iudicant, nos Trifolia cochleata appellare maluimus, à ſiliquis cochleæ alicuius modo conuolutis: nam cum Medicæ deſcriptione (licet fortè ſimilitudinem aliquam habeant) non conueniunt. Lentis enim magnitudinem, fructus ſiue ſiliqua multum excedit. ſemen verò quod in ipſis continetur, non modò Lentis formam non habet, ſed nec magnitudinem, multò Lente minus. Iam & iumentorum aut boum pabulo hæc Trifolia nec requiruntur, nec vtilia habentur, ita vt his de cauſis (præter alias rationes) non eſſe veras Medicas, abundè conſtare videatur.

De Medica. CAP. XIX.

EX Trifoliorum, & eorum quidem, quorum valuulæ cochlearum modo intorquentur, genere & Medica eſt. Virgulas hæc ſiue cauliculos habet complures, rotundos, virentes: folia Trifolio ſimilia, circa caules minora & contractiora: flores in vmbella breui, craſſæque ſpicæ quodammodo perſimili exeunt, pratenſis Trifolij anguſtiore & minore, colore vt plurimum in cæruleo purpurei: ſequuntur inde ſiliquæ ſiue cornicula cochlearum ſimilitudine intorta, ſed multò, quam cochleatorum Trifoliorum, anguſtiora; Lentis videlicet tantùm latitudine, aut paulò ampliore, ac in pauciores ſpiras contracta, duas videlicet aut tres tantum, in quibus ſemen minutum & candidum. radices ſubſunt, vti aliorum Trifoliorum, longæ, tenues, & lignoſæ.

Naſcitur pleriſque Hiſpaniæ locis ſua ſponte, quod ſatiuo tenuiora habet folia, & flores ſubinde ſubluteos. In Valentino regno, & vocata Catalonia, Terraconenſis Hiſpaniæ prouinciis, in agris ſeritur, vbi crebrò ſingulis æſtiuis menſibus reſecatur, & in decem aut duodecim annos perdurat.

Serendam Medicam, Varro ait, in terra non nimium arida, aut varia, ſed temperata. Palladius Aprili menſe, ſerendam eſſe Medicam ſcribit, ac ſemel ſatam decem annis permanere, ita vt quater vel ſexies poſſet per annum recidi.

Appellant hanc herbam Græci Μηδικὴν: Latini ſimiliter Medicam: Caſtellani *Mielgas*: Valentini ac Catalani *Alfaſa*, voce aut Barbara, aut ab Arabica deflexa: nam Arabum princeps

Medica.



σπέρμα.

ceps Auicenna Medicam *Cot, alaſelett* & *alfaſafa* nominat. Veram auté & legitimam hanc eſſe Medicam, ipſa Medicæ dilucida apud Dioſcoridem deſcriptio, euidenter oſtendit, quæ talis eſt: *μηδικὴ ἔοικε μὲν ἄρτι φυομένη τριφύλλῳ τῷ ἐν χορτοκοπίοις, προάγουσα δὲ στενοφυλλοτέρα γίνεται, καυλοὺς ἀνίεισι τριφύλλῳ ὁμοίους, ἐφ' οἷς τὸ σπέρμα περιπέφυκε φακοῦ τὸ μέγεθος, ἐπεστραμμένον ὡς κεράτιον* hoc eſt, Medica cùm recenter prodiit ſimilis eſt Trifolio pratenſi, verùm in progreſſu folia eius anguſtiora, cau-les producit Trifolio ſimiles, quibus fructus accreſcit Lentis magnitudine, corniculi modo intortus.

In qua deſcriptione *σπέρματος* nomen ad totum fructum (vt non rarò aliâs) referendum, qui, vti ſcripſimus, Lentis magnitudinem proximè exprimit, & corniculi implicati ac contorti ſimilitudinem refert.

Nominatur autem Medica à Media. Externa, inquit Plinius, Græciæ, per bellum Perſarum, quod Darius intulit, inuecta.

Facultatem autem Medica frigidam habet, ea de cauſa, quibus refrigeratione opus eſt, viridis impoſita prodeſt.

De Trifolio agrario.
CAP. XX.

IN Medicæ nomen & appellationem recipi quoque poſſe videtur, Trifolij quoddam genus ſylueſtre: cauliculi huic ſunt tenues: folia ex interuallis Trifolio ſimilia, verùm minora, per oras leniter crenata: flores exigui & lutei, in breues veluti ſpiculas aut paniculas compacti, quos ſuccedunt parua capitula, ex multis nigricantibus, latis, recuruis ſeminibus congeſta: radix tenuis eſt & fibroſa.

Trifolium agrarium.



Trifolium agrarium.

In Germania ac Belgio ſecus vias, agrorum margines, ac non rarò in ipſis agris frumentum ferentibus reperitur.

Plurima æſtatis parte floret: ſemen interea producitur.

Plerique noſtrate idiomate **ſteenklaueren** & Germanico **ſteinklee** nominant, proprius tamen **veltklee** & **veltklaueren**, ac Latinè Trifolium agrarium quis nuncupauerit: exiſtimatur, vti diximus, Medicæ eſſe ſpecies, propter ſeminis cum Lente aliquam ſimitudinem, quod tamen non rotundum eſt, nec corniculi alicuius intorti, vel cochleæ modo in ſpiras vllas cõtractum: vnde manifeſtum eius cum Medica diſcrimen. Iam & herba ipſa iumentorum, pecudum & quadrupedũ pabulo, nõ expetitur, ſed ferè negligitur Medica enim, auctor Dioſcorides, pro gramine vtuntur, qui pecora alunt.

De Trifolio candido. CAP. XXI.

CANDIDVM Trifolium, rectis aſſurgit caulibus compluribus, ſeſquipedalibus, aut

aut altioribus: folia ei Trifolio, aut Fœnograco minora, in singulis pediculis trina, acuminata. flores candidi, aut tenuiter ex albido purpurascentes radix lignosa & viuax est. Tota herba, vnà cum caulibus & foliis, ab vtraque parte, incana est, & molli tenuiq; lanugine hirsuta.

Nascitur in quorundam hortis: peregrina enim Belgio & aliunde inuecta, floret hîc sub finem æstatis.

Studiosorum plerique Glaucem, alij Cytisum faciunt, nonnulli Scribonij Oxytriphyllon At Scribonij Oxytriphyllon a Trifolio bituminoso non differt

Cytisus verò frutex est, vti paulò ante scripsimus, lignosus, apibus & iumentis gratus; at istud Trifolium nec lignosum est, nec vel apibus vel animantium cuiquam iucundum esse, obseruari potuit.

Cum Glauce autem similitudinis quoque nihil aut exiguum omnino habet, neq; enim caulibus suis serpit, neq; flores habet purpureos, & ramuli eius dodrante sunt longiores.

Describit verò Glaucem Plinius his verbis: Glaux antiquitus εὐγάλακτον vocabatur, Cytiso & Lenticulæ foliis similis, auersa candidiora (superna virent. Dios. addit) rami in terram serpunt quini, seni ve admodum tenues (dodrantales, Dioscorides) ab radice. flosculi purpurei exeunt: inuenitur circa mare. Eugalacton ab effectu nominatur, & idcircò à quibusdam non γλαῦξ, sed γλάξ aut γάλαξ pronunciatur: hæc, inquit Dioscorides, decocta cum farina hordeacea & sale, & oleo, & in sorbitione exhibita, extinctum lac reuocat eamque quæ hausent, Plinius superaddit, balneis vti conuenit. Glaux.


At candidum Trifolium cuius facultatis sit, aut ad quæ vtile, incompertum.

De Lagopo. CAP. XXII.

Lagopus.



Lagopus maior folio Trifolij.



LAGOPVS caule enascitur rotundo, erecto, foliis Trifolij minoribus, paucis: paniculas, 1.
siue spicas, in summo cauliculorum & ramulorum gerit, molles, lanuginosas, leporinis pedibus simillimas: flores vt plurimum luteoli: semen paruum.

Sunt tamen & Lagopi quidam maiores, flore rubentes: vni folium latius, & Trifolij pra- 2. 3.
tensis æmulum: alteri oblongius.

Lagopus maior alter.

Lagopyrus

1.



In ſegetibus & hortorum areis Iulio & Auguſto menſibus reperitur: & quibuſdam locis maior & altior, aliis minor & humilior.

Græcis λαγώπους. Latinis Leporinus pes, & pes leporis, a ſimilitudine dicitur. Germanis Haſen füß/ katzen klee: noſtris Haſen pootkens & Haſen voetkens: Hiſpanis *Pie de liebre*: Italis *Pie de lepre*. Gallis *Pied de lieure*. nonnullis Trifolium humile. quibuſdam Hippocratis λαγώπυρος videtur.

At Lagopyrus, non Trifolio, ſed Tritico ſimilis eſt vbi areſcit, & folio paruo velut Olea, ſed longiore, vti Hippocrates ſcribit.

Adſtringit autem Lagopus & exſiccat. Vim habet, Dioſcorides ait, ſiſtendi aluum, cum vino pota, febrientibus autem, cum aqua danda. Alligatur eadem, contra inguinum inflammationes.

De Trifolio acetoſo.

CAP. XXIII.

HVMILIS herba Trifolium eſt acetoſum, cauliculi ei è radice tenues exeunt, in quorum ſingulis tria inſident foliola, exigua, tenuia, pallide virentia, ſapore acida, quorum ſingula cordis effigiem quadamtenus referunt: flores in breuibus pediculis inter folia è radice proſiliunt, candidi, quinque foliolorum, poſt quos capitula Ocimi minora, pentagona, in quibus ſemen exiguum & luteum: radix obliqua, tenuis & ruffa.

Naſcitur locis ſyluoſis, humidioribus, iuxta arborum ſæpè radices, ſecus aquoſa, & ſubinde petroſa loca. In Germania Belgioque ſatis frequens.

2.

Trifolium acetoſum.



Oxys Plinij

Apud Hiſpanos verò quibuſdam locis, alia huius reperitur ſpecies, flores ferens luteos, & ſiliquas tenues, teretes, & oblongas, vulgari alioqui ſimilis.

Aprili menſe & ſub initium Maij florent: ſemen citò pòſt ſuccedit.

Trifolium nominant acetoſum: Officinæ & vulgò Alleluya, & Panem cuculi: quòd vel cuculus auis eo veſcatur, aut quia hoc erumpente, ac florẽte vocem potiſſimùm edat, quo etiam tempore Alleluya in templis frequentius cani conſueuit. Hieronymus Fracaſtorius Luyulam nominat. Alexánder Benedictus vulgò Alimoniam vocari tradit. Germanis Saurerklee/ buchklee/ buchampffer/ buchbrot/ guckgauchklee/ gauchklee/ & haſenklee: Belgis Coeckcoecxbroot: Gallis *Pain de cocu* appellatur.

Plinio Oxys dicta putatur, de qua ſic lib. XXVII. cap. XII. Oxys folia terna habet, datur ad ſtomachum diſſolutum, edunt & qui enterocelen habent. Galeno autem lib. VIII. De ſimplicibus, Oxys eadem quæ & Oxalis. Dicitur Plinio Oxys etiam Iunci ſpecies.

Porrò

Oxys siue Trifolium acetosum.



Porrò temperiem Trifolium acetosum, frigidam & siccam habet. Putridis ac fœtidis oris vlceribus medetur: sitim arcet, & eadem, quæ Oxalis potest.

De Trifolio aureo. Cap. XXIIII.

Trifolium aureum.



AVREVM Trifolium absque caule herba est folia habet lata, magnitudine foliorum Asari; sed in tres diuisa partes, & magno alicui Trifolio similia, inter quæ medij ex ipsis radicibus graciles, teretesq́; , subhirsuti, ac modicè ex virore rubentes, erumpunt coliculi, dodrante breuiores: in quorum summo singuli flosculi, forma & magnitudine Ranunculi hortensis floribus similes, colore cæruleo diluto, ex senis, septenisq́; foliolis cõmissi, quorum medium exiguum occupat capitulum, paucis & exiguis staminibus candidis circumdatum, in quo semen deinde nascitur paruum candicansq́;, quod sua sponte maturum exilit. radices subsunt graciles, numerosæ, nigræ, & in diuersa tendentes.

Folia hyeme permanent. flores, si cælum clemens fuerit, circa Februarij medium erumpũt: sin rigidius, mense Martio. Semen Maio maturescit. Post florum defluuium noua erumpunt folia, quæ auersa parte nonnihil purpurascunt, sed minus tamen quàm Cyclamini minoris.

Reperitur plerisque Germaniæ superioris locis in syluis vmbrosis, inter fruteta, in Bohemia verò & secus vias: in Belgio autem non nisi satum prouenit. Inuenitur & apud Italos, & non modò cæruleo flore, eoq́; subinde multiplici, sed & candido, ab Alfonso Pancio Doctore Medico in Academia Ferrariensi, in simplicium cognitione versatissimo, accepimus.

Herbarij nostræ ætatis Hepaticam appellant: Germanicè edel Leberkraut/ item & gulden Klee/ hoc est, Trifolium aureum: nostris edel Leuercruyt/ & gulden Leuercruyt: Gallis *Hepatique*. Baptista Sardus, Trinitatem & Trinitatis herbam nominat.

Sunt qui βάλιν esse suspicentur, quam Trifoliam herbam esse Hesychius scribit. Sed Balis descriptione nusquam extante, nihil definiri potest. *βάλις.*

Refrigerandi autem ac resiccandi potentia cum adstrictione, hæc herba prædita est: hepati per caliditatem debilitato conferre fertur, nam & refrigerat, & robur ei non exiguum confert.

Laudatur, & ad radicem efficax à Bap. Sardo perhibetur, si resiccatæ puluis cochlearis mensura, ex vino aut iure aliquo, aliquot continuis diebus exhibeatur.

De Trifolio palustri. CAP. XXV.

Trifolium palustre.



PALVSTRE Trifolium caulibus exit cubitalibus, virentibus, leuibus, interna parte porosis: folia ei lata, glabra & carnosa, Faselorum, siue Bœnarum foliis similia, nisi quòd in singulis pediculis non plura, sed tria tantum vt Trifolio: flores à medio caulis sursum versus ordine digesti, candidi, foliosi: folliculi inde parui, rotundi, in quibus semē ruffum Milio simile: radicibus serpit pluribus, geniculatis, intùs candidis, & porosis, in diuersa tendētibus, quę & pluribus locis erumpunt, & caules foliaq; promūt, vnde facilè herba ipsa late propagatur. Saporem habet semen nonnullæ amaritudinis participē.

Nascitur vliginosis palustribus locis, sterili ac macro solo.

Germani Biberklee, id est, Castoris Trifolium, siue Trifolium fibrinum nuncupant. Belgæ autem à similitudine foliorum cum Bœna siue Faselo, Boxboonen/ hoc est, Faselum hircinum: aut Bœnam hircinam: Recentiores Trifolium palustre nominãt. Cum Isopyro autem non exiguam similitudinem habet: nam Phasiolo, siue Faselo, foliis simillimum est, ita vt propter hanc quoq; similitudinem, vulgò etiam à Belgis, vti iam diximus, Faselus nuncupetur hircinus.

Isopyron enim & Phasiolum dici, propter eam quam cum Phasiolo similitudinem habet, Dioscorides auctor est. Additur & alia in vulgaribus Dioscoridis & Plinij exemplaribus ratio: & in illius quidem τῷ κατ' ἄκρου τὸ πέταλον ἕλικα φέρειν, id est, quòd in summo folio clauiculas ferat: In huius verò, quoniam folium, quod est Aniso simile, in pampinos torquetur. Quæ vtrique auctori, perperam accessisse, satis manifestum: nec etenim Faseli, nec Faseoli, siue Dolichi, folium clauiculas habet, & Anisi folium, pręter quod clauiculis careat, cum Faseli aut etiam Faseoli foliis, nullam habet similitudinem.

Dioscoridis & Plinij loca emendata.

Emendandum igitur Dioscor. exemplar, & hoc modo legendum: Ἰσόπυρον, οἱ δὲ φασίολον καλοῦσιν, ἀπὸ τοῦ ἐοικέναι φασιόλῳ, ἔπεισι δὲ κεφαλαὶ ἐπ' ἄκρου τοῦ καυλοῦ λεπταί, σπερματίων πλήρεις, παραπλησίων μελανθίῳ τὴν γεῦσιν. hoc est, Isopyron aliqui Phasiolum nominant, à similitudine Phasioli, capitula ei sunt in summo caule tenuia, plena seminis, in gustu Melāthio similis.

Isopyron.

Quod verò deinde sequitur. τὸ δὲ φύλλον ἀνίσῳ, id est, folium verò Aniso, aut accessorium similiter est, aut de gustu quoque venit intelligendum: forma siquidem folium Isopyri Anisum referre non potest, cùm Phasioli foliis simile sit. sed verisimilius est ab aliquo adiectum; Oribasij enim liber ex Dioscoride transcriptus, hoc postremum non habet.

Atque hoc quidem modo, Isopyri descriptione emendata & castigata, Trifolium palustre ei tam simile est, vt non aliud quàm verum Isopyrum videatur.

Isopyri autem semen, vt Dioscorides ait, contra tussim & dolores circa thoracem cum melicrato sumptum prodest: confert etiam hepaticis & sanguinem exscreantibus. Extergit enim, inquit Galenus, & incidit humores crassos, cum hoc, vt corpora cōtrahat & cōstringat.

LIBRI QVARTI PEMPTADIS QVARTÆ

FINIS.

STIR-

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTADIS QVARTÆ

LIBER QVINTVS,

DE AQVATILIBVS ET PALVSTRIBVS HERBIS.


PRÆFATIO.

POST Gramina ac Trifolia ad aquatiles & reliquas palustres transeundum videtur. quæ, vt antea diximus, nulli alteri operis nostri parti, quàm huic addi potuerunt. Subsequi hic liber tertium potuisset, sed Graminum & Trifoliorum descriptiones præmittere magis consonum fuit, aquatilium verò & palustrium postea tractare.

DE TRIBVLO AQVATILI.

CAPVT I.

Tribulus aquatilis.



AQVATILIS Tribulus caules habet longos, inferiore, & qua sub aquis est parte, graciliores, iuxta verò aquæ superficiem crassiores ac foliosos. adhærent sub aquis crebra capillamenta, quibus & fundo affigitur: superior folia promit lata, Populeis aut Vlmeis propemodum similia, sed breuiora & forma quodammodo rhombi, per circumferentiam crenata, inter quæ flosculi exeunt, deinde fructus Auellanis nucibus paulò maiores, nigricantes, quatuor duris aculeis modice recuruis spinosi, in quibus nucleus cădidus, gustu haud ingratus, qui & recens mandi, & arefactus molaque contritus in panem cogi posse fertur.

In superiore Germania in lutosis lacubus & vrbium fossis, quibus limosus subest fundus, nasci Cordus refert: apud Brabantos verò & alibi in Belgio in stagnătibus puris & fontanis aquis non rarò reperitur. Matthiolus non modò in dulcium aquarum lacubus, sed & in marinis quibusdam iuxta Venetias pmuenire, auctor est.

Τρίβολος ἔνυδρος Græcis: Latinis Tribulus aquatilis siue aquaticus, & Tribulus lacustris: Officinis Tribulus marinus dicitur: Germanis Wasser nuß/ weihernuß/ seenuß/ stachelnuß/ spitznuß: Brabantis Watemoten, & à similitudine aculeorum ferreorũ Mинckysers: Galli *Macres*.

Fructus autem huius Tribuli, plerique Castaneas aquatiles appellant.

Refrigerantis porrò Tribulus iste est naturæ: ex humida & frigida essentia componitur, quæ magis in hoc aquea est, quàm in terrestri, in qua terreum frigidum potentius, vt Galenus ait: proinde inflammationes omnes, vti Dioscorides tradit, cataplasmate adiuuat: cum melle aphthas, tonsillas, oris putredines, gingiuasque persanat. Succus ad oculorum medicamenta colligitur.

Thraces, Plinius inquit, qui Strymona habitant, foliis Tribuli equos saginant, ipsi nucleo viuunt, panem facientes prædulcem, & qui contrahat ventrem.

De Fontali siue Potamogeitone. CAP. II.

Potamogeiton.



Potamogeiton altera.



1. CAVLICVLOS habet Fontalis, tenues, vinculosos, geniculatos; folia oblonga, Betæ foliis minora, durioraque, quæ tenuibus ac longiusculis pediculis insidentes, supra aquas eminent, & ipsius superficiei, vti Nymphææ folia, incumbunt: flores in breuibus spicis, ex diluriore purpura rubent, vt Bistortæ. semen durum.

Reperitur in paludibus, lacubus, vrbium fossis, & aliis stagnantibus aquis, non rarò etiam in riuulis lentè fluentibus. vbique frequens.

Flores conspicui sunt, Augusto aut Septembri.

A Græcis ποταμογείτων dicitur & σταχυίτης: Latinis Fontalis & Spicata: Germani Samkraut: nostri Fonteyncruyt: Galli *Espi d'eaue* nominant.

2. Est verò & alia quædam Potamogeiton siue Spicata, quæ compluribus tenuibus ac teretibus cauliculis luxuriat, in alas subinde distributis. folia huic sunt lata, oblonga, acuminata, multò quàm prioris minora: è sinu ramulorum ac foliorum pediculi subinde prodeunt, in quibus spica breuis, flosculos proferens candicantes, muscosos, ac deinde semina plana, rotunda veluti Aphaces. radix fibrosa fundo adhæret.

Tota autem sub vndis nascitur, eminente tantummodo cacumine, sed in aquis haud profundis & dulcibus, quæ tamen maritimo æstu attolluntur. veluti in sinu illo qui à Dordraco Hollandiæ ciuitate, ad Bredam Brabantiæ ciuitatem patet.

Potamogeiton autem, inquit Galenus, adstringit & refrigerat similiter Polygono, sed essentia eius crassior est, quàm Polygoni: pruriginibus vtile, & contra veterum vlcerum depastiones; auctor Dioscorides.

De Ranæ morsu. CAP. III.

FLVITAT & in aquis, ac eius occupat superficiem, sicuti Fontalis, huius veluti species, quem Ranæ morsum plerique nominant: sunt huic folia breuiora, rotunda, Asari foliis ferè similia sed minora, eodem quo Fontalis modo, aquæ innatantia. Flores in lon-

Ranæ morsus.




in longioribus pediculis inter folia exeunt, parui, candidi, medio lutei, ex tribus foliolis, Plantaginis aquaticæ floribus maiores, Iulio aut Augusto conspicui. Pro radicibus tenues fibræ sunt, quæ ex breui ac paruo veluti capite, vnde foliorum exortus, fundum versus tendunt: à quo etiam obliquæ fibræ exeunt, quibus progerminantibus seipsum multiplicat.

Reperitur similibus & iisdem crebrò, quibus Fontalis, locis.

Nostri Vorschen beet / id est, Ranæ morsum, vti diximus, appellant: plerique etiam Nymphæam paruam, & Cleyn plompen.

Fontalis siue Potamogeitonis species videtur, & eiusdem cum eo facultatis.

Ranæ morsus altera icon.



De Millefolio & Viola aquatilibus.


CAPVT IIII.

AQVATILE Millefolium caulem promit rectum, læuem, & tenerum: folia verò complura, multis incisuris diuisa, Fœniculi foliis similia, amplius verò dissecta, quæ super vndas eminent: flosculi in vmbellis veluti Millefolij. radix singularis. 1.

Huius autem species esse habetur, quæ Viola nuncupatur aquatilis: caules quoque hæc habet teneros, rectos, singulares: folia circa imum caulis, orbiculatim ipsum ambientia, multifida, similia quodammodo vulgari Millefolio, verùm quàm huius ampliora maioraq;: flores iuxta summum caulis prouenıunt, & ipsi orbiculato ambitu digesti, & ex quinque foliis congesti, Leucoii similes, sed minores, candidi, medio illorum luteo, odorati: radices subsunt tenues, fibrosæ, nigræ, extrema tamen parte alabastri modo resplendentes. Tota herba, ante caulis prouentum, sub aquis conditur, atque tunc ei innatans nouella videtur Abies: 2.

caulis

Millefolium aquatile.




Viola aquatilis.



Violæ aquatilis altera icon.

1.

2.



caulis verò vbi excreuerit, vnà cum floribus superficiem superat ac supra aquas eminet.

Reperiuntur in lacubus & aquis stagnantibus aut pigrius fluentibus, apud Belgas frequenter.

Priorem herbam Græci μυριόφυλλον appellant: Latini Millefolium ac Myriophyllum: Dicitur verò & spuriis vocibus μυλλόφυλλον, στρατιωτικὸν, ἀχίλλειος, & Romanis Supercilium Veneris: Officinis incognitum. Differt autē istud Millefolium ab altero terrestri, στρατιώτην χιλιόφυλλον quem nominant, de quo Pemptadis primæ, lib. IIII.

Alteram vulgò water Violieré appellant, id est, Violam aquatilem: Gallicè Gyrofflees d'eaue. Matthiolus hanc quoque Myriophylli speciem facit, tametsi cum descriptione eius parum conueniat. Nec enim caule est singulari, nec radice vnica, quale Myriophyllon esse describitur: constant siquidem radices multis fibris, & caules profert complures.

Describitur autem Myriophyllon à Dioscoride his verbis: Cauliculus est μονοφυὴς, id est, singularis, tener, vnica radice nixus, circa quem folia multa læuia, Fœniculo similia.

At Myriophyllon, vt Galenus ait, resiccatoriæ est facultatis: cùm verò & inflammationes vulnerum arceat, refrigerans quoque esse apparet. Dioscorides siquidem Myriophyllon recentia vulnera, inquit, ab inflāmatione vindicare, cum

aceto

aceto virens aut resiccatum impositum. Datur verò & ex alto præcipitatis cum aceto & sale.


Facultatem autem Viola palustris frigidam similiter videtur habere & siccam; nullius tamen in medicina vsus.

De Nymphæa. CAP. V.

Nymphæa alba.



Nymphæa lutea.



AQVARVM soboles & Nymphæa vtraque est, candida videlicet & lutea.

Folia cãdida habet in lõgis, teretibus, glabris, intusq; porosis pediculis, magna, lata, & propemodũ rotũda, aquæ plurima parte supernatantia, quæ superiore parte glabra & læuia sunt, inferiore verò fibris aliquot distincta. flores in similibus cauliculis & in singulis singuli eminent candidi, ex compluribus foliolis oblongis & acuminatis, in quorum medio stamina multa lutea. post florem capitulum prodit totundum, in quo semen nigricans, splendens, Milio maius. radices subsunt crassæ, nodosæ, foris nigræ, intus candidæ ac fungosæ, vnde plurimæ exeunt fibræ, quibus in fundo hæret.

Luteæ, folia similia candidæ sunt, paulò tamen oblongiora, foliorum florumque pediculi similes, nisi angulosi essent: flores lutei, ex quinque tantum foliolis breuibus, rotundiusculis commissi, in medio quorum capitulum gignitur rotundum, turbinatum, compluribus luteis staminibus, circumdatum, in quo, vbi ad maturitatem peruenerit, semina quoque splendentia, maiora quàm alterius, Triticeo grano minora. radices crassæ sunt, longæ, quibusdam velut acetabulis asperæ, intùs forisque candidæ, substantia fungosa & porosa.

Nascitur vtraque in paludibus, stagnantibus aquis, amplioribus fossis, & pigro lapsu dilabentibus riuulis, ac subinde fluminibus. Maio ac Iunio floret.

Græcis Νυμφαία ac Latinis similiter Nymphæa, quòd aquosa loca amet, dicta, auctore Dioscoride: Officinæ Nenuphar nuncupant. Apuleius Latinè ait appellari, matrem Herculaniam, Algam palustrem, Papauer palustre, Clauum Veneris ac Digitum Veneris. Marcellus peruetustus auctor, Latinè Clauam Herculis, & Gallicè *Baditin* nominari refert. Germani wasser mahem/ horwurtz/ horstrang/ seeblumen/ wasser gilgen: Belgæ Plompen appellant: Galli *Blanc d'eaue*. Luteæ flos βλέφαρα, vt Dioscorides refert, dicitur.

Habet autem, Galenus ait, Nymphææ tum radix, tum semen desiccandi vim citra morsum: itaque ventris profluuia cohibet, semenque siue per insomnia, siue alio pacto immodicè profluens retinet. Iuuat porrò etiam dysentericos.


Cæterùm

Cæterùm Nymphæa, quæ candidam habet radicem, potentioris est facultatis, vt & muliebri medeatur profluuio. Verùm & hæc, & ea quoque quæ atram habet radicem ex vino nigro austero bibitur: nonnullam verò habent & abstergendi potentiam: itaque & alphos sanant, & alopecias ad alphos macerantur aqua: ad alopecias pice liquida. Sed ad hæc aptior est ea, cuius radix nigra est, sicuti ad alia, cuius alba. Theophrastus, trita, inquit, & plagæ imposita, sanguinem sistere traditur.

Nostra æras, candidæ Nymphææ flores, ad capitis ex causa calida affectus commendat: luteæ verò radicem, renum & vesicæ calidis morbis mederi, & aduersus gonorrhœam efficacem, non temerè existimat.

De Lente lacustri. CAP. VI.

Lens lacustris.



LACVSTRIS Lens, veluti Muscus quidam viridis est, minimis foliolis, rotundis, Lentis magnitudine, è quorum medio, inferiore parte, tenuissimę fibræ capillorum instar descendunt, quæ ipsis radicum loco sunt: caule, flore & fructu caret.

In lacubus, vrbium fossis, & aliis non decurrentibus aut fluentibus aquis, innatans & latè sæpe superficiem eius occupans, repentur.

Græcis φάκος ὁ ἐπὶ τῶν τελμάτων dicitur, Latinis Lens lacustris, Lens aquatilis, & Lens palustris. Pharmacopœi aquæ Léticulam nominant: Germani Meerlinsen / Belgæ Waterlinsen / & frequentius Enden gruen / hoc est, Anatum herbam, quòd videlicet eam Anates pascantur. Itali *Lente di palude*: Galli *Lentille d'eaue*: Hispani *Lentejas de agua*.

Est autem, vt Galenus tradit, humidæ & frigidæ temperaturæ, vtrimque ex secundo quodammodo ordine.

Prodest, Dioscorides ait, omnibus inflammationibus, erysipelatis, podagrisque, & perse, & cum polenta imposita: puerorum etiam enterocelas glutinat.

De Ranunculo aquatili. CAP. VII.

RANVNCVLVS aquatilis cauliculos habet rotundos, tenues, in rectum & obliquum sparsos: folia sub aquis multifida, Chamæmeli foliis similia, extra aquas autem rotunda, & per ambitum crenata. flores candidi sunt & odo-

Ranunculus aquatilis.



ran,forma Ranunculi persimiles, quos, veluti in hortensi Ranunculo, aspera consequuntur capitula,semen continentia. radices tenues sunt & capillaceæ.

In fossis aquas habentibus, & lentè decurrentibus riuulis, necnon iuxta eorundem ripas, ac aliis locis humentibus gignitur.

Aprili, Maio & subinde Iunio mensibus abundè & latè floret.

Ranunculus quidem est aquatilis,& Polyanthemum aquatile. pharmacopœorum & herbariorum plerique Hepaticam aquaticam,& Hepaticam albam perperam appellant,& cum maiore errore refrigerantis Hepaticæ albæ loco, medicamentis admiscent: facultate siquidem hic aquatilis Ranunculus calidus est, & Ranunculo herbæ similis.

De Sagitta. CAP. VIII.

Sagitta maior.



Sagitta minor.



SAGITTA herba in longis triangularibus læuibus pediculis, folia profert triangularia, Ari foliis longiora & angustiora, alatæ sagittæ cuspidem proximè referentia, inter quæ medius exit caulis rotundus, læuis, intus spongiosus, in quo per interualla terni nascuntur flores, & ipsi ex tribus foliolis commissi, candidi, staminibus quibusdam in medio puniceis. Floribus subnascuntur virentes, rotundæ & nonnihil asperæ pilulæ, castaneis minores. radices subsunt pallidæ & fibrosæ.

Gignitur in lacubus, & aquis residibus, vel etiam riuulis lentè defluentibus. radices fundo inhærent: folia, flores, & fructus super aquas eminent. & vno quidem loco lætior ac maior reperitur: altero verò minor & angustioribus foliis.


Floret potissimùm Maio: fructus Iulio perficitur mense.

Sagittam & Sagittalem recentiores appellant: nonnulli Linguam serpentis, & vulgò Serpents tonghen. Sagittam autem, à Græcis πιςάναν appellari, Magonem referre Plinius tradit, πισάναν
Pistanam dicit à Græcis vocari,quam inter vluas sagittam appellamus, lib.XXI. cap.XVII.


De Sedo aquatili siue Stratiote potamio. CAP. IX.

AQVATILE Sedum,folia habet Aloës herbæ similia,sed breuiora & minora, per ambitus,duris quibusdam breuibus aculeis spinosa, inter quæ vaginæ quædam erumpunt,

Sedum aquatile siue Stratiotes potamios



Sedi aquatilis icon cum floribus.



Cancrorum forficulis persimiles, quibus dehiscentibus flores exeunt candidi, trium foliorum, Ranæ morsus persimiles, luteola exigua stamina in medio gerentes. Pro radicibus fibræ longæ sunt, rotundæ, candidæ, crassioribus lyrarum fidibus, aut longis lumbricis persimiles, quæ ab ipso folia promente, breui capite descendentes, aquæ fundum petunt, quem tamen rarius assequũtur. Exeũt ab eodẽ & aliç obliquç fibrç, quibus vti Ranç morsus multiplicatur.

In stagnantium aquarum lacubus, & fossis, locis circa Scaldim & Diliam Belgij flumina compluribus reperitur. Maxima foliorum pars vnà cum floribus aquas superat, reliquæ ipsius stirpis, sub aquis conduntur

Iunio, Iulio, & subinde Augusto floret.

Sedum appellari potest aquatile, ab Aloës videlicet similitudine, quod Latinè quoque Sedum appellatur, à quibusdam Cancri chela, siue Cancri forficula dicitur. Videtur autem στρατιώτης ὁ ἐπὶ τῶν ὑδάτων φυόμενος, id est, Stratiotes aquatilis, quem & στρατιώτην ποτάμιον nominant, Latinè Militarem aquatilem quis appellauerit. Nam aquis innascitur, iisdemq́ue supernatat, & si fibræ illæ quas ad aquarum fundum demittit, radices non sunt, absque radice etiam viuit. iam & Semperuiuo orbiculato foliorum ambitu similis est, foliisq́ue quàm illud maioribus ac longioribus, necnon refrigerantis etiam naturæ, qualem Stratiotem potamium esse Dioscorides memoriæ prodidit.

Sistit autem hic Stratiotes, eodem auctore, sanguinem è renibus fluentem, vulnera ab inflammatione asseruat. erysipelatis & œdematis cum aceto impositus prodest.

De Sio. CAP. X.

SIVM longis, tricubitalibus aut amplioribus, crassis, striatis & inanibus assurgit caulibus, qui superius attenuati, in alas quasdam diuidũtur: folia ei oblonga, ex pluribus aliis commissa, quorum singularia, pinguia, glabra, & per circumferentiam serræ modo incisa, particularibus Hipposelini foliis minora: flores in vmbellis candidi. Radices tenues, nigræ & capillaceæ veluti fibræ sunt, quæ non modò subsunt, sed & caulium geniculis adnascuntur, iis quibus aquis conduntur aut limo infiguntur partibus. Apio aut etiam Hipposelino, tota herba odoratior est, Naphthæ (vulgò Petrolei) odore vicina.


Huic autem affine est, quod Lobelius in palustribus ac scrobibus nonnullis haud procul

Antuer-

Sium.



Sium alterum.



Antuetpia reperiri refert, foliis (vt pingitur) magis diffectis, fingularibus per marginem quoq; crenatis: cuius flores in vmbellis è luteo virent: femen fapore nonnihil habet acredinis. radix multis fibris fundo adhæret.

In perennibus nafcitur riuulis, & fubinde, fed rariùs, in refedibus exit aquis.

Iulio & Augufto floret.

Germanorum plerique waſſer eppich / froſch eppich / waſſer merck: & noſtrate dialecto water eppe nominant. aquatile Apium, aut Hydrofelinon quis dixerit. Itali *Gorgoleſtro*: Hifpani *Rabaças*. Plinio ac Latinis Lauer, Diofcoridi Σίον eft: quod in vetuftis eius exemplaribus, Anagallis aquatica & Iuncus quoque dici odoratus legitur: vnde occafionem fumpfiffe videntur, qui Anagallidem vulgò dictam aquaticam, veterum Sium effe exiftimarunt. Qui fi diligenter Sij defcriptionem expendiffent, vocibus his fuppofititiis, aut adulterinis: licet fæpenumerò ad ftirpium notitiam conferant, non tamen temerè ipfis quicquam tribuendũ, facilè animaduertiffent. Nam cum Anagallide aquatica, aut Iunco odorato, Sium, vti à Diofc. defcribitur, fimilitudinis habet nihil. Eft etenim Sium, vti fcribit, *θαμνίον ὀρθόν, λιπαρόν, φύλλα ἔχον πλατέα ἱπποσελίνῳ ἐοικότα, μικρότερα δὲ καὶ ἀρωματίζοντα*, id eft, frutex rectus, pinguis, folia habens lata, Hippofelino fimilia, fed minora & odorata, qualis non eft Iuncus odoratus: nec etiam Anagallis aquatica, quæ neque fruticis fpecie adolefcit, aut odorata, vel Hippofelino aliquo modo fimilis, fed planè diffimilis, à Sio his de caufis multum differens.

Porrò Sium, vti Galenus ait, quantum guftu odoratum eft, tantum etiam excalefacientis facultatis eft particeps. Crudum coctumq; efu calculos, Diofcorides tradit, conterit & expellit, vrinas cit, partus & menfes euocat, comeftum dyfentericis vtile.

De Iunco odorato aquatili, altera Sij fpecie.

CAP. XL.


SIo autem fiue Laueri odore & facultate proximum eft, alterum quoddam veluti Sij genus, multò tamen & minus & tenuius. Cauliculi huic funt tenues, rotundi, læues, obfcurè geniculati, inanes, Iuncis quodãmodò fimiles. pro foliis pauci, tenues funt & inanes quoque pediculi, fiue *ῥάχεις* aut coftæ, à quibus parua aliquot & angufta promuntur foliola: flores

Iuncus odoratus aquatilis.



Iuncus odoratus.

Phellandrium.



in exiguis vmbellis, Scabiosæ angustioribus & minoribus, candidi, simul compressi exeunt semen Aniso maius, subcandidum, superiore parte latius radices tenuissimæ & nigræ fibræ sunt, caulibus inferius adhærentes. Emittit verò & ex imo caulis, fibras obliquè serpẽtes, quæ alicubi terræ aut luto hærentes, radices faciunt & cauliculos promunt, seipsam hoc modo multiplicante stirpe, quæ tamen & semine seri potest.

Reperitur in perennantibus riuulis, aut aliis aquis frequentius, ac sæpissimè, vbi Sium gignitur non ratò etiam in palustribus & riguis, iuxta riuulos ac fossas.

Adolescit etiam in hortis aut alibi, locis non perinde humidis, satum; quod tamen minus attollitur & breuius est, foliaq; habet terræ proxima, Chærefolio similia, sed tenuiora, reliqua verò, vti eius, quod in aquis exit, radices autem crassas, paruis syluestribus Rapis similes, verùm minores ac breuiores, à quibus & transuersæ quædam serpentes exeunt fibræ, ab his verò & radiculæ ac folia prodeunt. Ita non ratò in alium locum translatæ stirpes, formam effigiemq́ue aliqua parte commutant.

Floret vtrumque æstiuis mensibus.

Augusto semen, in hortis quidem, ad maturitatem peruenit.

Anonymos & absq; nomine est, nisi Sium illud sit, cui σχοίνου ἀρωματικοῦ, id est, Iunci odorati nomen tribui potest quod Sio datum legitur, inter eas voces, quæ supposititiæ habentur: quo nomine istud Sij genus non impropriè appellari posse videtur, quando illi caules sunt Iuncis similes & odorati, tametsi non ille sit odoratus Iuncus qui propriè ac verè talis nominatur.

Matthiolus huius genus illud, quod in hortis aut alibi loco non palustri natum, formam commutauit, inter Oenanthes à se depictas quartam fecit, ab Oenanthe tamen multùm differens est.

Ceterùm Sium istud vt odore saporeq; prius refert, sic & viribus ac temperamento simile: calidum videlicet ac siccum, & vrinas ciens.

De Phellandrio Sij tertia specie.

CAP. XII.

EST verò & tertium, Sio odore & facultate cognatum genus: caulem istud habet crassum, inanem, geniculatum, supra aquas bicubitalem, aut longiorem, in plures alas diuisum, primùm viridem, postea verò, cùm semen maturum esse cœperit, in luteum languescentem folia hortẽsis Apij (vulgò Petroselini) tenuiora. flores in non magnis vmbellis, parui sunt & candidi: semen odoratum, subnigricans, Aniso maius. radices fibræ sunt, veluti Sij nigræ, ad inferiorẽ caulis partẽ ipsis geniculis adhęrescẽtes

Exit

Exit iisdem ac similibus quibus Sium locis, & simul cum eo sæpe reperitur.

Æstate floris productio: Augusto semen maturum est.

Apud nostros, quod sciam, nomen non habet. Officinis etiam incognitum, sicuti & Sium, à Plinio Phellandrium nominatum videtur, quod lib. XXVII. cap. XII. scribit in palustribus nasci, folio Apij potest autem & istud genus, Sium illud esse, quod Pseusippus, apud Athenæum in aqua nasci affirmat, foliumq; habere palustri Apio simile, de quo Homerus: Phellandrium.

Ἀμφὶ δὲ λειμῶνες μαλακοὶ σίου ἠδὲ σελίνου. id est,

Sunt Apio atque Sio circum mollissima prata.

Si modò hoc Pseusippi Sium non idem est, cum priore loco descripto Sio.

Quod autem ad facultates attinet, haud dubium est, quin calidum sit & siccum, ac Sio potentia ac temperamento simillimum. Qua de causa, vrinam & menses prouocat, ad vesicæ frigidos affectus vtile, & ad calculum, quem comminuere ac expellere potest, si natura sua friabilis fuerit.

Plinius, Phellandrij, inquit, semen bibitur propter calculos & vesicæ incommoda.

De Nasturtio aquatico, siue Sio Crateuæ. CAP. XIII.

Nasturtium aquaticum.



NASTVRTIO aquatico caulis est crassus, longus & inanis: folia multa, oblonga, & virentia, ex pluribus in rotūditate oblōgis composita. flores iuxta alarum & caulis superiores partes particulatim prodeūt. siliquæ deinde rotundæ, tenues, oblongæ, in quibus semen paruum lutei coloris. Pro radicibus fibræ tenues candidæq; sunt, cauli, qua parte aquis immergitur, pluribus locis adhærescentes.

In fontium limpidissimorum riuulis, & aliis locis puras aquas habentibus, gignitur.

Floret æstate, semē interea maturatur. hybernis mēsibus ad epulas infertur, & acetariorū locum explet. Tota herba odorem, sed saporem magis, Nasturtij refert, vnde & illi nomen.

Appellatur autem nostris Waterkersse/ Germanis Brunkreß: Italis *Creßione*: Gallis *Cresson d'eaue.* Latinè recentiores Nasturtium nomināt aquaticum: pleriq; etiam Nasturtiariam. Dioscoridis autem *σισύμβριον ἕτερον* siue Sisymbrium alterum est, quod a nonnullis, quia gustu *κάρδαμον*, hoc est, Nasturtium repræsentet, *καρδαμίνη* nominatur, ab aliis verò Sium.

Appellatur autem Sium, à Crateua, ac Plinio. Crateuas siquidem, *σίον*, ait, *πόα θαμνοειδὴς, ὀλίγη, ἔχουσα φύλλα πολλὰ, στρογγύλα, μείζονα ἡδυόσμου, μέλανα, παρεγγίζοντα εὐζώμῳ.* id est, Sium herba est fruticosa, vilis, multa ferens folia, rotunda, maiora quàm Menthæ, nigra & ad Erucā accedentia. Plinius verò lib. XXII. cap. XXII. Sium, inquit, latius Apio in aqua nascēs, pinguius nigriusq;, copiosum semine, sapore Nasturtij. Sium Crateuæ. Sium Plinij.

Quarum descriptionum vtraque Nasturtio aquatico conuenit, quod non modò diuisura foliorum, aut flore & semine ad Erucam accedit, verumetiam odore ac sapore hortensi Nasturtio, ac Erucæ simile est.

Facultatem autem istud Nasturtium euidenter habet calidam & siccam: ad stomacacen, quam Germani Scheurbuck & Schoorbuyck nuncupant, in vino aut lacte decoctum, & aliquot continuis diebus epotum, multùm prodest. Vrinam prouocat, calculum & arenulas conterit ac expellit, renibus & vesicæ vtile.

Sunt qui referant maligna, & antiqua vlcera, vtiliter decocto huius foueri, ac lauari, herbamq; ipsam deinde imponi. Galenus Sisymbrium alterum, calidam habere & siccam temperiem, ait, & virens quidem secundi, siccum verò tertij ordinis.

Estur, inquit Diosc., crudum. vrinas mouet. purgat lentiginem & ephelim, tota nocte impositum, matutinoque tempore detractum.

De flore Cuculi. CAP. XIIII.

Flos cuculi.



FLORI, vti vulgò nuncupant, Cuculi mox a radice folia in oblongis pediculis sunt rotundiuscula, inter quę medius exit caulis tenellus, pedali fere altitudine: circa quem folia tenuia, Erucæ hortensis foliorum diuisura: flores in summo candidi, aut modicè purpurascētes, paruis Leucoiis quodammodò similes: semen in exiguis valuulis minutum. radix fibrosa est.

Nascitur non tam in aquis, quàm in locis humilioribus, & quæ creberrime, non modò cęlesti ac pluuia, sed & riuulorum, ac redundantium stagnorum aquis irrigantur.

Florem Aprili ac Maio edit.

Vulgò, vti scripsimus, Cuculi florem appellant: plerique Nasturtium aquaticum minus, vel Nasturtium aquatile alterum: Germanicè Gauchblům / Wilderkreß / & Wisen kreß dicitur: Brabanticè Coeckcoecx bloeme / cleyn Waterkersse: Gallicè *Passerage sauuage.*

Sisymbrij alterius species quædam esse videtur, ei facultate ac temperamento similis, acris quoque & calida.

De Anagallide aquatili. CAP. XV.

Anagallis aquatica.



CAVLES Anagallis habet aquatica, pingues, rotundos, & in nōnullas alas diuisos: folia crassa, lęuia, lata, subnigra: flores circa cauliculorum & alarum summa, cęruleos, Anagallidis feminę floribus similes, sed minores radix subest candida, longa, serpens, tenuibus hærens fibris, ex qua complures attolluntur caules.

Et hæc in resedibus exit aquis, & circa fontes, ac riuorum ac fluuiorum margines.

Iunio, Iulio ac Augusto flores, semēq; profert.

Nostra ætas Anagallidē aquaticam nominat; pleriq; Becabungam, à Germanica appellatione voce mutuata: Germani Bachpunghen & Punghen / Belgæ Waterpunghen / & Beeckpunghē: Galli *Berle* nominant, vnde & Berula Latinè dicitur. Marcellus tamen Berulam dici refert, quam Græci *καρδαμίνη* vocant.


Cepæa. Putatur autem Anagallis hæc, Cepæa esse, quam Dioscorides Portulacæ similem scribit, sed nigriora habere folia, & radicem tenuem, cum qua Anagallis ista aquatica conuenire potest, si per *ἀντίφρασιν*, *κηπαία*, id est, hortensis dicatur. Quod si verò idcircò *κηπαία*, quòd vel solùm, vel vt plurimùm in hortis nascatur, nominata sit; parum ei Anagallis hæc respondebit, quæ nusquam minùs quàm in hortis nascitur: natura sua in totum syluestris, aquosa requirēs loca, perenniterque rigari postulans.

Qualitatem autem ac temperiem Anagallis aquatica calidam habet ac siccam, Nasturtio aquatico similem, remissiorem tamen: editur etiam vt illud: & ad Germaniæ maritimæ *ἐπιχώριον* malū, quod Scheurbuyck appellāt, vtilis quoq;, eodē quo Nasturtiū aquatile sumptū modo. Facultate tamē ac viribus minus potēs.

De

De Cochlearia. CAP. XVI.

Cochlearia.



Cochlearia Britannica.



HVMILIS herba Cochlearia est: folia fert in mediocris longitudinis pediculis à radice exeuntibus, complura, splendentia, lata, crassa, modicè caua, instar parui & non valde profundi cochlearis, interdum nonnihil angulosa. inter folia caules prodeunt dodrantales. flores in coliculis candidi, secundum longitudinem eorum nascuntur. semen paruum, ruffum, in exiguis valuulis, vti Nasturtij. radices tenues sunt & albæ fibræ.

In Frisia, Hollandia, ac aliis maritimis inferioris Germaniæ regionibus, locis palustribus, & circa aggeres spôtè nascitur: apud Brabâros & alibi quoq., in hortis sata, feliciter prouenit.

Gignitur verò & Cochlearia in Britannia haud procul à Tamesi fluuio, vt Lobelius refert, flore, semine, gustuque priori similis. foliis quoque, colore quidem, sed non perinde cauis, & ad exigui Lapathi aut Atriplicis magis accedentibus.

Amat autem Cochlearia non aquas, sed palustria loca & rigua.

Floret Aprili & Maio mensibus, altero à satione anno: semen Maio & Iunio particulatim maturescit.

Nominant eam Hollandi, Frisij, ac aliæ finitimæ nationes Loffelkraut & Lepelcruyt/ Latinè Cochleariam: veteribus, ni fallor, incognita. Nam cum Telephio aut Britannica (quod aliquando suspicati fuimus) non conuenit. Caule enim & foliis Portulacam non refert, vti Telephium: nec adstringens aut Lapathis facultate assimilis, veluti Britannica est, Dioscoride & Galeno auctoribus.

Facultatem autem Cochlearia calidam euidenter habet, & siccam, virenti Nasturtio sapore, & qualitate persimilem. Malo, quod Scorbuck Germania nuncupat, efficaciter medetur, in lacte aut vino decocta, & aliquot continuis diebus epota. Scorbuck.

Est autem malum istud graue, permolestum, ac diuturnum, abscedunt, tument, exulcerantur que gingiuæ: ex ore malus odor: in femoribus aut cruribus liuores, haud multum dissimiles iis, qui parte quapiam suggillata excitantur, creberrimè concomitantur: facies reliquumque corpus sæpenumerò pallet: pedesque œdematosi, veluti in leucophlegmatia.

Castrensis, Olaus Magnus ait in gentium Septentrionalium historia, est morbus, qui

vexat obsessos, & inclusos, ac salsorum videtur ciborum esu nasci, frigida verò murorum exhalatione foueri.

Nominant hoc malum Germani, vt diximus, Scorbuck & Scorbuyck: à Plinio huius mali symptoma, os infestans στομακακή, crura verò afficiens, σκελοτύρβη appellatur. Marcellus vetus scriptor, oris malum Oscedinem nuncupat.

Hippocrates lib. De internis affectionibus, huic malo simile (si modò non idem est) describit, quod εἰλεὸν αἱματίτην nominat. Ex ore malè, ait, olet à dentibus, & gingiuæ discedunt, & à naribus sanguis fluit: aliquando etiam ex cruribus vlcera pullulant, & alia sanescunt, alia emergunt & color fit niger, & cutis tenuis.

Ex crasso autem, frigido, lentoque sanguine, qualis est, non ex adustione, sed qui velut limus sanguinis, melancholicus succus, originem sumit: qui ex praua viuendi victusque ratione, vt diximus, in corporibus colligitur.

Afficiuntur autem per hoc malum, non modò oculis patentes partes, verùm & interiores non parùm læduntur: nam iecur quidem nõ rarò, crebèrrime autẽ lien, crasso huiuscemodi, frigido lentoque succo repletur, tumidumque efficitur, vtpote cuius substantia rara laxaque sit, & promptissima ad recipiendos huius generis crassiores frigidioresque humores.

Quod & Hippocrates, prorrhetici lib. II. scriptum reliquit. Gingiuę, ait, viciatæ, & ora graueolentia his sunt, quibus splenes magni. Quicunque verò habent splenes magnos, & neque sanguinis eruptiones ipsis contingunt, neque oris graueolentia, horum tibię vlcera praua habent & cicatrices nigras. Tradit idem Paulus Ægineta lib. III. cap. XLIX. vbi huius morbi differentiam, ab ictero nigro, promptum est videre.

Sed de hoc morbo hactenus, & præter institutum: nunc ad stirpes herbasque reuertimur.

De Hepatorio aquatili. CAP. XVII.

Hepatorium aquatile.



AQVATILE Hepatorium caule assurgit bicubitali, obscure rubẽte, complurimis alis ramoso, folia quàm vulgaris siue adulterini Hepatorij latiora sunt, alioqui ei satis similia, ambitu quoque crenata atque incisa in fastigiis cauliculorum flosculus eminet aliquot exiguis foliolis veluti alabastris cinctus, colore luteus sed nigro permixto, Chrysanthemi aut Chamæmeli medio disco similis, cuius confarcta stamina plana & oblonga post se relinquunt, semina, parte superiore aspera, & prætereuntium vestitui, vbi maturerint, adhærescentia radix multis fibris hinc inde spargitur.

In riguis gignitur, quæ rarò & non nisi siccissimis ac feruẽtissimis temporibus, aquis carent. prodit verò & intra fluuiorum quorundam latè patentes alueos; quod altius crescit & flores profert, orbiculato ambitu, multis exiguis luteis foliolis stipatos, Buphthalmi æmulos. Non modò autem in Belgio, sed & in Germania, ac Bohemia reperitur, nec destituuntur eo humida Britanniæ loca.

Plurima æstatis parte floret ac viget, semenque perficit.

Ad Hepatoriũ illud videtur referendum, quod vulgare & adulterinum cognominatur, quod & Terzola dicitur, de quo Pemptadis primæ lib. II. cap VII. qua de causa Hepatoriũ aquatile & Terzola aquatica dici potest.

Amara autem hæc herba est, proinde calida ac sicca. vsum tamen in medicina habere ignoratur.

De Marrubio aquatili. CAP. XVIII.

MARRVBIVM quod aquatile dicitur, nigrum Marrubium siue Ballotem caule & florum calycibus, asperis, pungentibus ac verticillatim cauliculos ambientibus satis refert.

Marrubium aquatile



fert. folia eius nigricant quoque, sed longiora, duriora, per margines profundius incisa quàm Ballotes, nequaquam tamen pilosa, sed rugosa quidem. flosculi parui inalbicant. radix multis nigricantibus fibris cohæret.

In riuulis, ad scrobium aquas habentium margines, & secus fossas, gignitur: rigari etenim postulat, in aridis autem non prouenit.

Viget ac floret æstiuis mensibus: Iulio & Augusto.

Aquatile ac palustre Marrubium dicitur. videtur Matthiolo Sideritidis esse species, & illa quidem, quę à Dioscoride primo loco describitur, sed cum hac magis conuenit herba Iudaica, vt primæ Pemptadis libro quarto satis luculenter ostendimus. Cum secunda autem Sideritide (quod & suos assertores habet) multò minus respondet: nulli siquidem Filici folio similis est. Sunt vero & quibus placeat Ægyptiam dici herbam, quòd hi qui se Ægyptios mētiuntur (quales per Germanię ciuitates subinde discurrunt ac diuagantur) hac herba, nigricantem colorem, qualemque Ægyptij, & Africani obtinent, sibi asciscant. Succus enim huius herbæ, huiuscemodi colore quæuis inficit; qui & adeò pertinaciter inhæret, vt elui aut abstergi nequeat: adeò vt telæ lineæ hoc infectæ perpetuo eum retineant.

Refrigerandi autem atq; vnà validè adstringendi facultatem habere videtur.

De Bechio siue Farfara. CAP. XIX.

BECHIO siue Farfaræ sex septem, aut plura à radice prodeunt folia lata, angulosa, Hederæ folijs maiora, candidioraque, Populi albæ similiora, sed tamen maiora, quæ superius molli tenuique lanugine inalbicant, inferius herbaceo colore virent. flores in breuibus pediculis antè folia exeũt, colore lutei è multis foliolis farcti, qui citissimè in pappos euanescunt. radix tenuis & candida latè sub terra serpit.

Sub finem Martij & circa Aprilis calendas fugacissimi flores conspicui sunt, qui citò vnà cum pediculis marcent, inde folia progignuntur tota æstate in vigore futura. Atque hinc data occasio, vt absque flore Bechium creditum fuerit, quod & Plinius lib. XXVI. cap. VI. etiam scripsit.

Secus fontes, & riuulorum fluuiorumque ripas, scrobium ac fossarum margines, alijsque humentibus & aquosis locis sponte nascitur.

Græci Βήχιον, Latini Bechion & Tussilaginem nominant: in Officinis Farfara & Vngula caballina, nonnullis Pata equina, alijs Populago aut Farfarella: Germanis Roßhub/ brantlattich; Belgis Hoefbladeren: Italis *Vnghia di cauallo*. Hispanis *Vnha de asno*: Gallis *Pas d'asne*: Anglis Fole foote & Coltes foote dicitur.


Eadem verò & Chamæleuce est, quam Plinius lib. XXIIII. cap. XV. Farfugium & Farranum (si non in exemplari lapsus) appellari etiam refert. Quod & Aëtius satis innuit lib. primo, Bechij nomen prætermittens, Chamæleucæ verò omnes Bechij vires & facultates ascribens. Accedere videtur Oribasius Collectionum medicinalium lib. XV. Chamæleuces solius mentionem faciés. Consentit & ipse Plinius, quosdam Bechion alio nomine Chamæleucen dictam putare referens: lib. XXVI cap. VI. Et fieri potest vt de vna eademque herba, separatis locis, differentibusque nominibus Dioscorides scripserit. Si modò pro χαμαιλεύκη non sit legendum χαμαιπεύκη vt quidam existimat in Dioscoridis exemplari legi oportere. *Chamæleuce.*

Bechion autem & Tussilago ab effectu dicitur: Farfara verò à Populo alba, cuius folia refert, quæ veteribus Latinis Farfarus dicta est, vt apud Plautum in Pœnulo:


——Viscum legionis dedi
Fundasq;, eos prosternebam vt folia Farfari.

Appel-

Bechij siue Farfaræ flores.



Farfaræ folia.



Appellatur verò Populus alba Græcis λεύκη, atque hinc quoque Chamæleuces nomen Bechio accessit.

Recenset Plinius lib. XXVI. cap. VI. duas Bechij species, quarum alteram à quibusdam Saluiam appellari ait, & re vera hæc non alia quàm Saluia, Græcis ἐλελίσφακος dicta, quam Apuleius cap. CI. Bechion ac Tussilaginem etiam dici testis est.

Cæterùm Bechij recentia & adhuc virentia folia refrigerandi nonnullam vnà cum resiccandi potentia vim obtinent: vlceribus calidis, & partibus inflammatione laborantibus imposita prosunt. Arida verò folia calida sunt & sicca, & modice acria, horum in prunas cadentes iniectorum fumus per infundibulum aut harundinem patente ac hiante ore receptus, orthopnœę & tussi siccæ medetur. præstant idem radices aridæ recepto quoque earum fumo. Auxiliantur verò & eædem in tabellis ex sacharo, aut eclegmate permixtæ aduersus tussim veterem & respirandi difficultatem. Recentium verò foliorum & radicum decoctum, vel ex his Serapium, recenti & ex tenui destillatione tussi medetur.

De Petasite. CAP. XX.

PETASITES prius quàm folia, flores, veluti Bechion, similiter profert, sed exiguos, muscosos, colore purpurascentes, qui in crassam veluti spicam coacti, citò vnà cum crasso, carnoso, fragiliq; suo cauliculo marcescunt ac concidunt. folia prægrandia petaso siue galero aut rotundo pileo similia, tantæ amplitudinis, vt humanum caput ab insolatu & pluuiis vndecum vindicare queat, atque idcircò quàm Bardanæ maiora; colore subcandida, inferiore tamen parte albidiora. singuli autem pediculi sua sustinent folia. pediculus vero non raró cubitalis, crassus, carnosus, cui folium circumferentiæ centro aut proxime insidet, amplissimi fungi (nisi vna parte fissuram ad pediculum pertingētem haberet) speciem quandam referēs, præsertim peresis ac emarcidi. Nam initio quidem fungorum superior superficies conuexa apparet, cùm verò marcescunt, concaua magis. Ita & Petasitis folium concaui nonnihil superiore parte habet. radix crassa, longa, foris nigricat, interius candida, sapore amaruscula, sæpenumero tamen à vermiculis exesa.


In humidis prouenit prope fluuiorum ripas, iuxta lacuum & stagnorum margines ac vicinos aggeres.

Circa

Petasites.



Petasites sine flore.



Circa Calendas Aprilis spica cum floribus viget, sequuntur inde folia in hyemem vsque permansura, nouis subinde subnascentibus.

Græcis est πετασίτης ab amplitudine folij πέτασον siue galerum, vt diximus, referente: Latini Petasitem similiter appellant: Germani Pestilentz wurtz: Belgis Dockebladeren. Similem Bechio siue Tussilagini, ac congenerem esse, satis apparet, sed idcircò non esse Petasitem, haudquaquam cõsequitur. Sed folium, refractarius dicet, non est rotundum ac solidum veluti fungus, sed rimam habet. At Dioscorides folium non esse vti fungum solidum ait; sed suo pediculo προσκειμένον ὥσπερ μύκης, id est, incũbens veluti fungus, vti re vera est. Sed quorsum hic vrgemus nimium Dioscoridis verba? constat enim in comparationibus non semper ipsum fuisse valde exquisitum; & qualemcunque similitudinem sæpe illi satis fuisse. Quid Viticis & Conyzę folijs cum Oliuæ? quid Althęæ cum Cyclamini? quid Cannabis cum Fraxini? quid item Quinquefolij cum Menthæ? & tamen harum, cum illarum folijs comparatę reperiuntur.

Temperiem Petasitis radix & quidem arida, calidam ac siccam obtinet ordine secundo; tenuium quoque est partium & ad sudores mouendos efficax. valet idcircò aduersus pestilentes morbos, & alios qui sudore leuari possunt, ventris lumbricos eadem interimit, vrinas cit, & menses promouet, præsertim cortex, qui radicis præstantior pars est. folia malignis & erodentibus vlceribus vtiliter quoque imponi posse feruntur.


De Caltha palustri. CAP. XXI.

PALVSTRIS Caltha folijs ac floribus minus Chelidonium ita refert, vt species omninò eius aliqua videri posset; nisi multò maior foret, ac durabilis nec facilè intercidens. folia huius lata sunt, subrotunda, læuia, eleganter virentia, ambitu tenuiter crenata, quadruplo aut amplius quàm minoris Chelidonij maiora. caules inter hæc dodrantales in obliquum assurgunt; in quibus flores auri luteo resplendent colore, Ranunculi similes, sed maiores etiam; radices multis committuntur fibris.


Humidis, palustribus locis, veluti riguis pratis gaudet. subinde ab ipsis aquis exit, cuius folia supereminentia longioribus nituntur pediculis, quæ aliâs breuioribus insistunt: flores

huic

Caltha palustris.



Caltha palustris absq; flore in aquis proueniens.



huic rarò vel nunquam apparent; quamobtem Epimedium esse quandoque visum fuit: sed temetè. Nam hęc ab illa, quæ in locis minus aquosis gignitur, in pratis videlicet, haud alia est.

Vnà cum Ranunculis Vere floret, tamen & serius; subinde quoque æstate. toto autem anno ipsa viret herba.

Germanis Moßblůmen/ Dotterblůmen/ geel weißblůmen/ & Marterblůmen appellatur. Valerius Cordus Caltham palustrem nominat. Non est Chamæleuce aut Tussilaginis species aliqua. Ineptè quoque Farfugium & Farranum habetur. Chamæleuce siquidem, quæ à Plinio Farfugium ac Farranum dici perhibetur, à similitudine foliorum λεύκης, id est, Populi albæ appellationem accepit. Virent autem Leuces folia superius quidem, at inferius tenui candidaque lanugine incanescunt. Calthæ verò huius neutra inalbescunt parte: nec forma eorum respondet.

De facultatibus verò huius, quod vel ex aliorum scriptis, vel vsu & experientia compertum adferamus, occurrit nihil.

De Epimedio. CAP. XXII.

INTER eas stirpes quæ locis excunt riguis venit & Epimedium numerandum, quod auctoribus Dioscoride ac Plinio in humidis nascitur. Caulis est haud magnus, Hederæ folijs, denis aut duodenis, neque florem neque fructum ferens, radice tenui, nigra, grauis odoris: Atqui tale quidem Epimedium nondum à quoquam repertum accepimus. Ostenditur tamen huius nomine, herba palustris flores & fructus faciens.

Folia huius ampla numerosa & creberrimè ter trina à teretibus tenuibusque dependent pediculis. sunt hæc Hederæ foliorum figura, lata, acuminata, duriuscula, sed dilutius virentia, ac per circumferentiam serrata. surgit inter hæc teres & dodrantalis cauliculus rarò folia superans, perquam elegantes progignens flosculos, forma quadrangulares; quorum rubent margines, interiora lutea; medij verò virent apices. rubet verò & exteriore & auersa parte flosculus, sed discurrentibus rectis candidisque strijs variegatus. radix multas in obliquum propagines emittit, inferius fibrosa.

Nascitur

Epimedium.



Nascitur in humidis & in plerisque Italiæ pratis circa Bononiam ac Vincentiam, apud Belgas in hortis quandoque reperitur.

Appellant posteriores Epimedium, sed legitimum esse affirmari nequit. Nam, vt suprà diximus, Epimedio Dioscorides florem & semen esse negat. Plinius nunquã florere Epimedium etiam refert.

Epimedium autẽ moderatè refrigeratoriam vim habere Galenus affirmat, cum aquea humiditate. talis verò & facultas eius esse videtur herbæ quæ pro Epimedio habetur.

De Argentina siue Potentilla.
CAP. XXIII.

ARGENTINA siue Potentilla tenuibus & viticulosis cauliculis humi serpit. folia eius oblonga, veluti ex pluribus composita, Agrimoniæ fere similia, sed Tanaceto proximiora, minora tamen, ambitu quoque serrata; superiore parte herbaceo colore virentia; inferiore verò inalbicantia. flosculi in tenuibus pediculis lutei, veluti Pentaphylli.

Humidis locis ac secus scrobes, riuulosq́; frequenter occurrit.

Flores Iunio ac Iulio promit.

Argentinam & Potentillam recentior ætas appellat: nonnulli Agrimoniam syluestrem alij Tanacetum syluestre: Germani Grensich & Gensserich: Brabanti Ganserick. Galli *Argentine*.

Argentina.



Temperiem autem Argentina mediocriter frigidam habet, siccam vero ordine tertio fere; vna cum adstringendi facultate.

Sanguinem autem vndequaque fluentem reprimit, menses mulierum sistit, hæmoptoicis ac dysentericis vtilis valet & ad alias alui fluxiones, quocunque tandem adhibeatur modo. puluis aridæ abrasa & intertrigines etiam iumentorum inspersus sanat; prodest & hoc modo cruentis vulneribus. Decoctum ex aqua mobiles dentes firmat, & gingiuarum ac oris vlceribus conducit.

De Nummularia. CAP. XXIIII.


SERPIT Nummularia veluti Argentina, tenues oblongos coliculos multos emittit; circa quos ab vtroque latere, folia digitalis latitudinis, propemodum rotunda, virentia; atque è sinu horum flosculi in breuibus pediculis, colore lutei, Ranunculi floribus similes. radix tenuis est

Iuxta scrobes & fluenta, aliaque rigua loca prouenit, subinde & in humidis reperitur syluis.

A Maio mense in multam æstatem floret.

Nummulariam appellant, & Centummorbiam. nonnulli & Serpentariam. feruntur autem serpentes vulnerati, hac sibi mederi, vnde nomen accepit Serpentariæ. Centummorbia à

Nummularia.



Gladiolus aquatilis.

Sparganion



mirifica aduersus multos morbos efficacia dicta existimatur: Nummularia verò a figura nummi, quam folia referunt. Germanis Egelkraut/ Pfennigkraut: Belgis Penninckcruyt.

Resiccantem autem hanc herbam esse, sapor eius adstringens ostendit, est verò & simul modice refrigerans.

Flores & folia trita vulneribus & nonnullis vlceribus imposita prosunt: eadem cum vino sumpta dysenterias, ventris imbecillitates fluxusque sanant Conducunt & ad sanguinis reiectiones, profluuia muliebria & interaneorum vulnera, & pulmonis exulcerationes. Vinum in quo herbæ folia decocta, vlceribus confert, si hoc lauentur & abstergantur: auctor Leonhartus Fuchsius.

De Gladiolo aquatili. CAP. XXV.

FOLIA à radice Gladiolus aquatilis multa emittit Pseudoiridis luteæ foliis angustiora, longioraque; inter quæ caulis medius exit, duos longus cubitos, aut altior, læuis, æqualis, nullis internodiis interceptus, in cuius summo complures erumpunt flosculi, longioribus pediculis insidentes, in purpura diluti, in quibus stamina exigua crocei coloris. sequuntur inde capitula purpurea, quasi rotunda, paruarum pilularum instar, & in his semen minutum. radix crassa, candida, geniculis constat, & adhærentes fibras complures habet.

Nascitur locis palustribus in stagnantibus aquis, aut lentè pigreq; fluentibus riuulis.

A Maio ad Augustum vsque floret.

Nostri water lisch appellant: Latinè Gladiolum palustrem siue aquatilem: plerique etiam Scirpum: sunt qui inter Iuncos perperam referant, & Iuncum floridum vocitent. Videtur Dioscoridis esse *σπαργάνιον*, quod folia Gladioli sed angustiora, & magis inclinata habere, & in summo caule quasi globulos ferre traditur. ξιφίδιον id quoque à nonnullis nuncupatur.

Facultatem autem Gladiolus iste palustris refrigerantem habet, non tamen insignem. Dioscorides Sparganij radicem & semen, cum vino dari ait, à serpentibus ictis.

De Platanaria, siue Butomo Theophrasti. CAP. XXVI.

PLATANARIA angusta habet folia, aspera, dorso eminentiore quodámodò triangula: caules læues, rotundos, bicubitales, aut altiores, in ramulos & alas quasdam diuisos fructus circa hos complures, rotundi, nucis paruæ magnitudine, & vbi ad perfectionem peruenerunt, asperi, Platani pilulis quadamtenus similes, coloris herbacei: radices subsunt fibrosæ.

Locis palustribus, perennes aquas habentibus exit, ac iuxta riuulorum quorundamque fluuiorum margines.


Pilulas Augusto mense profert.

Platana-

Platanaria siue Boutomon.



Platanaria altera.



Platanaria à fructuum cum Platani pilulis similitudine nuncupari potest. Ex nostris plerique Sittgras nominant, id est, Gramen arundinaceum, ac Græcè καλαμάγρωστιν: non videtur tamen Gramen arundinaceum esse, quod Dioscorides ait, in Babylone iuxta vias nasci & iumenta necare, tradi. *Gramen arundinaceū*

Matthiolus hanc vel huic omninò similem pro Spargamo depingit: verùm quantum ab eius descriptione absit, vel solus pilularum situs ostendit, quæ non ἐπ' ἄκρου τοῦ καυλοῦ, siue in summo caulis modò, sed & multò infra eius fastigium & alibi quoque, exoriuntur.

Exhibet autem & alterius cuiusdam huius generis stirpis iconem Lobelius, pilulas & circa caulem, & ἐπ' ἄκρου ferentis, quæ cum Sparganio plus, quàm superior, similitudinis posse habere videtur.

Plus similitudinis Platanaria cum βουτόμῳ habet, cuius Theophrastus lib. I. & IIII. De stirpium historia sæpius meminit, quodque ait locis palustribus exire, foliis multis angularibus, Harundini ac Cyperi similibus: caule, qui æqualitatem peculiarem sortitus sit, & fructu nigro, Sidæ magnitudine proximo.

Sida autem lacustris est planta, quæ caput gerit vti Papaueris, eodem Theophrasto teste, lib. IIII. *Sida.*

Huius Butomi mentionem facit Democritus Geoponicon Cassij Dionysij lib. II. vbi ait folia ipsum habere Cyperi, grata boum pabulo. vnde nomen, Ruellio auctore, accepit. In Græco exemplari habetur φύλλα ὅμοια φέρει ἀσπαίροις sed pro ἀσπαίροις, restituēdum κυπείροις. *Geoponicon locus restitutus.*

Porrò Platanariæ facultas, cùm ea nullius sit in medicina vsus, incomperta est. Nec de Butomi viribus, apud Veteres quicquam scriptum reperitur.

De Harundine vulgari. CAP. XXVII.

HARVNDO vulgaris, multos profert culmos, crassiores quidem quàm vllius vulgaris Frumenti, sed tenuiores quàm multarum aliarum Harundinum, inanes, geniculatos, inferiore parte membrana tenui subcinctos: folia longa, lata, aspera: In summo caulis effusa est iuba, mollis, ac veluti lanuginosa. radices subsunt longæ, numerosæ, geniculatæ, latè serpentes.

 Nasci-

Harundo Phragmites.



Harundo donax siue Cypria.



Nascitur in aquis residibus, veluti in vrbium fossis, & circa fluminum laxiorum ripas.

Iubæ sub finem æstatis exeunt.

Harundinem Græci κάλαμον nuncupant: nostri Riet: Germani Rorh: Galli *Canne ou roseau.*

Tradunt autem Veteres calamorum siue Harundinum complura genera. Theophrastus omnes in duo prima genera primùm distinxit, inde in plures species subdiuisit. Calami, ait, duo genera tradunt, τόν τε αὐλητικὸν, καὶ τὸν ἕτερον, hoc est, tibialem, vt Plinius reddidit, & reliquum siue alterum.

Αὐλητικὸν, siue tibialem, Plinius foraminibus multis pertusum esse scribit, ac tibiis vtilem, eumque & Orchomenium nominat: reliquos autem calamos inter se differre, Theophrastus affirmat, firmitate, crassitudine, tenuitate, exilitate.

Crassam & validam χαρακίαν nominant, Gaza Harundinem vallatoriam, tenuem verò & exilem πλόκιμον, texilem, Plinius plotiam, si modò non vitiosum exemplar: hanc nasci, Theophrastus refert, ἐπὶ τῶν πλοάδων, id est, in insulis fluitantibus, Plinio interprete: illam verò ἐπὶ τοῖς κώμυσι, in ripis expatiantis lacus, reddit Plinius.

Plinij locus suspectus.

Κώμυθας autem appellant, vbi aceruata harundo, multo radicum mutuo implexu est.

Κωμύθας.

Feruntur Aulèticæ, siue tibiales Harundines, aucta altitudine lacus, durante inundatione crassari, & vt Plinius ait, cùm anno vno, inundatio permanserit, proficere in aucupatoriam amplitudinem, hanc ζευγίτην ille, hic armamentariam appellat. cùm verò aqua non permanserit, & maturiùs reciproca fuerit, graciles βομβυκίας, siue bombycinas nasci.

Est autem ζευγίτης plenior, carnosior, folium eius amplius candidiusque, & minus lanuginis habet quàm cæteræ: quædam etiam omninò nihil habent, quas εὐνούχιας, & spadones nominant: ex hac optima fieri affirmant τὰ ζεύγη, Gaza paria: Plinius, hinc erant armamenta ad inclusos cantus, vertit.

Genera autem non hæc solùm, sed plura etiam intelliguntur: Theophrastus deinde scribit: Quædam enim densa tam carne, quàm geniculis: alia caua tota, quam σύριγγα siue συριγγίαν & fistularem nominat, fistulis vtilissimam: alia solida & penè tota intus repleta. Item, alia breuis: alia procera, excelsa crassaque: & alia gracilis & foliosa: alia paucis omninò foliis, siue vnifolia. Multæ etiam differentiæ pro natura vsuque intelliguntur, singulæ autem ad singula

gula vtiles, nominibus autem varijs appellantur, sed δόναξ communissima, quam densissimam maximè omnium refertũ, & apud flumina lacusque potissimum nasci. Τοξικὸς quoque, quam Creticam quidam appellant, Plinius Sagittariam, sui generis est, nodis paucis geniculata, carnosior omnibus, flexumq́; maximè recipiens, obsequensq́, quò libeat flecti, calefacta.

Sunt & differentiæ magnæ, ex foliorum non multitudine, aut magnitudine modo, sed & colore, quippe quæ Laconica cognominatur, versicolor est, item & ab ipso situ, quædã enim ab ima parte foliorum plurimum ferunt, alia fruticis modo adolescit.

Genus etiam quoddam ἐπίγειον nascitur, quod non erigit caulem, sed iuxta terram Graminis modo se spargit: vocatur à quibusdam Elegia: Plinius inquit. Huius mascula solida est, femina verò caua & inanis.

Dioscorides Harundines in quinque contraxit genera, verùm an bene, vel secùs, expendendum lectori relinquimus.

Primam in Harundinum genere, ναστὸν, id est, solidam siue plenam facit, ex qua sagittæ fiunt: τοξικὸν κάλαμον hunc Theophrastus, id est, sagittariam harundinem nominat. 1.

Proxima femina est, ex qua ligulæ tibiarum, hæc ζευγίτης καὶ αὐλητικὸς dicitur. 2.

Tertia syringias, quam πολυσαρκον, hoc est, multum carnosam, siue multum carnis habentem, πυκνογόνατον siue frequentibus geniculis, & ad librorum conscriptionem vtilem Theophrastus refert, qui & hanc κοίλον cauam & inanem esse tradit, quod & syringiæ nomen satis ostendit. 3.

Quarta δόναξ, crassa, concaua, apud amnes nascens, quæ à quibusdam Cypria. 4.

Quinta phragmites, sepicularis, sepiaria, gracilis, candicans, vulgò cognita. Ruellius hanc Vallatoriam interpretatur: at Gaza Vallatoriam eam conuertit, quam Theophrastus χαρακίαν vocat. Quod si Matthiolus animaduertisset, non tam facilè vitiosam Dioscoridis lectionem esse suspicatus fuisset: nam mendum hîc nullum appatet, tali omninò existente sepicularia, qualem eam Dioscorides perhibet. Siquidem, vt existimamus, Phragmites sit passim Belgio ac Germaniæ vulgaris, tenuis, candicans, præsertim vbi inaruerit, & inanis Harundo: quæ certe non solum ad operiendas domos vtilis, sed & sepimentis maximè idonea est. 5. *Matthiolus notatur*

Inanem verò & φραγμίτην esse, ipse etiam Hippocrates, lib. De Hæmorrhoidibus ostendit, vbi κλυστῆρα efformare docet, ad modum Calami Phragmitis, instrumentũ per quod ferrum candens in anum mittatur. Potest verò hæc vulgaris Harundo & Theophrasti αὐλητικὴ, siue fistularis esse, quæ, Theophrasto & Plinio auctoribus, vacua & inanis est.

Cæterùm quod ad facultates attinet, Calami Phragmitis, inquit Galenus, radicem cum bulbis aculeos & stipites ex alto extrahere quidam scripsere, ceu trahendi quædam vis ei insit: nos tamen eius rei periculum non fecimus, verùm quantum gustu liceat conijcere, abstergentem facultatem possidet non paucam, minimeq́; acrem. Quin etiam folia ipsa abstergentis sunt facultatis: cortex verò eius combustus admodum tenuium partium, & digerentis facultatis efficitur, adiunctum habens abstersorium quiddam, vt exsiccet & excalefaciat tertio quodammodo ordine, plùs tamen desiccet quàm excalefaciat. Vitandus est eius flos, quem ἀνθήλην vocant: nam si in aures incidat, adeò tenaciter adhærens affigitur, vt auelli non possit, auditumque vitiat: quamobrem sæpissimè exurdat.

De Typha Palustri. Cap. XXVIII.

PALVSTRI Typhæ oblonga sunt folia, angusta, dorso eminentiore triangula: caulis interea exit rectus, altus, glaber, læuisq́; & enodis, non inanis, cui summo cacumine primum tenuis gignitur spica muscosos flores proferens, qua marcescente ac decidente panicula relinquitur, densa compactaq́; lanugine stipata, pollicis crassitudine, palmo non rarò longior, punicei ac obscuri coloris, in pappos tandem euanescens. radices crassæ, geniculatæ, candidæ, sapore dulces.

Locis palustribus, in stagnantibus aquis, & iuxta laxorum fluuiorum ripas exit.

Iulio & Augusto paniculæ vigent, flosculorum spica iam arida ac decidente. Restant subinde paniculæ ad alterius anni æstatem, atque tunc non rarò pediculi in ipsa panicularum lanugine nati reperiuntur. quod admiratione haud caret. Cùm enim caulis tunc omnino sit aridus, & lanugo adeò sicca vt vento abripiatur, animalcula huiuscemodi sub lanugine ista gigni ac viuere posse mirum est.

A Dioscoride τύφη siue Typha nuncupatur: recentiores ad differentiam alterius Typhæ, quæ inter frugés est, palustrem & lacustrem Typham hanc nominant: appellatur ab iisdem Cestum morionis, necnon Typha aquatica.

Theophrastus Typhæ siue Tiphæ etiam cuiusdam meminit in lacubus exeuntis, quę absque folio, vt scribit, est, quia non vt reliqua radice numerosa adhæreat, & huic nostræ ea de causa

Typha palustris.



φλεώς.

ἀνθήλη.

causa parùm similis. Plus certè similitudinis nostra cum φλεῷ Theophrasti habet, eo videlicet, qui in lacubus nascitur.

Reperitur enim & alter Phleus, spinosa stirps, quæ & στοίβη.

Lacustris Phlei flos ἀνθήλη siue ἀνθήλη, id est, panicula dicitur. id πλακανθῶδες, Theophrastus ait, quoddam molle & subrubens est, quo vtuntur πρὸς τὰς κονίας, hoc est ad opera tectoria, miscentes videlicet (vti verisimile est) pappos siue lanuginem luto aut calci, sicuti nunc iisdem, pilus aliquis, fœnum, aut consimile quippiam, ab his qui in operibus versantur tectoriis, adiicitur admisceturque, quò aut tenacius parietibus adhæreant: aut minùs findantur, dirumpantúrue, ex luteo illiniti, cratitij parietes.

De hac etiam Palustri Aristophanes in Ranis, vbi eas inter se loquentes adducit, admodum lætantes, quòd totum diem consumpsissent inter Cyperum & Phleum saltantes.

Huius generis feminam, ait quoque Theophrastus sterilem & ad nexus vtilem; marem verò inutilem. Quod & nostri de Typha palustri referunt. aiunt enim folia eius, quando caulem non promit, ad tegetes & storeas, quas mattas vulgo, contexendas, vtilia fore; vbi verò caulem facit, inutilia.

Dioscorides Typhæ palustris florem ἀνθήλην quoque à nonnullis nuncupari, refert. Ouidius hanc stirpem scirpum videtur nominare, ex ea

Scirpus. etenim storeas scirpeas mattas nominat, vt Fastorum vi.

At dominus, discedite, ait, plaustróq; morantes
Sustulit, in plaustro scirpea matta fuit.

Germani caulem cum spica Narrenkolben & Liesßknospen / nostri Lischdodden & Donsen: Galli *Masses* appellitant: & apposite quidem, inquit Ruellius: Galliæ rura Massas dixerunt, quòd sceptra regum, Massas vulgò dictas, perpolitus caulis lanosa floccorum densitate summatim fastigiatus æmuletur Hetruscis, Matthiolo auctore, *Mazza sorda* dicitur, quod eius lanugo, si in aures decidat, surditatem afferat.

Cibo idonea, Theophrastus ait, Phlei pars tenera ab radicibus proxima est, vt quam pueri paruuli potissimùm mandunt.

Dioscorides Typhæ florem suillo adipe eloto exceptum, ambustis mederi, refert.

Herodotus Indos qui in palustribus fluminis habitant, vestem ferre scribit φλοΐνην, id est, ex φλεῷ, quem ipse φλοῦν nominat.

Nostri ex foliis storeas siue mattas, & alia multa contexunt.

De Iunco. CAP. XXIX.


IVNCORVM non vnum genus est, omnes autem absque foliis, foliorum verò loco rectos, rotundos, tenues, longos & enodes promunt, veluti stylos, in acumen fastigiatos: fructum non omnes, sed qui ferunt, paulò infra cacumen, ab vno latere findente se Iunco edunt, in paruis breuibusque pediculis, cohærentium paruarum vuarum modo, in quibus semen exiguum cuspidis effigie. radices tenues & fibrosæ. Plinius, & eo prior Theophrastus, Iunci radices omnibus annis emori, renasci autem eundem ex semine, marem verò sterilem ex se metipso cacumine in terram defixo, affirmant Quale tamen nihil à nobis obseruari potuit.

1. Horum vnum genus magnitudine & crassitudine reliquos superat, quod læue, plenumque medulla est fungosa, candida, ad lucernarum lumina, in quibus ellychnij vice est, tum & alia multa vtili. Iuncus etiam ipse ad tegetes & vtilia omnia vtilissimus, locis gignitur humidioribus, aquas crebrò aut semper habentibus.

2. Proximus huic læuore similis alter est, sed minor, breuior, tenuiorque, qui & ad nexus similiter vtilis, & medulla candida fungosaq; refertus. exit locis haud dissimilibus, sed non perinde humidis.

Tertius

Iuncus Holoſchœnos.



Iuncus læuis. Iuncus acutus.



Tertius ſecundo magnitudine ſimilis eſt, ſed aſperior, & medullam habet candidam quidem, ſed omninò exiguam plurima parte inanis, ad vinciẽdum quoq; idoneus, & præſertim reſiccatus & aridus: huius Iunci ſiue ſtyli, non omnes è radicibus, vt duorum aliorum, ſed nonnulli ex aliorum ſinubus oriuntur, ſicuti Iridis & Ferulaceorum multorum folia ab aliis ante caulis productionem exeunt. reperitur iiſdem, quibus priores, locis. 3.

Appellatur autem Iuncus Græcis quidem χοῖνος. Germanis Bintzen: Belgis Bieſen: Italis Giunco: Hiſpanis *Iunco*: Gallis *Ionc*.

Et primum quidem à nobis deſcripti genus ὁλοσχοίνῳ à Græcis nuncupato ſimile eſt: plerique ex noſtris vulgò Mattenbieſen nominant. 1.

Proximus læuis Iuncus, ſiue χοῖνος λεία Dioſcoridis eſſe videtur. 2.

Tertius acutus Iuncus, & ὀξύσχοινος appellari poteſt. à noſtris Pieren bieſen nuncupatur. Iunci enim aliquot differentia genera veteres tradunt. 3.

Tria enim Iunci genera ſunt, inquit Theophraſtus, vt nonnulli diſtinguunt, ὀξὺς καὶ ἄκαρπος, acutus & ſterilis, quem marem appellant, κάρπιμος frugifer, quem μελαγκράνιν (atriferum Gaza vertit) vocitamus, quoniam ſemen nigrum ferat, craſſior hic Iuncus & carnoſior. tertius magnitudine, craſſitudine, carnoſitate inſignis, qui ὁλόσχοινος vocatus eſt, Gaza Mariſcum interpretatur.

Plinius tamen Holoſchœnum, à Mariſco differentem facit.

Dioſcorides tria quoque Iunci aſſignat genera, aliter tamen, quàm Theophraſtus ea diſtinguens, vnum læuem Iuncum, ſiue σχοῖνον λεῖαν nuncupat. alterum ὀξύσχοινον & acutum, tertium cum Theophtaſto ὁλόσχοινον Et acuti quidem vnum ait, ἄκαρπον ſiue ſterilem: alterum fructiferũ, ſemen nigrum ferentẽ. Hanc μελαγκρανὶν, illum marem Theophraſtus nuncupat.

Holoſchœni autem, vt Galenus inquit, fructus ſomnum adfert; conciliat & oxyſchœni eius, quæ ſemen fert, ſomnum, ſed minùs quàm hololchœni: quanquam tamen hoc caput tentet. Vtrumque ſi frictum cum vino bibatur, ventris fluxus deſiccat, & muliebre rubrum profluuium ſiſtit. Ex quibus clarum eſt, quòd compoſita eorum tempenes eſt, ex terrena videlicet eſſentia leuiter frigida & aquea leuiter calida: vt & inferna deſiccare poſſent, & ſen-

Plantagoaquatica



Hydropeperi.

Alisma.



ſim frigidos ad caput vapores ſummittere, quibus ſomnolentos efficiant.

Dioſcorides, quę proxima ſunt radici folia tenera, conuenienter, ait, imponuntur a phalangiis demorſis.

De Plantagine, vulgò dicta, aquatica.

CAP. XXX.

PLANTAGO aquatica, vti à recentioribus nominatur, folia habet in prælongis, craſſis pediculis, longa, lata, in mucronem deſinentia, Plantaginis maioris foliis longiora & acuminatiora. Caules inter ea exeunt longi, triangulares, intus fungoſi, in complures ramulos diuiſi, in quibus flores candidi, parui, tribus conſtantes foliolis, & fructus deinde parui, & triangulares, virentes. radices ſubſunt fibroſę.

Exit humilioribus & aquas habentibus locis, in foſſis iuxta lacuũ & riuulorũ margines.

Floret Iunio, Iulio, & ſubinde Auguſto menſibus.

Noſtræ ætatis ſtudioſi Plantaginem appellant aquaticam, & Germanice waſſer Wegerich id eſt, noſtrate lingua, water Wechbore/ & Gallicè *Plantain d'eaue*, Plantagini tamẽ non admodum ſimilem. præter enim folium, nihil habet Plantaginis, quod tamen & ipſum Plantaginis folio non ſatis reſpondet: nam longius, magis faſtigiatum & minùs neruoſum eſt. Simon Ianuenſis hanc Barbam ſyluanam nominat.

Sunt qui velint Aliſma eſſe, cui quoque nõ videtur ſimile: Aliſma ſiquidem, Dioſcoride & Plinio auctoribus, folia habet Plantaginis anguſtiora, in terram reflexa, & caulem ſimplicem. ſed hæc verba, Plantaginis maiora, longiora, non deorſum reflexa, at ſurſum erecta habet, & caulem plurimis alis ramoſum. Quæ manifeſtam huius cum Aliſmate differentiam oſtendunt.

Facultatem autem hæc Plantago frigidam videtur habere & ſiccam, nullius interim tamen, quòd ſciatur, vſus.

De Hydropepere. CAP. XXXI.

HYDROPEPERI caules edit cubitales, rotundos, lęues, geniculatos, in plures ramulos diuiſos. folia oblonga, mali Perſicæ aut Salicis foliis ſimilia: flores ex alarum foliorumq́; ſinubus, tum & in ſummis cauliculis, in longioribus pediculis racematim cohærent, colore candidi, aut purpurei: quos deinde ſemen ſequitur minutum, latiuſculum, ruffum, aut nigricans: radicibus multis ac fibroſis nititur. Tota herba cum foliis, floribus & ſemine, acris eſt, & Piper ſapore refert, citra tamen vllam odoris gratiam.

Naſcitur locis paluſtribus, in foſſis & ſcrobibus hybernis menſibus aquas habentibus, & iuxta ſtagnantes aquas.


Iulio

Iulio & Augusto potissimùm floret. Græcis ὑδροπέπερι· Latinis Hydropipér siue Piper aquaticum, aut Piper aquatile dicitur· Germanis wasser Pfeffer/ oder Mucken kraut / nostris water Peper: Gallis *Curaige*. Hispanis *Pimienta aquatica*.

Facultatem autem habet euidenter calidam & siccam· non tamen, vti Galenus affirmat, tam calidum, quam Piper. Folia vna cum fructu imposita, Dioscorides ait, œdemata & veteres duritties discutiunt, ac suggillata delent.

De Persicaria. CAP. XXXII.

Persicaria.



PERSICARIA caulibus, folijs, floribus, semine, Hydropeperi simillima est. caules habet rotundos, geniculatos, folia quoq; Persicæ aut Salicis, sed sæpè latiora & nigriora quam Hydropeperis, macula siue litura in medio nigra, plumbi colore, qua nota manifestissima ab Hydropepere dignoscitur: flores similiter racemosi, candidi, frequentiùs purpurascentes, semen nigrum, & radices fibrosæ. Sapore autem hæc herba non est acris, sed subacidum quippiam resipit.

Reperitur similibus, & sæpè iisdem quibus Hydropeperi locis, floretq; eodem tempore.

Persicaria à foliorum Persicę similitudine, nuncupatur. Germani Persichkraut vnd Flochkraut: Belgæ Persencruyt nominant. Sunt qui velint Plinij Plumbaginem esse, propter eas, quæ in folijs conspiciuntur plumbei coloris, notas. Sed Plumbaginem Plinius non à colore, sed magis ab effectu nomen habere vult, quòd videlicet plumbo oculorum affectui medeatur.

Nascitur, Plinius lib. XXV. cap. XIII. ait, vulgò Molybdæna, id est, Plumbago etiam in aruo, folio Lapathi, crassa radice, hispida: hac commanducata, si oculus subinde linatur, plumbum, quod est genus vitij, ex oculo tollitur. *Molybdæna Plumbago.*

Temperiem autem Persicaria frigidam habet, & nonnihil siccam, inflammationibus incipientibus & recentibus vulneribus fertur prodesse imposita.

LIBRI QVINTI PEMPTADIS QVARTÆ FINIS.

REMBERTI DODONÆI
AD IVLIVM ALEXANDRINVM
DE FABA EPISTOLA.

*P*OSTEAQVAM *annotationes tuæ, mi Alexandrine, in quædam Galeni loca ad me peruenerunt, atque in cap.* XIX *lib. primi De alimentorum facultatibus incidissem, non satis potui admirari, quod nostram, de Bona Germanis dicta, sententiam ac iudicium olim tibi probatum, nunc putaueris (vt plane loquar) futilibus vanisq́ quibusdam argumentis refellendum. Placebant tibi tum ex Veteribus adducta obseruationes & variorum locorum testimonia, quibus Bonam vulgo dictam Fabam, non esse κύαμον ac legitimam Fabam euicimus. Tantoq́ magis iudicium hoc nostrū tibi cōmendabatur, quòd olim etiam in eadem sententia fuisset Doctiss. vir Euricius Cordus in suo Botanologico, quod tibi primus & ostendi & communicaui. In quo iisdem quidem, sed paucioribus testimoniis vulgo habitam Fabam, siue Bonam, non esse legitimam ac genuinam veterum Latinorum Fabam ac Græcorum κύαμον ipse item docet. Cuius nos iudicium amplexantes, hoc ipsum quoque pluribus argumentis, ac ex Veteribus petitis testimoniis confirmare ac adstruere annisi sumus. Quæ talia sunt, vt vel ipsa luce clarius ostendant, vulgarem Fabam siue Bonam, nō esse κύαμον & Fabam, sed omninò alterius nominis legumen. Cumq́ confitearis ipse, mi Alexandrine, argumenta ac testimonia nostra magna & non pauca esse, tamen, à priore tua sententia nunc recedens, hæc confutare conaris, vnicum & paruum, vt ipse ais, his opponens, quo vniuersum nostrum iudicium corruiturum speras, ac nescio qua temeritate tibi persuades. An vero vnico & exiguo argumento dilui poterunt multa & magna? Falleris Alexandrine, si hoc ex animi sententia censes. Maioris auctoritatis semper habita sunt multa & magna argumenta, quàm pauca & exigua. Quid ergo te mouit, vt vnico eóque paruo argumento, putaueris magna & non pauca refellenda? Hilum ais. Hilúmne res minima ac nullius precij? Sanè si non aliud habes, quàm ab Hilo petitum aut deductum, sententia tua in se mox corruet, & in nihilum abibit. Nam Hilum ne γρῦ quidem pro tua sententia facere, aut tibi prodesse potest. Sed diluis quoque, dicísque nostra argumenta, atque ex Veteribus petita testimonia, aliter esse accipienda ac intelligenda, quàm nos fecimus. Sed de his posterius. Nunc prius de Hilo nobis respondendum. Testes adducis Ciceronem, Varronem, ac Festum, magnos quidem celebres classicos auctores, sed qui in nullo tibi patrocinentur. Neque enim pro tua sententia ex his quicquam in medium proferre potes. Cicero eloquentiæ princeps Tusculanarum quæstionum libro primo, satis quidem Hilum rem esse minimam ostendit, sed tamen quid propriè sit, multò minus aliquid esse Fabæ adhærens, non explicat: ex Poeta verba adferens:*

—Num illud quod Sisyphus versat
Saxum, sudans nitendo, neque proficit hilum.

Varro Hilum significare prodidit, non quod Fabæ adhærens reperitur, sed medullam eius ferulaceæ plantæ quæ Asphodelus dicitur, vt refert Isidorus. Et hæc quidem de Hilo apud Ciceronem & Varronem. Ex his autem nihil quod secundum te faciat colligere potes. Superest Sextus Pompeius Festus, ex quo Hilum interpretaris minimum esse in Fabæ grano nigricans illud, quod in summo grani est. Addis deinde quod in nulla (quod scias) cùm visatur, quàm Faba (nempe vulgaris) grano, nigrum exiguumque id, hoc in quo visitur Fabæ habendum esse granum seménque quasi demonstrari. Ac paulo pòst: Et reperiri, ais, quidem in Phaseoli quoque grano, sed grani in medio, non autem in summitate nigrum quippiam esseq́ id in Phaseolo multo quàm in Faba maius, locumq́ occupare maiorem, vt propterea Hilum esse non possit; quippe non tam paruum. tum vero neque carpi aut decerpi digitis manuq́ ex Phaseolis illud posse, vt ex Fabis potest. ex quibus exemptile est, & digitis decerptum, abiici in contemptum tanquam nihili res (vt fieri solet) possit. Hactenus quidem Alexandrine tua, in quibus Festum adducis, veluti pro tua facientem sententia. Sed nec vel hunc sententiæ tuæ adstipulantem offendes, si modò emendata consulueris exemplaria, quale est à Iosepho Scaligero summa cum diligētia ac animaduersione quàm correctissimum emendatissimumq́ an. LXXII. *editum, in quo Hilum esse in summitate (vt tu refers) nigricans Fabæ grano adhærens haudquaquam legitur, sed omninò aliter. Verba autem hæc sunt Festi:* Hilum putant esse quod grano Fabæ adhæret. *Vides nunc temerè Hilum te facere quod in summitate Fabæ grano adhæret: & Festum secus quàm exemplar habet à te testem adduci. Festus siquidem nullum locum designans, Hilum illud putari ait, quod Fabæ grano adhæret. Iam verò, vt & ipse affirmas, Hilum exiguum quiddam est, atque idcircò vestigium illud, in Phaseoli medio, quo siliquæ annectitur, negas Hilum esse: Maius siquidem ais, quàm Hilum esse queat, vtpote nigrum*

illud

illud in summitate Fabæ (vulgaris nempe) apparens, magnitudine excedens. Adhibe oculos, admoue perspicilla si caligant, profer in medium Boonam, etiam minorem, & Phaseoli granum siue fructum. obserua deinde notam qua Phaseolis fructus siliquæ adhæret, & nigricans illud oblongum, quod in huius Boonæ summitate conspicuum est, haud poteris non improbare sententiam tuam; & aliena à veritate te scripsisse non mox confiteri. Manifestissimum siquidem est, etiam minoris Boonæ notulam oblongam nigricantem, maiorem esse & plus spacij occupare, quàm Phaseoli, de qua scripsimus, nota siue vestigium. Si ergo Phaseoli vestigium, Hilum dici non debet, quòd maiusculum sit, nec certè vel oblonga nigra macula, vel id, quo hæc tegitur, in summitate Boonæ adhærens, Hilum esse poterit, nam ipsam in Phaseoli grano apparentẽ notam quantitate excedunt: non modò quidem maioris, sed etiam minoris Boonæ, cuius, & nota nigra, & quo hæc contegitur vnguiculus minora sunt quàm maioris. Quid restat nunc Alexandrine, nisi vt ingenuè agnoscas, Hilum quod multis & magnis argumẽtis opponere studuisti, ne γρῦ quidem ac ne Hilum pro te facere, aut sententiæ nostræ aduersari posse. Præter verò istud de Hilo inualidum argumentum, & aliud in medium producis, & ipsum nihili, de pulte videlicet, quæ Græcis ἔτνος dicitur, quam Galenus lib. 1. De aliment. facult. ex Fabis in ollis liquidam, in patinis spissam confici scribit. Tu verò ex nullo alio legumine meliorem præstari, quàm ex vulgaribus Fabis, hoc est, Boonis, nullamq́ue hac frequentiorem mensis inferri addis. Ex quo autem legumine huiuscemodi pultes Tridẽtini aut Ananenses rustici coquant, ignorare me fateor. Sed in Pannonia superiore, in Bohemia, ac in Belgio scio tales frequentissime ex Eruiliis parari. Et Galenus non ex solis Fabis, sed ex quouis legumine ἔτνος parari, in lib. De Euchymia & Cacochymia scriptum reliquit. Ἔτνος, ait, οὖν ὀνομάζω τὸ ἐκ τῶν ἑψηθέντων ὀσπρίων τε καὶ χεδρόπων συναγόμενον: hoc est, Etnos appello ex decoctis ospriis & leguminibus confectum. Quid nunc habes Alexandrine, cùm ἔτνος non modo ex Fabis, sed & ex aliis leguminibus componatur? Atque sic argumentis, exiguis (vt ipsus scribis) quibus magna & non pauca oppugnanda duxisti, responsum esto. Reliqua siquidem quæ præterea adfers responsione non sunt digna, vtpotè ad rem non facientia. Pergamus igitur ad ea quibus nostra diluere ac conficere te præsumis. Occurrunt autem primùm quæ de rotunditate ac paruitate Fabæ adduxi, quam talem esse, ex quarundam stirpium baccis ac seminibus ad Fabam comparatis ostendimus, vt sunt Terebinthi, Loti, Tiliæ, Taxi, Xyridisq́ue fructus. Hic tu mox plures Terebinthos à Theophrasto lib. De historia stirpium describi in medium adfers. Quod vt nemo negauerit, ita quoque fatendum ex femininis appellatis Terebinthis alteram fructu magnitudine Fabæ à Theophrasto describi. Exiguum autem & rotundũ huius esse vel amicissimus tuus Matthiolus testabitur: qui Terebinthum hanc pictura exprimit, quare non est quod incognitam suspiceris aut affirmes. Indica est Terebinthus quam tu haud notam existimas, sed hæc fructum non Fabæ magnitudine, sed amygdalis similem profert. Loti verò, Tiliæ, & Taxi fructus, qui Fabis quoque comparati reperiuntur, nescio vnde existimes à Theophrasto maiores visos, quàm sint modò orbi nostro ac præsenti tempore cogniti; hos etenim vel magnitudine vel forma iam alios factos à nemine hactenus proditum est, tuum istud est commentum aut potius somnium. Xyridis semen Fabæ simile quoque Dioscorides refert, forma videlicet, nempe στρογγύλον, idcircò tamen nec colore nec sapore ipsam referre ait, quod tu nihilominus affirmare studes; Dioscoridis verba in alienum detorquẽs sensum, contra loquendi eius consuetudinem, & secus quàm à quoquam vnquam hæc verba accepta sunt. Interpretaris verò & στρογγύλον esse, id quod teres & cylindratum, & similiter contra Dioscoridis mentem loquendiq́ue vsum. Dioscorides siquidem στρογγύλον globosam figuram habens appellat, nõ quod teretem aut cylindri formam obtinet, Aristolochiam oblonga & cylindri ferè modo terete radice μακρὰν alteram verò globosa radice στρογγύλην vocat. ita & κρόμμυον siue cepam, cuius bulbus ad globosam figuram accedit, στρογγύλον nominat. κρόμμυον, ait, δριμύτερον τὸ μακρὸν τοῦ στρογγύλου. Sunt & talia globosa rotunda nonnulla alia, vt Rubiæ semen, syluestris vnius Cymini capitula, Rusci bacca, &c. quæ Græcè à Dioscoride στρογγύλα quoque dicuntur. Latini hæc rotunda appellant, sed magis propriè globosa dixerint, nam & rotunda habentur, plana ac compressa circularem habentia circumferentiam, vt sunt Sampsychi, Cotyledonis, Cyclaminiq́ue folia, Cretici Seseleos semen, Lupini fructus, Anthemidis capitula, Achilleæ aliorumq́ue similium vmbella, quæ à Dioscoride haudquaquam στρογγύλα, sed ἀδελφοφερῆ perhibentur. In Tithymalo Paralio non est hærendum, neque refert huc adduci, quomodo vel in Oribasii vel Plinij exemplaribus legatur. ipse notissimus est, & non in Italia, verùm & Belgij maritimis nonnullis frequens nascitur. Vmbellam fert paruam, quam Dioscorides κεφαλὴν nominat, & ἀδελφοφερῆ esse tradit, in qua fructus, aliorum Tithymalorum æmulus. Plinij exemplaria quædam magnitudine Fabæ hunc esse habent: alia verò aliter. Oniscos autem Galenus esculentis Fabis similes facit, non colore, vt tu interpretaris: sed (si diligenter verba eius expendantur) tunc vbi sese in globuli figuram contraxerint. Si etenim colore similes essent, quorsum opus foret in globulum aut sphæram contrahi, vt similes Fabis redderentur? Nam sese in orbiculum siue sphærulam contrahendo colorem haud immutant. Sunt autem Onisci

non

non omnes natura tales, sed præcipuè tantummodò φαιοὶ καὶ τὴν χρόαν ὄντες, id est, fusci coloris existentes. Inter Oniscos siquidem quidam sunt colore sordentes, ac terreum quid præ se ferentes, qui omninò non conglobantur, aut certè nec citò nec facilè: alij ad cæruleum colorem inclinant, & superficie nonnihil splendent. Hi sunt φαιοὶ à Galeno nuncupati, qui facilè & vel leuißimo contactu sese in globulum conformant, quam formam vbi acceperint, Galenus ait esculentis Fabis persimiles esse, atque idcirco & κυάμους à nonnullis appellari. Intelligis modò Galenum ac sensum verborum eius tenes? Hunc nescio quomodo aliò detorquere conaris perperam eius verba transferens, ne Fabam veterũ paruam ac absolutè rotundam tibi confitendum foret. quod tamen tandem agnoscere debebis, vtcunque & alium elabendi modum quæras, Oniscos cùm se contrahunt orbicularem ac sphæricam formam prorsus non reddere, sed oblongam ex parte referre scribens, quæ Fabæ figura est & forma, vt tu addis. Hic iterum te moneo, vt cæcutientibus tuis oculis perspicilla admoueas, quò de figura Oniscorum contractorum rectiùs iudicare, & in absolutæ sphæræ modum hos sese contrahere (talem enim formam exquisitè referunt) melius videre queas: atque hanc elabendi rationem ac viam tibi in nullo vtilem esse cognoscas. Simili modo & illudere nostrum argumentum ex cap. de Aphace & Vicia studes, in quo hæc verba statim initio leguntur: τὸ σχῆμα τῶν σπερμάτων τούτων οὐ στρογγύλον ἐστὶν, ὥσπερ τὸ τῶν κυάμων, &c. id est, forma horum seminum non est globosa, veluti est Fabarum. Quibus verbis τοὺς κυάμους στρογγύλους, hoc est, globosos esse manifestè innuitur. Tu verò στρογγύλον non quod globosum, sed quod teretem figuram habet, iterum esse contendis. Ad quod non aliud respondeo, quàm quæ paulo antè de στρογγύλῳ scripta. Acrochordones, Thymos, Epinyctidasq́ exigua esse tubercula, quis negauerit? Si fortuito casu aliquod istorum quandoque maius reperiatur, ad hoc comparatio non est facienda. Ad ea enim quæ frequentißima ac communißima, comparatio adhiberi solet. temerè idcircò & præter rem adfers te verrucas vidisse dimidiatæ vulgaris Fabæ magnitudine. De pondere verò Fabæ quæ scripsimus per euidentem calumniam diluere laboras. Ais te ex aceruo commune granum Fabæ accepisse, idq́ vix decem tritici grana pependisse. Accepisti haud dubiò minoris Bonæ granum. At ego non istius sed maioris Bonæ fructum sæpè dimidiam drachmam pendere scripsi. idq́ in cap. de Bona maiore. Quod ne inficias ire posses, hinc quoque & maiores & minores aliquot Bonas ad te misi, vt discrimen vtrarumque cognosceres, quod videris noluisse animaduertere, tametsi separatis capitibus à me de his sit scriptum. Harum maiores (plus minus) semidrachmam pondere æquarunt, tametsi nõ huius generis maximæ, sed mediocris magnitudinis tantummodo. An ne manifesta calumnia, ad minores pertrahere, quod de maioribus scripsi? Ita sanè videtur. Maiores autem negabis fortaßis te vnquam vidisse, quod certè non potes, cùm Viennæ & Pragæ harum & recentium & aridarum etiam sit vsus, vbi haud dubiò, illas non solùm vidisti mensis inferri, sed, vt verisimile est, gustasti & edisti quandoque. Sed dißimulandum hoc erat, vt liberior calumniandi occasio relinqueretur. Quod non hoc loco, sed & alibi facere videris, siquidem quòd Bona in auditorium meatum incidere nequeat, id quoque de minoribus accipis, in cap. tamen de maioribus Bonis à nobis traditum. Vidisti ne aliquando tam patentem hominis auditorium meatum, vt in eum facilè maior Bona incidere potuerit? negas. Quid ergo hîc cauillaris? Simile est de gallo gallinaceo, quem ais posse Fabas deglutire: minores Bonas fortaßis posset, sed maiores à gallo non meministi integras (vt credo) deuoratas. Hîc verò etiã cauillaris, in ὀνείρῳ Luciani legi affirmas, quod ex ἐνυπνίῳ citatum: esto. sit lapsus iste transscribentis vel meus, quid ad rem? Luciani locum esse confiteris: atque in eius Dialogis reperiri Mycillum obijcere gallo, quod Fabas sublegisset. De reliquis abstineo, vt de formicis Fabæ tunicã adferẽtibus, &c. quia ut minora ac tenuia nimis, vt ais, prosequamur postulas. Ad Aristotelis locum lib. De Historia animalium sexto veniendum. In hoc autem quasdam voces aliter reddendas censes, quàm à Theodoro Gaza sint conuersæ. Verùm prætermißis istis ad inspectionem pulli te prouoco. Frange ac aperi ouum gallinaceũ decimo, vndecimo, aut duodecimo ab incubitu die, qualisq́ tunc sit pulli formatio cõsidera & vide. Reperies caput formatũ, & vtrinq́ eminentes oculos, partibus tamen eorum indiscretis, reliqui verò corporis fibras ac rudimenta: vt hinc pateat haud perperam ab Aristotele scriptum, decimo die caput reliquo corpore grandius esse, & oculos Fabis maiores per id tempus eminere; Fabis videlicet quas veteres κυάμους dixerint. Quid nunc Alexandrine, Fabam ne de loco sedeq́ sua deiectam restituisti? & de honorum facultatumq́ suarum posseßione deturbatam reduxisti? exauctoratæ auctoritatẽ reddidisti ne omnem? Ita enim lib. VII. De simp. medic. facult. cap. de Faba inaniter gloriaris, triumphum canens ante victoriam. Sed erubescere te nunc video, Salua res est. Agnoscis modò te temerè nimis Euricij Cordi ac nostram sententiam impugnasse, tuaq́ argumenta omnia concidisse, ac in nihilum euanuisse: Bonamq́ nec maiorem, nec etiam minorem, veterum κύαμον Latinis Fabam dictam, esse confiteris. cùm orbicularem siue sphæroidem formam, neutra obtineat, qualem κύαμον esse, abundè ostensum. Vale.

REM-

REMBERTI DODONÆI AD IVLIVM ALEXANDRINVM EPISTOLA ALTERA.

DE PHASELO.

DVDVM *absolueram Alexandrine priorem epistolam, cùm in locum secundi libri De alimentorum facultatibus cap. primi, inciderem, vbi refers recentis Phaseli siliquas esculentas esse, vt & Phaseoli siue Dolichi, ex quo deinde nonnullam occasionem iterum arripis, reiicienda ac reprobandæ nostræ de vulgari Faba siue Bona sententiæ. Galeni sunt verba,* κυάμων δ' οὐκ ἔστι χλωρῶν ὁ λοβὸς ἐδώδιμος *id est, Fabarum autem viridium siliqua non est esculenta. Quibus tu hæc adiicis:* Vbi igitur sunt, qui nostrates Fabas maiores, minorésve, veterum esse Phaselos persuadere nobis conantur? est siquidem Phaseli siliqua esculenta, recentis, vt & Fasioli, siue Dolichi, itidem recentis: estur enim vtraque hodie pariter: at Fabarum nusquam editur. *Hîc optarim interrogatum te Alexandrine apud quem auctorem vnquam legeris Phaseli recentis siliquas edules esse. Nullum enim (si rectè iudico) auctorem proferre poteris. Nam Galenus, eodem loco, solius Dolichi, dum adhuc virescit, fructum integrum vescum esse testatur. Fructum autem nominat, quod ex siliqua & semine componitur. Vnde ergo Phaseli etiam immaturum fructum esculentum esse cognouisti? Sed fortassis Phaselum, Phaseolo siue Dolicho congenerem facis: vt posteriora tua verba ostendunt, in quibus Phaselos & Phaseolos siue Dolichos veluti duo differentia quidem legumina nominas, sed tamẽ forma similia eorũ semina affirmas, & renũ quorundam animalium similitudinem vtraque referre.* Illud insuper (*ais*) in vtrisque, Phaselis inquam, & Phasiolis, siue Dolichis, magna cum animalium quorundam renibus similitudo, in Fabis nulla. *Hæc certè verba ostendunt exiguum te discrimen inter Phaselum trisyllabum, & Phaseolum tetrasyllabum siue Dolichum agnoscere. Quod & cap. XXV. eiusdem libri apertius ostendis. vbi Phaselum aliud nihil esse affirmas, quàm qui ab Italis omnibus Fasolo dicitur: Phasiolum verò (vt quibusdam placet) nihil aliud quàm Fasolo Turchesco, à Dioscoride Smilax hortensis, a Galeno verò Dolichus dictus, cum Phaselo genus non diuersum, specie, vt ais, diuersa tamen. Hîc velim ex te scire, mi Alexandrine, quid inter hæc genere eadem, specificam differentiam pariat, quod tu nec exprimis nec ostendis. Sunt quidem, scio, nonnulli, qui inter Phaseoli albida semina, & alia quæ vel lutea, vel rubentia, vel nigricantia, vel ex albido nigroq́; permixtis colorata, discrimen facere conantur: propterea quòd albida semina renum quorundam animalium figuram paulo magis exprimere videantur, quàm alterius coloris. Quod si autem huiuscemodi est discrimen, quo specie diuersa ac differentia esse existimas: valde exiguum illud est, & certè tam exiguum, vt nec nomine nec specie, hæc ea propter distinguenda sint. Neque enim color vel nomen vel speciem mutat, nisi alia adsint discrimen ostendentia. Cuiuscunque ergo coloris Dolichi semina sint, haud idcirco nominibus distinguenda, & quædam Phaseli, alia Phaseoli dicenda. Phaselus etenim haud alius est, quam vulgaris Faba Germanis Bona dicta, à Phaseolo siue Dolicho differens: vt Pempt.* IIII. *lib.* II. *cap.* I. *abundè multis ostensum est. Quibus accedere potest, quod Galenus lib.* I. *De alimentorum facult. inter ea semina, quæ in aqua eoúsque dum radices egerint, id est, germina fecerint, macerata eduntur, Phaselos quoque recenseat: & nostra hac ætate vulgares Fabæ, siue Germanorum Bonæ in aqua macerata quoque edantur; & quidem à Religiosis montis Athou: vt Bellonius Singularium lib.* I. *cap* XXXVIII. *&* XLVIII. *refert, quos verisimile est hanc consuetudinem à veteribus retinuisse, sic vt & hinc colligendum videatur, veteribus Phaselos dictas fuisse, quas modò vulgò & perperam Fabas, Germani verò Bonas vocant. Semina autem quæ in aqua macerata, donec radices produxerint, eduntur, referente Galeno, sunt Fœnigræci, Phaseli ac Eruilia, item & Lupini. horum autem nullum cum vulgari Faba siue Bona conuenire potest, excepto solo Phaselo. Proinde & hæc tua argumenta planè Alexandrine concidunt, neque enim vulgarẽ Fabam Phaselum esse negare potes. multò verò minus, legitimam Fabam esse affirmare. Neque tibi in vllo prodesse queunt Galeni verba quæ ex cap de Dolicho, haud integra sed mutila in medium præfers, deinde & aliò detorques. Refert Galenus Dioclis verba de Dolicho ac Pisis, post quæ deinceps Ochri, Lentis, Ciceris, & Orobi mentionem faciens, Lathyri siue Cicerculæ nomen prætermittens, eandem, inquit, dubitationem præbet. (quam videlicet Hippocrates prius) Dicere tamen (addit) quis posset: omnia hæc, Ochrum, Lathyrum, Faselos, vnum esse genus, verùm pluribus nominibus appellari. Hîc tu mox Alexandrine adiicis:* Et re vera sunt

genere eadem, speciebus quibusdam diuersa cuncta hæc. *At Galenus, dicere aliquos posse eadem esse genere hac refert, non, vt tu, affirmat. An ne Ochri, Lathyri, ac Faseli eadem sunt? negas. Sed Phaselum ac Phaseolum eadem genere esse respondes. Verùm hec ex istis Galeni verbis colligi nequaquam potest. Desine ergo Galeni verba ad alium sensum, contra mentem eius detorquere, & integra, non mutila, in medium proferto. Quod quia abs te non factum, hic integra adscribenda putauimus.* In libro De ratione victus, Hippocrates scriptum sic reliquit. Pisa minus quidem inflant, sed magis per aluum secedunt: Ochri autem & Dolichi iis quidem secedunt celerius: verùm minus sunt flatulenti, & nutriunt affluentius. Cùm enim Hippocrates his verbis Pisa Fabis comparet, quarum prius vt cibi flatulenti meminerat: deinde Ochros & Dolichos adscribat, in eo significat, Dolichon eiusdem esse generis cum prædictis seminibus, & potissimùm cum Ochris. Verùm cùm nullam prorsus Lathyri aut Phaseli mentionem fecerit, suspicari quodammodo possumus, illorum seminum quoddam licere appellare Dolichon. Quod si quis Phaselos etiam in Lathyrorum genere reponat, negare falsem non poterit, quin Lathyri in prædicta oratione Dolichi appellari queant. Nam & Diocles in Leguminum catalogo, vt Fabas primas recensuit, mox Pisa, deinceps ad verbum sic scribit: Dolichi verò non minus quam Pisa nutriunt: præterea flatu similiter carent. quod verò ad suauitatem pertinet, ad delectionem, vincuntur. Verùm is quoque deinceps Ochri quidem, & Lentis, & Ciceris, & Orobi mentionem faciens, Lathyri autem nomen prætermittens, eandem præbet dubitationem. Dicere tamen quis possit, omnia hæc, Ochros, Lathyros, Phaseolos, vnum esse genus, verùm pluribus nominibus appellari. *Hac sunt, mi Alexandrine, integra Galeni verba, qua quàm nihil pro tua sententia faciant, vel nostra aduersentur, satis manifestum. Vale.*

F I N I S.

REM-

Autoris damnati & operis permissu

REMBERTI DODONAEI DE OLERIBVS, ET CARDVIS,

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTAS QVINTA.

DE HERBIS EDVLIBVS, LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.

*A*NTECEDENTE *Pemptade Frumentorum leguminumq́ materia comprehensa est: Nunc altera edulium herbarum succedit pars, quæ Olerum historia continetur. Est autem inter hæc differentia haud exigua. quædam etenim herba siue foliis edulia sunt: alia fructu: radicibus verò non pauca.*

Eorum autem, quæ herba siue foliis edendo sunt, duplex est genus: nonnulla enim tota, ac subinde sola edi possunt, vt Atriplex, Beta, Braßica, Lactuca, &c. alia verò nec sola nec tota eduntur, sed ciborum ac olerum aliorum condimenta sunt, vt Apij genera, Sinapi, Eruca, Nasturtium, &c. Quæ omnia vt verè Olera dicuntur, sic & hæc, Pemptas ista explicabit. Additis quinto loco spinosis Carduis, quorum nonnulli edules sunt, vt Cinara, Carduus Leucographus, & alij.

Primo autem loco occurrunt herbæ, quæ tota ac subinde sola esitantur. additis interim & iis, quæ cognatione aliqua ipsis adhærent, tametsi etiam edules non sint. Nec enim, vt sæpius admonuimus, similes ab inuicem diuellendas existimauimus: Iam & expediens cum vtilibus inutiles describi: Ita enim facilius vna ab altera dignosci potest.

DE ATRIPLICE.
CAPVT I.

ATRIPLICIS genera sunt duo: hortense ac syluestre.

Hortensi caulis procerus & erectus nonnullis alis & ramis brachiatur: folia lata, acu- 1.
minata, & Bliti foliorũ æmula, leuiora interim molliora'q;: flosculi exigui sublutei coaceruati.
semen foliatum, tenui cortice obductum, racematim cohæret. radix in altum descẽdit, mul-
tæ ex qua fibræ promuntur. Sunt folia caulesq; initio subcandido relucentia colore, ac veluti
tenui respersa farina, procedente verò tempore in luteum nonnihil subinde elanguescunt.

Syluestris læuitate formaque foliorum, floribus, semine folioso hortensem æmulatur, sed 2.
humilior ac minor est omnibus partibus.

Vtriusque generis caule, foliisque, & succo rubens species etiam quandoque repetitur, fre- 3.
quentius tamen hortensis.

Est verò & alia syluestris, humillima, ramosior, foliis angustioribus, floribus, seminibusque 4.
prioribus respondens.

In hortis olitoriis frequenter, Satiua etiam non sata prouenit. Syluestres iuxta vias, semitas, scrobes, & margines agrórum sæpius gignuntur.

In Maritimis ad Tergestini salinas à se repertam & Atriplicem quandam Matthiolus re- 5.
fert, humi suis caulibus procumbentem: foliis candidis, Spinachiæ minoribus. semine in
summis virgis racematim congesto. radice multiplici quam Marinam appellat.

Iunio ac Iulio, subinde Augusto mense vigent, semenque perficiunt.

Græcis ἀτράφαξις dicitur: item & χρυσολάχανον: Latinis Atriplex, & Aureum olus: Officinæ Latinam retinent nuncupationem. Germanis Molten/ Milten: Belgis Melde: Italis *Atriplice, & Armola, Trapese:* Hispanis *Armolles:* Gallis *Arrouches, ou bonnes dames* Anglis Orage: Bohemis Leboda. Plinius de Atriplice & Chrysolachano seorsim disserit, veluti ab inuicem differentibus: De Atriplice siquidem lib. XX. De Chrysolachano lib. XXVII. cap. VIII.

Atriplex hortensis.



Atriplex sylvestris.



Atriplex sylvestris humillima.



Atriplex marina.



vbi sic scribit. Chrysolachanon, inquit, in Pineto Lactucæ simile nascitur: sanat neruos incisos si confestim imponatur. Et aliud genus Chrysolachani traditur flore aureo, foliis Oleris.

Temperamento Atriplex, Galeno auctore, in secundo ordine humida; frigida in primo: hortensis verò etiam humidior ac frigidior Dioscorides edi olerum modo coctam ait: aluũ item mollire, ac panos quoque discutere, siue cruda siue cocta imponatur. Semen cum aqua mulsa regium morbum sanare.

Pes anserinus.



Galenus huic ex eo abstergendi vim adesse existimat, & iocinoris obstructiones aperire posse.

De Pede anserino. CAP. II.

AD Atriplicum genus referenda vulgaris occurrit herba, Pedem anserinum appellant. cubitali aut altiore caule, nonnihil striato, ac ramoso hæc assurgit. foliis circumuestitur latis, læuibus, splendentibus, aliquot sectionibus per oras diuisis. flosculi exigui subrubent. semen ramulorum cacuminibus racematim adhęrens, Atriplicis syluestris satis simile est. radix in multas fibras diuiditur.

Secus veteres parietes, vias, semitas, alibiq; incultis ac desertis humentibus nonnihil locis frequens exit.

Viget ac floret vnà cum Atriplicibus reliquis.

Nomen recentior ætas Pedi anserino dedit, à similitudine pedis anseris, quem angulis & sectionibus suis, foliũ quadantenus exprimit: Germanicè Genß füß: eadem vocatur Gallicè *Pied d'oye*: Italicè *pede di Ocha*: Anglicè Goose foote: Belgicè Gansen voet.

Facultate hæc herba frigida quoque ac humida est, & quidem non minus Atriplice, sed, vti apparet, etiam amplius refrigerans. Suum generi exitialis ac perniciosa, si edatur, fertur In Medicinæ vsum non admittitur: multò minus inter edulia.

Garosmus.



De Garosmo. CAP. III.

ADMODVM fœtida hæc herbula est, corrupta putridaq; salsaméta, ac fœtens hominis grauissimo molestissimoq; odore superat. exiguis repit cauliculis, circa quos foliola colore formaq; Atriplicis, sed minora multò, omnino videlicet exigua: flosculi pusilli: semenq; minutum veluti syluestri Atriplici. radix tenuis fibris nonnullis capillatur.

Locis incultis, iuxta semitas nasci gaudet: semel ad hortos translata diutinè recurrit.

Annua est vti reliquæ Atriplices, cum quibus viret, viget, ac perit.

Garosmum ex eo quod fœtidum γάρον, siue liquamen piscium redoleat Cordus appellat: Tragium Germanicum aut Atriplex fœtida dici potest; hirci siquidem virosum odorem, huius fœtens odor etiam superat. Ad Atriplicum autem genera referendum.

Nullus autem vsus est herbæ; ex vtero tamen laborantibus grauitate odoris prodesse potest: Nam vti Hippocrates ait: Cùm vterus strangulant ad nares graueolentia adhibenda.

De Blito. CAP. XIII.

Blitum maius.



Blitum minus.



Blitum rubens.



Blitum maculosum.



Amaranthus purpureus saturo cocci colore.



Amaranthus maior floribus obsoleti coloris.



BLITI plura sunt genera, magnitudine, tum & nomine differentia.

1. Quod maius appellatur, supra duos aut tres pedes attollitur: caulis eius rotundus in alas non paucas distribuitur. Folia sunt lata, acuminata, veluti Atriplicis, sed virentiora ac glabra: flosculi & semina latis membranis inclusa in ramulorum fastigiis racemosa. radix multiplicibus fibris deorsum demittitur.

2. Minus Blitum humilius est, foliisque angustioribus: flosculi huius obscurè rubent: semina vt Atriplicis ac maioris Bliti: radix eiusdem modi.

3. Vtriusque rubens quædam reperitur species. maioris autem caules potissimum rubent: minoris verò & caulis, foliaque, ac radices, quæ & è purpura rubicantem succum attritu reddunt.

4. Est & Blitum foliis non modò virentibus, sed rubro-luteoque coloribus pulchrè distinctis, forma prioribus simile. Quod non abs re Blitum maculosum siue maculatum dicitur & à nonnullis herba Papagalli, aut rectius Psittaci herba, à foliis variè coloratis, similitudine Psittaci plumas referentibus.

5. Iam & ad Bliti genus referendus quoque venit Amaranthus purpureus vterque, cùm cocci saturato ac eleganti rubore tinctas, tum obsoleti coloris ampliores ac laxiores spicas progignens. De quibus Pemptadis 2. lib 1. scriptum est. *Amaranthus.*

Passim reperiuntur vulgaria Blita locis incultis non rarò in hortis spontè enascuntur.

Vnà cum Atriplicum generibus recurrunt, vigent, ac florent.

Græci βλίτον: Latini Blitum appellant: Germani Mayer: Hispani *Bredos*: Itali *Bredons*, *Blito*: Galli *Blete*.

Olus, Galenus ait lib. VI. De simpl. med. facult. esculentum est Blitum, humidæ frigidæque temperaturæ, in secundo maximè excessu. Alimentum autem corpori præbet exiguum, vt 2. de De aliment. facultatibus. Ex oleribus siquidem est ἀποίοις, siue gustabilis qualitatis expertibus; quorum substantia aquosior est.

Huiuscemodi autem olera non solum exiguum nutriunt, sed & ad facilem deiectionem sunt propensa, non tamen vehementer, cum nulla ipsis adsit qualitas acris aut nitrosa, quæ ventrem ad excernendum excitet.

De Spinachia. CAP. V.

Spinachia.



Boulapathon.

SPINACHIA Blito vel etiam Atriplici cognata est. folia profert mollia, obscure virentia, succi plena, acuminata, & latiore base triangula, iuxta pediculum sæpenumero vna vtrimque profunda sectione diuisa: caules teretes, pedales, intus concauos, similibus folijs conuestitos, iuxta quæ, tum & in fastigijs ramulorum flosculi racematim cohærent, succedente molliter spinoso semine. radix tenuibus fibris cōstat.

In hortis facillimo cultu prouenit: solum vix vllum refugit.

Quouis ferè anni tempore seri potest. Vere sata citò adolescit, & intra duos menses perficitur. Quæ verò Autumno seritur, non ita celeriter increscit, sed per hyemem restans, mox primo Vere semen profert.

Spinachiam nostra ætas appellat: nonnulli Spinacheum olus: alij Hispanicum olus. Fuchsius Græcè Σπινάχιαν vocat: Ab Arabibus ac Serapione Hispanac dicitur. Sunt qui σευτλομαλάχην, aut τευτλομαλάχην, id est, maluaceam betam nominant. Germanis Spinet: Belgis Spinagie: Hispanis *Espinaca*: Italis *Spinacci*: Gallis *Espinars*: Anglis Spynache.

Falluntur qui Plinij Boulapathon esse existimant: Lapathi siquidem genus Boulapathon est: radicis tantum altitudine ab alijs differens, vt lib. XX. cap. XXI. ipse refert. Nec quoque Hippocratis Blitum est, quod veluti linguã esse scribit lib. II. De morbis muliebribus: Nam inter subditatia istud refertur, quę rubrum fluxum muliebrem reprimunt ac sistunt. Talis autem Spinachiæ facultas haudquaquam est, adstrictione omni carens.

Est autem Spinachia humida planè ac frigida ordine ferè secundo; sed humida magis: ex olerum numero, quorum substantia aquosior, & sapor qualitatis expers: citò idcircò descendit, & aluum emollit.

Editur decocta, sed alimenti exiguum aut nihil confert: flatulenta nonnihil est, & nauseam facilè parit, nisi Zinzibere aut alio consimili condiatur: Recipitur & inter cruda acetaria recens enata, prius scilicet quàm latiora ei subnata fuerint folia.

De Beta. CAP. VI.

BETA duorum est generum: candida vna: nigra altera: cuius vna species radice est crassa admodum, ac eduli.

1\. Sunt autem folia priori magna, lata, læuia, resplendentia, quandoque dilutius, aliàs saturatius virentia: caules longi, bicubitales, striati, in ramulos effusi: circa quos initio flosculi copiosi ordine digesti, colore subuirentes: deinde semina aspera, rugosa. radix teres, longa, intus candida est.

2\. Altera Beta folijs, caule, semine, radiceq́; similis, solo colore differens est. qui in folijs, caulibus rubens elucet.

3\. Tertia & caule folijsq́; rubet, sed subinde dilutius. radices verò habet paulo breuiores, sed crassas, Napis sæpenumero persimiles, quæ interiore pulpa rubent, & ori quàm reliquorum gratiores, ciboq́ue aptiores.

Seritur in hortis Beta: solum amat madens ac lætum. Oportunissima satio eius Vere: tota æstate viret, nec non & hyeme: altero anno caulis cum seminibus assurgit.

Iulio aut Augusto semen ad maturitatem peruenit.

Tertiæ radix priusquam caulis exeat eruenda, alioqui cibo inutilis futura.

Græcis Σεῦτλον, τεῦτλον, & à nonnullis τεύτλιον dicitur: Latinis Beta: Germanis Mangolt: Belgis Bette: Italis *Beta*, *Bietola*: Hispanis *Aselgas*: Gallis *de la Porée*, *Bette*: Anglis Bete.

Beta candida.



Beta rubra.



Beta rubra Romana.



Nomine vicina est σευτλὶς dicta: sed vt apud Athenæum diuersum genus & à Beta differens.

Candidam Betam σικελικὴν, id est, Siculam cognominari Theophrastus ait. Hinc Sicle vox, qua Barbari & Officinæ pleræq; Betã appellitãt. 1.

Tertiam Betam Germanis rot Ruben / id est, Rapum rubrum dici Fuchsius auctor est. Non est tamẽ Rapi, sed Betæ species, quam nonnulli Romanam Betam vocant. 3.

Cæterum Beta candida quidem humidum ac frigidum olus est, quod adiunctam quandam salsilaginem ac nitrosam facultatem habet: vnde & extergit, & per nares pituitam euocat. Cocta autem editur, citò descendit, & aluum ad excernendum & deponenda excrementa excitat, præsertim cum iure in quo decoquitur sumpta: absque iure esitata, deposita nitrositate, minus extergit, ac aluum irritat. Nutrimentum autem ex Beta qualicunque tandem exiguum aut nullum corpori accedit, idque minus quàm ex Lactuca probum. 1.

Succus autem naribus inditus pituitam clementer extrahit & caput purgat. Decoctum foliorum & radicum furfures & lentes abstergit. Radix deraso nonnihil cortice ano glandis modo imposita, aluum quoque ad excrementorum expulsionem inuitat, præsertim exiguo sale conspersa.

Rubra Beta nonnullæ adstrictionis particeps, aluum minus mouet, sed cibo minus idonea 2.

Tertiæ


Tertiæ radix, mensibus hybernis, cum sale & aceto condita, acetarij alterius loco subinde cocta infertur palato & ori grata.

De Brassica. CAP. VII.

Brassica vulgaris satiua.



Brassica rubra capitata.



BRASSICAS duas Dioscorides facit: satiuam vnam, syluestrem alteram: & quidem præter tertiam Marinam, quæ ad Helxines genera pertinet: de qua lib. 3. Pempt tertiæ. Tria autem huius Theophrastus genera statuit, οὐλόφυλλον, siue Crispum vnum: alterum λειόφυλλον, Læue: tertium ἄγριον, siue syluestre. Theophrastum Cato imitatur, tres quoque Brassicas referens: primam quidem læuem, grandem, latis foliis, caule magno: alteram crispam: tertiam minutis caulibus, teneram & acerrimam. Eandem distinctionem refert & Plinius lib. XX. cap. IX. vbi in tres species diuisisse eam ait Græcorum antiquissimos: vnam crispam: alteram λείαν: & tertiam, quæ propriè appellata sit κράμβην. Libro verò XIX. & alia plura genera his adiicit, Tritianum, Cumanum, Pompeianũ, Brutianũ, Sabellicum, Lacutumum.

Nostra ætas non paucas quoque obseruauit, vel colore vel forma differentes, Brassicas. Quædam enim sessili folio patulæ sunt: aliæ contracto capitatæ: nigræ nonnullæ: pleræque albidæ, vel etiam saturato colore virentes: Iam & læui folio istæ: illæ verò crispo, aut laciniato. Est & in caulibus differentia.

1. Prior Brassicæ species foliis luxuriat magnis, latis, expansis & patentibus, iisq́ue in saturato cum virore rubore nigricantibus: pediculis tamen foliorum, costis ac fibris paulò dilutius rubentibus. caulis qui e mediis Vere surgit foliis ramosus, flosculos profert luteos, siliquas oblongas, quales Rapi, & semina rotunda similia. radix fibris firmatur.

2. Huius species & quędam foliis in orbem & globum contractis capitata reperitur, cuius tamen globosum caput minus quàm albidę capitatæ. color verò foliorum huius dilutius etiam quàm antecedentis rubet: reliqua conueniunt.

3. Tertiæ folia minora sunt, vtrimque ad costam vsque mediam profundius semel atq; iterum inferius incisa, per margines verò admodum crispa: in reliquis non differt.

4. Quarta foliis est fissis, & in lacinias multas dissectis: secus ab aliis non differens.

5. Quinta caule foliisq́, omnino minor est, & natura sua syluestris: idcircò nec in cibatu desiderata:

Brassica crispa. Brassica Selinoides.





siderata: seminis autem causa præcipuè seritur ac colitur, ex quo subinde non exiguus quæstus accedit.

Sexta caule innititur crasso. folia initio effundit ampla, lata, ex albo virentia, crassis costis 6.
albidioribus distincta, reliqua in globi aut capitis formam arctissime contrahit, quæ candidissima sunt. quibus Vere dissolutis caulis assurgit ramosus, flosculos, siliquas, ac in his semina proferens.

Est verò & alia quædam capitata, albida quoque, quam Sabaudam vocant. oblongiora 7.
huius sunt capita, minusq; arctè conclusa, quæ si Vere explicentur, caules emittunt similiter ramosos, floribus albidis speciosos: quos siliquæ & semina succedunt aliorum similia. Hyemis rigorem hæc non sustinet, neque ad Ver peruenit, nisi admodum clemens hyems fuerit.

Succedit Cauliflora dicta, hæc priore caule foliisq; albidas refert, sed foliorum loco, quæ 8.
in caput conglomerantur, caules huic in mediis exeunt foliis crassi, albidi, molles, qui ori grati cum suauitate cocti eduntur, à quibus Vere, si hyemem superare (quod rarissimum) potuerint, altioribus factis, flores, semina aliorum similia prodeunt.

Iam & alia quædam ex albarum genere, cuius caulis omnino crassus redditur; nō quidem 9.
in mediis foliis, verùm infrà & proximè radicibus, quo loco strumosus factus etiā Rapi haud parui magnitudinem æmulatur: huius interior medulla, qualis reliqui caulis, & reliqua velut aliarum.

Superest & alia Brassica reliquis procerior. folia huius non læuia, sed rugosa, saturato viro- 10.
re nigricantia. caules, flores, siliquæ, & semina ab aliorum haud dissident.

Brassicæ omnes hortenses sunt, sed quæ syluestrior in agris seritur. Amat Brassica solum mediocre, pingue, probè stercoratum, & benè subactum. Translatione omnis proficit, ac melior euadit. Indigenæ omnes Belgio sunt, Sabauda, Cauliflora, & posterioribus duabus exceptis, quarum semen aliunde infertur.

Seri ac transferri quouis anni tempore Brassicam posse Petrus Crescentius sentit. Apud Belgas Martio mense, Aprili, & quandoque Maio seritur: Augusto verò etiam non rarò, aut sub initium Septembris. Transferri, inquit Columella, sex foliorum Brassica debet. In alium autem locum transferuntur ac transplantantur Brassicæ in Belgio, Maio aut Iunio, quæ quidem

Brassica syluestris Crambe dicta.



Brassica capitata albida.



dem primis Veris mensibus satæ sunt, quæ deinde hybernis mensibus virent, ac succedente Vere flores ac semina proferunt: Augusto verò demum mense satæ, Octobri aut Nouembri transferuntur, vel quandoque etiam Martio mense, qualis præcipuè albidæ capitatæ sunt, quæ deinde post Solstitium in capita extuberant. Sabaudæ verò & Cauliflore tempestiue serendæ, Maioque transferendæ sunt.


Omnis autem Brassica Diosc. & Galeno Græcè κράμβη appellatur: & satiuæ quidem κράμβαι ἡμέραι: Theophrasto verò hæc ῥάφανος dicitur. Est quidem Rhaphanus Dioscoridi, quę Latinis Radicula, sed Theophrastus Radiculam non Rhaphanum, sed Rhaphanida vocat. Eadem verò & Ἀμέθυσος herba est, sic dicta, non modò quod ebrietatem arceat, verùm quòd & colore (quæ prioris generis est) Amethyston gemmam referat. Officinæ & vulgò Caulem nominant, ab ipsius caulis præstantia: Germani Köle kraut: Brabanti Koolen: Galli *des Choux*: Hispani *Colhes, Counes*: Itali *Caulo, Verza*.

1. Prior species est ea, quam Theophrastus λειόφυλλον Plinius vno loco λείαν, alio Cumanam cognominat: eandem & Cauloden quosdam vocitare ait. Cato hanc Leuem appellat: vulgò Rubra caulis: Germanis Breiter rooder kölen: Braban. Groote roode koolen Gal. *Choux rouges*.
2. Alteram speciem Brabanti vulgò Roosikens vocant: Latinè Rosaceam brassicam dixeris. Pertinere hæc ad Tritianum genus nonnullis videtur: Plinius siquidem lib. XIX. cap. VIII. Tritiani caulem sapore & magnitudine præcipuum esse ait, sed ex terræ aggestione talem fieri: cuiusmodi Rosacea non est. Magis cum Lacuturnibus ex valle Aricina, capite prægrandibus, & foliis innumeris, conuenire videtur.
3. Tertiam Crispam, Theophrastus οὐλόφυλλον nominat, atque inter Brassicas primo loco refert: Catoni secunda est: Plinio Sabellica est: Sabellico, inquit, (generi) in admirationem crispa sunt folia. Germanis Krauß köl: Belgis Gheronckelde koole: Gallis *Choux crespuz*.
4. Quarta foliis fissis σελινοειδής, Latinis Brassica Apiana rectè vocari potest; tametsi Plinius lib. XX. cap. IX. Crispam sic dictam velit à similitudine foliorum Apij: sunt autem Apij folia haudquaquam crispa, sed in varias partes dissecta. Vulgò apud Brabantos Gheronckelde koole.
5. Quinta Veteribus tertia est, quam Plinius propriè κράμβην dici affirmat: Brabãtis Sloren.
6. Quæ inter albidas prima est, vulgò Capitata nuncupatur: & à nonnullis Brassica Imperialis

Brassica Sabauda.



Brassica Cauliflora.



lis: Germanis Kappeß kraut: Belgis Cabuys koole / Sluytkoole: Gallis *Choux Cabuz*: Hispanis *Repolho, Colhes morcianos*: Italis *Caulo Cappuccio, Cappuzzino*: Anglis Cabbuge.

Sextam Brassicam Tritianam nonnulli a Plinio dictam esse censent, cuius magnum & sæpè pedale caput aliquando conspici lib. XIX. cap. VIII: & paulò antè ex terrę aggestione tale fieri, affirmat. Brassica autem ista capitata, non ex aggerendo aut accumulando terram, talis nascitur, sed sua natura, si tempore & loco idoneis transplantetur, capitata efficitur. 6.

Quæ succedit, septima ordine, Brabantis Sauoye koole/ id est, Sabauda Brassica dicitur. Fertur ex semine prouenire Cauliforæ, quod in Belgio maturuit. Inter Lacuturres capitatas non temerè numerari potest. 7.

Caulifloram verò nonnulli etiam Cypriam Brassicam vocitant: Italis *Caulofiore*: Gallis *Choux floriz*: Brabantis Bloemkoole. Hæc cum Plinij Pompeiana conuenire videtur, de qua sic lib. XIX cap. VIII. Pompeianú (genus) procerius, caule ab radice tenui, intra folia crassescit. 8.

Proximam Rapæcaulem vulgò nominant. 9.

Postremam Nigram cognominant Brassicam: ab Italis *Negrecaulem* (vt fertur) dictam. An hæc ad Brutianum referenda sit expendendum. quod Plinius prægrandibus foliis, caule tenui, sapore acuto esse scribit. 10.

Cæterùm Brassica omnis resiccantem & adstringentem facultatem habet, atque vna nitrosam quandam vehementius abstergentem qualitatem: hanc autem succus aut decoctum eius sibi vendicat. substantia siue Brassicæ corpus adstringentem & resiccantem retinet. Deponit etenim Brassica decoctione nitrosam hanc qualitatem, quæ succo ac humido eius insidet: quam omnem aqua, in qua primò decoquitur, ad se pertrahit. Quam ob causam decoctum eius aluum mouet: veluti & succus si bibatur. Abiecto autem primo iure in quo decocta est, aluum Brassica siccat & adstringit: alimentum autem corpori præbet exiguum; succum verò ingenerat non probum, vtpote crassum ac melancholicum: minus tamen crassum aut vitiosum, quæ albidæ sunt: quæ idcirco & aliis præstant. Cato tamen crispam maximè commendat: sed huic albidæ cognitæ non fuerunt. Obscuritate visus laborantibus & tremulis comesam auxiliari, Dios. auctor: Cymam verò eius acriorem, stomacho vtiliorem, &

Brassica caule rapum gerens.



Brassica nigra.



ad vrinam ciendam validiorem esse. Sale autem cōditam stomacho inimicam esse, & aluum conturbare: Crudam verò ex aceto mansam lienosis prodesse, idem ait Plinius spleniticis in vino albo per dies quadraginta exhibendam scribit.

Fertur & Brassica cruda ante alium cibum sumpta ebrietatem arcere, neque inebriari posse eum, qui crudam præsumpserit: posteà verò sumptam crapulam etiam discutere: Causa cuius naturale Brassicæ cum vite dissidium, quod tale est, vt si quando in aruis appropinquauerit viti, aut statim tabefiat, aut vitis sarmenta tabefaciat: aut si, dum coquitur, vinum instilletur, de cætero non coquatur, ac color eius corrumpatur vt in Geoponicis Cassij Dionysij Vticensis scribitur. Athenæus tamen arcendi ebrietatem potentiam, non folijs, sed semini Brassicæ asscribit. Conferunt verò & folia omnibus inflammationibus ac œdematis cum polenta trita ac imposita. cum sale carbunculos rumpunt.

Succus Brassicæ, auctore Dioscoride, cum iride & nitro sumptus aluum mollit: cum vino verò epotus viperarum morsibus aduersatur. Idem cum Fœnograeci farina podagricis ac articularibus doloribus impositus prodest, tum & vlceribus sordidis ac vetustis: caput purgat naribus infusus: cum loliacea farina subditus menses mouet. Plinius succum cum vino auribus instillatum, auditus tarditati prodesse refert.

Semen, præsertim Ægyptiæ Brassicæ, quod amaræ, Galeno teste, qualitatis particeps est, lumbricos pellit: faciei lentigines, ephelidas, & quæcunque modicam abstersionem expostulant, expurgat.

Aqua, in qua decocta est, neruos articulosq; mirè adiuuari ferunt: tum & vulnera recentia ac vetera: etiam carcinomata, quæ nullis alijs remedijs sanari possunt, si hac foueantur.

Cauliculorum cum radicibus crematorum cinis admodum resiccans est, & adipe vetusto exceptus ad inueteratos laterum dolores prodest.

De Syluestri Brassica. CAP. VIII.

1. SYLVESTRIS Dioscoridi nuncupata Brassica, satiuarum minori quinto loco descriptæ similis esset, nisi hirsutior, albidior, ac sapore amarior foret. folia siquidem, flores, siliquæque satis respondent.

Nasci

Braßica ſyluestris.



Braßica ſyluestris perfoliata.



Naſci autem hanc in maritimis præruptis locis Dioſ. ait: reperitur verò & in Zelandiæ altioribus iuxta mare tumulis.

Præter hanc verò & alia ſyluestris eſt, folio omnino minore, læui, indiuiſo, latæ & oblongæ 2.
formæ caulem quodammodo amplectente, Perfoliatæ ferè ſimili: cuius cauliculi teretes, tenues, inanes floſculos initio proferũt cãdidos, atq; ſiliquas inde tenues, oblõgas, & anguloſas. In campis ſponte gignitur, in Hiſpaniis quidem auctore Cluſio: tum verò & in nonnullis Auſtriæ ac Germaniæ locis.

Florent Braßicæ iſtæ æſtiuis menſibus, atque interea etiam ſemen perficiunt.

Κράμβη ἀγρία à Dioſcoride Græcè prior dicitur: Latinis Braßica ſylueſtris, Braßica ruſtica, & à nonnullis Braßica marina; differens tamen à Braßica illa, quam Dioſ. hoc nomine inſcribit, & recentiores Soldanellam appellant: de qua Pemptadis tertiæ lib. III. ſcriptum eſt.

Alteram campeſtrem Braßicam nominant nonnulli etiam montanam, vel perfoliatam.

Eſt verò prior illa ſylueſtris calida ac ſicca, & quia amara extergens quoque. folia, inquit Dioſcorides, impoſita vulnera conglutinant, & inflammationes tumoreſq; diſcutiunt.

De alterius facultatibus compertum nihil extat: à nemine enim in cibum admittitur.

De Boragine ſiue Bugloſſo vero. CAP. IX.

BORAGINI lata ſunt folia, rotundis tamen longiora, humi decumbentia, Verbaſci fo- 1.
liorum ferè magnitudine; ſed nigricantia & aſpera, bubulas æmulantia linguas: caulis cubitalis, aut altior, ramoſus. floſculi in cacuminibus eleganter cærulei, rarò albidi, ex quinq; foliolis compoſiti. e quorum medio nigra eminent ſtamina, faſtigio coëuntia, Pyramidis in modum acuminata. radix fibris cohæret, hyemis ac frigoris impatiens.

Huius verò & altera extat ſpecies, foliis ſimilibus, ſed minoribus: floſculis cæruleis paruis, 2.
abſque ſtaminibus, quàm vulgaris Bugloßi minoribus. radix reſtibilis hyemem ſuſtinet: foliis interea quoque virentibus.

Vulgaris Borago paßim in omnibus hortis reperitur: quouis ſolo prouenit.

Altera omnino rara eſt, paucisque cognita.

Magna æſtatis parte, & in multum Autumnum vſque, Borago floret ac viget.

Borago.



Boraginis altera species.



Officini Borago dicitur: Germanis Burretsch: Italis *Borragine*: Hispanis *Borraces*: Gallis *Borrache & Bourrache*: Brabantis Bernagie: Anglis Borage: Bohemis Borak: à nonnullis Porrago. Veterum est βούγλωσσον, quod Latinis Lingua bubula, Lingua bouis, Buglossus, & Libanium dicitur: Apuleio & Corago, vnde fortassis Boraginis nomen C. in B mutato: nisi apud Apuleium Borago pro Corago legendum sit: A Plinio verò & εὐφρόσυνον, siue Euphrosynum, quod hilaritatem excitet: quod & antiquus versiculus de Boragine testatur:

Buglossus vera.

Ego Borago gaudia semper ago.

Humidi autem euidenter est temperamenti, calidi non item: sed in calore frigoreque medij esse apparet.

In vinum coniectum Buglossum, inquit Dioscorides, animi lętitiam efficere creditur. Galenus quoque & Plinius, vino iniectum lætitiæ & hilaritatis causam esse existimant, animiq́; voluptates augere, affirmant.

Nostra ætas non modò herbam, sed præcipuè flores subinde in vinum conicit, vel acetariis inspergit, lætitiæ ac hilaritatis excitandæ causa. Condiuntur & in hunc vsum cum sacharo flores: tum & alia ex iis parátur, quibus ad cordis corroborationem, tristitiam pellendam, & animi lætitiam augendam Medici passim vtuntur.

Folia cum aliis oleribus decocta ad aluum molliendam nonnihil conferunt. Conueniunt verò & iis, qui ob faucium asperitatem tussiunt cum melicrato, auctore Galeno. Aiunt (vt inter Dioscoridis notha) Buglossi herbam, quæ tres caules emittit, si cum radicibus & semine tota teratur, & in potu detur, contra tertianos rigores prodesse: ad quartanos verò, quæ quatuor.

De Buglossa vulgari, siue Lycopsi.

CAP. X.

1. QVAM Officinæ Buglossam appellant, folia quàm Boraginis longiora promit, acuminata, maiora quàm Lactucæ, aspera, & hirsuta. caulis in altum surgit bipedalis, aut altior, superius in ramulos diuisus, quos ordine digesti flosculi conuestiunt, priusquam toti dehiscant in rubro purpurascentes, deinde cærulei, non magni, quinque foliolis patentes, in quorum conceptaculis oblonga, aliquantulum rugosa terna quaternaque succedunt semina. radix oblonga, teres, digitalis crassitudinis, pluribus annis restans: in calidis regionibus locis

apricis

Buglossa vulgaris.



Buglossa syluestris.



apicis foris rubens, alibi subnigricans, interiore carne candida, lentoque succo prædita.

Est huius & minor omninò species, foliis quæ, & asperis ac oblongis, sed multò minoribus: flosculis quoque cæruleis, sed exiguis, radix cuius tenuis & albida. Prior, vt Dioscorides ait, in campestribus nascitur. seritur vero in Germania ac Belgio, tum & alibi in hortis. 2.

Minor frequenter in agris frumentum ferentibus reperitur.

Floret vulgaris Buglossa à Maio aut Iunio vsque in æstatis finem: folia hyeme pereunt, Vere verò noua erumpunt.

Minor æstiuis quoque mensibus viget.

Posterior ætas Buglossam, & Buglossam domesticam hanc appellat, ac pro vero Buglosso in vsum recepit: vnde & Germanis Ochsenzunge / Ossentonghe / & Buglosse dicitur. Legitimum Buglossum Borago est.

Hæc autem à veteribus λύκοψις, siue Lycopsis est dicta. quam Galenus inter Anchusę species numerat: à quo Dioscorides quoque haud alienus est, Lycopsim à nonnullis Anchusam vocari referens. Nec temerè inter Anchusas habetur, cùm omnibus partibus ipsas referat. Esse verò hanc Lycopsin veterum, dubitare non poterit, qui ipsam cum huius descriptione conferre voluerit. quæ sic habet:

λύκοψις τὰ μὲν φύλλα ἔχει ὅμοια θρίδακι, μακρότερα δὲ καὶ τραχύτερα καὶ παχέα καὶ πλατύτερα, πεπτωκότα περὶ τὴν τῆς ῥίζης κεφαλήν. καυλὸν ἀφίησι μακρὸν, ὀρθὸν, τραχὺν, παραφυάδας ἔχοντα πολλάς, πηχυαίας τραχείας καὶ ἐπ' αὐταῖς ἄνθη μικρὰ, πορφυρίζοντα. ῥίζα δὲ ἐρυθρά. hoc est: Lycopsis.
Lycopsis folia habet Lactucæ similia, sed maiora, asperiora, & crassa, ad radicis caput reflexa. caulem emittit longum, rectum, asperum, adnata multa aspera dodrantalia habẽtem, in quibus flores parui purpurascentes. radix rubicunda. An ne talis Buglossa vulgaris? folia aspera & Lactucæ maiora respondent: & caules ramosi: flosculi item circa alas è cæruleo purpurascentes: nec non radix in calidis regionibus foris rubens. Qua de causa audiendi illi minimè sunt, qui Buglossam vulgarem Cirsion esse existimant: Cirsion siquidem ex Carduorum est generibus, cuius flos in pappos abit. ex horum autem genere Buglossa neutiquam est, nec flos eius in pappos resoluitur.

Altera species, Lycopsis quædam minor est, aut potius Anchusæ quoddam spurium genus: vulgò Buglossam syluestrem nuncupant. 2.

Cæterùm facultate Lycopsis, auctore Galeno, refrigerans & desiccans est. Cum oleo, inquit Dioscorides, radix imposita vulneribus medetur: cum farina hordeacea erysipelatis. Sudorem, Plinius ait, in febribus mouet succo aquę calidæ admoto. Recentior ætas huius folia, flores, & radices eodem, quo Boraginis siue legitimi Buglossi, loco habet, & medicamentis omnis generis quę tristitiam depellere, mœrorem excutere, hilaritatem excitare, voluptatem adferre, & cor corroborare creduntur, admiscet. Oleribus folia addita idem, quod Boraginis, queunt.

De Anchusis. CAP. XI.

Anchusa Alcibiadion.



Anchusa tertia.



ANCHVSÆ, excepta Lycopsi, tria Dioscoridi sunt genera, Onoclia videlicet, Alcibiadion, & tertia proprio nomine destituta.

1. Onoclia lata, acuminata, hirsuta, & aspera promit folia, Buglossæ vulgaris breuiora, sed quàm Lactucæ latiora: caules complures breues, humum versus reclinatos, foliis non minus asperos, quorum fastigia in alas sparsa flosculis ornantur, Buglossæ dictæ æmulis, sed minoribus. radix digitalis crassitudinis longa.

2. Alcibiadion foliis est multò minoribus angustioribusq́; asperis tamē, hirsutis, ac pungentibus. caulis mediocris exiles fundit ramulos: flosculi parui puniceo colore purpurascunt, forma Buglossæ similes. radix teres & longa.

3. Tertia foliis etiam quàm Alcibiadion minoribus, angustioribus, nihilominus asperis & hirsutis: flosculi in alis cærulei. radix aliarum similis.

Harum radices in calidis locis ac regionibus rubent, & sanguineo colore manus inficiunt: In Belgio verò satæ ac aliis frigidis regionibus id minimè prestant, neque colore rubent. Tantum Solis calor feruorque, ad colorem radicum intendendum, potest.

4. Præter has verò & quarta quędam reperitur foliis asperis, hirsutis, ac pungentibus, ac non rarò humi orbiculatiter procumbentibus, tertiæ similis, è cuius cauliculo dodrantali flosculi dependent oblongi, interius caui, doliolis pertusis similes, colore lutei. radix oblonga altè descendit.

Locis apricis Anchusæ nasci gaudent, ac pingui lætoque solo. Prior in Hispaniæ agris reperiri fertur. Reliquæ non modò Italiæ, sed & Narbonensis Galliæ indigenæ sunt. Repeniun-

tur

Anchusa quarta siue Pseudoanchusa.



tur & alibi. Dioscorides Alcibiadion in locis arenosis nasci scribit.

Quarta non rarò in Bohemia occurrit secus agrorum & viarum margines.

Florent ac vigent Anchusæ æstiuis mensibus· Messis tempore sanguineum succum radices fundunt, auctore Dioscoride.

Ἄγχουσα Græcis dicta, apud Latinos nomẽ seruat: extant verò & huius inter nothas voces quædam nomina, vt, Καταγχουσα, λιβυκὴ, ἀρχιβίλλιον, ὀνόφυλλος, πορφυρὶς, μύδουσα, aut μέδουσα, à nonnullis verò & Fucus herba.

1. Prior Ὀνόκλεια appellatur: & à nonnullis κάλυξ: à nonnullis in Belgio Buglossa Hispanica.

2. Secunda Ἀλκιβιάδιον, ὀνοχειλὲς, & Anchusa altera.

3. Tertia Anchusæ nomen retinet. Galli cùm hanc, tum alias *Orchanette* appellant: Hispani *Soagem*· Itali *Anchusa*.

4. Quarta illa esse potest, quę à Plinio lib. XXII. cap. XX. Pseudanchusa appellatur. & à quibusdam Enchusa ac Doris. *Pseudanchusa.*

1. Cæterùm Anchusæ Onochiæ radix refrigerat & resiccat, auctore Galeno, & vnà adstringit· & quia subamara biliosos etiã extergit humores· folia imbecilliora, adstringunt tamen quoque & resiccant. Dioscorides ad ambusta & vetera vlcera ex oleo & cerato efficacem radicem ait erysipelatis cum polenta mederi: lepris & vitiliginibus cum aceto imponi partus extrahere genitali impositam· decoctum exhiberi Ictericis, nephriticis, & spleniticis, febricitantibus cum melicrato. ad vnguentorum spissamenta à pigmentariis vsurpari: folia in vino pota aluum sistere.

2. Alcibiadij radicem, Galenus calidiorem esse tradit, ac magis medicatam. hac verò etiam calidiorem tertiæ paruæ, vtpote quæ cæteris amarior sit, & amplius medicata. Dioscorides verò has aduersus virus viperarum ac aliorum serpentum commendat, & siue in potu siue in cibo aut etiam alligatu auxiliari. Plinius lib. XXI. cap. XV. Anchusæ radicem áptam esse tradit inficiendo ligno ac ceris

Recentiorum nonnulli butyrum recens insulsum cum Anchusæ radice addito vino, donec ruborem contraxerit, coquunt· quod Butyrum rubrum appellant, & non modò ex alto delapsis exhibent, verùm & ad exanthematum facilem eruptionem prodesse ferunt, si cum calenti ceruisia mox initio propinetur. *Butyrum rubrum.*

De Echio. CAP. XII.

1. ECHIO folia à radice exeunt oblonga, non admodum lata, hirsuta, aspera, & veluti exiguis spinis horrida, humi procumbentia, Anchusę similia, inter quæ medius assurgit caulis teres & rectus, foliosus, non minus quam folia asper, adnatis multis appendicibus extrema parte reflexis, veluti ramuli Heliotropij, quę pręter exigua foliola flosculos proferunt cauos, sursum hiantes, initio è rubro purpureos, inde cæruleos, staminibus aliquot purpureis mediis; quibus semen succedit angulosum, acuminatum, anguis caput aliquo referens modo. radix prolixa, teres, locis apricis subinde foris rubescit.

2. Huius & species quædam flore rubens quandoque visa, cęteris priori similis: Candidis etiam flosculis alicubi extare fertur.


Secus vias & semitas, nec non agrorum margines, ac in ipsis desertis agris prouenit: lętum pinguéq; solum amat. locis gaudet apricis.

Tota æstate floriferum est: semen interea maturatur: hyeme folia restant.


Græci ἔχιον & ἀλκιβιάδιον, auctore Dioscoride, appellant· à Nicandro verò ἔχιος, ἐχίειον, & ἀλκίβιον dicitur. Facit autem hic duas Echij species, vnam Anchusæ similem: alteram altio-

 rem,

Echium.



Echij altera species.



rem, maiore folio, flore patulo, capitulis viperæ. Prior non temerè Anchusæ species credi-
tur, tertia videlicet aut secunda, quæ & Alcibiadion nominatur.

Alterum autem Echium non aliud esse apparet, quàm quod à Dioscoride describitur.

Appellatur verò istud Echium spurius quidem nomenclatutis, vt, ὑπέρυθρον, δυσία, aut ἀγχι-
δία: Latinis Alcibiacum. Officinis hæc stirps incognita est.

Apuleius cap. v. de Viperina herba agit, quam ait ἐχίδνιον καὶ θηριοβόλον dici, Latinè Ser-
pentariam & radicem Macedonicam sed hæc ab Echio differens est. Echium Hispani *yerua de la Biuora*, vel *Chupamel*: Itali *Buglossa saluatica*. Galli *Buglosse sauuage*: Germani Wilde ochsenzunghen nominant.

Facultate autem Echium Anchusis, secundæ præsertim ac tertiæ simile est. Radix percus-
sis à serpente ex vino prodest: eos verò qui antè biberunt feriri non patitur. folia & semen
idem præstant: Dioscorides auctor. Nicander in Theriacis Echion quoque inter eas refert
stirpes, quæ serpentium, ac præsertim viperę morsui resistunt, ac serpenres abigunt.

De Maru herba. CAP. XIII.

1. MARV folia promit lata, oblonga, è virore ad cæruleum inclinantia, candicantibus ali-
quot maculis signata, subinde deorsum reflexa: caules rotundos ac ramosos, similibus
foliis, sed sensim attenuatis conuestitos: e quorum cacuminibus flosculi dependent rotundi,
oblongi, intus caui, colore lutei, circa annexum quandoque exiguo limbo purpurascentes;
quibus semina succedunt angulosa, nigricantia. radix oblonga, mediocriter crassa.


2. Huius verò & minor quædam species, foliis angustioribus, nihilominus oblongis: cauicu-
lis tenerioribus, alioqui priori similis.

In lætis ac herbosis collibus exit tum & secus vias ac agrorum margines in Bohemia, Rhe-
tia, Vindelicia, Norico, Pannonia, ac vltra citraq; Danubium locis complurimis.

Viget ac floret à Maio in multam æstatem.

Recentior ætas Maru appellat. Meminit autem Maru herbæ Auicenna cap. CCCCLXIIII.
quinque eius species enumerans, quarum prima & secunda odoratæ calidæq; : quarta simili-
ter calida, sicca, & attenuans: Tertia verò temperata, quæ existimatur esse Buglossum: quin-
ta refri-

Maru herba



ta refrigerans Miscbar dicta· Cum qua autem harum specierum Maru à nobis descriptum conueniat (si modò ex his est) difficile est in tanta Auicennæ breuitate, ne dicamus obscuritate, cognoscere. Si ex facultatibus iudicium faciendum, poterit esse Miscbar; nam & hæc Maru species frigida apparet potentia. Videtur verò & Cerinthe eadem stirps esse, de qua Plinius lib. XXI. cap. XII. his verbis· Miscbar.

Est Cerinthe folio candido, incuruo, cubitali, capite concauo, mellis succum habente. Nec abhorret enim Maru ab ista descriptione. Albicantibus siquidem maculis folia candicant; deorsum quoque reflexa incuruantur, cubitalis stirps est, capitulum siue fastigium caulis concauos flosculos promit, è quibus Apes mel legunt. Theophrastus Κηρινθὸν inter æstiuos flores lib. VI. enumerat; inter quos & Maru herbæ flos habendus. Meminit Virgilius Georg. IIII. vbi ipsam appellat ignobile gramen quod Seruius interpretatur vile atque vbique nascens: Cerinthe.

—— huc tu iussos asperge sapores,
Trita Melisphylla & Cerinthe ignobile gramen.

quibus verbis, aut Graminis nomine Poeta (quod verisimile) abutitur, aut aliam vult intelligi Cerinthen, quæ Graminis sit species.

Extat verò & apud Plinium Leucographidis herbæ nomen: lib. XXVII. cap. XI. quæ qualis esset scriptum se non reperisse refert. Quod si verò non temerè nomina stirpibus indita, hęc non abs re λευκογραφὶς dicetur, folia etenim albis maculis inscripta habet. Potest verò eadem & Cerinthe ac Leucographis esse. Non raro siquidem eadem stirps, sub diuersis nominibus locis separatis occurrit: vt & alibi scripsimus. Leucographis.

Non esse autem hanc Menitham, quæ Græcis γλαύκιον, adeò palam est, vt refutatione opus non habeat.

Cæterùm facultate hæc Maru species frigida apparet atque adstringens: & talis quoque Leucographis est Plinio auctore: Vtilis, inquit, proditur sanguinem excreantibus, tribus oboliscum croco: item cœliacis, trita ex aqua & apposita profluuio feminarum: oculorũ quoq; medicamentis: & explendis vlceribus, quæ fiunt in teneris partibus corporis.

De Bupleuro. CAP. XIIII.

DVÆ Bupleuri sunt species, angustioris folij vnum: alterum latioris.

1. Angustioris folij Bupleuron bicubitalibus aut altioribus assurgit caulibus rotundis, geniculatis, in complures alas diffusis. foliis circa singulos articulos oblongis, angustis, striatis, latioribus quàm Graminis: flosculis in ramulorum fastigiis exiguis, veluti Anethi, luteis, vmbellatim compositis, quibus succedit oblongum, & Perfoliatæ æmulum semen. radix tenuis in ramulos diuellitur.

2. Alterius folia latiora, breuiora, sed non minus striata, quædam à radice, alia iuxta caulem exeunt, qui teres, geniculatus, crassior, ac breuior est: flosculi similiter lutei: vmbellæ paulò maiores: tum & semen: radix oblonga, crassa, foris nigricans.

In montosis ac iuxta saxosas fluuiorum ripas nascitur· angustioris folij plerisq; iuxta Mœnum Germaniæ fluuium valde frequens. Vtraque in Bohemia pluribus locis viret, ac non rarò in ipsis rupibus, quod latioris est folij. Reperitur & aliis Germaniæ, tũ & Hispaniæ locis.

Iulio ac Augusto florent: deinde semina perficiunt.

Pro Boupleuro vtrumque habetur: nec descriptioni Βουπλεύρου repugnant, quæ apud Plinium lib. XXII. cap. XXII. extat. Boupleuron in sponte nascentium numero Gręci, inquit, habent: caule bicubitali: foliis multis, longisq;, capite Anethi.

Latioris folij Valerius Cordus Isophyllon, non scio, quo auctore, nominauit: Plerique Elapho-

Bupleurum angustifolium.



Bupleurum alterum latifolium.



Elaphoboscum,alij Gratiam Dei vocitant: Sed aliud Elaphoboscum, aliaque Gratia Dei, à nobis describuntur.

Ceterùm,Bupleuri semen calidum siccumq; secundo apparet ordine. Valet contra serpentum ictus, vt non modò Plinius, sed & Nicander in Theriacis affirmat. Fouentur verò & decocta herba plagæ adiectis folijs Mori aut Origani. folia ad secundas, vel succus ex vino illitus prodest: strumis verò cum sale & vino folia imponuntur: Plinius auctor. qui & in cibis ab Hippocrate Bupleurum laudatum refert.

De Cichorio & Intybo. CAP. XV.

EIVSDEM generis sunt Cichorium & Intybum : sed Intybum satiuum : Cichorium verò syluestre.


Intybum. Intybum folia edit oblonga, lata, læuia, ex albido virentia, Lactucæ ferè æmula, ambitu nonnihil crenata. caulis inter hæc assurgit rotundus, inanis, in ramulos diuisus, è quo vulnerato lacteus profluit succus nonnihil amaricans. flores secundū caules ex multis foliolis commissi, colore frequenter cærulei, rarò candidi. radix oblonga, candida, non absque adnatis fibris, post seminis maturitatem deficiens.

Seritur Intybum in hortis, & quod Vere satum celeriter adolescit, ac ipsa æstate florens semina profert, ac deinde intercidit. Iulio verò satum in hyemem restat, Septembri aut Octobri terra obrutum, colligatis prius folijs, niuis instar candidum redditur, ac deinde mensibus hybernis, mensis aliorum acetariorum loco infertur. Id quod Plinius haud ignorasse videtur lib. XX. cap. VIII. vbi Seridem duorum generum esse ait: nigram æstiuam, deteriorem, & hybernam, candidiorem.

Cichorium. Cichorium duplex est: vnum folij latioris, ac minus arrosi, veluti Intybi, sed tamen minoris, ac non adeò læuis, & nonnihil pilosi: alterum folijs laciniosis, & ad costam vsque mediam vtrimque incisis. vtrique caulis qualis Intybo: flores similes, colore cærulei : semen subalbidum: radix oblonga, candida, in plures annos restans. Diffluit & ex his, caule, folijs, aut radice vulneratis, albicans & amarus succus. amari verò saporis & ipsius herbæ folia ac radices sunt.

Non

Intybum satiuum.



Cichorium latioris folij.



Non modò in hortis seritur, sed & per vniuersam Germaniam, tum & alibi secus vias, ac locis incultis exit: ac potissimùm folia habens profundioribus incisuris laciniata, quod & reliquis amarius est.

Iulio & Augusto mensibus præcipuè cum flore reperitur: semen interea perficitur.

Est verò & præter ista syluestre quoddam, Cichorio folijs, sed exiguis, simile: caulibus teretibus, ramosis, in obliquum tendentibus: flosculis secundum ramulos paucis, raris, & paruulis, luteis, qui in pappos soluuntur. *Cichorium syluestre luteum.*

Nascitur & istud passim in Germania locis neglectis ac incultis: & æstiuis mensibus floriferum est.

Appellantur hæ herbæ vno nomine Græcis Σέριδες: Latinis Intyba.

Prior Σέρις ἥμερος, Intybum satiuum: à nonnullis Endiuia: ab Auicenna ac Serapione Taraxacon: ab Italis *Scariola*, quam appellationem pleræque Officinæ seruant, quæ & Seriolam ipsam quasi Seridem haud perperam vocitant, sed minus rectè Serriolam per duplex r. nam Serriola Lactuca est syluestris: ab Hispanis *Serraya Enuide*: Germanis Scariol: Gallis *Scariole*.

Altera species σέρις ἀγρία ac κιχώριον dicitur: Latioris folij Plinio Hedypnois est: quæ verò amarior πικρὶς Dioscoridi dicitur: Latinis Intubum syluestre, Intubum agreste, Intubum erraticum, & Cichorion: Officinis Cicorea dicitur: quæ vox non modò posterioribus Medicis recepta, verùm & ab ipso Horatio Ode XXXI. lib. primo vsurpatur: *Picris.*

—— me pascunt Oliuæ,
Me Cicorea, leuésque Maluæ.

Erraticum Intubum, Plinius lib. XX. cap. VIII. apud nos quidam, inquit, Ambugiam appellauere. (Ambubeiam alij legunt.) Non desunt verò & qui Rostrum porcinum nominēt, inter quos est Guilhelmus Placētinus: Petrus verò Crescentius Spōsam Solis, & Solsequium vocat: Germani Wegwarten, id est, custodem viarum: Itali *Cichorea*: Hispani *Almerones*, *Cicoria*: Galli *Cichoree*: Belgæ Cicoreye: Angli Cychorye: Bohemi Czakanka.

Tertium genus floribus exiguis luteis non abs re Hyosiris, aut (vt quædam exemplaria) Hyosciris esse existimatur: de qua Plinius lib. XX. cap. VIII. Hyositis, inquit, Intubo similis, sed minor & tactu asperior, contusa vulneribus præclarè medetur. *Hyosiris.*

Est

Cichorium syluestre, Picris.



Est autem vtrumque Intubum frigidum ac siccum secundo excessu, atque adstringendi facultatis particeps. quia verò subamarum, etiam extergens ac aperiens. Et satiuum quidem frigidius, ac minus resiccans aut extergens: Syluestre verò, quod Cichorium dicitur, siccius, minus refrigerans, magis aperiens ac extergens. Er propter has qualitates, vt Galen. lib. VIII. De compositione medicamentorum secundum loca, scriptum reliquit, optima pharmaca calidis intemperaturis ipsius hepatis existunt. Vltra hoc enim quòd moderatè refrigerant, amplius & robur visceri addút per adstrictoriam facultatem. Insuperque commissuras osculorum venarum in sima visceris parte ad eas quæ in gibba sunt, extergunt. Neque verò frigidas intemperies magnoperè lædunt, quemadmodum quæ frigidam humiditatem absque adstrictione aut amaritudine possident, facere solent.

Iuuat etiam viscus talium olerum substantia potest, etiam si citra serosorum aut aliorum humorum vitiationem intemperies fiat per se, & cum humiditatis cuiuscunque complexu, ex mixtura enim mellis, humiditatem per vrinam educunt. Quapropter etiam si siccata rusa quis potioni inspergat, itidem iuuant. Quin & decoctorum decoctum, potatum multum commodi adfert. Si verò non calida aliqua intemperies infester, aut si obturatio quædam sit circa viscus, magnoperè auxiliatur, ex vino albo tenui potata, cum his quæ vrinam ciunt.

Vtilis autem non solùm succus ipsorum est tum recens, tum exsiccatus, sed & ipsa olera exsiccata, tusaque ac trita potui inspersa, & eorum decoctum in potu acceptum, auxiliantur. Hactenus Galenus.

Stomachum verò eadem, si edantur, æstuantem adiuuant, & imbecillum roborant, præsertim quod syluestre: Nam vtrumque cibarij est generis, vel Galeno teste.

Satiui folia in olere subinde coquuntur: eadem hybernis mensibus (vt dictum est) candefacta, cruda cum oleo & aceto alterius acetarij loco non rarò inferuntur, ac eduntur. Foris adhibita podagræ & oculorum inflammationibus succurrunt.

Herba item & radix imposita à scorpione percussis subueniunt: & erysipelatis cum polenta medentur. Dioscorides auctor.

De Dente Leonis. CAP. XVI.

1. DENS Leonis vulgò dicta herba, folia à radice promit oblonga, vtroq; margine profundis incisuris veluti per lacinias diuisis, syluestris Cichorij æmula, sed læuiora. caule caret, sed pediculos habet concauos, in quibus flores singuli maiores quàm Cichorij, & ex pluribus foliolis densius farcti, colore lutei, odore suaues, qui tandem in globosum pappum resoluuntur, quibus semen subest. radix oblonga, tenuis, lacteo succo turget, qualis & è foliis florum, cauliculis, ac calycibus vulneratis manat. Amara autem hæc herba omnibus suis partibus est, & magis quàm Cichorium.

Reperitur frequenter in locis herbosis, non omninò aridis: nam vnà cum Gramine, præsertim in hortis, nasci gaudet.

Mox ipso Vere floret, & ante Augustum vix florere desinit: pappi interea succrescunt, qui vento rapiuntur.

2. Huic foliis, pediculis, flore, & pappis similem sibi Constantinopoli missam P.A. Mattholus depingit, cui radices multæ subsunt, veluti Asphodelo, singulæ tamen minores.

3. Ad hunc verò & referenda videtur & alia Cichoracei generis herba: folia huius oblonga, incisa, veluti latioris folij Cichorio: caules haud dissimiles, in ramulos distributi, Dentis leonis æmuli, sed minores, in papposam lanuginem quoque pereuntes. radix oblonga, albida.

In


Dens Leonis.



Dens Leonis Monspelienſium.



Dentis Leonis tertia ſpecies.



In pratis ſecus ſcrobes aquas habentes quandoque reperitur.

Eodem cum Cichoriis tempore floret.

Pertinent hæ ſtirpes ad olera Cichoroide ſiue Cichoracea dicta: inter quæ à Theophraſto lib. VII. habentur, κιχώριον (ſiue κιχώρη) propriè dictum, Ἀφάκη, χονδρύλλα, (exemplaria quædam perperam ἀνδρύαλα, aut χόνδρας.) ὑποχοιρὶς, ἠριγέρων: quæ quòd Cichorio ſimilia ſint κιχωριώδη appellantur, vt Theophraſtus ait.

Leonhartus Fuchſius Dentem Leonis Hedypnoida Plinij eſſe exiſtimat: de qua lib. XX cap. VIII. quod ait eſſe Cichorij ſylueſtre genus latioris folij: idem verò Dentem Leonis Taraxacon eſſe ait: Taraxacon autem, auctore Auicenna cap. VI^c. XCII. Intybum eſt ſatiuũ, & ſimiliter Serapione cap. I^c. XLIII. qui Paulũ de facultatibus eius teſtem adducens, ea verba refert, quæ à Paulo de Seride & Intybo ſcribuntur. Ex recentioribus nonnulli Dentem Leonis etiam Roſtrum porcinum vocant: quo nomine à Guilhelmo Placentino ſcripſimus Cichorium appellari. Germanis Korlkraut/ Pfaffenbladt/ Pfaffenrörlin/ Lewen zan: Belgis Papencruyt/ Honts rooſen/ Cancker bloemen/ Stoꝛſtbloemen/ Peerdts bloemen: Hiſpanis *Diente de Leõ*: Gallis *Piſſe en lict, ou Dẽt de Lyon*. 1.

Alteram ſpeciem Matthiolus Cichoriũ Conſtantinopolitanum nominat: Sed Lobelius Den- 2.

tem Leonis Monſpelienſium facit: nec etiam aliò, quàm ad Dentem Leonis referri poteſt.

3. Tertia abſque nomine oberrat ex Cichoraceorum genere haud dubio eſt.

Eſt autem Dens Leonis Cichorio, hoc eſt, ſyluestri Intybo facultate ſimilis, refrigerans quidem, ſed magis reſiccans, & vnà extergens ac aperiens, propter eam quam habet coniunctam amaritudinem. proinde & ad eadem, ad quæ Cichorium, vtile ac commodum eſt.

De Chondrilla. CAP. XVII.

Chondrilla prior



Chondrilla altera.



CHONDRILLÆ à Dioſcoride deſcribuntur duæ.

1. Prior folia habet oblonga, forma ac diuiſura Cichorij ſylueſtris ſimilia, ſed minora, & denſa lanugine, qua obſidentur, incaneſcentia: caulis pedalis, albidus, ac lanuginoſus, in aliquot alas diuiſus, in ſummis virgulis floſculos profert, farctos veluti Cichorij, ſed colore luteos, qui in pappos reſoluuntur. radix longa, mediocris craſſitudinis Effluit non modò ex hac, verùm & e folijs ac caulibus ſuccus albidus, qui reſiccatus ruffeſcit & acris eſt. iuxta autem huius ramulos gummi reperitur, vt Dioſ. ſcribit, cuius hac ætate in Lemno vſum eſſe, Bellonius teſtatur.

2. Altera Chondrillæ ſpecies folijs vtrimque profundius, & ad vſque mediam coſtam inciſis, ſylueſtre æmulatur Cichorium; ſunt tamen minora, & minoribus ſectionibus diuiſa. caulis tenuis ſimilibus, ſed ſenſim extenuatis foliolis exornatur, in cuius ramulorum faſtigijs floſculi eminent multiplices, colore cærulei, Cichorij ſimiles, ſed minores radix albida, oblonga. Turgent & huius caulis, folia, ac radix lacteo ſucco.


Vtraque in Italiæ locis incultis iuxta ſcrobes & agrorum aggeres naſcitur. C Cluſius priorem in pluribus Hiſpaniæ locis prouenire refert, atque inibi circa ramulos fulueſcentes grumos concreti ſucci reperiri.

3. Præter has & alia quædam reperitur ad Chondrillam referenda. folia oblonga, anguſta, & aliquantulum aſpera hæc promit, adnatis veluti exiguis alis ramoſa, Cornu cerui dictæ herbę ſatis ſimilia, & eodem quo illius ferè modo per humum decumbentia, tamen aliquantò maiora ac longiora, è quibus medijs cauliculi aſſurgunt tenues, ramoſi, culminantibus in ſummo capitulis, ex paruis candicantibus, argenteoq; propemodum fulgore ſplendentibus ſquamis compactis; floſculi è quibus prodeunt multiplices, Cichorij æmuli, colore pulchrè cęruleo.

ruleo. tenuis & oblonga radix altè descendit. Ex qua similiter vulnerata liquor lactei candoris, veluti è caulibus ac foliis, profluit.

Augusto mense, vel etiam serius apud Hispanos priorem Chondrillam florere scriptum reliquit Clusius.

Chondrillæ species tertia.



Posteriores duę in Belgij hortis Maio, Iunio, aut Iulio cum flore quandoque repertæ sunt.

Græci κονδρίλλην & χονδρίλλην appellant: Latini nomē seruant: Plinio Chōdryllon & Chondrylle dicitur: à nonnullis verò, etiam Dioscoride teste, Cichorion ac Seris, propter nōnullam, haud dubiò, cum his similitudinem: quæ si in floribus requiratur, in posteriorum duarum elucet: nam vtriusque cæruleus, veluti Cichorij.

Lobelius priorem Matthioli Zacintham & Cicoream verrucariam esse contendit: Exhibet tamen Matthiolus pro priore Chondrilla quandam, cuius imago à Zacinthæ icone (quam & expressit) differens est. 1.

3. Tertia nōnullis Sesamoides minus esse videtur: parum tamen cum isto Sesamoïde cōuenit. Sesamoides vtrumque ab aliqua cum Sesamo similitudine nomen & appellationem accepit: hæc verò herba nullam Sesami speciem refert. Quamobrem ad Chondrillę genera citius referenda venit. flores etenim habet forma & colore Cichorij: liquorem qualem priores Chōdrillæ. Non tamen ea de causa vna earū, quę à Dioscoride describuntur, sed ipsis affinis. Neq; enim alienum plures vnius herbæ species esse, quàm Dioscorides referat. Quotidiana siquidē ostendit obseruatio, herbarum ac stirpium multarum genera multò plura reperiri, quàm veteribus cognita fuerint aut descripta.

Hieracium primum.



Cæterum Chondrilla Cichorio facultate similis, sed aliquantò siccior: vt Galenus. Succus prioris per se aut cum vino potus aluum sistit. Radix cum foliis trita addito melle in pastillos formatur, qui nitro admisto alphos siue vitiligines expurgant.

Gummi inordinatos palpebrarū pilos replicat: quod & alterius succus potest. Cum myrrha gummi tritum ac linteo impositum, menses ducit, Dios. auctor.

Priores duas, Matthiolus à rusticis inter acetaria recipi scribit.

De Hieracio. CAP. XVIII.

AD Intubaceum genus Hieracium etiam pertinet. Huius genera Dioscoridi quidem duo: posteriori nostrę ætati plura: quædam ex his caule assurgunt folioso: aliorum caules foliis carent.

Primum Hieracium caules promit complures cubitales, aut altiores, foliis qui conuestiuntur oblongis, digito latioribus, virentibus, per margines exiguū incisis. flores in cacuminibus lutei, farcti, in pappos resoluuntur. radix fibrosa. 1.

Alterum caule quoque folioso viret, sed folia vtrimque profundius incisa, & exiguis spinis, instar foliorum mollioris Sonchi, per margines 2.

 Hiera-

Hieracium alterum.



Hieracium tertium.



Hieracium quartum.



Hieracium quintum.



exaſpe-

exasperantur. flores & pappi quales prioris radix similiter fibris quoque cohæret.

Tertium folia promit a radice multa, oblonga, circumrosa, Dentis Leonis ferè similia, sed 3. minora, non rarò procumbentia; assurgunt è medio horum aliquot cauliculi tenues, læues, glabri, subnigricantes, fastigio flores proferentes luteos, ac deinde pappos. radix candida, tenuis, ac oblonga est.

Proximum folia habet satis similia, sed minora, & altioribus incisuris dissecta: cauliculi 4. teneriores sunt: flores minores. radix breuis, veluti præmorsa, multas fibras demittit.

Huic simile & minimum quoddam, quod foliis, nudis cauliculis, exiguis flosculis, pappis, 5. ac radicibus fibrosis proximum refert.

Gignuntur Hieracia locis incultis, iuxtaq; margines agrorum. primum quandoque in syluis reperitur: veluti quod minimum non rarò in agris inter frumenta exit.

Florent quædam citiùs: alia seriùs: omnia æstate.

Continentur hæ plantæ vno Hieracij nomine, quod Græcis ἱεράκιον etiam appellatur: Latinè à nonnullis Accipitrina, quod Germanis est Habichkraut: Belgis Hauicruyt: Gallis nonnullis *Cichoree sauluage*: Anglis Hawke wede. Apuleius etiam Lactucam syluaticam, & Græcis θρίδακα ἀγρίαν, & πικρίδα dici ait.

Ab Accipitre, qui Græcis ἱέραξ, nomen habet: Feruntur enim huius succo oculos tingendo, obscuritatem eorum discutere.

Potest verò & hæc ὑποχοιρὶς à Theophrasto dicta esse: à Gaza Porcellia. Numeratur enim inter Cichoraceas, inter quas Hieracium quoque est. Cuius vt nomen apud Theophrastum non extat, ita nec ὑποχοιρίδης penes Dioscoridem, cùm tamen reliquæ Cichoraceæ ab vtroque describantur. *Hypochœris.*

Duo priora ad illud genus referuntur, quod ἱεράκιον μέγα, & Hieracium magnum dicitur à nonnullis σονδιλᾶ, σογχίτης, & Lampuca. Reliqua ad alterum pertinent, quod ἱεράκιον μικρὸν, siue Hieracium paruum, & à quibusdam Intybum agreste nuncupatur: quorum, quod præmorsa est radice, quandoque etiam Morsus diaboli appellatur. quod verò minimum, ab Hispanis *Terra crepola.*

Hieracium autem frigidam habet, & cum adstrictione nonnulla reficcantem facultatem: vnde, Diosc. infert, stomacho æstuanti ac inflammationibus impositum prodest. Auxiliatur & à scorpione ictis cum radicibus trita & imposita. Quæ non maiora modò, verùm & minora præstant.

De Senecione siue Erigero. CAP. XIX.

ANNVMERATVR Cichoraceo generi à Theophrasto & Erigeron. caulis ei rotundus, striatus, in ramulos effusus. folia virentia, oblonga, ambitu nonnihil incisa, ferè veluti Cichorij, sed minus, ipsis etiam minora, Erucæ quodammodo similia. flores lutei citissimè in pappos pereunt. radix fibras emittit. Est autem huius speciem quandam maiorem, paululum 1. 2. hirsutam & graueolentem: alteram verò minorem, læuem, & inodoram reperire, sola alioqui quantitate differentes.

Nascuntur Erigera passim secus vias, agrorum margines, locis haud cultis. Maius syluosis gaudet: Minus, frequenter in hortis, vnà cum oleribus succrescit.

Citò & primo Vere Erigerum floret, & mox in pappos flore permutato canescit.

Accedit his duobus & tertium quoddam, in Cichoraceorum ac Intubaceorum familiam 3. quoque reponendum: Differt tamen ab Erigero foliis maioribus, profundius, ac Cichorij modo, incisis. caules ramosi, pedales, comantibus in summo flosculis luteis, qui citissimè & canescunt, & in pappos resoluuntur, veluti Erigeri. radix crassior. cętera Erigero qualis. Fœtet autem hæc herba nonnihil, vnde Cichorij fœtidi à nonnullis appellationem adepta est.


Annumeranda Erigeris & alia quædam, citò quoque canescens, videtur huius autem cau- 4. liculi tenues, dodrantales, parum hirsuti, ex obscuriore rubore subnigricant: folia angusta, pauca, molliaque. Flosculi in ramulis eminentes, pallidè lutei, citissime, ac non modò eodem die, sed sæpè intra horæ spatium in papposam lanuginem conuertuntur.

In vliginosis ericetis, quandoque in syluis macro & sterili solo nascitur.

Dicitur autem ἠριγέρων Latinis Senecio, ex eo videlicet, quòd citò ac ipso Vere canescat: appellatur verò & reiectaneis vocibus ἀκανθὶς & Herbutum: A Germanis verò Creutzwurtz/ Grindtkraut/ hoc est, Belgis Grindtcruyt/ Cruyscruyt/ & à nonnullis Cruyswortel: Hispanis *Bon varon, & yerua cana*: Italis *Cardoncello, Speliciosa*: Anglis Grounsell.

Tertium cum Aphace Theophrasti conuenire videtur: meminit autem lib. VII. Aphaces, non modò leguminis, sed & herbæ, cui hæc Erigeri species perquam similis. Nam, vt Theophrastus, Aphace herba ex Olerum & Cichoraceorum est numero, ingustabilis & amara: festinanter floret: sed celerius flos senescit, atque lanugine papposa marcescit. Talis quidem *Aphaces olus.*

Erigerum maius.



Erigerum minus.



Erigerum tertium.



Erigerum quartum.



hæc Erigeri species. Sed addit Theophrastus, tota hyeme totoque vere florere. Huius autem flores æstate tantum vidimus, inclementioris cæli nostri fortassis occasione. Potest in natiuo ac patrio solo diutius florere.

Mixtas autem vires Erigeron habet: refrigerat ac simul modicè discutit: vt Paulus Ægineta auctor est. Testium ac sedis inflammationes folia cum floribus addito exiguo vino, aut per se imposita sedant: Plinius verò cum thuris farina (quæ Manna dicitur) aut cum vino id præstare scribit. Dioscorides cum manna aliis vulneribus, etiam neruorum, mederi ait. simile pappi cum aceto impositi possunt, qui si recentes bibantur, strangulationem adferunt. Caulis in aqua decoctus, & cum vino musto potus, stomachi à bile contractos dolores sanat. Dioscorides auctor.

Recipitur Erigeron, quod mirùm est, apud Belgas hybernis mensibus non rarò inter acetaria, nec ori ingratum est.

De Iacobea. CAP. XX.

Iacobea.



AD Erigeri genus pertinere non abs re existimantur Iacobeæ nuncupatæ herbæ: quarum non vna est species.

Prior, vulgò notissima, folia initio promit ampla, magna, vtrimque laciniosa, quæ Absinthij latifolij prioribus foliis responderent, nisi longiora, latiora, crassiora, non albida aut mollia, sed glabra saturato colore virerent. caulis assurgit cubito altior, striatus, subrubente colore nigricans, in alas effusus, quæ foliis conuestiuntur minoribus, Erigeri aut syluestris Erucæ æmulis. flores in fastigiis ramulorum, & medio disco, & ambientibus foliolis auri colore lutei, qui in papposam lanuginem resoluuntur. fibræ pro radicibus sunt. 1.

Alterius caules haud rubent: folia candidiora, molliora, & subinde minora. Flos pallidior: radicis fibræ longiores. 2.

His accedit & Cineraria vulgò dicta, cuius maiora & ampliora multò sunt folia, non modò prioris Iacobeæ, sed & Absinthij maiora, vtrinque marginibus sinuosa, crassa, molli quodam tomento subalbida: flores similiter lutei sunt, qui & in papposam vanescunt lanuginem. 3.

Prior passim per vtramque Germaniam locis incultis paulò humidioribus, & iuxta aruorum margines exit. 1.

Altera Zelādiæ & maritimis locis frequētior. 2.

Fertur & Cineraria haud procul à mari reperiri. 3.

Æstiuæ sunt herbæ: quædam serius, aliæ citius in Belgij hortis olim floruerunt.

Herbam S. Iacobi, aut S. Iacobi florem, priorem appellari ex eo contigit, quòd Germanis Sant Jacobs blümen/aut Sant Jacobs kraut dicatur: vnde Iacobeæ nomen accepit: & à Belgis Sint Jacobs cruyt: à Gallis *herbe ou fleur du S. Iacques* dicitur. 1.

Altera, vt huius species, ita & Iacobeæ nomenclaturam retinet: addimus Marinæ epitheto. Non desunt verò & qui Artemisiam marinam faciant, in qua & nos quandoque sententia fuimus. 2.

Tertia à subalbido cinerum quorundam colore quem refert, Cinerariæ nomen accepit: à nonnullis Erigeron marinum dicitur. 3.

Est autem Iacobea ordine secundo calida ac sicca, & propter eam quam habet amaritudinem etiam extergens. Ad vulnera & vlcera inueterata ac sordida à recentioribus commendatur: quæ succo huius cum melle permixto expurgantur. Laudatur verò & huius decoctum gargarizatum ad gutturis tumores & abscessus, quos & discutit ac persanat.

De Soncho. Cap. XXI.

Sonchus læuis.



Sonchus asper.



Sonchus tertius asperior.

1.

2.

3.



SONCHI duo sunt: vnus tenerior ac mollior: alter spinosior ac syluestrior, præter tertium marinum.

Caulis prioris subinde cubitalis, angulosus, & inanis est, & subinde nonnihil rubens. Folia virentia, læuia, lata, vtroque margine altioribus incisuris diuisa, spinis carent. Flores in summis cauliculis eminent, ex pluribus foliolis cõfarcti, quos albi pappi, qui vento rapiuntur, succedunt: quibus subest semen paruum, planum, oblongioris formæ, multò quàm Lini minus. radices multis fibris cohærent. Profluit ex huius foliis ac caule fractis candidus ac lacti similis succus.

Alter priori similis, sed folia eius angustiora paulò, minusque laciniosa, paruulis, sed tamen duriusculis ac pungentibus aculeis per circumferentiam spinosã. Flores, semina, albidus succus, & radices à superioribus non differunt.

In hortis vnà cum oleribus frequentius quàm in agris nascuntur.

Præter hos verò & tertius quidam spinosior Sonchus reperitur: cuius caules subrubentes spinis horrent, ac folia, quæ & omninò aspera veluti Echij, flos & reliqua cum aliorum conueniunt.

In Flandriæ & Zelandiæ agris haud procul à mari spontè nascitur.

Iunio ac Iulio omnes florẽt, vel etiam serius.

Qui

Qui Græcis σόγχοι, Latinis similiter Sonchi: à nonnullis verò Cicerbitæ, Lactucellæ, & Lacterones nominantur: Apuleio Sonchus Lactuca Leporina dicitur.

1. Priorem Germani Hasenköll/ id est, Brassicam Leporinam nominant: Belgæ Hasen lattouwe: Galli *Palays de lieure*: Hispani *Cerrayas, Cerralhas*: Itali *Lactucella*: Angli Cicerbita. Latini Sonchum teneriorem.

2. 3. Alter spinosior, asperior ac syluestrior cognominatur: Tertius verò Marinus.

Temperamentum autem Sonchi, auctore Galeno, mistum est. constat enim ex aquea ac terrestri substantia, vtraque leuiter frigida: adstrictionis quoque cuiusdam particeps est. Tener verò & adhuc virens editur aliorum olerum modo. Siue autem edatur, siue foris cataplasmatis modo applicetur, manifestè refrigerat: prodest idcirco omnibus inflammationibus impositus.

Succus in sorbitione datus stomachi ardores ac rosiones mitigat, & lactis abũdantiã facit. Tam radix quàm herba scorpionum ictibus auxiliantur.

De Lactuca. CAP. XXII.

Lactuca satiua.



Lactuca crispa.



DVORVM generum Lactuca est: hortensis vna: syluestris altera.


1. Hortensis siue satiua Lactuca folio exit oblongo, lato, læui, diluteq; virente: caule verò rotundo, crasso, folioso, lactei succi pleno, qui in latam effusus comam, flosculos profert subluteos, papposos; succedente semine pusillo, oblongo, plano, & albicante, rarissime nigricante. radici longæ, crassæ, multæ adhærent fibræ. Vulnerata hæc aquoso lacti similem quoq; succum non minus quàm ipse eius caulis effundit. Et talis quidem quam natura produxit, nõ transformauit, Lactuca est.

Culturæ siquidem mangonio non rarò folia eius in aliam speciem transformantur; vel etenim crispantur, aut ita in se contrahuntur, vt capitatam Brassicam æmulari videantur: atq; huius quidem media ac interiora folia ex diluto admodum luteo colore inalbicant.

2. Præter has verò & alia quædam Lactuca folio est obscurius virente, aut, vt Columella ait, viridis coloris: quam Plinius Nigram appellat.

3. Iam & quædam fusci ac veluti purpurei coloris, siue ex albido rubicunda: hanc Rubentem,

Lactuca capitata.



tem, ni fallimur, Plinius nominat.

Amat solú Lactuca, Palladius ait, subactum, pingue, humidum, stercoratum. Aprico cæli statu, locis quibus aquarum copia est, seri potest, Columella auctore. Lætior fit si rara ponatur.

Certum est, Palladio teste, toto anno Lactucam benè seri: Seritur verò in Belgio primo quoque Veris tempore, & mox quidem hyemis rigore remisso, in multam vsque æstatem. Quæ mature sata est, citò transferri potest: quod nisi fiat, velociter quoq; & intra tres mêses, vel etiã citius in caulem abit, flores seminaque inde perficit.

Lactuca satiua Græcis θρίδαξ ἥμερος, Galeno θριδακίνη dicitur: à nonnullis μηκωνίδιον. à Pythagoricis εὐνοῦχον in Officinis Lactuca. A lacteo succo qui vulneratis caulibus ac radicibus profluit, nomen Latinis accepit. Germanis Lattich: Belgis Lattouwe/ Salaet: Hispanis *Lechuga, Letuga, & Alface:* Italis *Lattuca:* Gallis *Laictue:* Bohemis Salat: Anglis Lettes.

Huius generis cùm folia crispantur, Crispa Plinio, Ceciliana Columellæ cognominatur: Germanis Krauser lattich: Belgis gekronkelde Lattouwe: Gallis *Laictue crespue.*

Altera verò foliis in orbem contractis vulgò Lactuca capitata, Lactuca sessilis, Plinio Lactuta Laconica, Columellæ Lactuca Bętita, Petro Crescentio Lactuca Romana Belgis Crop salaet: Gallis *Laictue pommée ou testue.* Hispanis *Lechuga parada por el suelo.*

Purpurei folij, siue ex albido rubentis, Cypria est Lactuca Columellæ, Plinio Græca.

Olus autem Lactuca humidum ac frigidum est, non tamen vehementer, sed omnino moderate, alioqui enim edulis non esset. Æstuantem verò ventriculum hæc refrigerat: à bile infestatum adiuuat: sitim arcet: somnum conciliat: lactis abundantiam facit, mulieribus quidem, quibus propter caliditatẽ ac siccitatem, lac vel deficit, vel parcius succedit, nam siccitatem & caliditatem contemperando ad huius generationem conducit: natura verò frigidis, lactis generationem non adeò promouet, sed citius remoratur.

Editur autem Lactuca non iniucundè cruda aceto, oleo, & exiguo sale condita: Elixa verò in aqua citius concoquitur, & magis alit. Infertur mox initio cœnæ, & ante alium cibum editur. Quod & olim factum Martialis testatur, qui antiquiores eam sub finem cœnæ apposuisse, eodem disticho refert:

Claudere quæ cœnas Lactuca solebat auorum,
Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?

Potest verò vtroque tempore subinde haud absque fructu assumi: præsumpta etenim languentẽ appetentiam subinde excitat: à cœna verò temulentiam ex vino discutit, dum nempe vapores ad caput efferri impedit.

Succus autem, qui ex Lactuca in venis gignitur, humidus ac frigidus est, non tamen vitiosus, sed non multus. Ex reliquis omnibus oleribus omninò paucissimus, ac prauus, Galeno teste, succedit. Aluum verò, eodem auctore, hæc nec sistit, nec proritat: Nihil enim habet neque austeri neque acerbi, à quibus venter sistitur. nihil quoque salsi aut acris, quæ vim habent extergendi ad excretionem excitantem. Vtcunque autem hæc Galenus scribat, & qualitatibus quoque istis destituta sit, vsu tamen compertum, ad alui facilitatem, coctam præcipuè, conferre. Aluum siquidem humectans faciliorem eam reddit. Quod & Martialis haud ignorauit, sic scribens Epigrammaton lib. XI. ad Iulium Cerealem:

Prima tibi dabitur, ventri Lactuca mouendo Vtilis. ———

Foris admota omnes inflammationes Lactuca mitigat: ambustis priusquàm pustulæ aut vesicæ fiant cum sale (Plinius ait) imposita prodest.

Semen Lactucæ refrigerat, & genitale semen, si frequenter sumatur, extinguit: Somnum idem conciliat sorbitionibus additum.

De

De syluestri Lactuca, siue Officinarum Endiuia.

CAP. XXIII.

Lactuca syluestris.



SYLVESTRIS Lactuca folia promit oblõga, minora tamen & angustiora quàm Satiuæ, ac vtroque latere profundioribus incisuris sinuosa, quorum media costa inferiore parte, à duriusculis aliquot spinis, ordine quodam & instar serræ digestis, obsidetur: caulis cubitalis, qui in alas effusus flosculos profert satiuæ Lactucæ æmulos, in pappos quoque suo tempore se resoluentes. semen nigricans, aliâs veluti satiuæ. radix breuior ac minor. Effluit ex hac fracta aut incisa succus albidus, diluto lacti colore assimilis, sapore amaricans.

Nascitur secus vias, agrorum aut pratorum margines, tum & iuxta scrobes. reperitur & in vineis, ac hortis, in quibus olera seruntur. Facillimè autem vbi semel sata singulis annis recurrit.

Iunio, Iulio, & Augusto præcipuè viget ac floret.

Græcis θρίδαξ ἀγρία Latinis Lactuca syluestris: In Officinis Pharmacopœorum perperam Endiuia vocatur: Intybum enim voce deprauata Endiuia dicitur. Appellatur verò Lactuca syluestris à quibusdam Serriola per duplex rr. quòd serræ modo acutas spinas folij costa à tergo habeat: Germanis wilder Lattich: Belgis wilde Latouwe: Gallis *Laictue sauuage*: Italis *Lattuca saluatica*. Hispanis *Lechuga saluage*.

Apud Galenum De alimentorum facultatibus lib. 2. legitur, Lactucam satiuam θριδακίνην appellari præter hanc verò apud suos (id est, Pergamenos in Asia) & aliud quoddã esse olus agreste θριδακίνης nomine, quod in viis ipsis nascitur & locis fossarum eminentioribus, & præterea riguis ac plerisque incultis.

Exiguum autem id olus est, instar Lactucæ hortensis nuper enatæ, amarorisque quippiam præ se fert, & multò magis dum adolescit: vbi autem caulem iam produxerit, saporem amarum habet vel manifestissimum. Hactenus Galenus. *Thridacina.*

An autem hæc Thridacina, Lactuca ista syluestris sit, nec ne, cui integrum erit diligentius perquirere, per nos licet. Nobis satis fuit ea de Thridacina hoc loco ascripsisse, quæ de hac à Galeno referuntur.

Cæterùm Lactuca syluestris frigida est, & quidem (si papaueri, vt Diosc. scribit, similis) circiter tertium ordinem: sicca verò secundo: & simul expurgans atque aperiens, quia nonnullæ amaritudinis particeps est. Dioscorides huic quoque purgandi per aluum facultatem tribuit. Purgat, inquit, cum oxycrato epotus succus, duorum obolorum pondere, aquosa per aluum Argemas & oculorum caligines expurgat: cum lacte muliebri aduersus ambusta confert. In summa somnifera & dolorem sopiens. Menses verò etiam mouet, & contra scorpionum ac phalangiorum ictus bibitur. Hæc Dioscorides.

Recentior ætas loco Intybi hac non infeliciter vtitur. Nam ad iocinoris inflammationes, & morbum regium confert, calorem siquidem contemperat, & meatus expurgando aperit. Semen huius idem quod Satiuæ potest, & Veneri refragatur.

De albo Olere. CAP. XXIIII.

LACTVCÆ generibus accedere potest, vulgò dictum Olus album, herbula exigua, primum erumpenti Lactucæ foliorum quantitate, forma, & colore satis similis; foliola siquidem eius paruula, latiuscula, non tamen digitum lata, rotundis longiora, dilutè quoque virent: cauliculum hæc promit tenuem, angulosum, tres aut quatuor digitos altum rarius dodrantalem, duobus aut tribus geniculis articulatum, è quorum singulis foliola bina prioribus e radicibus erumpentibus angustiora longioraque: in fastigio verò cauliculorum flosculi

albidi

Album Olus.



albidi perquam exigui aliquot veluti in sciadio cohærent. capillaceæ fibræ paucæ pro radicibus sunt.

In agris vnà cum frumentis frequentissimè nascitur in Germania, Belgio, ac Bohemia, tum & alibi. Hyeme & paulò pòst herbula in agris viret, & collecta mensis infertur.

Belgæ Wit moes, id est, Olus album appellant, Nonnullis verò & Veltcrop: aliis Clercooghe dicitur: nec alia eius nomina cognita: λευκολάχανον Græcè quis dixerit.

Refrigerans autem hæc herba, & nonnihil humectans, facultate ac temperamento Lactucæ haud dissimilis, cuius loco hybernis & primis Veris mensibus infertur, ac cum aceto, sale, & oleo iucundè editur, veluti alia acetaria: inter quæ haud postremum locum obtinet.

De Lapatho siue Rumice.

CAP. XXV.

GENERA Lapathi Dioscorides quidem quatuor refert: syluestre siue oxylapathũ: alterum satiuum: tertium rotundi folij. & quartum acetosum, quod Oxalis dicitur. quibus & Hippolapathum postea annumerat. Posterioris ætatis obseruatio & alia quædam his adiecit.

1. Syluestri Lapatho siue Oxylapatho folia sunt oblonga, dodrantalia, acuminata, non valde lata, duriuscula: caulis rotundus, articulatus, subinde bipedalis, cuius ramulis ac appendicibus flosculi adhærent exigui ordine digesti, & deinde semina triangularia haud magna, tenuibus membranis implicita, colore subruffo nigricantia. radix recta, æqualis, prolixa, lutei intenus coloris.

2. Huic foliis, caule, semine, longa luteaque radice simile est satiuum Lapathum: foliis tamen maioribus, mollioribusque, & caule multò altiore, vt qui hominis altitudinem non rarò assequatur.

3. Præter hæc verò & tertiũ est, Hippolapathũ dictũ, quod etiã folio est ampliore ac maiore quàm satiuum: flosculi & semina similia. radix verò crassa, interior pulpa dilutè rubescens.

4. Oxalis, Oxylapathum foliis & reliquis æmulatur, sed folia molliora, virentioraque sunt, & sapore acida.

5. Huius verò & species quædam reperitur, radice in multa rotũda capitula, ex fibris dependentia, extuberante, instar Filipendulæ: sed rara admodum hæc Oxalis est.

6. Accedit & alia quædam Oxalis, folio breui, lato, & quasi rotundo, ex albido virenti: cauliculis tenuibus ac tenellis, qui facilè concidunt: semine exiguo.

7. Iam & minima quædam Oxalis est, caule palmi vix altitudine: foliis angustis ac paruulis, quæ frequenter, præsertim semine maturo, tota rubens apparet.

8. Nec deest verò & rubens siue nigrum Lapathum, quod caule est Oxylapathi breuiore, foliis minoribus, saturato rubore nigricantibus, costa tamen media ac fibris dilutius rubentibus, ex quibus succus instar vini rubentis exprimitur.

1. Oxylapathum autem in pratis locis humentibus riguisq; sponte gignitur.
2. Satiuum in hortis seritur: solo gaudet stercorato, & benè subacto.
3. Hydrolapathum in fossis ac scrobibus aquas habentibus requirendum.
4. Oxalis licet quandoq; in syluestribus reperiatur, cultura tamẽ melior ac speciosior euadit.
6. Rotundi folij Oxalis syluestris est, & in asperis ac montosis pleris que locis exit: transfertur verò & ad hortos.
7. Minimum genus in aruis ac agris occurrit.
8. Postremum frequentius in hortis quàm alibi, nemine tamen serente, nascitur.

Semine maturo plurima Lapatha Iulio & Augusto turgent. Oxalis verò minima Autumno ac Septembri mense viget.

Lapathum syluestre siue Oxylapathum.



Lapathum satiuum.



Hippolapathum siue Rhabarbarum Monachorum.



Oxalis.



Oxalis tuberosa.



Oxalis rotundifolia.



Quod verò Græcis λάπαθον, Latinis Rumex nominatur: Plinius tamen lib.xix.cap.xii. Rumicis appellationem satiuo soli tribuere videtur.

1. Ὀξυλάπαθον Latinis Rumex acutus: in Officinis Lapathium acutum dicitur: A Germanis Mengelwurtz/Streyffwurtz/Grindtwurtz/Zitterwurtz: Italis *Rombice*: Hispanis *Romaza, Paradella, & Lapaça*. Belgis Patich/à Lapatho voce deducta, vel etiam Peerdick: Gallis *Parelle*: Anglis Dock.

2. Alterum λάπαθον ἥμερον, Rumex satiuus, Lapathum satiuum: Vulgò Patientia à Gallis nomenclatura mutuata, qui hoc Lapathi genus *La patience* appellant, quos & Belgæ imitantes Patientie hoc quoque olus vocant.

3. Tertium genus quod reliquis maius ac procerius est, Dioscoridi & Galeno ἱππολάπαθον est. Plinio verò etiam ὑδρολάπαθον, à loco in quo nascitur. Latinis Lapathum magnum, Lapathum aquatile, Rumex palustris. Hoc genus plerique Rhabarbarum nominant Monachorum, quòd eius radice Rhabarbari loco quidam vtantur.

4. Quartum Lapathum Græcis ὀξαλὶς est, & ἀναξυρὶς, Galeno etiam ὀξυλάπαθον, id est, acidum Lapathum, siue acidus Rumex: Officinis & vulgò Acetosa: Germanis Sawrampffer: Belgis Surickele/Zurinck: Hispanis *Azederas, Agrelles, & Azedas*: Italis *Acetosa*: Gallis *Ozeille*: Anglis Sorrel: Bohemis Sstowijk.

5 Tuberosam Acetosam, & tuberosum Lapathum quintum genus non abs re recentiores nuncupant.

6. Sextum genus syluestre Lapathum, & ἄγριον λάπαθον est, quod Dioscorides tertium facit: & à nonnullis Oxalis Romana, & Acetosa Romana temere vocitatur.

7. Minima Acetosellæ rectè, & Oxalidis paruulæ nomen adepta est: Germanis kleyn Sawrampffer: Brabantis Schaeps surkele/hoc est, Acetosa ouilla: à Gallis *petite Ozelle*.

8. Posterius nigrum Lapathum, & niger Rumex dicitur, aut rubrum Lapathum. Perperam autem faciunt, qui istud Sanguinem Draconis vel esse suspicantur, vel nuncupant: nam succus aridus qui Sanguinis Draconis nomine in Officinis venundatur, non ex herba hac, sed omnino ex alia stirpe colligitur.

At Lapathum omne temperiem habet nonnihil frigidam, & quoddam quidem exiguam ac moderatam: aliud verò intensiorem. resiccant verò & omnia, sed non omnia æqualiter.

Satiui

Oxalis minima.



Lapathum rubens.



Satiui Lapathi folia, quę esculenta sunt, frigiditatem quidem exiguam, humiditatem verò maiorem obtinent, ac vnà lentorem: vnde & facile ac citò, quando eduntur, per aluum descendunt. Dioscorides etiam omnium decocto olere, aluum emolliri tradit. Quod & Horatius annotauit Sermonum lib. 2. Satyra quarta sic scribens: 2.

Si dura morabitur aluus,
Mugilus, & viles pellent obstantia conchæ,
Et Lapathi breuis herba.

Breuem autem appellat Lapathi herbam, prius quàm caulis enatus fuerit decerptam. quo tempore esui potissimum idonea est. Editur autem hęc cocta, sed minus quàm Beta vel etiam Spinachia suauis: succum verò ingenerat humidum, mediocriter crassum, & parum alimenti conferentem.

Oxylapathi autem folia cum frigiditate resiccant: Semina verò huius, tum & satiui, ac etiam Oxalidis cum tenuitate quadam substantię refrigerant, valdè resiccant & adstringunt. Contra dysenterias, cœliacos affectus, ventriculi ex bile subuersiones & fastidia: tum & aduersus scorpionum ictus, vt Dioscorides refert, bibuntur. Prosunt & sanguinem spuentibus addita acacia, auctore Plinio.

Oxalis haud dubiò refrigerat, & potenter resiccat: quia verò acida, etiam lentos humores incidit. Huius succus æstiuis mensibus multorum ciborum vtile condimentum est, ac palato gratum. Ventriculum æstuantem refrigerat: appetentiam ciborum excitat: Iocinoris calorem contemperat, obstructiones eiusdem aperit. Folia decoctis (quorum aduersus febres vsus) vtiliter adduntur. 4.

Similis facultate Oxalis rotundioris folij est, quam, vt diximus, Romanam cognominant. 6.

Nec inferioris facultatis paruula illa Acetosella est, quæ etiam magis resiccat. 7.

Radices Oxylapathi, satiui Lapathi, ex Oxalidis ex aceto decoctæ, & per setaceum transmissæ, scabies, impetigines, & pruritus curant, si affectis partibus illinantur, præsertim butyro per decoctionem nigrefacto, aut oleo ex Lauri baccis, & Zinziberis nonnihilo additis. Dioscorides hoc & crudas radices posse refert: & earum ex vino decoctum dentium auriumque dolores mulcere, si eo os colluatur. Decoctum autem harum etiam scabies ac pruritus collutione mitigat. quod & balneo radices præstant. Feruntur verò eædem ex vino decoctæ po- 1.

tione regio morbo mederi, & corporis colorem emendare. ex aceto coctas lieni impositas prodesse cum vino verò strumas ac parotidas discutere. Quod & vinculo collo appēsas præstare quidam nugantur In pesso muliebres fluxiones tritæ & appositæ sistunt.

Hydrolapathi autem radix aluum sumpta mouere fertur. quod tamen nobis compertum affirmare nequimus.

De Tota Bona. CAP. XXVI.

Tota bona



Malua Henricus.

TOTA bona recentioribus dicta, Lapathi ab iisdem generibus annumeratur. caules hæc edit complures crassos, foliosos, pedales, vel paulò altiores, cuius ramulis sursum versus herbacei racemosi adhærent flosculi, ac deinde semina Atriplicis æmula. folia, quæ longis innituntur pediculis, lata sunt & acuminata, forma quodammodo foliorum Ari, sed candida, & veluti tenui farina respersa. radix crassa in plures quandoque diuaricatur, colore veluti Oxylapathi interius lutea.

Incultis locis, ac sæpenumero ruderatis, secus vias, veteres muros, & agrorum sepimenta frequenter reperitur.

Iunio ac Iulio præcipuè cum flore viget.

Recentiori ætati Tota bona dicitur. Belgis Al goede, & Lammekens oore: Anglis English mercury. Sunt qui suspicentur χρυσολάχανον, id est, aureum Olus esse: sed Chrysolachanon Atriplicē esse diximus, nisi quis velit Plinij illud Chrysolachanon esse, quod in Pineto Lactucæ simile nasci refert lib. XXVII. cap. VIII. Germanis Schmerbel vocatur, & Güter Heinrick, id est, Bonus Henricus, à singulari quadam vtili facultate: veluti & perniciosam quandam, Malū Henricum appellant. quam Conrardus Gesnerus in Quadrupedum historia cap de Boue his describit verbis. Prouenit apud nos (in Heluetia) noxia quædam herba, à qua non solùm ipsi boues abstinent, sed etiam gramine circum circa nascente, licet eodem equi vescantur. Rustici quidam apud nos Malum florem, alij Malū Henricum appellant (Ægolethron esse existimo.) Caulis ei albus, pedalis, solidus, & substantia quadam humida mollíq; infarctus flores hirsuti, purpurascentes, in spicam congesti, vt in Testiculo canis fere: semine rotundo instar Milij, gustu subastringente: radice altissima, nodis quibusdam exasperata, & veluti squamata, longissima, ad quinque vel sex cubitos descendente: quamuis rarò integra effodiatur Recens planè frigida humidaq; tactu percipitur. vites vicinas corrumpit & frigore suo lædit Hæc Gesnerus.

Sed vt ad Bonum Henricum siue Totam bonam redeamus, calida & sicca hæc moderatè est, & vnà abstergens atque expurgans.

Folia cum oleribus cocta, atque esitata, lubricam reddunt aluum. Eadem concisa aut contusa recentia vulnera imposita veniunt: sordida verò ac vetera, tum & eiusmodi vlcera expurgant, & vermes, si qui in ipsis enati fuerint, interimunt.

Plinius Chrysolachanum quod in Pineto nascitur, sanare ait neruos incisos, si confestim imponatur Hoc autem si Tota bona præstare queat, non abs re, nec temerè, nomen suum adepta est.

De Malua, & primùm de hortensi.

CAP. XXVII.

MALVÆ genera complura sunt: ex quibus satiua, siue hortensis vna est: reliquæ syluestres Maluæ sunt.

Satiua siue hortensis Malua folia ampla & rotunda promit, in virore albicantia, asperiora, & maiora, quàm syluestris: caulem siue scapum rectum, simplicem, quatuor aut quinque cubitos non rarò altiorem, cui præter inferiora folia, flores è pediculis breuibus adhærent, maiores

Malua hortensis.



Malua hortensis multiplici flore.



iores multò quàm syluestris, alioqui forma non admodum dissimiles, quandoque simplices, & quinque tantummodo foliorum, frequenter verò multiplices, colore aut candidi, aut rubentes, eoque modò saturato, aliàs purpuræ modo relucente, non rarò verò omninò diluto. His succedit orbiculus rotundus instar placentæ ex multis tunicatis seminibus planis coagmentatus. radix longa, albida, lenta, ac flecti facilis, altè descendit.

In hortis seritur: temerè alibi quæritur.

Altero anno à quo sata est, caulem profert, ac flores Iulio aut Augusto facit: semine perfecto caulis inarescit: radix subinde aliquot annis restat, Vere nouo noua folia promens.

Μαλάχη Græcis dicitur, & ad differentiam alterius, μαλάχη κηπευτὴ, id est, Malua hortensis: à nonnullis verò Rosa vltramarina, & Rosa hyemalis. Atque hæc illa est Rosa, quam ex Maluaceo caule fundi, Plinius lib. XXI. cap. IIII. tradit: folia oleracea (perperam in plerisq; exemplaribus, Oleæ, aut Oleacea) habens, quam Mosceuton vocant. Germanis Garten pappeln/ Herbstroß/ Ernroß: Belgis Winter roosen/ Herfstroosen: Gallis *Rose d'outre mer, Maulue de iardin ou cultiuée*: Anglis Holy hocke. *Plinij locus emendatur.*

Appellari verò istam Maluam alijs quibusdam nominibus inter spurias Dioscoridis voces reperitur: vt à Pythagora ἀνθέμα, à Zoroastre ὀχέδινμα, ab Ægyptijs χοχορτής, ab alijs αἰγὸς σπλὴν, id est, capræ splen, aut οὖρα μυός, id est, vrina muris.

Calida autem moderatè hortensis Malua est, & humida quoque, sed paulò, quam syluestris, minus: glutinosam similiter vt illa substantiam habet, quæ in flore, semine, ac radice manifestior.

Florum huius Maluæ decoctum, præsertim rubentium, superfluentes muliebres menses sistit, si in vino rubro decoquantur, & alia quædam eò facientia addantur.

Folia, radices, & semina, omnia possunt quæ syluestrium, quarum frequentior & familiarior est vsus.

De Malua syluestri. CAP. XXVIII.

SYLVESTRIVM Maluarum vna folio est lato, rotundo simili, sed tamen anguloso, per 1.
circumferentiam leuiter crenato, glabro, læui, ac virente. caules subinde emittit plures, rotundos, quandoque bicubitales vel altiores; circa quos præter folia, flosculi in mediocris

Malua ſylueſtris procerior.



Malua ſylueſtris pumila.



Malua criſpa.



2.
3.
4.
1.
2.

longitudinis pediculis, ex dilutè purpureo rubentes, quibus ſuccedit & placentæ inſtar orbiculus, Lupino non maior, ex pluribus congeſtus ſeminibus. radix albida, longa, mediocris craſſitudinis.

Altera humilior eſt: cauliculi huius tenues non erecti aſſurgunt, ſed procumbentes quaſi repunt: folia rotundiora, ſed minora, ambitu tenuiter inciſa: floſculi exigui & albidi: ſeminum orbiculus paruulus. radix albida, craſſa, & longa eſt.

Maluæ item ſpecies quædam procera, & erecto caule: folia cuius rotunda, læuia, dilutè virentia, per circumferentiam criſpa ſunt: floſculi minuti, albidi. radix haud magna.

Arboreſcens verò & quædam Malua eſt, ad VIII. aut X. cubitos aſſurgens: caule, aut potius caudice recto, foliis viduo, brachij craſſitudine; qui faſtigio inſtar arboris in alas diuiſus, folia profert rotunda, mollia, lęuia, virentia, maiora quàm prioris ſylueſtris Maluæ: floſculi ſaturata purpura rubent, medio nigri, à quo & ſtriæ quædam nigrę aſcēdunt. radice firmatur ſatis valida, ſed fibroſa.

Sylueſtris Malua prior incultis locis exit, ſolo tamen fœcundo, non ſterili, iuxta vias, hortorum ſepimenta, agrorum margines, locis nonnihil humentibus.

Proxima non rarò in ruderibus, ac aliis perinde incultis ac neglectis locis reperitur.

Reli-

Reliquas duas non memini me alio, quàm in hortis, loco videre. 3. 4.

Maluæ agrestes à Iunio mense in multam æstatem flores proferunt, interea & semen earum ad maturitatem peruenit.

Syluestris Malua Græcis *μαλάχη ἀγρία* dicitur: à Dioscoride verò *μαλάχη χερσαία*: à non- 1.
nullis *ἄκοπος*, quasi doloris mitigatiua item & *ἡλιοσέφος*, Osiriaca: Germanis Pappeln: Brabantis Maluwe/keeskens cruyt: Italis & Hispanis *Malua*: Gallis *Maulue*: Anglis Mallow: Bohemis Slizz.

Huius alteram speciem plerique Maluam Pumilam nominant. Belgæ cleyn Maluwe: 2.
Galli *petite Maulue*.

Tertiam Crispam cognominant. 3.

Quarta à Theophrasto *δενδρομαλάχη* vocatur, hoc est, arborescens Malua. 4.

Moderatum autem & tepidum quendam calorem cum humiditate syluestris Malua obtinet: succus eius lentus ac glutinosus est. Satiuæ autem hæc præferenda est, vt apud Athenæum Diphilus Siphinus rectè sentit, qui aperte agrestem Maluam meliorem esse hortensi refert: tametsi Dioscorides hortensem præferat, in quo nec ei nec Galeno accedendũ: Nam syluestris haud dubiò esui aptior, ac suauior est. Inter olera autem hæc non postremo est loco: Commendatur ab Hesiodo:

Νήπιοι οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς,
οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ. id est,
Stulti, neque sciunt, quanto plus dimidium sit toto,
Neque quàm magnum in Malua & Asphodelo bonum.

In hanc sententiam & Horatius Epodon Ode secunda scribit:

——— & graui Maluæ salubres corpori.

Nutrit autem Malua, vt Galenus ait, mediocriter: succum verò ingenerat crassiorem: aluum reddit lubricam, ac duram emollit. facilè autem descendit, non solùm quòd humida, sed & quia glutinosa.

Folia Maluę aduersus omnes aculeatos ictus scorpionum, vesparum, apum, & similium efficacia sunt si imponantur: his verò triticum oleo prius peruncti, etiam (vt Dioscorides ait) non feriuntur. Achoras, furfures, omnesq́; in cute asperitates cum vetere oleo (Dioscoridis exemplaria quædam perperam *μετ' οὔρου* habent) imposita sanant Erysipelatis & ambustis vtiliter quoque adhibentur. Intestinorum rosiones ac dolores, foliorum, tum & seminis, & radicum decoctum per clysterem infusum sedat: vteri verò durities insessu mollit; quod & ipsa Malua in cibo assumpta efficit. Datur & succus parturientibus, vt partum faciliorẽ reddat, aut ex vino decoctum. In summa, vesicam, renes, intestina, thoracem, & pulmonẽ iuuat. *Diosc. locus emendatus.*

De Althæa. CAP. XXIX.

MALVÆ & quædam agrestis species Althæa est: sed albida mollis & lanuginosa: folia 1.
similiter lata sunt, nonnihil acuminata, ambitu modice serrata: caules rotundi erecti, binûm frequenter cubitorum, vel altiores: flores vt syluestris prioris Maluæ, non tamen rubentes; verùm candidi, aut ex albido dilutè admodum purpurascentes: seminum orbiculus qualis & illius. radix crassa, lenta, intus albida, & viscido lentoque succo prædita.

Pinguibus ac humentibus gaudet: iuxta scrobes & lentè decurrentes riuulos ad pratorum margines nascitur.

Flores Iulio & Augusto mensibus vigent: radix viuax singulis annis primo Vere regerminat, quæ & vel tunc, vel Nouembri mense colligi potest.

Ἀλθαία & *ἐβίσκος*, aut *ἰβίσκος* Græcis appellatur: a nonnullis *Ἀρισταλθαία*: Latini Althææ & Ibisci nomina seruant. Officinæ Bismaluam ac Maluauiscum, quasi Maluam Ibiscum dicunt. Germanis Ibisch: Belgis witte Maluwe/witten Huemst: Italis ac Hispanis *Maluauisco*: Gallis *Guimaulue*: Anglis Marshe mallowe.

Althææ verò & peregrina quædam species, apud Belgas tantummodo hortensis, occurrit, 2.
ex albido hæc virescens, minusquàm prior incanescit. caules eius crassi, rotundi: folia mollia, inferiore parte albidiora: quinque foliorum flos, maior quàm Althææ, dilutè in rubro purpureus, aut ex albido purpurascens, stamine, vt reliquis Maluis, medio: fructus haudquaquam planus, sed tuberosus, rotunda ferè ac globosa, quinquangulari tamen specie: radix qualis Althææ.

Nonnulli hanc Sidam esse voluerunt, sed Sida aquarilis est stirps, capite quàm Papaueris maiore, vt Theophrastus restatur, qualis non hæc Althæa. Quæ autem de Sida Theophrastus lib. IIII. scripta reliquit, in hunc modum se habent:

Sida forma Papaueri similis est, nam & Cytinodes caput superius gerit, verùm maius, ma- *Sida.*

 gnitu-

Althæa, Ibiscus.



Althæa hortensis siue peregrina.



gnitudine tantæ amplitudinis quantæ pomum, non nudum, sed candidis iuxta ipsum membranis, super quæ folia foris herbacea, numero quaterna, similia Rosarum alabastris adhuc in calyce contentis. apertum caput grana rubra ostendit, figura non vt mali punici, sed orbiculata, exigua, nec multò Milio maiora: succum aliquatenus aquosum veluti Tritici reddit: maturescit æstate, pediculo paruo annectitur: flos Rosę calyci similis, sed maior & duplex ferè magnitudine. Hunc itaque & folium supra aquas emicare affirmant: & mox, vbi defloruerit flos, fructum formatum magis in aquam declinare, demumque terram attingere.

Nasci autem hanc in lacu Orchomenio Athenæus testem citans Theophrastum refert, & oues frondibus vesci: germina verò sues comedere. Theophrastus in hoc lacu tria fructificare proditum ait, Sidam, Boutomon, & Phleon.

Moderatè autem calida Althæa est, sed siccior quàm cæteræ Maluæ: sicciores verò huius radices & semen, ac partium tenuiorum, vt quidem Galenus.

Folia digerendi, laxandi, & dolores mitigandi, & concoquendi vim obtinent. Fomentis, tum & cataplasmatis ad lateris, calculi, ventris, vesicæque dolores ac cruciatus vtiliter admiscentur: in balneo etiam dolores omnes leniunt. Decoctum eorum idem præstat si bibatur, quod & non modò dolores ex calculo sepit, verum & ad ipsius faciliorem descensum ac exitum confert.

Radices & semina ad eadem proficiunt. Iuuat verò & dysentericos radicum decoctum, non quidem adstringendo, sed torsiones rosionesque mitigando: Non enim adstrictionem vllam habent; tametsi Galenus aliter sentiat. Additis verò & adstringentibus, vt Bistortæ, Tormentillæ, aut similium radicibus, dysenteriam curant.


Muccago radicum omnibus oleis, vnguentis, emplastris laxantibus & dolorem sedantibus vtilissimè admiscetur.

De Abutilo. CAP. XXX.

ABVTILON caule assurgit rotundo, duriusculo, ramoso, duos aut tres cubitos alto, quem cum suis alis folia conuestiunt lata, subrotunda, sed acuminata, albida, mollia, tenuissimè hirsuta, Cucurbitinis similia, è longiusculis pediculis dependentia. Flores è foliorum ac ramulorum sinubus exigui lutei: fructus rotundi, nigri, crispi, ex multis paruis siliquis cohærentes, in quibus & semen nigricans. in ramulos tenues radix diuaricatur.

Peregri-

Abutilon.



Alcea vulgaris.



Peregrinum Belgio est, nec alibi quàm in hortis conspicuum olim fuit.

Solet sub finem æstatis florere, quod erat Martio aut Aprili satum.

Abutilon nominant, nec repugnat ei quod Auicenna cap. XXIX. simile Cucurbitæ (scilicet folio) esse scribit, & Abutilon ac Arblutilon dici. Videtur vero & nonnullis Althæa hæc esse illa, cui Theophrastus lib. IX. De historia stirpium, florem tribuit μήλινον, hoc est, Melini siue lutei coloris. Nam vulgò notæ Althææ, non luteus, sed albidus est flos. Sed potest Theophrasti exemplar, quod multis locis vitiosum, & hiatus multos habet, & hoc loco mendo non carere: quamobrem nõ facile fuerit hanc Theophrasti Althæam affirmare, præsertim cùm tantum lentoris etiam Althææ radici Theophrastus tribuere videatur, vt aquam condensare queat, si trita huic inuciatur, quod vulgaris Althææ radix omnino potest, Abutili verò minimè. *Theophrasti locus suspectus.*

Abutilon autem Auicenna ait vtile haberi vulneribus recentibus, & conglutinare ac consolidare ea statim.

De Alcea. CAP. XXXI.

SYLVESTRIS quoque Maluæ species Alcea est. caules huius rotundi, erecti, cortice conuestiuntur lento, & qui in stamina etiam diduci queat, veluti Cannabis: folia circa hos virẽtia, profundis incisuris in quinque particulas dissecta. flos qualis syluestris Maluæ orbiculus placentæ instar & consimilis. radix prolixa, mediocris crassitudinis, intus albicat. 1.

Huius verò & alia quædam species minor, sola magnitudine differẽs: cætera respõdent. 2.

Inculta amant loca, agrorum margines, scrobesque aquas non habentes.

Vnà cum syluestribus reliquis Maluis florent, ac semen proferunt.

Alceam Græci eadem quoque voce Ἀλκέαν nominant: à nõnullis nostræ ætatis Herba Hungarica, & Herba Simeonis dicitur: Germanis Sigmaertskraut: Italis *Malua saluatica*: Hispanis *Malua montesina*: Belgis Sigmaerts crupt: Gallis *Gutmaulue sauluage*.

Dicitur verò & eadem καννάβις ἀγρία, siue Cannabis syluestris, quod videlicet ex cortice eius, Cannabino persimili, funes intorqueri queant. Describitur tamen & quædã Cannabis syluestris à Dioscoride. Sed qui volet diligenter expendere & Alceæ & Cannabis syluestris descriptiones, mox vtramque vnius esse stirpis facilè agnoscet: *Cannabis syluestris.*

Cannabis syluestris, inquit, virgas habet Althææ similes, minores & nigriores: folia nigriora & asperiora: florem Lychnidis: semina & radices Althææ. Quæ descriptio ipsi

Alceæ

Alceæ vel maximè respondet: caule foliisq; non albicat, sed viret, atque idcirco vtraque nigriora quàm Althææ: flos qui est agrestis Maluæ primæ, & Lychnidis satiuæ, & syluestri Rosæ comparari potest: reliqua Althææ similia perhibentur. Quid ergo restat, nisi vt Cannabis syluestris & Alcea eadem sit stirps, à Dioscoride bis sub diuersis nominibus descripta? præsertim cum & ipsa Alcea cortice conuestiatur Cannabino simili, vt prius scripsimus, & Dioscorides etiam referat.


Alcea autem, veluti glutinosum lentorem quendam obtinet, ita quoq; ad Maluarum facultatem accedit, media, vt apparet, inter syluestres Maluas & Althæam. Radices dysentericis & ruptis cum vino aut aqua potæ medentur. Dioscoride & Paulo Ægineta auctoribus.

De Alcea vesicaria. CAP. XXXII.

Alcea vesicaria.



Sabdarifa.



1. DIFFERT hæc à præcedente Alcea: cauliculis autem exit rotundis, ramosis, haud firmis, sed facile collabentibus: foliis verò altis incisuris dissectis, per margines crenatis, læuore, splendore, ac colore, tum & quadamtenus forma ad satiui Acanthi accedentibus, sed tamen minoribus multò: flores pulchri, Maluaceis similes, subalbidi, sed medio ac vmbilicum versus eleganti colore nigricant, è quo aurì lutei coloris stamen eminet: aperiuntur hi tribus aut quatuor horis post Solis exortum: hora vna aut sesquihora vigent. relinquitur post florem folliculus patens, in quo capitulum rotundo longius, hirsutum, semine intus paruo ac nigricante. radix mediocris longitudinis fibras emittit.

In Atrebatum ac Morinorum finibus iuxta agrorum margines reperiri ac sponte progigni fertur: Italiæ ac aliis prouinciis haud incognita.

Eodem & nascitur & perit anno.

Alcea vesicaria haud perperam dici potest: plerique Venetam cognominant: alij Maluam Theophrasti nuncupant: Sed Theophrasti Malua à vulgari haudquaquam diuersa est. Matthiolus pro Hypecoo depingere videtur, cum quo nihil habet vel similitudinis vel affinitatis. Hypecoon foliis est, (vt ostendimus) Rutæ: huius verò longè ab iis dissident.

2. Ad hanc verò non abs re pertinere existimatur, Sabdarifa appellata herba, Maluacei quo-
Sabdarifa. que generis. cauliculi huius teretes, in nonnullasq; alas diuisi, erecti per se consistunt. folia in

aliquot

aliquot partes diffecta: flores ſpicato ordine digeſti, Alceæ Veſicariæ æmuli, medio videlicet eleganter nigricantes.

Aliunde autem in hortos Belgicos olim illata fuit. Sed vt ad Aleeam veſicariam reuertamur: folium huius læue, lento ſucco præditum, ad Maluæ temperiem hanc accedere, & emollientis quoq; facultatis eſſe participem, oſtendere videtur. Sed tamen cum nihil compertum habeatur, quid affirmandum?

De Mercuriali. CAP. XXXIII.

Mercurialis mas.



Mercurialis femina.



MERCVRIALIS duûm eſt generum: Mas & femina. Vtrique caules teretes, læues, internodiis aliquot geniculati, dodrante altiores, ſubinde cubitales, in ramulos diſtributi: folia circa hos complura, lata, oblonga, acuminata, ad Parietariæ accedentia, ſed tamen læuiora, virentiora, ac per margines ſerræ modo inciſa, Ocymi foliis ſatis ſimilia. radices ſubſunt fibroſæ. 1.

Maſculæ è ſinu foliorum in breuibus ac tenuibus pediculis bina cohærentia prodeunt ſemina, ad Aparines & forma & aſperitate accedentia, compreſſiora tamen; in quorum ſingulis vnicum ſemen paruum ac rotundum.

Feminæ veluti exiguæ ſpicę, in quibus racematim muſcoſi tenues cohęrent floſculi, abſq; fructu, nulloq; ſuccedente ſemine pereuntes. 2.

Reperitur Mercurialis in hortis olitoriis, in vineis, aliisque locis humentioribus ac vmbroſis, ſecus hortorum aruorumq; ſepimenta.

Tota æſtate vtraque viget, hyeme plurima parte intercidit.

Græcis λινόζωστις: item & παρθένιον, καὶ ἑρμοῦ βοτάνιον: vnde Latinis Mercurialis: à Theophraſto φύλλον. Eſt tamen & aliud Parthenium, & apud Dioſcoridem quoque aliud Phyllon: Germanis Bam bengelkraut/ Kuwurtz/ Mercurius kraut: Italis *Mercorella:* Hiſpanis ac Gallis *Mercuriale:* Belgis ſimiliter Mercuriaell/ & Tam bingelcruyt: Anglis French Mercury. *Phyllon Theophraſti.*

Mas Theophraſto Græcè ἀῤῥενογόνος, femina verò θηλυγόνος appellatur.

Plinius λινόζωστιν Mercurij inuentum eſſe refert: ideò, inquit, apud Græcos ἑρμοῦ πόαν multi vocant, & apud nos omnes Mercurialem.

At Mer-

Cynocrambe, Mercurialis syluestris.



Impatiens herba.



At Mercurialis calida quidem & sicca temperatura, neutra tamen primum gradum excedit: abstergentem verò præterea obtinet, & (vt Galenus) digerentem etiam facultatem.

Vsus eius in enematis hac ætate frequens, in quibus ad excrementorum aliorumque in intestinis hærentium facilem expurgationem abstersionemq; non exiguũ potest. Facit etiam ad alui deiectionẽ in olere aut aliàs assumpta; non modò excrementa, sed subinde pituitosa ac biliosa expurgans. Dioscorides etiam aquosos humores huius decocto duci posse refert.

Mirum, vt etiam Plinius, quod de vtraque proditur, vt mares gignantur masculam facere, vt feminæ feminam.

De Mercuriali syluestri, siue Cynocrambe.
CAP. XXXIIII.

SYLVESTRIS Mercurialis alteram satis refert, sed humilior tamen: cauliculi eius tenelli dodrantales sunt: folia quam alterius maiora: semina veluti masculæ Mercurialis. radix fibrosa, candida, latè sub terra progrediens serpit. Tota herba virosi odoris ingratum redolet.

In syluis, ac aliis perinde vmbrosis gignitur.

Viret, vigetq; eodem, quo altera Mercurialis, anni tempore.

Græcis κυνία & κυνοκράμβη: Latinis Canina, & Brassica Canina, & passim Mercurialis syluestris.

Est tamen & alia κυνοκράμβη, quæ & ἀπόκυνον: de quo lib. III. Pempt tertiæ. Germanis Waldt bengelkraut/ hundßkoll: Italis *Mercorella bastarda*: Belgis Wilde Mercuriael: Gallis *Mercuriale sauuage*.

Facultate autem hæc Cynocrambe, siue syluestris Mercurialis alteri respondet si folia quidem cum cauliculis aluum moueant, & inter olera recipi queant, & decoctæ herbæ ius pituitam, bilem, & aquosa detrahat, vti Dioscorides scribit.

De Impatiente herba. CAP. XXXV.

AD Mercurialis formam ac effigiem accedit quoque Impatiens. cauliculis hæc assurgit teretibus, glabris ac geniculatis, cubito altioribus, in alas ac ramulos diuisis. Folia latè acuminata veluti Mercurialis, sed tamen tenenora, ac dilutius virentia. flosculi è fastigiis pediculorum dependent lutei, anterius latiores, in corniculum tenue posterius desinentes: succedunt siliquæ teretes, paruæ, Chelidonij maioris persimiles, quæ vel leuissimo contactu, exiliente maturo semine, in spiras contrahuntur. radix tenuibus fibris cohæret.

In Germaniæ, Bohemiæ, Galliæque syluis, tum & alibi reperitur: adolescit citò, ac nimis facile in hortis: locis gaudet humidis ac vmbrosis, haud apricis.

Floret

Floret æstate: annua est herba. hyemem non sustinet; semel tamen sata singulis facilè annis renascitur, nisi prius, quam semen maturuerit, fuerit euulsa.

Germani Spingkraut: Belgæ Cruydeken en roert my niet vulgò Noli me tágere, quòd videlicet vel leuissimum manus contactum siliquæ haud admittant. Qua de causa Impatiens dici potest, vtpote quæ non patiatur siliquas maturato semine attingi. Plinius lib. XXIIII. cap. XVII. Æschinomenen herbam nominat sic appellatam, quoniam appropinquante manu folia contrahat. Quod si mutare lectionem Plinij integrum foret, & pro dictione Folia, Siliquas recipere, Impatiens hæc Æschinomene esset, nam appropinquantibus digitis, siliquas mox, vt diximus, contrahit. Æschinomene.

Cæterùm facultate hæc herba fertur perniciosa, ac inter deleterias habenda.

De Phyllo Dioscoridis. CAP. XXXVI.

Phyllon Thelygonon.



DVORVM generum Phyllon est: mas, & femina, veluti Mercurialis.

Assurgit vtrumq; Phyllon tribus, quatuor aut pluribus rotundis cauliculis, dodrantalibus: è cuius singulis veluti geniculis bina opposita exeũt folia oblõga, Oliuæ foliis latiora, multò quàm Mercurialis angustiora. radix descendit vnica, nõ absq; adnatis fibris. Mari semina gemina, veluti Mercuriali masculæ: feminæ verò spicæ muticæ ac steriles, veluti feminæ. Herbæ verò ipsius & cauliculi & folia, perquàm tenui ac exigua molliq; lanugine subalbida.

Nec passim, nec vbique obuium Phyllon: in Narbonensi Gallia ac in Hispaniis repertum accepimus: in saxosis Dioscorides nasci tradit.

Æstiuis mẽsibus & viget & floret Phyllõ.

Dioscorides φύλλον appellat, & ἐλαιόφυλλον, ad differẽtiam fortasse Mercurialis, quæ & φύλλον à Theophrasto vocatur: Describit enim Theophrastus φύλλον folio Ocimi: quod haudquaquam de isto Phyllo, sed de Mercuriali veritatem habet. Masculum autem Phyllõ Dioscorides ἀῤῥενογόνον, feminam verò θηλυγόνον nominat, iisdem videlicet vocibus, quibus φύλλου sui genera Theophrastus distinguit.

Facultatẽ autem Dioscorides huic Phyllo omnino eam tribuit, quam alteri Phyllo siue Mercuriali etiam Theophrastus: Arrhegonon videlicet masculi sexus partum efficere; feminam verò feminei adferre, Cuius Crateuam esse auctorem refert.

De Portulaca. CAP. XXXVII.

PORTVLACÆ duæ sunt: Maior ac satiua vna: altera minor syluestris.

Maioris caules non rarò dodrantales, teretes, crassi, subrubentes, succosi, læues, resplendentes, in alas quasdam distribuuntur. folia vncialis longitudinis, latiuscula, crassa, pinguia, glabra, virẽtia, à tergo albidiora: flosculi minuti, pallidè lutei ad annexum foliolorũ gignuntur, succedente conceptaculo exiguo herbacei ac virentis coloris, instar ferè dimidij grani hordeacei, in quo semen pusillum nigrum. radix fibras habet. 1.

Altera minor cauliculis similibus rubentibus, sed minoribus per humum sternitur: folia priori forma, colore, læuore, crassitudineq; respondent, sed minora multò.

In hortis ac eorum areis subactis ac stercoratis commodè prior seritur: solum desiderat lætum, pingue, non aridum. 2.

Altera in semitis hortorum ac vinearum, ac quandoque in petrosis spontè gignitur. rigua & hæc amat loca. semel sata, si ad seminis maturitatem relinquatur, facilè annis aliquot pòst sequentibus renascitur.

Portulaca satiua.



Portulaca syluestris.



Seri potest Martio aut Aprili, Iunio verò ac deinde in Autumnum vsque viget ac viret.

Græcè Ἀνδράχνην nominant: Latini Portulacam. Est tamẽ & ἀνδράχνη quædam arbor syluestris, quæ vnius literæ diuersitate Latinis Potulaca dicitur. Germani Burtzelkraut: Galli *du Poupier*, aut *Pourcellaine* vocant. Belgæ Porcelleyne: Itali *Procacchia*, *Porcellana*. Hispani *Verdolagas*, *Baldroegues*. Angli Porcelain.

3. Præter has verò duas eiusdem generis, & aliam quandam Portulacam, & quidem syluestrem, à Græcis quoque ἀνδράχνην ἀγρίαν nuncupatam, veteres referunt, quæ alio nomine Illecebra à Latinis appellata est. Confunditur autem hæc quandoque cum minore, siue syluestri Portulaca modò descripta. Neque ab hoc errore pleraque Dioscoridis exemplaria libera sunt. Nam quod in Portulacæ syluestris descriptione, Cauliculos manducatos bonũ succum parere, viscosos & aliquantulum salsos esse affirmatur, ad minorem syluestrem referendũ est: Quod verò sequitur: vis ei excalfactoria, acris exulcerans &c. non huius, sed Illecebræ facultas est, de qua nos cap. x. lib. v. Pemptadis primæ.

Dioscorides notatur.

4. Iam & Peplis, ab Hippocrate Peplion, à nonnullis quoque Portulaca syluestris appellatur, Dioscoride teste. Quod nomen idcirco ad Portulacam etiam Plinius lib. xx. cap. xx. sed minus rectè transtulit.

Plinij error.

5. Recentior ætas & quandam superioribus marinam dictam Portulacam annumerat: quæ cùm fruticosa sit, libro secundo Pemptadis sextæ requirenda.

At Portulaca frigida est, ac tertio quidem ordine, humida verò secundo. syluestris verò minus humida. Salsilaginem quandam coniunctam habet, quæ in syluestri copiosior apparet.

Cruda non rarò in acetariis etiam sola editur cum oleo, sale & aceto. Æstuantem autem ventriculum sedat, appetentiam excitat: alimentum autem ab hac corpori exiguum, vitiosum, frigidum, crassum, humidumq́; accedit. Commanducata dentium stupores tollit: idem potest & succus in ore detentus, & aqua per organa extracta. Quæ & aduersus vermes pueris commendatur, & valdè vtilis est, præsertim si febris adsit: Nam & nimium calorem contemperat, & vermes interimit: Quod quidem salsilagine permixta efficit, quæ & vermibus & putredinibus aduersatur.

LIBRI PRIMI PEMPTADIS QVINTÆ FINIS.

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTADIS QVINTÆ

LIBER SECVNDVS,

DE CVCVMERARIIS ET ALIQVOT ALIIS HERBACEIS FRVCTIBVS.

PRÆFATIO.


MVLTI sunt edules fructus arborum & fruticum, herbarum verò & nonnulli; & præter frumenta quidem & legumina. Hæc siquidem & fructus sunt, frequentiùs tamen σπέρματα, id est, semina, quàm καρποὶ, siue fructus nominantur.

Qui autem καρποὶ siue fructus dicuntur, herbarum haud multi sunt; & exceptis paucis, non alij quàm ad Cucumerum naturam accedentes, atque idcirco Cucumerarios etiam appellatos, quos cum paucis aliis, hoc libro prosequi præsentis est instituti.

DE VVLGO DICTIS CVCVMERIBVS.

CAPVT I.


Cucumis vulgaris.


Cucumis oblongus.

LONGIS, farmentosis, ramosis, & asperis caulibus Cucumeres isti per terram hùc illùc repetant: circa quos folia angulosa, ampla, aspera, ambitu serrata, & subinde claviculæ quædam. è sinu foliorum flosculi erumpunt dilutè lutei: deinde fructus crassi, semipedem longi, quandoque sed rarò dodrantales, angulosi, tuberculis quibusdam exasperati, per maturitatem lutei, in quibus transparens solidior medulla, quæ vnà cum seminibus editur, paulò antequam ad integram maturitatem peruenerint. Semina autem oblonga & plana subcandicant.

Seritur in hortis Cucumis: pinguia & aprica amat loca.

Iulio & Augusto mense fructus edules, sed Septembri demum ad perfectam maturitatem perueniunt.

Passim Cucumis, & in Officinis Cucumer appellatur, & pro eo habetur qui Græcis σίκυς ἥμερος, id est, Cucumis satiuus dicitur.

Melopepon Galeni Galeno autem non Cucumis aut σίκυς, sed μηλοπέπων est. Nullius enim fructus Cucumerarij medulla siue caro interior editur, sed omnis abiicitur, excepta huius carne, quæ cum seminibus, vt diximus, estur. Quod de Melopeponibus fieri Galenus scribit lib. 2. De alimentorum facultatibus. Homines, inquit, à carne intima Peponum abstinent: Melopeponum autem mandunt.

Germani **Cucumern**: Itali Insubres, *Concomero*: Hispani *Cogombro*: Galli *Concombre*: Belgæ **Concommerem** vocant: Bohemi **Wokurka**. In Hetruria, inquit Matthiolus, Citrulum appellant, à Citrij luteo colore, qui in maturo fructu euidens est. Sunt verò & qui Anguriam dici velint, sed omninò alius fructus Anguria.

Cucumis longus. Sunt verò huius generis & oblongi quidam Cucumeres, quos ars & cultura primùm (vt fertur) produxit, natura deinde conseruauit. Primò enim fructus rudimento in fistulam aut tubum imposito, oblongus nascitur Cucumis, cauitate siquidem angustiore impleta, in longitudinem incrementum capit: Et huiusce modi Cucumerum semen satum, non quales antea erant, sed quales culturæ mangonium genuit, profert, qui cum suopte ductu, longi quidem, sed crebrò recuruí reperiuntur: quos & Anguinos inde vocant.


Omnium autem Cucumerum frigida ac humida ordine secundo temperies est: horum autem minus quàm reliquorum humida. atque idcircò quando eduntur, minus citò in ventriculo corrumpuntur: succi verò etiam minus praui sunt. Alimentum verò corpori conferunt frigidum quidem nec non humidum, ac omninò exiguum, & succi haud probi.

Eligi debẽt virides, nondũ maturi, maturi siquidẽ & iã Citrini facti, esui haud sunt idonei.

Semen frigidum quidem, sed multò minus quàm fructus. aperiendi vim atque extergendi prætereà obtinet: vrinas mouet: iocinoris obstructiones aperit: pectori ac pulmoni inflammatione laborantibus prodest: contusum forisque abstersorij loco adhibitum, cutim splendidam reddit.

De Melone siue Melopepone. CAP. II.

Melo siue Melopepo vulgò, Cucumis Galeni.



Cucumis syluestris.



QVEM

QVEM recentior ætas Melonem nuncupat caulibus humi procumbentibus, longis, sarmentosis, atque asperis, vulgari Cucumeri similis. Folia satis respondent, minora tamen, rotundiora, minusq; angulosa: flosculi similiter lutei: fructus crassiores, initio nonnihil pilosi, qui modò oblongam, aliàs contractiorem rotundam figuram obtinent: subinde verò & maiores, quandoque minores reperiuntur. cortex horum vt plurimum exterius viret, subdita pulpa siue caro, quæ editur, e luteo languescit, medulla lutea, muscilaginosa, humida, defluens, in qua semen veluti superioris Cucumeris.

Seritur locis cultis. tumulos amat Soli vel maximè expositos; terram verò mediocrem, non nimis pinguem aut stercoratam.

In Germania ac Belgio non nisi serò, & cùm æstas calens ac sicca fuerit, ad maturitatem perueniunt.

Vulgò Melones appellant: Itali *Mellone*: Hispani *Melon*: Galli *Melons*. Germani ac Bohemi Melaun: Belgæ Meloenen. μῆλον autem Græcis pomum significat. Proinde rectius μηλοπέπων hic Cucumis appellandus, Pepon videlicet Mali odorem referens. Nam huius fructus odoriferis malis odore sæpenumerò vicini sunt, subinde verò & obscurè moschum redolent; qui idcircò & Moschatellini cognominantur. Galenus non istum, sed superiore capite descriptum Melopeponem facit; hunc verò pro Cucumi habuisse videtur, qui Græcis σίκυος ἥμερος, Latinis Satiuus Cucumis dicitur. *Cucumis Galeni.*

Huius autem vel etiam superioris syluestre genus est, quem σίκυον ἄγριον, & syluestrem Cucumerem vocant, de quo Pempt. tertiæ lib. 2. cap. 26. *Cucumis syluestris.*

Frigida porrò quoque ac humida Melonum caro est: difficilius quàm reliquorum Cucumerariorum concoquitur: in ventriculo autem si diutius hæreat, corrumpitur, & malignis febribus occasionem præbet. Quod & Aëtius testatur Tetrab. primi lib. 1. febres malignas inducere esum Cucumerum scribens, est siquidem & huic Cucumis, qui vulgò Melon. Semen verò huius idem quod alterius ac superioris Cucumeris potest.

De Anguria. CAP. III.

Anguria, Cucumis Citrulus.




Cucumeris Citruli alia icon.



ANGVRIA sarmentosis, viticulosis, asperis, ac humi repentibus caulibus, tum & clauiculis superiores Cucumeres refert; folia autem maiora sunt, & profundis vtrimque in-


Colocynthis.



Cucumis Citrulus.

Colocynthis.

Pepo maior oblongus.



1.

2.

cisuris dissecta: flos aurei coloris. fructus globosi, striati, colore superius virentes, inferius, qua humi iacent, inalbicantes, quorum exterior cutis læuis, interior caro mediocriter dura, Peponum quam Melonum similior: medulla fungosa, in qua semen oblongum, planum, maius quàm Cucumerum, aut Melonum, minus quàm Peponum, exterior cuius cortex nigricans aut subrubens ac durus est. Non facilè autem istius Cucumerarij fructus cōputrescūt (veluti vulgaris Cucumeris aut Melonis dicti, qui decerpti facilè corrūpuntur) sed diutine asseruari queūt, præsertim Tritici aceruis, vt Matthiolus ait, impositi.

In calidis regionibus, vt, Apulia, Calabria, Sicilia, ac similibus facilè prouenit: In Germania ratò seritur, tardiùs verò etiam maturescit.

Anguriam recentior ætas appellat: Officinis Citrulus & Cucumis Citrulus dicitur: inter semina siquidem frigida, Officinis nuncupata maiora, huius semen admittitur nomine seminis Citruli. Si autem Cucumis Citrulus à Citri luteo colore nomen habet, vulgaris Cucumis propriè Cucumis Citrulus est.

Syluestre autem huius genus est Κολοκυνθὶς siue Colochyntis dicta, de qua cap. 27. lib. 2. Pempt. 3.

Cæterùm Anguriæ caro, quæ cortici subest, cruda, sed frequentius cocta comeditur: alimētum autem confert exiguum, idq; frigidum ac humidum, sanguinemque ingenerat aquosum, qui internarum partium inflammationes mitigat, & bilis acrimoniam ac feruorem contemperat. Cruda in ore commansa linguæ in febribus asperitatem lenit, & sitim sedat.

Semen facultate Cucumerum simile est.


De Pepone. CAP. IIII.

PEPONVM aliquot repetiuntur species vel magnitudine vel forma differentes.


Maior Pepon crassos, asperos, spinisq; nōnullis obsitos caules promit prælongos, qui claiculis siue capreolis suis vicina comprehendentes, perticas, scenas, ac sepimenta conscendunt, quæ nisi iuxta posita fuerint, humi repunt. folia ampla sunt, valdè aspera, aliquot profundis incisuris diuisa, marginibus serratis. flores admodum magni sunt, calathi forma, auri colore lutei, per orā quinque prominentibus angulis denticulati. fructus magni, crassi, rotundi, oblongi, crassioribus striis veluti angulosi, quorum pulpa cortici subiacens candida mediocriterq; dura est, interior medulla fungosa: semen magnum, latum, planum, subalbidum, multò quàm Cucumeris maius, forma alioqui haud differens. color corticis quandoque obscurè virens, aliàs albidus. virentis autem Peponis cortex durior est, ac veluti lignosus, albidi verò mollior ac tenerior.

Alterum Peponum genus caulibus ac foliis, vtrisque asperis, tum & claiculis priori simile est;

Pepo rotundus maior.



Pepo rotundus minor.



Pepo latus.



est, sed foliorum fissuræ minus profundæ, caulesq; teneriores. flores similiter lutei, patentes, & anterius angulosi veluti prioris. fructus autem globosi, rotundiores, modò maiores, frequenter minores, & quandoque virentes, durioris que corticis: subinde cute molliore ac albicante, caro quibus subest veluti prioris: semina quoque eiusdē formæ, sed aliquantò minora.

Huius generis & tertius est Pepon, asperis caulibus, foliisque fissis ac serratis priorem referens: flos magnus quoque ac luteus veluti aliorum· fructus mediæ magnitudinis, cuius cortex tuberculis nonnullis exasperatur veluti mali Citrij cutis, qui per maturitatem similiter luteus est, proinde & Citrium malum cùm colore, tum asperitate referens. 3.

Quarti generis Pepon forma ab aliis plurimum differt· caules quidem, folia, floresque aliorum similes sunt, fructus autem haud longus aut globosus, verum omnino latus, & quodammodo planus, scuto alicui propemodum similis, in medio quidem crassior, per circumferentiam verò tenuior, & quibusdam locis reflexus crisporum instar. cortex huius mol- 4.

Peponis latioris fructus.



lis,tentis,ac candidus est,caro interior satis dura ac durabilis: semen quàm Cucumeris maius, fórma & colore conueniens.

Omnes Pepones hortenses sunt· lætum solum,pinguemque mediocriter terram postulát.

In calidis regionibus citius maturescunt: apud Belgas omnes serotini sunt,& nisi æstas calida siccaque fuerit,vix ad perfectionem perueniunt.

Græcis πέπων: Latinis similiter Pepo. πέπονες autem omnes fructus perfecti ac maturi communi nomine dicuntur: vnde Medici quidam, inquit Galenus, fructum hunc σικυοπέπονα, id est, Peponem Cucumeralem nominari oportere contenderunt. Plin.lib.xix.cap.v. Cucumeres,inquit,cum magnitudine excessere, Pepones vocantur. Germanis Pluter: Bohemis Dÿne: Gallis *Ponpons*: Belgis Pepoenen vocantur. Maiores à nonnullis Turcici cognominantur· Secundi verò Marini: Tertij Hispanici: Quarti autem Latorum Peponum nomen obtinuerunt.

σικυοπέπον.

Est autem omnium Peponum natura frigida cum copiosa humiditate:habent autem vim quandam abstergendi,cuius beneficio vrinam ciunt, & deorsúm expeditius quam Cucurbitæ aut Melopepones permeant, vt Galenus scriptum reliquit.

Editur autem caro Peponum haudquaquam cruda, sed cocta. Descendit autem sic omninò faciliter,aluum facilem & quodammodo lubricam reddens Alimentum autem confert exiguum,tenue,humidum frigidumque,(vitiosum, inquit Galenus) idque potissimùm cùm probè concocta non fuerit. Quo casu choleræ morbo obnoxios efficere solet.

Durior caro Latorum est,qui & idcirco diutius quam reliqui incorrupti asseruari queunt: eduntur autem hi non modò elixi, sed & in pingui aliquo fricti. Descendunt verò & per aluum haud segniter,alimentum verò adferunt quale aliorum.

Semen magis quàm caro extergit,vrinas promouet,renibus ex calculo infestatis vtile est.

De Pepone syluestri.

CAP. V.

VELVTI Cucumeribus & Anguriæ syluestres suæ sunt species, ita quoque & Pepones quidam agrestes & tota natura syluestres. proferunt hi caules asperos spinis obsitos: folia aspera: flores luteos veluti satiui, sed minora singula· fructus crassos, oblongos, striatos, durioris corticis ac colore virentes, sed minores multò; quorum pulpa & interior medulla vnà cum semine, veluti satiuorum, sed admodum amara, semen quoque paulò minus.

Alicubi locis incultis spontè huiusce modi Pepones gigni dubio procul est: Verum in Germania ac Belgio non nisi sati proueniunt.

Tametsi Veteres horum non meminerint, res ipsa tamen ostendit πέπονες ἀγρίους, & Pepones syluestres hos dici oportere.

Syluestres autem Pepones vti tota sua natura valde amari, ita quoque temperamento calidi siccique, & secundo quidem ordine intenso: expurgandi quoque non minorem vim, quam

Pepo syluestris.



quàm syluestres Cucumeres, obtinent.

Vinum quod calyci, exempta cum semine medulla, infusum, tantisper in eo hæserit, donec amaritudinem plenè contraxerit, per aluum purgat, ac pituitosos biliososque educit humores. In summa huius succus idem quod Cucumeris agrestis præstat: resiccatus verò, Elaterij loco succedere potest.

De Cucurbita. Cap. VI.

CVCVRBITA oblongos, viticulosos, & angulosos caules in alas nonnullas distributos profert, qui adnatis capreolis vicina propeq; assistentia adminicula comprehendentes, sursum scandunt, & in altum tolluntur: folia admodum magna, lata, & nonnihil acuminata, Bardanæ ferè magnitudine similia, sed mollia, alboq; veluti tomento vnà cum caulibus ac foliorum pediculis candicantia, instar Altheæ. Flores foliorum è sinu albidi exeunt: fructus subsequuntur non vnius formæ: quandoque enim lagenarum formam quasi exprimens, in ventris modum turgescit, supereminente collo, quod, qua parte ventri adhæret, frequenter angustius: subinde verò & ventricosa ac crassa, sed absque collo, & inferiore sede latior, pyri turbinatam figuram quodammodo referens: aliàs verò in longitudinem producitur. Crescit, inquit Plinius lib. XIX. cap V. Cucurbita qua cogitur forma, plerumque & intorti draconis figura. Libertate pensili côcessa visa est nouem pedum longitudinis. Omnibus autem cortex per maturitatem durus, ligneus, ac flaui coloris: caro autem siue pulpa interior candida: semina oblonga, plana, compressa, anteriore parte acuminata, posteriore lata, duobus eminêtibus angulis quasi cornuta, cortex quorum durus & candidus, medulla similiter albida ac dulcis.

Cucurbitæ in hortis coluntur ac seruntur.

Cucurbita prior.




Sub Autumni tempus ad maturitatem demum perueniunt: in calidis tamen regionibus citius, maximè præcoces: Præcoces autem Cucurbitæ, tum & Cucumeres sic redduntur, vt Quintilij tradunt. In cophinos aut fictilia inutilia terra cribrata mittenda stercore admixto liquidior facta: & anticipato consueto tempore, Vere videlicet inchoante, semina implantanda, & cùm Sol fuerit & calor & moderata pluuia, cophinos sub dio expones, circaque Solis occasus in domum contectam inferendi: atque hoc assiduè faciendum, aqua irrorata quando vsus postulauerit: postquam verò perfectè cessabunt frigora & glacies, cophini siue dolia in locum subactum & excultum defodiendi, ita vt labra æqualia sint terræ, deinde reliqua cura adhibenda: sic ille.

Græcis Κολόκυνθα, & Κολόκυνθα ἐδώδιμος: item Κολόκυνθα ἥμερος dicitur: Latinis Cucurbita, Cucurbita edulis, Cucurbita satiua à nonnullis

Cucurbita latior.



Cucurbita longior.



nullis verò κολόκυντα per τ vltima syllaba : ab alijs σικυώνια : à Plinio Cucurbita Cameraria, quòd cameras, testudines, pergulas, topiarias hortorum scenas scandat ac operiat. Huic vero & altera, quæ nullis prope assistentibus fulta humi repit, Plebeia cognominatur. Italis autem Cucurbita *Zucca* dicitur: Hispanis *Calabazza*: Gallis *Courge*. Germanis Kürbs : Belgis Cauwoorden: Bohemis Tykew.

Cucurbitæ autem caro siue interior pulpa frigida ac humida temperamento est, vtraque qualitate secundi ordinis. Succus ad aurium cum phlegmone dolores, addito rosaceo, infusus prodest: tumores etiam omnes calidos pulpa imposita mitigat, capitis dolores puerorum & oculorum inflammationes hoc modo sedat. Si infanti dormienti paris longitudinis Cucurbita vel etiam Cucumis in lectulo adiungatur, & febricitauerit, mox à febri liber erit.

Editur verò & hæc pulpa cocta, sed quia succum habet aqueum ac tenuem, exiguum corpori præbet alimentum, atque frigidum ac humidum: facile autem subsidet præcipuè elixa, quæ & propter substantiæ suæ lubricitatem, tum & humiditatem, aluum emollit.

Assa autem vel frixa in sartagine, quàm plurimum de propria humiditate deponit, atque idcirco minus facile descendit, nec aluum adeò citò emollit.

Semen vrinæ acrimoniam contemperat, & eandem mediocriter prouocat.

De Cucurbita syluestri. CAP. VII.

SYLVESTRIS autem Cucurbita & quædam præter superiores est: hæc autem viticulosis caulibus, capreolis, ac folijs mollibus, ac veluti lanuginosis satiuam æmulatur, omnibus ac singulis multò minoribus. scandit verò & hæc scenas, vmbracula, ac testudines hortenses: fructus Cucurbitis ventricosis ac lagenulas referentibus forma quidem similis, sed magnitudine longè inferior, omnino videlicet paruulus, nec vulgari pyro maior, vtpotè qui & manu concludi ac compræhendi queat. cortex huius exterior initio viret, postea durus factus ligni quoque colorem assumit. interior medulla humida & admodum succulenta est, in qua semen latet. amara autem hæc est, veluti syluestrium Peponum.

In calidis regionibus spontè alicubi gignitur, sed in Germania ac Belgio non nisi sata reperitur, vbi & tardè ac rarò perficitur.

Græcis

Cucurbita syluestris.



Græcis *κολόκυνθα ἀγρία*: Latinis Cucurbita syluestris. Plinius lib. XX. cap. III. Cucurbitam syluestrem Græcis *σόμφον* dici affirmat, quæ inanis est, digitali crassitudine, non nisi in saxosis nascens, cuius commanducatæ succus stomacho admodum prodest: Sed huiuscemodi hæc Cucurbita syluestris non est, quæ crassitudine digitum excedit, nec inanis, sed succi plena, ac stomachum nimia amaritudine offendit. *σίμφον.*

Sunt verò & quibus legitima hæc Colocynthis videtur, sed à veritate aberrantibus: Nam *κολοκύνθις* Anguria syluestris est, cuius & tenuis cortex facile adimitur, & pulpa interior fungosa resiccatur, de qua Pempt. tertiæ lib. tertij cap. XXVII. Huius autem Cucurbitæ syluestris durum ac lignosum putamen, medulla verò adeò humida, vt resiccari se non, aut ægre admodum patiatur.

Cæterùm facultate hæc Cucurbita calida & sicca est, nec minus quàm Colocynthis, aut Pepones syluestres, vtriusque videlicet qualitatis ordine secundo: Est verò & insigniter amara, quamobrem & obstructos meatus expurgat ac aperit: purgandi quoque vim per inferiorem ventrem æquè ac syluestres Pepones obtinet.

Vinum etiam quod in excauatam hanc Cucurbitulam nocte tota permanserit, valenter quoque purgat, & biliosos ac pituitosos humores educit.

Charantia.



De Charantia. CAP. VIII.

CHARANTIA tenuibus aliquot ac gracilibus viticulosis cauliculis vicina quæque conscendit, & capreolis suis, ex alarum sinu prodeuntibus, apprehendit: folia non magna, lata, glabra, ac mollia, in quinque partes dissecta, quarum singulæ ambitu circumrosæ: flosculi ex quinque foliolis mediocris latitudinis ex albido in luteum elanguescunt: fructus oblongi, aliquantulum turbinati, oui ferè forma, sed minores, veluti spinulis aut aculeis innocentibus exasperati, qui per maturitatem foris intusque rubent, sponteque finduntur, in quibus semen latum, planum, fere veluti Anguriæ, subnigricans vbi maruerit.

Non nisi sata prouenit: Melius ac facilius in Italia calidisque regionibus proficit, quàm in Germania vtraque, vbi rarò & tardè fructus maturescit.

Baptista Sardus Momordicam appellat: alij Viticellam, Balsaminam, Charantiam: Italis est *Caranza*: Germanis Balsam opffell Gallis *Merueille*, Latinis Pomum mirabile: nonnullis Pomum Hierosolymitanum: Belgis Balsam appel. Balsaminæ nomen inde accepisse existimatur, quòd oleum in quo maturum pomum maceratum ad multa vtile, veluti Opobalsamum, habeatur: Est tamē & alia Balsamina, de qua mox.

Obtinent autem fructus huius, tum & folia eximiam

eximiam resiccandi vim cum moderata quadam frigiditate temperie: mediæ proxima.

Vulnera recentia conglutinare folia imposita feruntur cum vino verò assumpta coli intestinorumq; dolores sopire, & ruptis conuulsisque vtiliter exhiberi.

Oleum in quo fructus, exempto semine, vel insolatus, vel in calentis aquæ balneo decoctus, vel in fumo equino maceratus, vulnerum inflammationes arcet. eadem & facilè accitò vnit ac persanat. Doloribus ac vlceribus mammillarum auxiliatur: vteri exulcerationes ac inflammationes iniectum curare posse existimatur. punctis ac vulneratis neruis vtiliter adhibetur: aduersus combustionem ex aqua oleóve feruente, ferro ignito, vel igne multum confert cicatrices extenuat ramices quoque huius vnctione sanescunt, si foliorum puluis aliquot diebus interea exhibeatur. Steriles quoque hoc fœcundas reddi affirmatur, si post balnei conuenientis vsum partes circa pubem ac vterum isto vngantur, ac demum viro mulier misceatur.

De Balsamina. CAP. IX.

Balsamina.



BALSAMINA hæc à Charantia, quę & Balsamina, non parum differens est: caules promit non tenues aut viticulosos, sed rectos, crassos, ab imo ramosos, glabros, læues, succosos, veluti Portulacæ, inferius nonnihil sæpè rubentes, circa quos folia oblonga, acuminata, Salicis similia, per marginem tenuiter serrata, è quorum sinu duo aut tres subrubentibus insidentes pediculis flores erumpũt, anterius latiores ac patentes, posterius in tenue corniculum, veluti recuruam caudam, desinentes; colore eleganti dilutè rubentes. succedunt fructus rotundi, asperi, ac hirsuti, sed quàm superioris minores, per maturitatem lutei, qui & spontè diffinduntur, semina spargentes, Lentibus satis similia.

Et hæc stirps non nisi hortensis ac peregrina Belgio.

Autumni tempore quandoque fructus maturescunt: flos antea apparet.

Vulgò Balsaminam nuncupant; & quandoq; neutro genere Balsaminum. Gesnerus Balsaminam amygdaloidem: Cordus maluit Balsamellam appellare: alij Balsaminam feminam, quibus prior mas: vnde hæc Germanis Balsam apffell weiblein / & Brabantis Balsam appel wyfken.

De huius autem facultatibus nihil afferendum: Plerique priori facultate similem affirmare audent, sed temerè, cùm huius experimentum à quoquam factum non constet.

De Fragis. CAP. X.

1. INTER herbaceos fructus Fraga quoque locum obtinent. Horum herba nullis caulibus nititur, sed pediculos tenues & lanuginosos à radicibus promit, quorum nõnulli folia, alij flosculos proferunt: deinde & fibras quasdam proserpentes edit, quibus sespsam multiplicat: folia autem in vno pediculo terna, oblonga, lata, per circumferentias serræ modo incisa, superiùs virentia, inferiùs albidiora, quorum singula maiora, latioraque quàm Pentaphylli: flores quatuor aut quini ab vno pediculo exeunt albidi, quinquefolij: subsequuntur Fraga superficie exasperata, exiguis Moris quodammodo similia, colore rubentia, quandoque, sed rarò, candida, gustu vinoso suauia, quorum interior pulpa mollis, humida, & albida, in qua semen pusillum radix diuturna, subnigricans, multis fibris capillata.

2. Horum verò & alterum genus, quod superiori pediculis, fibris, folijs, flosculis simile est, sed Fraga gustu dulciora: firmius etiam suis pediculis adhærescunt, nec ita facilè decerpi se, vt superiora, patiuntur: radix huius quoque restibilis, & capillis fibrata.


In montibus, non rarò in conuallibus, in syluis ac alijs similiter aliquantulum vmbrosis Fraga gignuntur proficiunt & in hortis. Priora passim vbique vulgaria sunt, sed altera rariora, nec alibi quàm in hortis requirenda.

Viret

Fragaria & Fraga.



Fraga altera.



Viret toto anno herba: Vere latiùs fibris suis expatiatur, ac deinde flores facit: Iunio, vel etiam prius fructus maturi sunt.

Fraga ipsi fructus Latine Virgilio ac Ouidio dicuntur, nec aliud nomen vulgò cognitum: Germani Erdbeeren: Belgæ Eertbesien: Galli *Fraises* appellant. Herbam Fragariam vocant: Iacobus verò Manlius Fragulam: Germani Erdbeeren kraut: Brabanti Eertbesien cruyt.

Hallucinantur autem non parum, qui fructum hunc Rubi Ideæ morum existimant: nec minus qui Comarum faciunt.

Cæterùm herbæ folia ac radices refrigerant, & cum adstrictione resiccant: Fraga verò frigida sunt & humida.

Vulnerum inflammationem folia imposita arcent. Decoctum eorum gingiuas roborat, dentes firmat, & aduersus incipientes oris & tonsillarum inflammationes vtiliter gargarizatur. Fluxus muliebres eadem sistunt, & dysenterias curant.

Fraga sitim sedant, & ventriculi inflammationes, caloremq; reprimunt: alimentum conferunt exiguum, tenue & aquosum, & si in ventriculo ipsa corrumpi contingat, etiã prauum.

Stillatitius horum liquor faciem fertur expurgare, & deletis maculis nitidam ipsam reddere, aduersusque calculum renum vtiliter bibi.

LIBRI SECVNDI PEMPTADIS QVINTÆ

FINIS.

KK STIR-

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTADIS QVINTÆ

LIBER TERTIVS,

DE ESCVLENTIS RADICIBVS, AC EIVS GENERIS BVLBIS, AC NONNVLLIS ALIIS.

PRÆFATIO.

CVCVMERARIIS fructibus, paucisque herbarum aliis qui vescendo sunt, radices edules opportunè succedunt. Cùm autem illarum exiguus sit numerus, & bulbos, qui esui idonei habentur, in istorum societatem admittere operaprecium fuit. Plurimos quidem bulbos Pemptadis secundæ libro secundo descripsimus, sed quorum flores elegantes ac venusti hortis gratiam ac ornatum conferunt, oculósque magis quàm ventrem pascunt.

Restant præter illos nonnulli, sed tamen non omnes edules, quos tamen vnà cum his prosequemur, ne qui vnius generis censentur, ab inuicem diuellerentur. Satis sit floriferos ab istis separasse, qui alioqui, vnà cùm reliquis simul vno libro comprahendi potuissent.

De Rapo. CAPVT I.

Rapum vulgare.



Rapum oblongius.



RAPO oblonga, aspera, & virentia sunt folia, vtrimque profundis incisuris dissecta: caulis verò ramosus: flosculi lutei: siliquæ ac semina qualia Brassicæ. Rapum, quod pro radice est, tuberosum, rarò globi instar orbiculatum, frequentius in latitudinem effusum, rarissimè oblongius supra terram extans, inferius tenuem quandam radiculam demittit, cortice vestitur crasso, albicante, & carne interius albida, quæ cruda coctaq; editur.

Ferunt

Ferunt autem nonnulli & Rapum quoddam esse, interiore pulpa rubens: sed fortassis hoc illud est, quod inter Betas reposuimus, & à nonnullis pro Rapo rubente haberi scripsimus Pemptadis huius lib. primo cap. VI.

Est verò & syluestre quoddam Rapum, cuius varias species Pemptadis secundæ lib. primo ostendimus.

Terram Rapum mediocrem postulat & solutam, ac adeò solutam, Petro Crescentio auctore, vt fere in puluerem sit redacta. In agris & nonnullis vinetis quibusdam locis gignitur.

Seritur Vere, vel post demessam segetem, in eodem in quo Secale natum agro. Altero anno vnà cum Brassica flores & semina producit. Transferri autem primo Vere, vel etiam citius Rapa oportet, si ad sationem Raporum semen vtile speratur: Non translatorum ad reliqua quidem vtile semen, verùm ex eo non extuberans Rapum, sed exiguæ radicis excrescit.

Rapum autem Græcis Γογγύλη, aut Γογγυλὶς dicitur, & γογγύλη ἥμερος, quod vulgaris vsus, in Officinis & passim Rapa: a Lacedæmoniis verò γαστήρ: apud Boeotios verò ζεκελτὶς, vt Athenæus refert: Germanis Ruben: Belgis Rapen: Gallis *Naueau rond*: Hispanis *Nabo redondo*, vel *Napo redons* Italis *Rape* Anglis Turnepe.

Caterùm Rapi tuberosa radix, quæ propriè Rapum, & stirpi nomen dedit, cruda quandoque, sed frequentius cocta editur. Cruda inflat, & succum crassum frigidumque ingenerat: Cocta minus refrigerat, imò adeò exiguum, vt refrigerare non percipiatur, humida tamen nihilominus & flatulenta existit. Refert autem non parum quo modo Rapum decoquatur: In aqua aut iure aliquo decoctum humidius est, citoque descendit, & aluum facilem reddit. Super carbones verò assatum siccius est, & flatuum minus ingenerat, non omnis tamen expers. Quocunque autem tandem coquantur modo, amplius multò quàm cruda alunt, alimentum conferunt non vitiosum, temperato proximum, sed non copiosum: ad lactis tamen & seminis generationem faciunt. Est vero & facultas eorum nonnihil diuretica.

Decoctum Rapi ad tussim & vocis raucedinem confert, vesperi bibitum addito sacharo aut exiguo mellis despumati. Dioscorides hoc & podagras & perniones foueri refert. Idem & ipsum Rapum tritum vtiliter pernionibus imponi addit; tum & ceratum rosaceum, quod in excauato Rapo per cineres feruentes excoctum fuerit, exulceratis pernionibus prodesse.

Asparagi Rapi siue prima à transplantatione germina decocta, vrinas, si edantur, mouent.

Semen in antidota recipitur, & Theriacis admiscetur: in potu sumptū venenis aduersatur.

Belgæ oleum ex semine expressum ad reliquos à partu dolores subinde exhibent: tum & ipsis pueris aduersus vermes, quos perimit & expellit. Idem lotum cum aqua frigida calores, fetoresque, & asperitudines cutis illitum mitigat.

Vtuntur verò & hoc in cibatu, sed nō prius quàm probè coctum aliquādiu efferbuerit, vel pleraque in eo incocta fuerint. tale autem facilè, in ventriculo innatans, amarescit, & bilem commouet.

Napus.



De Napo. CAP. II.

NAPVS foliis, caulibus, flore, siliquis, semine que Rapum refert, sed radix quæ Rapo in orbiculatam latitudinē extuberat, Napo in longitudinem exporrigitur. Napi siquidem crassa & longa radix est, Napi & ipsa nomen retinens.

Solutam quoque terram haud aliter quàm Rapum postulat, in lætiori tamen etiam prouenit. nascitur in Gallia, Bauaria, aliisque frequenter regionibus.

Seritur, transfertur, semē perficit eodem quo Rapum tempore.

Huius autem, tum & Rapi, syluestris habetur species, quàm Galliæ [illegible] Nauetam, Ruellio teste, appellant. Quæ ex non transplantatorum siue Raporum siue Naporum semine nascitur & foliis, caule, reliquisque Rapum ac Napum æmulatur, sed radice non crassa, oblonga quidem, & haud magna est. Rapum etenim transferri, & in alium locum defigi debere, ex cuius semine nas- *Naueta.*

citurum expectatur Rapum, ante dictum: eodem modo & Napus translationem desiderat.

Seritur autē huiuscemodi stirps non paucis locis in agris seminis causa, veluti & syluestrior illa Brassica, Crambe veteribus nuncupata. Ex vberiore enim horum seminum prouētu magnum subinde lucrum, & haud mediocris quæstus agricolis accedit: Trusatilibus siquidem molis ex eo oleum excuditur, cuius non modò ad obsonia, aut ad lucernarū lumina vsus est, verùm etiam ad saponis compositionem requiritur: Nam ex hoc, & vnà fortissimo ex nōnullis cineribus lixiuio, sapo decoquitur, quo ad eluendas expurgandasq; lineas vestes vniuersum ferè Belgium vtitur. 4

Rapistrum.



Napus Græcis *Βουνίας* dicitur, quod tamē nomen Rapo magis cōuenit: Nam Bouniadis appellatio à tumente figura diducta apparet Germanis Steckrube: Brabantis Steckrapē/ Parysche rapen: Hispanis *Nabo commun*, & *Napo* Italis *Napo*. Gallis *Naueau*. Anglis Nape.

Galenus inter Γογγυλίδα & Βουνιάδα differentiā nullā facit, & reuera Napus à Rapo nisi sola radicis forma dissidet: vt & antè scriptum est.

Est & Napus à Rapo facultate & tēperatura nō differens, nisi quòd Napus paulò siccior, minusq; facilè concoquatur aut descēdat, pauciores q; flatus ingeneret. in reliquis cū Rapo conuenit.

De Rapistro. CAP. III.

RAPISTRO folia exeunt lata, oblōga, aspera, veluti Rapi ac Napi, sed lateribus indiuisa. cauliculi eius tenues, hirsuti, pedales vel altiores. secundum ramulos exiguos flosculos proferunt colore subluteos, ac postea tenues, oblongas, & paruas siliquas, in quibus semē veluti Rapi, sed feruens ac acre gustu veluti Sinapis, sed amarius. radix non magna.

Frequenter in agris, dum requiescunt, & aratro non proscinduntur, spontè nascitur; non minus tamen & secus vias, prope veteres muros, & aliis incultis & asperis.

A Martio mense in multam æstatem cū flore reperitur: interea verò & semen perficitur.

Lampsana.



Nostra ætas Rapistrū nominat: nonnulli verò & Sinapi syluestre: Germanis Hederich: Belgis Herick: Gallis *Velar, ou de la Tortelle*: Nō esse Erysimum, vt quibusdam visum, folium indiuisum, & haudquaquam Erucæ simile, ostendit.

Cæterùm Rapistri semen calidum & siccum nō minus quàm Sinapis. Vsurpatur à nonnullis huius loco, qui condimentū à Sinapi nomē habens, vel ex hoc componunt, vel ei admiscent; sed palato tale minus gratū, quod amaricans sit.

De Lampsana. CAP. IIII.

LAMPSANÆ folia Napi aut Rapi similiter satis similia sunt, sed minora, minusque aspera: cauliculi cubitales, tenues ac ramosi: flosculi in fastigiis virgularum lutei, minores, Hieracij æmuli, ex aliquot videlicet paruis foliolis cōgesti. radices tenues, ac cohærētes fibræ.

Iuxta agrorum & hortorum latera ac margines, secus vias; locis incultis, non omninò aridis haud rarò exit.


Tota æstate cum floribus viget.

Ampa-


Ναπόφανον hoc olus Græci nominant: Latini eadem voce vtuntur: Inter nothas tamen à Romanis Napium dici refertur. Napio autem illi nomen à Napi similitudine, quem folio refert.

Resiccantem autem ac extergentem, nonnulasque digerentem facultatem obtinet. Galenus hanc esam malos succos procreare scribit. Dioscorides verò plus alere ait quàm Rumicem, & stomacho vtiliorem. Coquuntur autem, eodem auctore, caules foliaque, & in cibum recipiuntur.

De Raphanide, siue Radicula. CAP. V.



Raphanis siue Radicula satiua.



Radicula satiua minor.

RADICVLARVM satiua vna, syluestris altera: tertia magnæ cognomen accepit. De singulis autem seorsim agendum.

Satiua Radicula folia emittit magna, virentia, aspera, vtroque latere profundis incisuris dissecta, Rapi foliis haud dissimilia, sed maiora: caules teretes sunt inque alas sparsi; è quibus flosculi quatuor foliolorũ dilutè purpurei, succedentibus siliquis crassis, acuminatis, interius fungosis, in quibus duo aut tria semina, maiora quàm Rapi aut Brassicæ. radix foris intusque frequentissimè albida, quandoque externus nigricans, crassa, & longa, si conueniens solum nacta fuerit, subinde verò crassior ac breuior.

Diu beneque subactam ac solutam terram Radicula requirit, & mediocriter pinguem: in arenosa etiam quandoque non infeliciter prouenit.

Post æstatis solstitium Iunio aut Iulio mense commodissimè ac optimè Radicula seritur. Vere tempestiuè sata, parum radice probatur aut proficit. Nimis enim citò in caulem assurgens, mox flores, seminaque profert: serius sata radice grandescit: hybernis mensibus infertur. Vere sequente flores seminaque demum facit.

Theophrasto, Dioscoridi, ac Galeno, aliisque Veterum Græcè ῥαφανὶς dicitur: & quæ seritur ῥαφανὶς ἥμερος: Posteriores ῥάφανον appellant: Antiquiores autem, & Attici, teste Galeno, Brassicam ῥάφανον vocarunt. Latinis autem ῥαφανὶς Radicula, & satiua Radicula est: Officinis verò Raphanus: Germanis Rettich: Belgis Radys: Gallis *Rasfort*: Italis *Radice*, *Rafano*: Hispanis *Rauano*: Anglis Raddyshe/Radon. Bohemis Rzedkew. Radiculæ semẽ Cælius à Marcello Empirico Bacanon dici affirmat: & similiter ab Aëtio Tetrabibli lib. 11. cap. 11. Corna- *Bacanon.*

rius tamen non Bacanon, sed Cacanon legit. Inuenitur verò nomen Bacani etiam apud Nicolaum Myrepsum compos. CCLV. lib. primi.

Radicula manifeste excalfacit & reficcat: attenuandi & aperiendi vim habet, acri in ea qualitate superante: In tertio autem ordine excalfacientium, & secundo reficcantium hanc Galenus statuit, & obsonium magis esse refert quàm alimentum.

Editur autem cruda. Nonnulli autem hanc cum pane alterius cibi loco sumunt: hoc modo esitata, paucissimum confert alimentum, idque vitiosum ac repmbum. Plerique verò non solam hanc mandunt, sed inter prandendum, aut cœnandum, aliorum ciborum veluti condimentum, & appetentiæ incitamentum adhibent: & minus vitiosum succum sic ingenerat, sed cum difficiliùs reliquis cibis concoquatur, quandoque & ventriculo molesta ipsum perturbat: ad ciborum tamen distributionem adiuuat, præsertim si à cibo sumatur. ante verò cibum sumpta ipsum subleuat, ructus excitat, ventriculum subuertit. Vomitum etiam ante cibum data promouet, sed præcipuè cortex, qui ipsa interiore carne vt acrior, ita quoque maiore efficacia vomitiones cum oxymelite datus facit. Prouocat verò & Radicula vrinas, ac cohærentes calculos dissoluit ac expellit: decocto eius ad ternos cyathos manè, vt Plinius ait, epoto. quod, & auctore Dioscoride, ad veterem tussim confert, & quæ in pectore crassa hærent extenuat. Huius loco nostra ætas stillatitio vtitur per organa extracto liquore, qui & vrinas potenter cit, & calculos renum eiicit. Idem verò & ad vomitionem confert, additis iis, quæ ipsam prouocant. Radicula verò tusa, lienosis imposita prodest: suggillata tollit, & contra viperarum morsus auxiliatur.

Eadem & semen potest, nam & vomitionem facit. vrinas similiter mouet: & ex aceto impositum lienem extenuat. Galenus Radiculæ cauliculum Vere erumpentem elixum à nonnullis edi refert, ipsumque magis ait nutrire, quàm Radiculam crudam: propterea quòd in aqua magnam decoctione acrimoniæ partem deposuerit, nihilominus tamen paucissimum habere alimentum.

De Radicula syluestri. CAP. VI.

SYLVESTRIS Radicula folio est breuiore, angustiore, crebrioribusq; incisuris dissecto, propemodum veluti Erucæ, sed multò quàm huius maiore. cauliculi tenues, pedales, vel altiores: flosculi lutei exigui: siliquæ paruæ: minutum quoque semen. radix digitum quandoque crassa, oblonga, alba, sapore acris, mordaxque ac viuax.

Iuxta fossas ac scrobes aquas habentes spontè nascitur: & pluribus annis restat.

Flores eius Iunio mense potissimùm vigent: radix Februario aut Martio aliquando effoditur, & satiuæ loco infertur, ac editur.

Radicula syluestris Græcis ῥαφανὶς ἀγρία à nonnullis verò & Armoracia dicitur: Germanis wilder Rettich: Belgis wilde radijs: Hisp. *Xaramago:* Italis *Ramolacci:* Gallis *Raifort sauuage.*

Facultate autem hæc Radicula non inferior satiua est, sed calidior ac siccior, quia & acrior.

Dioscorides folium inter olera recipi scribit: tum & radicem coctam, quæ, vt ait, excalfacit, vrinas mouet, & æstuosa est.

De Raphanide, siue Radicula magna. CAP. VII.

MAGNA Raphanis grandia profert folia, longa, lata, acuminata, saturato colore virentia, Hippolapathi æmula, sed maiora & asperiora: caulem (si quando promit) edit tenuem, atque in eo flosculos albidos, paruulos, & exiguas siliquas. radix magna & albida est, gustu admodum acris.

Humentibus hortorum locis gaudet, atque in his meliùs, quàm in aridioribus aut andis proficit. gigni verò & in pratis nonnullis Fuchsius auctor est.

Aprili aut Maio quandoque huius flores apparent, siliquis pòst succedentibus. adeò verò ratum hoc est, vt semen nullum hanc proferre Petrus Crescentius scripserit: qui Nouembri, Decembri, Ianuario, Februario, vel etiam Martio ait mense radicum particulas serendas, ac in pinguem solutamque terram defigendas, exque iis facilè magnas crassasque subnascituras radices.

Raphanum magnum aut Raphanum Rusticanum vulgò appellant: nonnulli, & simpliciter, Raphanum: Nos Raphanidem magnam, aut Radiculam magnam, aut Rusticanam dicere maluimus: Germanis verò est Meerrettich/aut Kraen siue Kren: Gallis *Grand rafain, grand raifort:* Belgis frequentius Raphanus quandoque ad imitationem Germanorum Meerradijs: Bohemis Chren.

Inimicam autem hanc magnam Raphanidem siue Radiculam vitibus esse nonnulli sentiunt, & tantum quidem inter hæc odium esse, vt Raphanis magna iuxta vitem sata retrorsum

Raphanis magna.



ſum fugiens abeat, & huius radix arida ac tuſa in vinum coniecta, ipſum mox in acetum cõmutet. Vetuſtiſſimi autem ſcriptores, diſſidium cum vite, Raphano quidem, ſed non huic, ſed Braſſicæ aſſcribunt, quam antiquiſſimos ῥάφανον nominare iam antè ſcriptum eſt.

Cæterùm Raphanidis huius radix admodum acris eſt: calida tertio & ſicca ſecundo intenſo: Contuſæ admodũ frequens apud Germanos pro condimento vſus eſt. Valent ad eadem ad quę ſatiuæ, ſed & vehementiores ſunt.

Oxymeli ex aceto, in quo triduũ cortices maduerint, vomitum excitat, & aduerſus quartanas cõmẽdatur: Quin & cortices ipſi in aceto macerati, ſi cum exiguo mellis edantur, deinde aqua ſuperbibatur tepida, vomitione quoq; expurgãt.

Herbæ folia cum vino decocta, additoq; modico oleo, ac cataplaſmatis in modum impoſita, iocinoris ac lienis duritics molliunt: pectini verò admota, vrinæ ſtillicidio auxiliantur.

De Paſtinacis tenuifoliis. CAP. VIII.

PASTINACARVM duo poſterior ætas genera oſtendit; tenuioris folij vnũ: latioris alterũ.

Tenuifoliarum autem Paſtinacarum quędam ſatiuæ ſunt: ſylueſtris verò alia.

Satiuæ Paſtinacæ folia ſaturato colore virent, ampla ſunt, ſed in tenuiſſimas ac minutas partes multiplicibus ſectionibus diuiſa. caulis, quando 1.

Paſtinaca tenuifolia ſatiua.



Paſtinaca ſatiua rubens.



assurgit, rectus & rotundus est, forisque nonnihil hirsutus, interiore parte cauus, culminantibus in summo rotundis vmbellis, in quibus flosculi paruuli albicantes. succedit semen non magnum, sed asperum & hirsutum. radix crassa, dodrantalis, lutea, esui grata, & ori iucunda.

2\. Huius altera species, priori omnibus partibus similis, solo radicis colore ab ea differt, qui huic non luteus, sed saturato rubore nigricat.

Seruntur istæ Pastinacæ in agris ac hortis, in quibus & alia olera habentur: terram quoque desiderant non firmam & bene subactam.

Altero à satione anno caulem promunt, & flosculos, semenque proferunt.

Daucus Theophrasti. Est verò hæc propriè à Græcis σταφυλῖνος dicta: Nam quam nos latioris folij Pastinacam nuncupauimus, a Veteribus alio descripta est nomine: Huius autem satiuum genus σταφυλῖνος ἥμερος, Latinis Pastinaca satiua dicitur: Theophrastus autem lib. IX. De stirpium historia hunc Staphylinum δαῦκον nominat, & apud Arcades nasci refert: ac in Spartensi Achaiæ laudatissimum, radicemque ait μηλίνην, id est, luteam esse. exemplaria quædam μέλαιναν legunt: quod de altera specie veritatem habet. Galenus lib. De med. simp. facultatibus Daucum quoque facit, sed tamen non simpliciter Daucum, sed composito nomine Daucum Pastinacam appellat. Nam Theophrasto quidem, vt diximus, Daucus est. à Dioscoride verò pro Pastinaca hanc haberi, syluestris ab ipso descripta Pastinaca, huic folijs, flore, semineque assimilis, satis ostendit. Nos autem hanc Pastinacam tenuifoliam, ad differentiam alterius latioris folij, & candidæ radicis, vocauimus.


Priorem autem harum Pastinacarum Germani Zam pestinaken / & geel ruben appellant: Brabanti geel peen / geel pooten / geel wortelen: Galli *Pastinade iaulne*. Itali *Pastinaca*: Hispanis *Canahoria, Pastinagues* & *Cenouras*.

Alteram vulgò Carotam vocant. Iacobus Manlius Caryotam, & Pastinacæ, cuius radix citrina est, speciem facit: Veteres autem Caryotam inter palmæ fructus numerant. Carota autem hæc Pastinaca dicitur à Germanica voce Gar rot, quod est, in totum rubens: quæ non modò ad Brabantos, verùm & ad Italos Gallosque vox peruenit.

Cæterùm Pastinacæ luteæ radix frequẽtissime cum pinguium carnium iure cocta editur. temperatè calida est, & nonnihil humida alimentum, non multum quidem, sed minus vitiosum, quàm alia pleraque, suggerit flatulentum quoque quiddam obtinet, sed minus quàm Rapa, quibus etiam minus cito descendit.

Rubra siue nigra, & ipsa coquitur, sed ratò cum carnibus: cum oleo verò, sale (quod pro garo Veterum) & aceto frequẽtius editur: acetariorum aliorum loco hybernis mẽsibus succedẽs. Similis autem hæc facultate Luteæ est. Semen vtriusque calidum ac siccum flatus discutit, vrinasque mouet, veluti syluestris Pastinacæ, sed minus efficax est.

Pastinaca syluestris tenuifolia.



De Pastinaca tenuifolia syluestri.

CAP. IX.

SYLVESTRIS tenuifoliæ Pastinacæ folia tenuiter ac variè dissecta sunt, veluti satiuarum, sed albidiora, & paulò hirsutiora: caules similiter hirsuti & asperiusculi: flosculi in latis rotundisque vmbellis parui, albidi, quorum medius saturato colore purpureus est: semen asperum & hirsutũ, quo ad maturitatẽ perueniẽte, vmbella cõtrahitur. radix albida, tenuis, mediocris longitudinis.

Incultis locis secus agros, ipsorum margines, prope vias ac semitas: quandoque & in rudenbus sua spontè gignitur.

Augusto semen legi potest: flores Iunio aut Iulio vigent.

Græcè σταφυλῖνος ἄγριος: Latinè Pastinaca syluestris: Officinæ pro Dauco habent, eiusque loco, nec malè, nec infeliciter vtuntur. Nam & Galenus suo tempore pro Dauco habitum fuisse testatur, & Dauci à Theophrasto dicti syluestre genus est. Germanis wild Pastenev / Vogelnest: Braban-

tis

tis Vogels nest/Croonkens crupt/ wilde Pastenaken: Gallis *Pastenade sauuage*: Italis *Pastinaca salvatica*: Hispanis *çanahoria saluage*. Athenæus Diphilum auctorem citans, Pastinacam ait φίλτρον vocari, quòd ad res promoueat venereas. Orpheus etiam, auctore Plinio, amatoriũ & huic quid inesse dixit: Sunt autem hæc de syluestri Pastinaca scripta, cuius radix efficacior est quàm satiuæ: & venereum quid, vt Galenus ait, obtinet.

At semen huius syluestris Pastinacæ, tum & radix secundo ordine excalfaciunt, resiccant, & vnà aperiunt ac attenuant.

Radix decocta, aut epota vrinam cit, calculos pellit, fœtus ex vtero detrahit, quod & in pesso apposita facit. flatuosum autem quid obtinet, vnde & ad Venerem extimulat.

Semen potum & appositum similiter & menses ducit: vrinæ difficultati succurrit: flatus discutit: hydropicis prodest, & quibus venter tumidus est. aduersus colicos ac nephriticos dolores cum vino sumptum, aut decoctum, plurimum confert: muliebres suffocationes & hoc modo assumptum lenit, & conceptus adiuuat. Cõtra venenatorum omnium morsus ac ictus vtilissimum: fertur, ait Dioscorides, ab his non lædi qui præsumpserit.

De Pastinaca latifolia. CAP. X.

Pastinaca latifolia satiua.



Pastinaca latifolia syluestris.



LATIFOLIA Pastinaca duplex quoque est: satiua videlicet, & syluestris.

Satiuæ folia ampla sunt, ex multis ad vnam costam cohærentibus collecta, Fraxini similia, siue (vt Dioscorides) vt Terebinthi: quorum singularia oblonga, digitos duos lata, & ambitu serræ modo incisa. caulis rectus, striatus, ad hominis altitudinem quandoque attollitur, comantibus in summo flosculis, in vmbellis, luteis, & semine deinde plano, rotundoque, maiore quàm Anethi. radix candida, oblonga, dulcis, esui apta. 1.

In hortis ac nonnullis agris & hæc Pastinaca seritur: terram autem requirit pinguem, ac solutam, alteque perfossam.

Syluestris huius generis Pastinaca satiuam foliis, caule, vmbella, flosculis luteis, semine plano, rotundoq; refert, sed radix tenuis, durior, ac lignosior, esui minus idonea est. 2.

Gignitur hæc non paucis Belgij ac Germaniæ locis incultis, ac subinde penes hortorum sepimenta.

Vtraq;

Vtraq; Iulio aut Augusto florē profert, semē deinde perficit, & altero quidē ex quo vel sata vel enata est anno: satiuæ radix Autūno & hyeme vsq; in proximū Ver esui aptissima est.

Nostra ætas eam quæ seritur σταφυλῖνον ac Pastinacam quoque appellat. Idcirco & eam Latifoliam, ad differētiam alterius tenuifoliæ (quę verè & propriè veterum Staphylinus) cognominauimus. Germanis est Moren/weiß Moren/zam Moren: Brabantis Pastinaken.

Syluestre huius genus, quidam hæsitantes ac ignorātes quò referri posset, Panacis speciem esse finxerunt. Nonnulli verò Bauciam, alij Brancam Leoninam vocarunt. Baucia autem, auctore Iacobo Manlio in Luminari maiore, Pastinaca est Dioscoridis & reliquorum veterum, Tenuifolia videlicet dicta.

A Veteribus autem, ac præcipuè Dioscoride, Pastinaca hæc Græcè ἐλαφόβοσκον nominatur: Id quod conferenti Elaphobosci descriptionem cum hac mox fit manifestum. Radicem verò & esui idoneam esse, ipse etiam Dioscorides agnoscit.

Elaphoboscum. Elaphobosci siquidem caulis, vti Dioscorides scribit, est Libanotidis siue Fœniculi similis, geniculatus folia digitos duos lata, sed longiora multò, ac veluti Terebinthi, περιεσχισμένα, hoc est, ambitu perfracta siue incisa, aliquantulum aspera: caules verò habent παραφυάδας, siue ramulares adnascentias complures, proferētes vmbellas quales Anethi flores subluteos: semen Anetho simile. radix trium digitorum longitudine, vnius crassitudine, candida, dulcis, & esui idonea.

Dicitur verò istud etiam ἐλάφινον, νέφελον, ὀφιγένιον, ὀφιοκτόνον, ἐμπυξὴ λύμη, & Latinè Cerui ocellus, vt inter nothas asscriptum reperitur.

Dulces autem ac edules Pastinacæ huius radices, moderatè calidæ sunt, & plus siccæ quàm humidæ. alimentum conferunt amplius quam Rapa, aut cæteræ Pastinacæ, idq; etiam paulò crassius, non tamen vitiosum aut reprobum. Eduntur autem coctę, flatulenti quoque aliquid obtinent: descendunt autem nec tardè nec citò, sed quod ad aluum pertinet, mediocriter sese habent: vrinas autem promouent ventriculo, renibus, vesicæ, ac pulmonibus vtiles.

Semen calidius ac siccius est, ad secundum vtriusque qualitatis gradum pertingens. Vrinas hoc mouet, & flatus discutit. Fama est, Dioscorides ait, Elaphobosci herbæ pabulo ceruas serpentum morsibus resistere. vnde & contra serpentum ictus semen ex vino datur.

De Sisaro. CAP. XI.

Sisarum.



SISARI folia ex pluribus similiter ad vnā costam committuntur, quorum particularia per circumferentias nonnihil quoque crenata, sed minora, virentiora, ac leuiora sunt, quàm Latifoliæ Pastinacæ. cauliculi breues cubitū frequenter non attingunt. flosculi in vmbellis albidi. radiculæ verò ab vno capite plures dimittuntur, palmi longitudine, digito sæpissime tenuiores, duriusculo in medio neruo, dulces, candidæ, & esui idoneæ, oriq; suauissimæ.

Sisarum istud in hortis seritur, & radice potissimùm: nam maioribus ac crassioribus sublatis, minores iterum in terrā defiguntur quod Martio ac Aprili oportunè fit, priusquā caules assurgant: atq; hoc tēpore exemptæ radiculæ coctæ edūtur.


Sisarum autem Græci pariter σίσαρον vocant: Latini verò etiam Siser. posteriore nonnulli Seruillum, aut Cheruillum, vel Seruillam. Germani Gierlin: Tragus zam garten Rapunzelen: Belgæ Suycker wortelen, id est, saccharææ radiculæ, & quandoque Serillen: Hispani Cherivia: Itali Sisaro: Galli Cheruis: Angli Skyrwitt. Atque Siser illud est, quod à Gelduba ad Rhenum castello sibi Tiberius imperator adferri iubebat, vt refert Plinius lib. XIX. cap. V. Inter miraculum, inquit, dicendum Siser, & ipsum Tiberius princeps nobilitauit, flagitans omnibus annis è Germania. Gelduba appellatur castellum Rheno impositum, vbi generositas præcipua.

Serapionis autem Secacul, de quo cap. LXXXIX. vt nonnulli existimant, haudquaquam Secacul
est: Secacul siquidem folio describitur Iulben, id est, Pisi, interprete Matthæo Syluatico: & fructum fert nigrum Ciceris magnitudine, humore plenum, ac sapore dulcem: qui granum Culcul dicitur. Pisi autem folium non habet Sisarum, nec fructum nec granum fert nigrum Ciceri simile. Vnde satis constat, Sisarum à Serapionis Secacul plurimum differre: tantum abest vt idem sit.

Sisari autem radiculæ moderatè calidæ ac humidæ sunt: facilè concoquuntur, non tardè descendunt: nutriunt mediocriter, nec praui sunt succi: flatulenti autem quiddam etiam obtinent Venerem promouentis. Eduntur coctæ, & quandoque cum aceto, sale, & exiguo oleo acetarij in modum: quandoque verò in oleo aut butyro frixæ apparantur & aliis modis. In Suetia, ait Hieronymus Heroldus, mulieres præparant maritis suis, atq; vsum norunt.

De Allio. CAP. XII.

Allium.



ALLII satiua quædam sunt genera; sylue-
striа verò alia. Satiui Allij bulbus tenuissi- 1.
mis membranis ex albido dilutè admodum purpurascentibus velatus, ex pluribus cohærentibus nucleis, siue, vt vocant, spicis separatim conuestitis coaugmentatur, à quibus inferius tenues quædam fibræ pro radicibus dimittuntur. foliis viret oblongis, Cepæ similibus, inter quæ caulis, sed admodum raró, nec primo aut altero anno, sed serius, assurgit: quamobrem & caule semineque carere à quibusdam creditur.

Præter verò istud & aliud quoddam satiuum 2.
Allium Valerius describit Cordus, cuius bulbus minor est, & ex paucioribus nucleis, ipsisq; nudis, ac non conuestitis compositus, membrana tamen tenuissima, ac dilutè purpurascente bulbum ipsum quoque contegente. folia huius qualia prioris, sed nonnihilo minora: cauliculus verò teres, cubitalis, glaber, fastigio capitulum proferens acuminatum, candida membrana velatum, qua per maturitatem disrupta, fructus apparent instar pilularum, orbiculatem figuram habentes, Pisis maiores, racematim cohærentes, colore foris purpurascentes, sed pulpa interiore candida, sapore & odore, bulbi nucleis similes, qui in terram defixi in plantas succrescunt.

Veteres verò & aliud quoddam satiuum Al- 3.
lium descriptum reliquerunt Vlpico nomine. Vlpicum.
hoc, Columella lib. XI. ait, lõgè maioris est incrementi, quàm Allium. habet autem velut Allium plures cohærentes spicas. Plinius lib. XIX. cap v. & hoc grandius esse testatur, & præcipuè Africæ celebratum inter pulmentaria ruris.

Nouembri mense aut Decembri Allium benè seritur, Palladio auctore, & Vlpicum terra maximè alba fossa & subacta sine stercore: licet & in alia etiam stercorata, addit Petrus Crescentius, proueniant. qui seri posse hæc mense Septembri, Octobri, Februario & Martio: in calidis autem locis mense Decembri tradit. Plantantur autem, vt idem ait, in areis vno palmo distantes.

Allium autem Græci σκόροδον dicunt: Officinæ Latinam appellationem retinent Germa- 1.
ni Knoblauch: Belgæ Loock: Hispani *Aio*, *Alho*: Itali *Aglio*: Galli *Ail*, aut *Aux*. Bohemi Czesnek Angli Garlyke. appellatur verò & spuriis vocibus γήθοσκον, & ἐλαφόβοσκον.

Alterũ genus Cordus ἀμφικάρπον appellat, quòd duobus locis fructus sine nucleis gignat. 2.

Vlpicum Græci ἀφροσκόροδον nominãt, à spuma quæ ab eo effertur, vt Plinio videtur. Tri- 3.
tum, inquit, in oleo & aceto, mirum quantum increscat spuma: Dicitur verò ab eodem & ἀντισκόροδον ac Cyprium Allium.

Potest verò & istud Allij genus esse, quod μώλυζα nũcupatur, quo nomine Galenus in expositione

positione linguatum Hippocratis Allium appellari ait simplex caput habens,& non diuisum in spicas,cuiusmodi tamen & primum est Allium.

Cæterùm Allium acre admodum est, resiccat ac calfacit quarto, vt Galenus ait,excessu, summam corporis autem vesicis excitandò exulcerat.

In cibo sumptum corpus insigniter excalfacit, & qui in ipso sunt humores crassos attenuat,lentos tenacesque incidit, digerendi etiam vim ac obstructiones aperiendi facultatem quoque habet. aduersatur verò & omnibus venenis frigidis, & virulentorum animalium ictibus quamobrem & à Galeno Theriaca appellatur rusticorum.

Alimentum autem corpori confert omninò nullum: succum autem ingenerat prauum ac acrem: ab eius idcirco vsu, qui calido præditi sunt temperamento abstinere vel maximè oportet. Quod si autem in aqua elixum fuerit eousque donec acrimoniam deposuerit, vires habet imbecilliores, & succi quidem prauitatem, vt Galenus ait, non amplius retinet, alimenti tamen corpori quàm paucissimum confert. Vtile verò in cibo sumptum contra aquarum mutationes: asperam arteriam clarificat, veterem tussim lenit ac mitiorem reddit. vrinas cit: flatus discutit. hydropicis ex aqua frigida auxiliatur: ventris vermes interimit atque expellit. Datur verò & pueris lac,in quo decoctum fuerit,vtiliter aduersus vermes Nonnulli cum carnibus coctum Allium edunt, & sic quidem minus quoque acre est; ventriculum verò frigidum adiuuat, flatusque tum in hoc,tum in intestinis hærentes discutit, vrinas mediocriter promouet,& à pestilentis aëris contagio tutos reddit.


Allij comæ decoctum in insessionibus menses & secundas, Dioscorides ait,trahit: quod & suffitu potest.Cum Origani verò decocto Allium epotum pediculos & lendes enecat: vstum & cum melle permistum,illitumque hypopia & alopecias sanat.Cum nardino vnguento, sale,& oleo exanthemata curat. aufert verò & alphos, impetigines,lentigines, achoras, furfures,& lepras cum melle Cum teda & thure decoctum, si in ore contineatur,dentium dolores mitigat. Contra muris aranei siue μυγαλῆς morsus cum fici folijs & cumino imponitur.

De Allio sylvestri. CAP. XIII.

Allium syluestre tenuifolium.



Allium syluestre latioris folij siue Allium Vrsinum.



SYLVESTRIA Allia recentioribus duo sunt: vnum folij angustioris; alterum latifolium.
1. Priori folia sunt Iuncis similia,teretia, glabra,& interius vacua, inter quæ medius exit caulis

caulis nudus, teres, glaber, durus, ac solidus, in cuius fastigio post flosculos semina exigua in globum collecta, exiguis nucleis persimilia, odore saporeque Allij. pro radice vnicus paruus est bulbus in nullos nucleos diuisibilis.

Gignitur non rarò in agris frumenti feracibus: non rarò verò & in pratis, quod tamen armenti magna ex parte minus est.

Alterũ syluestre Alliũ folia emittit bina ternáve, palmo lõgiora, duos digitos lata, læuia, & dilutè virẽtia: caulẽ dodrãtalẽ, tenuẽ, comãtibus in summo aliquot flosculis cãdidis. pro radice bulbulus est oblõgus, tenuis, fibras qui multas deorsum demittit, & mẽbranis cõuestitur. 2.

In syluis frequenter illud repetitur. in hortis verò & quandoque nascitur.

Vtrumque autem satiuum Allium odore ac sapore refert.


Syluestria Allia ambo quoque sunt, siue σκόροδα ἄγρια & prius quidẽ Dioscoridi ὀφιοσκόροδον, id est, Anguinum Allium, à nonnullis vero & ἐλαφοσκόροδον, siuè Ceruinum Allium dicitur: à Germanis Wilder knoblauch/ Feld lauch: Brabantis Wildt loock: Hispanis *Aio saluage*: Italis *Aglio saluatico*: Gallis *Aux sauuage*: Anglis Wilde garlyke. 1.

Alterum Allij vrsini nomen à recentioribus accepit. Germanis Waldt lauch/ waldt knoblauch/ id est, Allium nemorense: Brabantis verò Das loock: Allium Taxi existimatur verò illud & Hippocratis μῶλυ esse, de quo tamen pauca apud ipsum extant. 2.

Est autẽ syluestre Allium, & præcipuè Ophioscorodon, auctore Galeno, satiuo valentius ac potentius. Allij autem vrsini folia contusa, nonnulli in Belgio cum nonnullorum piscium salsamentis, pro condimento edunt.

De Moly. CAP. XIIII.

Moly angustifolium.



Moly latifolium.



NON vnius modi Moly est: differentes etenim aliquot eius reperiuntur species.


1. Folijs autem angustis primum est, & Graminis similibus, quæ cùm à seipsis robur non habeant, facilè in terram concidunt. caulis procerus, glaber, ac tenuis, culminante in summo muscano flosculos proferente candidos Leucoij minores. bulbus paruus subest, fibris aliquot deorsum demissis.

2. Alterum folia promit longa, lata, læuia, pinguia, quàm Porri maiora, intra quæ medium globosum quoddam exilit, eiusdem cum folijs coloris. caulis rectus, crassiusculus, teres, ac glaber, cubito altior, fastigio vmbellam fert latam, in qua flosculi purpurei, & capitula postea

Moly Indicum.



Alliaria.



exigua triangularia. bulbus cepaceus pro radice est. Tota herba cepacei generis speciem præ se fert, odorem tamen nullum, aut perquam exiguum à se demittit.

Huic folus, orbiculo è foliorum sinu erumpente, caule, bulboque simile est, quod Indicum cognominatur, sed vmbellam floriferam istud non habet, sed veluti capitulum, aliquanto latioris quam globosæ formæ, tenui contectū membrana, in quo fructus gignuntur (nullo apparente flore) nucleis aut exiguis bulbis similes, qui terræ commissi, incrementum accipiunt, & folia caulesque proferunt.

Solent hæc quādoq; in Belgij elegātioribus hortis coli. Theophrastus Moly apud Pheneū exire scribit, & affirmari apud Cyllenē quoq; esse. Ad Moly, cuius Homerus Odysseias κ. mentionē facit, tria hęc recentiores referre conantur. In Galatia verò & Cappadocia & aliud Moly prouenit, non bulbosum quidem, sed quod Harmala dicitur: vt testis Dioscorides: de quo Pemptadis primæ lib. v. scripsimus.

1. Primum autem, μώλυος apud Dioscoridem extantis descriptioni, satis respondet; folia siquidem habet ἀγρώστει similia: flores λευκοΐοις persimiles, albidos, minores: caulem λεπτὸν, hoc est, tenuem, vt Oribasij exemplar habet. (non λεῖον, vt in Dios. perperam legitur) & radicem exiguam bulbosam. Atque istud est, quod à Galeno lib. VII. De simp. med. facultatibus μυλὺ appellatur, si non transscribentium errore pro μῶλυ scriptum sit μυλὺ.

Dioscoridis locus corruptus.

2. Proximum genus latioris folij, Moly est à Theophrasto lib. De historia IX. descriptum: radice videlicet rotunda, Cepæ simili: folio Scillæ. cuius vsus vt Alexipharmaci aduersus veneficia & incantamenta. quod etiam non difficulter, (vt haud verè Homer. ait) effoditur.

3. Tertium ad secundi generis Moly referendum: nonnulli hoc Caucason vocant, aut Moly Indicum.

Cæterùm Moleos bulbosa radix valde vtilis ad apertiones vteri cum Irino vnguento trita & subdita: vt Dioscorides auctor. Sed Galenus etiam testem citans Dioscoridem, pro ἰρίνου μύρου, siue vnguēto Irino, legit αἰρίνου ἀλεύρου, hoc est, Lolij farina. Cum farina, ait, ærina apertum vterum sanare scribit Dioscorides.

Dioscoridis locus suspectus.

De Alliaria. CAP. XV.

AD Allij societatē, Alliariam dictam herbam, non forma, quæ differēs est, sed odor pertrahit, contrita siquidem Allium omninò redolet. Folia autem huic lata sunt, dilutè virentia, ambitu incisa, & acuminata: caulis tenuis, cubito altior, circa cuius ramulos flosculi gignuntur candidi, quibus succedunt tenues, paruæ, formæ oblongioris siliquæ, atque in his semen nigrum exiguum. radix oblōga, tenuis, duriuscula.

Prope

Prope hortorum ſepimenta, veteres muros, ſecus vias, vel ad pratorum margines frequenter ſponte ſua prouenit.

Flores huius Maio aut Iunio præcipuè vigent: ſemen interea perficitur. Martio aut Aprili folia ad condimenta adhibentur.

Recentioribus Alliaria ac Alliaris dicitur. Non eſt autem Scordium, pro quo olim Officinæ hac perperam vſæ ſunt. Nec Scordij ſpecies eſt, de quo Pempt. primæ lib. v. à nobis ſcriptum. Fertur verò à nonnullis Pes aſininus dici. Germani Knoblauchkraut/ Leuchel/ & Saſſkraut vocant: Belgæ Looch ſonder looch: Allium non bulboſum Latine dixeris. Galli *Alliayre*.


Excalfacit quidem ac reſiccat Alliaria, ſed multò quàm Allium minus, ſecundo videlicet ordine intenſo, aut tertio remiſſo.

In medicina autem vſum nobis cognitum nullum habet: folia autem contuſa cum piſcibus ſalitis à nonnullis pro condimento eſitantur, veluti Allij vrſini, vt paulò ante ſcripſimus.


Sunt verò & qui folia enemaris incoquant, quæ vel ad coli, vel nephriticos dolores iniiciuntur, in quibus non modo flatus inſigniter diſcutere, ſed & ex calculo dolores mitigare ac ſopire feruntur.

De Cepa. CAP. XVI.

Cepa rotunda.



Cepa oblonga.



CEPARVM, inquit Theophraſtus, genera plura, quæ à locis cognomina accepêre. Sunt verò & minores nonnullæ, maiores aliæ. Item quædam rotundæ, oblongiores verò & non paucæ. Syluestres autem nullæ ſunt, auctore Plinio.

Folia autem Cepæ anguſta ſunt, & intus concaua: caulis ſingularis, teres, inferiore parte craſſior, cuius faſtigio capitulum proferrur membrana tenui velatum, qua diſrupta floſculi in globi formam congeſti apparent candidi, ac deinde ſemen triangulare nigrum, ſed albicantibus glumis implicitum: pro radice bulbus ex pluribus compactus tunicis, fibras aliquot deorſum à medio demittens. qui quandoque latior Rapi in modum extuberat, non rarò oui modo oblongus; ſummarum autem prætenuibus conueſtitur membranis, vt plurimum ſubrubentibus.

Terram autem Cepa deſiderat pinguem, vehementer ſubactam, irriguam, ſtercoraram, vt Palladius ait. Paſſim autem per vtramque Germaniam in hortis olitoriis pingui beneq; foſſo

 ſolo

solo colitur. Subinde autem in areis sola seminatur: quandoque verò cum aliis herbis permixta, veluti Lactuca. Palladius cum Satureia seri probat, quoniá melius, Plinius ait, proueniat.

Seritur autem Martio aut Aprili. In Italia verò etiam Ianuario ac Februario, Palladio auctore: vel etiam Nouembri, vt per vniuersam Tusciam, teste Petro Crescentio. Bulbi Vere quoque plantandi sunt, à quibus semen speratur, quod Augusto mense ad perfectionem venit. Nouellæ autem Cepæ exactis messibus colligi ac reponi postulant.

Cepa autem Græcis κρόμμυον dicitur. Latinis, vt diximus, Cepa, & quandoque Cepe neutro genere: Officinæ nomen retinent. Cognomina autem huic multa à locis apud Veteres accesserunt: Quædam enim Cypriæ, Sardiæ, Cnidiæ, Creticæ, Samothraciæ, Ascaloniæ ab oppido Iudææ, quæ & Pompeiana. Iam & Marsica quædam, quam vnionem vocant rustici, inquit Columella. atque inde esse, quòd à Gallis *Oignon* dicatur, Ruellius sentit: hinc fortassis etiam à Belgis Ayuyn, Gallica voce corrupta, nomen habet.

Setaniæ. Setaniæ appellantur quæ minimæ sunt & dulces. atque hæ putantur illæ esse, quas Palladius Cepullas, quasi paruas Cepas nominat.

Schistæ. Schistæ verò siue scissiles aut fissiles, quæ hyeme cum coma relinquuntur, quibus & Vere noua folia detrahuntur, & alia subnascuntur iisdem diuisuris, vt Plinius ait.

Cepæ verò species ἀκέφαλος, siue absque capite, & quasi longam ceruicem habens, germinationemque totam in fronde obtinens, quæque sæpius vt Porrum attondetur, à Theophrasto γήθυον nominatur. de hoc verò & Plinius lib. XIX. cap. VI. Apud nos duo prima genera (Cepæ videlicet): vnum condimentarium, quod illi Gethyon, nostri Pallacanam vocant: alterum capitatum.

γήθυον.

Germani autem Cepam Zwibel nuncupant: Itali *Cipolla*: Hispani *Cebolla*, *Ceba*, & *Cebola*: Angli Onyon: Bohemi Cybule.

Cepa autem omnis acris est, & odore lachrymosa, calida & sicca, auctore Galeno, ordine quarto, sed tamen minùs quàm Allium feruet. succus tenuis, aqueæ aereæque substantiæ: reliquum crassarum est partium. Optima autem quæ rotundissima: longa acrior quam rotunda. rufa siue ξανθὴ quam candida. sicca quàm viridis: cruda quàm cocta, aut sale condita.

Mordicant autem omnes Cepæ, extenuant, sitim excitãt. Acrimoniam coctæ deponunt, præsertim bis térve aqua mutata, extenuandi tamen potentiam ne sic quidem amittunt: flatus verò etiam discutiunt: vrinas mouent & aluo quàm crudæ vtiliores. alimentum autem crudæ corpori nullum, coctæ exiguum conferunt: Natura biliosis aduersantur: his autem, qui crudum ac crassum succum pituitosum coaceruarunt, conueniunt, & quibus menstrua ex frigiditate deficiunt; obstructa enim aperiunt, refrigerata excalfaciunt, & menses prouocant. Hæmorrhoides verò & eædem appositæ, vel cum aceto inunctæ, prouocant, vt Galenus ait. Dioscorides verò apertiuas ait esse hæmorrhoidum, & aliarum ἐκκαθάρσεων, siue expurgationum, detractis tunicis in oleum coniectis, ac glandis instar subditis.

Succus Ceparum per nares attractus caput purgat, crudos pituitosos humores extrahit. Frequenter autem Cepa in cibo etiam cocta comesa, capitis dolores efficit, oculos lædit, ac aciem eorum retundit, & sensus stupidiores reddit. Trita autem cum sale, ruta, ac melle, canis rabiosi morsui imposita, prodest.

De Porro. CAP. XVII.

FOLIA Porro oblonga sunt, latiuscula, sed complura, & dorso eminentiore carinata, odore saporeque Cepæ similia. caulis, si non frequenter folia subsecantur, altero aut tertio anno assurgit rotundus, flores proferens in cacumine in orbiculum collectos, veluti Cepa: succedunt & talia semina, sed non nigra. bulbus tenuis & oblongus est, potissimùm sectiuo, crassior ac maior, ei quod non attondetur.

Mediocrem terram Porrú postulat: in pingui, stercorata, & mediocriter soluta benè proficit. habetur in Germania ac Belgio, in omnium ferè hortis.

Tempestiuè seri potest Martio aut Aprili in vtraque Germania: In Italia verò etiam Februario. Sectiuum siue Sectile post duos à satione menses, manens in areis suis, desecari potest. Sed quod capitatum vt fiat desideratur, attondendum non est, & Octobri mense, vel etiam prius, transferri debet.

πράσον Græcis: Latinis Porrum: & Palladio masculino genere Porrus dicitur: Germanis Lauch: Brabantis Porreye: Hispanis *Puerro*: Italis *Porro*: Gallis *Porreau*: Anglis Leke: Bohemis Wossleych.


Quod frequenter resecatur & attondetur, Porrum sectiuum siue Sectile Columellæ ac Palladio nominatur. Sed quod non resecatur Porrum capitatum est: Græcis πράσον κεφαλωτόν. Istud autem Diphilus apud Athenæum vocari ait γηθυλλίδα: à nonnullis verò & γήθυον dici.

γηθυλλίς.

Porrum.



Porrum sectiuum.



dici. Gethyum autem Plinius Cepæ speciem facit, & Theophrastus frequenter veluti Porrum attonderi tradit: vt superiore capite scripsimus.

Excalfacit autem Porrum: resiccat & extenuat, perinde ac Cepa: corpus excalfacit: crassos, lentosq; humores incidit. Noxium tamen succum ingenerat. tumultuosa ac terribilia insomnia parit: oculos offendit: visus aciem obscurat. natura calidiores ac biliosos lędit: ingratum & ventriculo: inflationes facit.

Coctum minus nocens, acrimoniæ suæ parte deposita: & nec sic tamen bonum succum corpori confert. Cum frigidis autem oleribus permixtum, qualitatem eorum contemperat. Cum Ptisana coctum & comestum, quæ in pectore cruda sunt, concoquit & educit. Scribitur etiam & in delinctu vtile esse, & arteriam expurgare.

Succus cum melle potus contra ferarum morsus prodest: & similiter folia trita imposita. Idem verò succus cum aceto, thure, & lacte, aut rosaceo instillatus, aurium doloribus & sonitui prodest: Veteres sanguinis reiectiones cohibent seminis drachmæ duæ cum æquali baccarum Myrti pondere potæ. Idem in vinum coniectum, ipsum in acetum mutari prohibet, & iam conuersum emendat: vt nonnulli scribunt.


De Schœnopraso. CAP. XVIII.

PORRI species & istud est. folia verò promit multa quidem, sed palmo raro longiora, tenuia, teretia, exiguis iuncis similia. inter quæ subinde cauliculi breues eminent, capitula quędam cum flosculis proferentes, instar Cepæ, sed minores multò. bulbuli subsunt exigui multi cohærentes, à quibus fibrę deorsum plurimę dimittuntur. Odore autem & sapore Cepam ac Porrum refert.

Seritur in hortis Germaniæ ac Belgij. diutinè viget, ac plurimis annis restat: hyemis ac frigoris patiens: subsecatur & attondetur frequenter, veluti Porrum sectiuum.

Germani Schnit Lauch / & Bysslauch appellant: Galli *petit Pourreau*: Brabantis Biesloock/ quasi dicas, Iunceum Porrum: vnde nomen illi facere ausi, σχοινόπρασον, Schœnoprasum appellauimus.

Schœnoprasum.



Facultate autem istud Porro simile est: excalfaciens, resiccans, attenuans, aperiens, vrinas prouocans, cal diorem verò & noxium succum ingenerat: frigidos humores contemperat, concoquit, incidit: vapores crassos sursum mittit, oculis cerebroque molestos: tumultuosa insomnia adfert: & quæcunque Porrum, istud quoque potest.

De Ampeloprasо. CAP. XIX.

AMPELOPRASVM foliis exit porraceis: caule verò assurgit bicubitali, aut haud multo inferiore, in cuius fastigio capitulum initiò membrana tenui contectum, qua tandem sponte dehiscente, flores & semina proueniunt Cepæ similia. bulbus rotundus, durus, ac solidus est, qui plures à se remittens, facile acerò multiplicatur.


In vineis, ac iuxta vites in plerisque regionibus sua sponte nascitur: translatum ad hortos diutinè viuit, singulis annis regerminans, nec enim vlla vel aëris inclementia, vel hyemis rigore bulbus eius, etiam in Belgio, corrumpitur.

Æstiuis autem mensibus folia caulesque virent, ac suo tempore flores, fructus procedunt: hyeme bulbi in terra latent.

A vitibus ac natali loco Ἀμπελόπρασον appellationem accepit: Latinis Porrum vitium, aut Vitigineum Porrum dici posset: Officinis incognitum. Syluestre autem tota sua natura est: nec inter edulia idcircò recipitur.

Plus autem quàm Porrum excalfacit: κακοστομαχώτερον, hoc est, stomacho magis aduersatur: vrinas ac menses vehementius cit. contra serpentum morsus esum conuenit: auctor Dioscorides.

Ampeloprasum.




De Scilla. CAP. XX.

SCILLA, priusquàm folia apparent, caulem profert cubitalem vel altiorem, rectum, foliis viduum, ῥαβδοειδῆ vt Berytius ait, ac Anterico similem, à medio sursum versus floribus particulatim prodeuntibus grauidum, iisq; candidis: (quidã luteos esse scribit) quos excipiunt valuulæ siue siliquæ triangulares compressæ, in quibus semina nigricantia plana ac paleacea: folia quę serius exeunt latiuscula sunt, quina senáve, lata, pinguia, & elatiore dorso quasi carinata, quę humum versus reclinantur. bulbus magnus est, albidus, ex tunicis veluti Cepa compactus, lento succo plenus, multis fibris deorsum capillatus.

Non modò in Hispania, verùm & in Italia, aliisq; prouinciis Scilla sponte exit, & frequentius locis arenosis apricis, haud procul à mari dissitis.

Septembri ac Augusto mensibus floret, & particulatim quidem: primùm siquidem inferiores: deinde medij: postremò caulis fastigium occupantes vigent; quos ternos florum exortus Theo-

Scilla absque caule.



Scilla cum flore ac semine.



Theophrastus tria arandi tempora ostendere affirmat, sic vt primum arandi tempus sit prioribus prodeuntibus: alterum medio tempore: tertium cùm superiores florent. Octobri ac Nouembri semen perficitur. posteaquam autem caulis emarcidus factus maruerit, tum demum folia in conspectum veniunt, ante caulis aduentum peritura.

Bulbum hunc Græci σκίλλαν: & Latini quoque Scillam: Officinæ Squillam nominant: nonnulli Cepam muris: Germani Meerzwibel: Brabanti Zee ajuyn: Hispani *Cebolla albarrana*: Galli *Stipoulle, Squille*: Angli Sea onyons.

Scilla ex secundo est ordine excalfacientium, & admodum incidentem facultatem obtinet, vt Galenus ait: præstat autem assam aut elixam sumere, sic enim virium eius vehementia exoluitur.

Assatur autem pasta aut luto oblita, (vt Dioscorides tradit) in clibanum deinde conijcitur, aut carbonibus obruitur, donec obducens crusta sufficienter intosta fuerit, qua exempta, si non emollescat, altero polline simili, aut luto circumlinitur, & eadem quæ prius, fiunt. nam quæ ita non assatur, interaneis maximè noxia est. Torretur item in olla, indito operculo, quæ in furnum demittatur. Sumi etiam solet, quod maximè est medium, direpto vsquetenus tunicis: quod frustatim consectum coquitur, mutata sæpius aqua, donec ipsa nec amaritudinem, nec acrimoniam habeat, traiectaq; lino frusta siccantur in vmbra, ita vt ne vlla quidem parte se contingant. his Scillæ segminibus ad oleum, vinum, aut acetum scillinum vtimur.

Ex aceto autem scillitico, addito melle, oxymeli coquitur; cuius ad incidendum crassos, lentos, viscidos humores vsus est.

Assa Scilla potionibus alijsq; medicamentis admiscetur, quæ vrinam prouocant, obstructiones iocinoris lienisq; aperiunt: tum & theriacis. datur hydropicis, regio morbo, & torminibus laborantibus: & contra veterem tussim, difficulterq; respirantibus in eclegmate.

Pars autem Scillæ cum octo salis partibus subacta, & à ieiunis vnius aut duorum cochlearium pondere sumpta aluum mouet: Semen etiam tritum cum caricis, aut melle exceptum, si manditur, idem præstat.

Cauendus autem Scillę vsus iis, quibus interaneum aliquod exulceratum.

Pythagoras Scillam in limine ianuæ suspensam malorum medicamentorum introitum pellere tradit: vt Plinius refert.

De Pancratio. CAP. XXI.

Pancratium.



CVM Scilla similitudinem haud exiguam habet, quod Pancration dicitur: folia huius maiora amplioraque sunt, &c, vt Dioscorides ait, Lilij foliis longiora, sed angustiora. bulbus verò etiam maior est quàm Scillæ, ex multis similiter tunicis constans, exterius rubens, siue ὑπέρυθρος ἢ ὑποπόρφυρος, subrubens, aut subpurpureus.

In mediterraneis Hispaniæ locis reperitur. Cum Scilla autem germinat.

Πανκράτιον Græcis dicitur, & similiter Latinis Pancratium: à nonnullis verò & Scilla, & ab Hispaniæ rusticis, vt C. Clusius refert, etiam Cebolla albarrana.

Scillæ autem speciem esse similitudo ostendit. Potest autem illud genus esse, quod à Plinio femina dicitur lib. XIX. cap. V. Nobilissima est, inquit, Scilla, quanquam medicamini nata, acetoque exacuendo. Duo genera medica. Masculus albis foliis: (malim legere, bulbis) femina nigris. (potius rubris.) Meminit tamē & Pancratij lib. XXVII. cap. XII. Pancration, ait, aliqui Scillam pusillam appellare malunt, foliis albi Lilij longioribus crassioribusque, radice bulbi magni, colore rufo. In quibus verbis & contradictio quædam apparet, & à Diosc. sententia diuersa. Si enim radice magni bulbi, quare Scilla pusilla appellatur? Folia Lilij albi crassiora, Plinius: angustiora, Dioscorides habet. Atque vel hinc Plinij exemplaria plerisque locis corrupta esse, apparet: proinde & quæ de vtraque Scilla scribuntur, posse viriata esse.

Plinij exemplaria corrupta.

Cæterùm Pancratij radix Scillæ similem gustum refert, vt Galenus ait: quare & ea pro Scilla quidem, ea si non adsit, vtuntur, efficit enim omnia similiter, sed longè imbecillius. quod & Dioscorides sentit: Scillæ, inquit, vires & preparationem habet, eodemque pondere in morbis efficaciter assumitur, minor tamen quàm Scillæ ei facultas inest.

De Bulbo Eriophoro. CAP. XXII.

BVLBI Eriophori meminit Theophrastus lib. VII. De stirpium historia, & post eum Athenæus Dypnosophistarum lib. II. quem aiunt lanam sub primis tunicis habere, sic vt inter internum quod editur, & externum media contineatur, ex qua & togæ & alia vestimenta texuntur.

Hunc in littoribus nasci tradunt.

Ἐριόφορος autem dicitur, hoc est, laniferus, ab ipsa quam sub primis tunicis reconditam lanam habet. interpres quidam Lanosum cognominat.


Huius autem iconem olim vir quidam magnificus ad me misit, quam tamen non genuinam esse nonnulli affirmant.

Memini verò & me quandoque in horto Ioannis Brancionis bulbum videre Eriophori nomine inscriptum, sed caulem floremque non proferentem, quem C. Clusius Viennæ superioris Pannoniæ in horto Ioannis Aicholtzij Medicinæ professoris florem fecisse scribit, imaginem eius in stirpium per Hispanias obseruatarum historia sua vnà cum descriptione exhibens.

Sunt autem ei folia Hyacinthinis similia. caulis cubitalis vel altior, veluti Scillæ, flosculos proferens cæruleos, inodoros, particulatim quoque sese explicantes. bulbus ex pluribus tunicis contextus, albus, tomentosus, ac veluti aranearum telis obsitus, adnascentibus aliis bulbis, quibus multiplicatur.

Et sanè hic bulbus, cum pictura nobis missa haud conuenit: quapropter si iste Eriophorus verus est, haud poterit legitimus esse, cuius iconem accepimus. Non possum tamen facilè induci,

Bulbi Eriophori icon ab amico missa.



Bulbi Eriophori Viennæ nati effigies.



induci, vt existimem fictam ac ementitiam imaginem ab honestissimo ac amicissimo viro transmissam, nisi fortassis huic ab alio fuisset impositum, quod haud verisimile: Citius idcirco crediderim, si Eriophori hæc icon non est, esse tamen peregrini ac rari alicuius bulbi, veluti τριχώδους, quem apud Indos nasci Theophrastus & Athenæus referunt: nam flos qui Narcissis similis, lanuginosus, ac capillaceus ei depingitur: quam ob causam rectè τριχώδης, siue capillaceus, aut capillaris dici potest. Vtcunque autem est, nos & huius & alterius imaginem coronidis loco hîc duximus apponendam, atq; sic bulborum historiæ finem imponere.

Bulbus Trichodes.

PEMPTADIS QVINTÆ LIBRI TERTII

FINIS.

STIR-

PEMPTADIS QVINTÆ

LIBER QVARTVS,

DE OLERACEIS QVÆ AD CIBARIORVM CONDITVRAM ADHIBENTVR.

PRÆFATIO.

RELIQVA *Olerum ac Oleraceorum sese offert multitudo, eorum videlicet, quæ ad cibariorum condituram magis, quàm ad alimenti materiam faciunt ac pertinent. Multa autem ex his licet acrimoniam habeant, & propriè Olera idcircò non censeantur, neque per se soláque, vt alia Olera, edantur: veluti Beta, Braßica, ac similia: tamen ab Olerum censu ac familia nec excludi nec seiungi debuerunt, cùm plurimum in cibatu vsum obtineant, & cibos grata sapore condiant, palatoq; vel gratiores, vel salubriores reddant. Id quod Apium, Sinapi, Eruca, Nasturtium, similiaq; his, efficaciter præstant, quæ sola & per se non eduntur, sed cibariis admiscentur: & ipsorum vel qualitates corrigunt, ac in melius emendant; vel concoctionem promouent, aut languentem appetentiam excitant.*

DE APIO HORTENSI.

CAPVT I.

Apium hortense.



APII genera complura sunt. sed de singulis seorsim agendum, ac primùm de hortensi, quod familiarius ac cæteris notius est.

Folia autem hortensis Apij pulchrè virentia, ex multis exiguis cohærentibus, tripartito ferè diuisis, ambitu etiam incisis composita sunt. caulis cubito altior, tenuis, aliquantum striatus, in cuius fastigio culminātes vmbellæ flosculos perquàm exiguos, ac deinde semina parua proferūt, gustu nonnihil feruida. radix longa & albida est, esui grata.

In hortorum areis seritur. calida ac frigida sustinet loca, modò vel humidum natura solum sit, vel sæpius rigetur. Loca siquidem amat humentia, aqua lætatur, atque idcircò circa fontes commode prouenit. Fuchsius in palustribus nonnullis Germaniæ spontè natum reperiri scriptum reliquit.

Tempestiuè seri potest, sed tardè erūpit: æstate sæpius attonderi ac demeti potest: caulem altero anno profert: semina verò Iulio vel Augusto ad maturitatem perueniunt.

Omne Apium Græcis *σέλινον* dicitur: istud verò *σέλινον κηπαῖον*, id est, Apium hortense: Officinæ & vulgò Petroselinum nuncupant: Germani Petersilgen, & Peterlin: Belgæ Petersilie: Galli *du Persil*: Hispani *Perexil*, *Iulsuert*, & *Salsa*: Itali *Petrosello*: Angli Persele: Bohemi Petruzel.

Non est tamen verum aut legitimum Petroselinum, quod in petrosis gignitur: vnde nomen accepit, & in Macedonia præstantissimum est. parùm rectè idcirco sentiunt, qui hortense Apium à Petroselino genuino sola cultura differre existimant. & nihil aliud interesse, quàm quòd hortense imbecillius sit, syluestre verò potentius: Solent enim syluestria facultatibus, satiuis superiora esse.

Hortensis autem Apij calida quidem ac resiccans est facultas, sed magis excalfaciens ac

siccans

ficcans femen, quod ad fecundum caliditatis, & tertium fere ficcitatis ordinem attingit. radix moderatam etiam caliditatem obtinet.

Folia in condimentis fingularem gratiam habent, per iura, vt Plinius lib. xx. cap. xi. largis portionibus innatant, in quibus præter quod grato fapore ipfa condiunt, ad aperiendum obftructa, vrinasq; promouendas, etiam non exiguum conferunt. Quod & radices iuri fimiliter incoctæ haud fegnius præftant: deinde & ori ventriculoq; gratæ funt.

Semina Medicinæ vfui vtiliora, extenuant, aperiunt, vrinas ciunt, calculos cohærentes diffoluunt, flatus difcutiunt, conueniunt hydropicis, mẽfes promouent, fecundas & fœtus mortuos expellunt. commendantur & contra veterem tuffim eclegmatis permixta, aut incocta: venenis etiam aduerfantur, atque idcirco Theriacis admifcentur.

De Eleofelino, fiue Apio paluftri. CAP. II.

Eleofelinum.



PALVSTRE Apium foliis læuibus ac refplendentibus, ac in cõplures particulas diffectis fimiliter viret, maioribus tamẽ & latioribus quàm hortenfis: cauliculi ftriati in alas diffufi, fummis virgulis flofculos candidulos proferunt, ac deinde femina paulò minora quàm hortenfis. radix multis fibris cohæret.

Humentibus locis Apij iftud genus nafci gaudet, transfertur verò & ad hortos.

Cum hortẽfi Apio viget ac viret: altero quoq; à fatione anno caulis eius affurgit, ac femina adfert: quæ & poft folftitium matura funt.

Ἐλαιοσέλινον, aut potius ἑλειοσέλινον: Latinis paluftre Apium: à Gaza Paludapium: Officinis abfolutè Apium nuncupatur: Germanis Eppfich: Belgis Eppe: & nonnullis Jouffrouwmerck: Hifpanis ac Italis *Apio*: Gallis *de L'ache*. Extant verò huius & inter fpurias voces quædã nomina: vt πεδινόν, ὑδροσέλινον ἄγριον, & Apium rufticum: Hydrofelinon verò fiue aquatile Apium etiam à Germanis Sium dicitur: vt cap. x. lib. v. Pemptadis quartæ fcripfimus.

At facultate ac temperamento hortenfi quidem iftud Apium fimile, fed & calidius ficciusq; & ad pleraq; efficacius. In cibatu autem huius nullus vfus, neq; ad condimenta vtile habetur: Medicinæ autem haud inutile.

Succus eius ad multa confert, extergit, aperit, craffa attenuat, obftructiones tollit, & vrinas mouet, atque idcirco Setapia dicta, quæ hunc permixtum habent, veluti Byzantinum, iocinoris lienisq; obftructiones aperiunt, & diuturnis, fiue tertianis, fiue quartanis febribus, omnibusq; ex caufa frigida, tum & obftructionibus, enatis, auxiliantur, ac regio morbo fuccurrunt. Idem fuccus oris tonfillarumq; etiam maligna vlcera cum hordei decocto, addito melle rofaceo, gargarizatu ad fanitatem perducit. prodeft verò & omnibus externis vlceribus & fordidis vulneribus cum melle, cancris etiam exulceratis confert: Nam tametfi hos curare nequeat, putredini tamen refiftit, ac fœtorem eorum reprimit.

Semen ad eadem, ad quæ fatiui Apij, vtile habetur, minus tamen tutus vfus eius eft: Nam comitiali morbo obnoxij, ab hoc offenduntur, vt euidentibus experimentis compertum.


Eleofelino vis, vt Plinius fcribit, priuata contra araneos.

De Oreofelino, fiue Apio montano. CAP. III.

OREOSELINO autem, vt Diofcorides ait, caulis eft dodrantalis, ex tenui radice prodiens, circa quem ramuli & capitula (Theophraftus folia:) Cicutę fimilia, multò tamen tenuiora, in quibus καρπὸς, id eft, fructus, fiue femen, oblõgum, acre, tenue, & odoratum, Cumino fimile. Et tale quidem Oreofelinon in notitiam hac ætate peruenifſe non cõftat. Nam Chærephyllon verum Oreofelinon effe (vt plerifque videtur) haud eft verifimile. Pro Oreofelino

Veelgutta.

Oreoselinum siue Veelgutta.



selino autem exhibetur à nonnullis, quam Silesij, olim Quadi dicti, Veelguttam modo appellant.

Folia huic sunt veluti hortensis Apij, sed maiora & ampliora, ex multis in tenuibus pediculis hærentibus composita. caulis breuis est: flosculi in muscarius albidi. semen exiguum. radix mediocris longitudinis ac crassitudinis albida, gustu nonnihil acris, & amaricans, ac odorata.

Nasci in petrosis & montibus Oreoselinon Dioscorides refert. prouenit verò & in montibus Veelgutta, vt in iis qui Silesiam à Morauia, olim Marcomannorum prouincia, dirimunt, tum & in aliis montibus ac collibus. Memini verò & olim hanc ad me missam à Martino Tulemanno, qui in montosis apud Eburones ac Tongros, nunc Leodios, hanc repertá, in horto suo Traiecti ad Mosam studiose alebat.

A montibus autem Ὀρεοσέλινον apud Græcos nomen est, quod Latini & idcirco Apium montanum ac Montapium appellant. Dicitur verò & idem, vt inter reiectaneas voces reperitur, πετροσέλινον ἄγριον, & Latinis Apium: Sed Dioscorides Petroselinum ab Oreoselino diuersum statuit. Nec enim, ait, hallucinari nos oportet, existimantes Oreoselinon esse quod in saxis prouenit: aliud siquidē est Petroselinum.

Veelguttam verò Latinè Multibonam quis dixerit, hoc enim nomen accepit, quòd ad multa vtilis & commoda habeatur. Non omninò verò impropriè & hæc Oreoselinon nuncupatur, nam in montibus, vt diximus, gignitur, & Apio non dissimilis est. Desideratur semen Cumino simile: tale si haberet, Oreoselinon legitimum esse, quis negauerit?

Oreoselino autem, auctore Galeno, facultate Apio simile, sed & valentius. Dioscorides vrinas, inquit, cit, semine ac radice in vino potis. menses mouet: antidotis, diureticis, & calfacientibus medicamentis admiscetur.

Veelguttæ radix excalfaciens & resiccans quoque est, & secundo quidem ordine intenso. extenuat, incidit, aperit, vrinas mouet, calculos dissoluit & expellit, menses promouet, iocinoris ac lienis obstructiones aperit, regio morbo auxiliatur. manducata dentium dolores mitigat, ac saliuam elicit.

De Petroselino. CAP. IIII.

DE Petroselino admodum pauca Veteres scripta reliquere. Dioscorides semine illud esse Ammios simili, odoratiore verò, acri, ac aroma redolente tantummodo scribit: de foliorum forma, florum colore, & radicis modo nihil. Breuior verò etiam Plinius est. Theophrastus verò ne nomen quidem habet: Apij, Hipposelini, Elioselini, & Oreoselini tantummodo mentionem faciens.

Petroselinum Macedonicum Fuchsii. Pro Petroselino autem Leonhartus Fuchsius olim proposuit stirpē, non Apij modo sparsis ac dissectis foliis, sed oblongis & ex nonnullis ambitu crenatis, pediculoq; medio vtrinq; cōnexis compositis, Pimpinellæ Saxifragæ, eius quæ minor est, primis foliis aliquatenus, non tamen omnino similibus. cauliculus tenuis & cubitalis est: flosculi in vmbellis albidi: semen subnigricans, Ammij ac hortensis Apij æmulum, admodum odoratum, nonnihil acrimoniæ obtinens. radix tenuis, fibrosa.

Petroselinum Macedonicum Venetorum Pro Petroselino autem legitimo aliud Lobelius exhibet, à Veneris Macedonicum vocatum: cui folia Apij hortensis, vel potius Pimpinellæ Saxifragæ: caulis cubitalis: albicantes vmbellæ: semen pusillum, euanidum (vt ait) facultate & viribus quàm satiui Apij inferius. An autem istud verum ac legitimum sit, nescire se addit.


In præruptis locis ac petrosis Petroselinum gignitur, apud Macedones verò præstantissimum: vnde illi Macedonico cognomen accessit.

A petrosis

Petroselinum Macedonicum Fuchsij.



Petroselinum Macedonicum ex Lobelio.



A petrosis autem locis πετροσέλινον dicitur: Latinè Petrapium ac Petroselinum Macedonicum. Officinis incognitum est. Hallucinantur non parum qui à Fuchsio depictam Amomum esse volunt: multum enim ab hac differens Amomũ est, vt ex eius apud Dioscoridem descriptione vel luce clarius constat. Nos verò & hanc pro Petroselino amplectimur, donec aliquis aliud nobis ostenderit, Apij folio similius, & semine tali, quale Petroselini esse oportet. Et potest vel solum semen in hac sentẽtia nos retinere, adeò descriptioni respondẽs vt nullum magis: acre nempè, & quàm Ammios odoratius, aromaque redolens: non repugnantibus interim folijs, quæ licet exquisitè aliorum Apiorum formam non referant, nõ omnino tamen dissimilia sunt.

At Petroselini semen, quod maximè vsui est, calidum ac siccum est, vnà cum incidendi effectu: vrinam & menses cit: contra ventriculi & coli inflationes, ac tormina prodest: ἀφυσον siquidem, vt Galenus ait, hoc est, flatus discutiẽs est. Laterum, renum, & vesicæ doloribus auxiliatur: miscetur & antidotis: Dioscorides.

De Hipposelino. CAP. V.

FOLIA Hipposelino in plures lacinias dissecta, Eleoselini quidem similia, sed multò maiora latioraq́; læuia quoque, & saturato colore virentia: caulis crassus, subinde cubitalis: ex vmbellis flosculi prodeuntes albidi: semen vero crassum, oblongum, nigrum, amaricãs, & aroma redolens. radix crassa, foris nigricans, intus alba, Raphanidi exiguæ similis, esui idonea: qua vulnerata aut præcisa, succus profluit citò concrescens, acri amaritudine, Myrrham sapore referens, quod & Theophrastus annotatum reliquit: Lachryma ex eo Myrrhæ similis, inquit, defluit.

Apud Arcades, Theophrastus: in vmbrosis ac palustribus, Dioscorides inquit, nascitur.

Semen altero anno in Belgij hortis maturescit, Augusto mense.

A magnitudine, qua reliqua Apia superat, Græcis ἱπποσέλινον dicitur: à Gaza Equapium. Appellatur verò & Olus atrũ, & à nonnullis γεάνλον, & ἀγελοσέλινον, hoc est, syluestre Apium: Galeno verò, & alijs quibusdam etiam σμύρνιον est, propter succum ab ipso profluentem, qui Myrrham, hoc est, σμύρναν (vt diximus) refert: Est verò & aliud Smyrnium Amani montis, de

Hipposelinum.



Smyrnium Amani montis.



quo sequente capite. Officinæ Petroselinum appellant Macedonicum · alij Petroselinum Alexandrinum Germani Groß Eppfich Belgæ Peterselie van Macedonien / Peterselie van Alexandrien: Itali *Macerrone* Hispani *Perexil Macedonico* Galli & Angli *Alexandre.*

Excalfacit autem & resiccat Hipposelini semen ac radix nõ minus quam Apij hortensis· expurgant verò & extenuant: ordine tertio calida & sicca.

Dioscorides folia cum caulibus decocta manducari ait,& per se,vel cum piscibus præparari· eadem etiam cruda muria condiri· radicem similiter & crudam & coctam edi, & ἰωςόμαχον,siucori gratũ esse. Infertur autem ac mensæ apponitur, hac etiam ætate cruda huius radix, acetariorũ aliorũ locum explẽs. Semina remorantes menses prouocant, secundas expellunt, flatus discutiunt, vrinam ciunt,eiusque stillicidio auxiliãtur. Idem radicis potest,præsertim ex vino,decoctum.

De Smyrnio montis Amani. CAP. VI.

SMYRNII huius inferiora ac ex radicibus prodeũtia folia lata & ampla quidem sunt, & in complures particulas multipliciter dissecta, quarum singulares ambitu serratæ,ab vno pediculo fere ternæ cohærent reliqua rotũda, veluti Aristolochiæ, cauliculos sic ambiunt, vt per medium eorum quodammodo transire appareant: sunt autem hi ramosi, in quorum alis comantes vmbellæ flosculos edunt luteos· semina verò rotunda,globosa, Brassicæ similia, subnigricantia, intus candida radix foris nigricat, odorata.

In Amano monte prouenit · in saxosis, & collibus,& aridis,ac incultis terræ angulis, vt Dioscorides refert, nascitur.

Σμύρνιον & istud dicitur: differens tamen ab Hipposelino, quod etiam Smyrnion est, vt superiore cap· scriptum. In Cilicia verò olim Petroselinum nuncuparum fuit: vt Dioscorides & Galenus testantur.

Viribus autem non longè istud à Petroselino, Galeno auctore, abest· Petroselino tamen ac Apio minus acre. vlceribus imponi potest, quia videlicet citra molestiam desiccat digerere verò & quę indurata sunt potest: reliqua vis Apio ac Petroselino similis: quocirca & semine eius vtimur ad menses, vrinas, & asthmata · hæc Galenus.

Vis radicis, herbæ, & seminis excalfacere. radicem autem contra serpentum ictus bibere conuenit: tusses & orthopnœas mitigat: vrinæ difficultati medetur: partus abortu vitiat si feruefacta subiciatur. Semen lienis, renum, ac vesicæ vitiis prodest· mẽses & secundas pellit: peculiariter hydropicis in potu datur,& cõtra febriũ circuitus: Dioscor. auctor.

De

De Apio sylueſtri, ſiue Thyſſelio.

Cap. VII.

Apium ſylueſtre ſiue Thyſſelium.



MVLTIPLICI foliorum ſectione, tum & magnitudine, Apij iſtud genera refert: ſunt etenim ampla, in pluresque partes diſſecta: caules verò rotundi, ſtriati, geniculis aliquot articulati, interius concaui, cubitales, vel altiores, ab vna radice ſubinde bini ternive, inferiore ſede quandoque obſcurè ſubrubentes. flores in rotundis muſcariis albidi: ſemen rotundum, planum, Anethi ſimile radix in ramulos ac appendices diſtributa in rectum & obliquum ſpargitur, interius candida. Tota autem hæc ſtirps lacteo redundat ſucco, qui, quacunque tandem parte vulnerata, ex ea profluit.

Iuxta lacus, vliginoſis ac humidis locis, in ſcrobibus aquas reſides habentibus, quandoq; iuxta Alnorũ etiam veteres truncos reperitur.

Iunio ac Iulio menſibus flores ac ſemen profert.

Officinę Belgij olim perperam Meum nuncuparunt, ac legitimi Mei loco in vſu habuerunt. Germanis Olſenich: Valerio Cordo Olſenichium dicitur: apud Belgas à nonnullis Wilde eppe, hoc eſt, Apium ſylueſtre. non defuerunt verò & qui Water eppe, id eſt, Hydroſelinon ſiue aquatile Apium nominarent Hydroſelinon autem, vt ante ſcriptum, & Eleoſelinum & Sium quandoque appellatur. Sylueſtre Apium rectius dici poteſt. *Olſenichium* *Sylueſtre Apium.*

Meminit ſylueſtris Apij Dioſcorides cap. de Dauco & Theophraſtus lib. VII vbi Apiorum cùm in foliis, tum in caulibus diſcrimen conſtare refert: & quædam caule candido: alia purpureo, vel verſicolore. ſylueſtre etiam quoddam Apium eſſe oſtendit. Nam quæ purpureum caulem, aut verſicolorem habent, ſylueſtri Apio proxima eſſe refert. Atque idcircò cùm Olſenichium caule inferius eſſet ſubpurpureo, ac foliis Apio accederet, olim maluimus ipſum Apium ſylueſtre appellare, quàm cum Officinis in errore verſari ac pro Meo habere. Poſteaquam verò nunc pro Plinij Thyſſelio recipi cognouimus, nec haberemus cur aduerſaremur, facilè quoque in eandem ſententiam deuenimus: præſertim facultatibus etiam conuenientibus.

Thyſſelium, inquit Plinius lib. XXV. cap. XI. eſt non diſſimile Apio: huius radix purgat capitis pituitas. quod & Olſenichij radix efficaciter, vt mox dicemus, præſtat. Reſpondet verò & nomen: dictum ſiquidem θυσσέλινον videtur, quia ſe per ἕλεους, ſiue loca paluſtria θύσσῃ, hoc eſt, extendit. *Thyſſelium.*

Eſt autem huius radix calida & ſicca tertio ordine: commanducata multam ex ore pituitam elicit, & dentium dolores ſopit. Non dubium verò eſt, quin & eadem extenuet, incîdat, & aperiat: vrinas & menſes moueat: & quæ Apij genera reliqua, eadem & nec ſegnius, ſed etiam efficacius præſtet.

De Caucalide. Cap. VIII.

FOLIA Caucalidi ſunt aſpera, veluti Paſtinacæ ſylueſtris, variisque modis diſſecta, multoque quàm Apij tenuius diuiſa. cauliculus raro cubitalis, in cuius alis vmbellæ culminantes floſculos edunt ſuauè olentes, albicantes, exiguos, per circumferentiam tamen maiores. ſemen aſperum, oblongum, non minus quàm ſylueſtris Paſtinacæ, maius quàm Cumini. radix nullius momenti.

In campeſtribus ſolo inculto per Italiam frequenter, veluti in Hetruria, occurrit. reperitur & quandoque in agris haud procul Traiecto ad Moſam, in Tongrorum finibus.

Floret in Belgio Iunio ferè menſe: ſemen deinde ſuccedit.

Caucalis.



Caucalis, Græcis similiter καυκαλὶς dicitur: à nonnullis verò & δαῦκος ἄγριος, hoc est, Daucus syluestris & spuriis vocabulis καῦκον, μυῖτις: à Democrito βέλον: Latinis Pes gallinaceus, Pes pulli: Ægyptiis Seselis: Hetruriæ rura *Petrosello saluatico* nominant.

Caucalidem autem Dioscorides olus esse affirmat, quod crudum ac coctum editur, vrinasq́; moueat. Plinius Caucalidem inter olera quoq; enumerat. Galenus verò muria, ad repositionem, hanc condiri adiicit.

Semen autem Caucalidis euidenter excalfacit ac reficcat, nec minus quàm secundo ordine: vrinas & menses cit: calculos & arenulas dissoluit ac expellit, à iocinoris, lienis, & renum obstructionibus liberat: crudos pituitososque humores incidit, & concoquit: ventriculum frigidum adiuuat: flatus dissoluit. fertur à ieiuno sumptum, aciem oculorum intendere, cordique prodesse.

De Chærefolio. CAP. IX.

CHÆREFOLIO tenuia ac multipliciter diuisa sunt folia, nonnihil hirsuta, ex albido virentia: cauliculi breues, tenues, teretes, intusq́; concaui, qui initio vnà cum foliis dilute virent, sed seminibus perfectis subrubent: flosculi in laxis vmbellis albidi: semen verò oblongum, angustum, tenue, acuminatum. radix fibrosa.

In hortis cum aliis oleribus colitur: terra stercorata, & aliquantulum humente lætatur.

Vere satum celeriter in caulem assurgit, eiusq́; citò parum idoneum redditur: Sed quod Augusto seritur, per totam insequentem hyemem, ac etiam serius, vtile est.

Chærefolium.



Cerefolium vulgò dicitur, &, vt nonnullis placet, Cerofolium per o secunda syllaba: Columellæ verò Chærephyllum, siue χαιρέφυλλον: Nominari autem sic putatur, quòd multis foliis gaudeat: vel potius, quòd gaudium ac hilaritatem excitet. Germani Korffelkraut / aut Kerbelkraut: Belgæ Keruel: Itali *Cerefoglio*: Galli *du Cerfueil*: Angli Cheruel vocant.

Non est autem Gingidium, vt plerisque visum fuit, haud amarum siquidem, sed grato iucundoque sapore commendatum. Oreoselinon quoque haud est, hortense etenim est, non montanum, semen etiam non acre, aut Cumino gustu simile, veluti Oreoselini esse scribitur. Plinius lib. XIX. cap. VIII. inter ea quæ Autumni æquinoctio seruntur, Chærefolij meminit, sed quemadmodum Cornarius admonet, locus admodum corruptus est: qui & Macro imponere potuit.

Cæterùm Chærefolium inter familiaria olera recipitur: ventriculo ac ori gratum est: temperatè excalfacit, modiceq́, desiccat, multoque minus quàm Apij genera. Vrinas verò etiã promouet, & potissimum in vino decoctum, & pubi

deinde

Myrrhis.



Scandix, Pecten Veneris.



deinde caleris admotorum, vino verò, in quo decoctum fuerit, hausto. Flatulentum verò etiam aliquid obtinet, quamobrem & Venerem promouet.

De Myrrhide. CAP. X.

MYRRHIS caule foliisque Cicutæ, vt Dioscorides scribit, similis est: sunt etenim huius folia magna, ampla, & admodum dissecta veluti Cicutæ, sed & nonnihil hirsuta, colore verò, sapore, & odore Chærefolium referentia: caulis verò quandoque binûm cubitorum, crassus, geniculatus: flores in vmbellis candidi. semen verò magnum, oblongum, crassum, nigricans, Cumino maius. radix longa, candida, mollis, quasique fungosa, dulcis, cibo, vt Dioscorides quoque scripsit, idonea, sapore fere Pastinacæ albæ.

Fertur apud Germanos in pratis alicubi nasci. apud Belgas hortensis rarum modo est.

Maio mense flores profert: Iunio ac Iulio semen maturescit. radix singulis annis primo Vere regerminat, post seminis perfectionem restans.

Græcis μύῤῥις dicitur nec aliud nomen apud Latinos habet: nonnulli verò & Myrrham aut Conilam vocant, vt inter spurias voces annotatum est. Germanis wilder Korffelkraut: Brabantis wilde Kerucl.

Meminit verò & huius Plinius lib. XXIIII. cap. XVI. vbi & Smyrrhizam appellari refert: Myrrhis, ait, quam alij Smyrrhizam, alij Myrrham vocãt, simillima est Cicutæ, caule folisq; & flore, minor tantùm & exilior, cibo non insuauis. Occurrit verò & mentio huius lib. XXVI. cap. XI. sed ibi cùm Geranio confunditur. vt Pempt. primæ lib. III. scriptum est.

Myrrhidis autẽ folia non minus quàm Chęrefolij edulia sunt, in eorundemq; locum quandoque assumuntur.

Radix, auctore Galeno, ex secundo est ordine excalfacientium, & tenuitatem substantiæ adiunctam habet. Dioscorides hanc in vino potam aduersus phalangiorum morsus auxiliari refert: expurgare verò & menses ac secundas. in sorbitione verò coctam phthisicis vtiliter exhiberi.

De Scandice. CAP. XI.

EX syluestrium olerum numero Scandix est: folia habet tenuiora quidem quàm luteæ radicis Pastinacę, latiora verò crebriusque dissecta, nigriora item minusq; odorata, quam Chęrefolij: cauliculus dodrantalis: vmbellæ angustæ: flosculi candiduli: semẽ longum in mucronem extenuatum, rostellis, aut citiùs crassis magnisque acubus simile. perquam exiguæ radiculæ subsunt.

In aruis pingui lætoque solo exit: & non rarò inter ipsas segetes, non modò in Italia, verùm & in Belgio.

Maio ac Iunio mensibus præcipuè viget. Scandicem Latini appellant, à Græcis mutuato nomine, quibus Σκάνδιξ est. Inter nothas autem voces reperitur Romanos Scanarıam herbam & Aculam vocare. Acula autem à semine acum referẽte aptè dicitur. Ruellius hanc sub Pectinis Veneris nomine describit. Apud Hispanos alicubi in forum venalis infertur, ac editur: *Quixones* vocant. Belgæ Naeldekeruel: Angli Pinke nelde/ & Stozkes byll nuncupant. Hæc est, Plinius lib XXII. cap XXII ait, quam Aristophanes Euripidi Poetæ obiicit ioculanter: matrem eius ne olus quidem legitimum venditasse olim, sed Scandicem.

Pecten Veneris.

Scandix autem, vt Galenus ait, olus subacre est & amarum, adeò vt in siccando & excalfaciendo aut secundi ordinis intensi, aut tertij sit incipientis. Crudum & coctum, Dioscorides ait, manditur stomacho & ventri vtile. Decoctũ eius vesicæ, renibus, & iocinori confert.

De Gingidio. CAP. XII.

Gingidium primum.



Gingidium alterum.



GINGIDIVM, Dioscorides ait, βοτάνιον siue exigua herba est, Pastinacæ sylvestri similis, tenuior, & amarior: radicula subalbida & amaricans. Duo autem Gingidia nostra ætas exhibet.

1. Primum folio est Pastinacæ, cauliculo rotundo, striato, geniculato, ac quandoque subnigricante, & hirsutulo in ramulos distributo: in quorum fastigiis eminẽtes vmbellæ, aliquot circumambientibus foliolis stipatæ, flosculos edunt albidos, succedente semine; quo ad maturitatem peruenіente, vmbellæ similiter, vt Pastinacæ sylvestris, contrahuntur, & tactu aliquantulum glutinosæ sentiuntur. radix parua & albida. Amara autem huius herbæ folia, tum & radix est.

2. Alterum Gingidium Pastinacam sylvestrem quoque satis refert, teneriora tamen, læuiora, minusq; pilosa huius apparent variè dissecta folia. caules geniculati satis respondent. flosculi similiter albidi: contrahuntur & huius vmbellæ semine maturo, quarum pediculi nonnihil odorati, adeò duri tandem redduntur, vt ad expurganda ea, quæ dentibus à cibo inhærent, dentiscalpiorum vicem suppleant. Et huius quoque folia ac radices amaricant.

Vtrumque in Syria nascitur, & plerumque in Cilicia: postremum verò & in Hispania alicubi reperiri fertur.

Quod

Quod Græcis Γιγγίδιον, Latinis etiam Gingidium est: in Syria verò etiam Lepidium & aliud tamen Lepidium est, de quo posterius agetur. A Romanis Bisacutum dici inter nothas ac reiectas voces extat, cuius nominis, apud Syros, reliquum vestigium est: quibus alterum Gingidium, vulgò Visnaga dicitur.

Gingidij autem maximus est, Galenus in lib. De aliment. facult. ait, in Syria prouentus, manditurque non aliter, quàm Scandix apud nos Pergami stomachumque admodum iuuat, siue crudum, siue elixum ipsum mandere velis. Perspicuum autem quòd medicam eritum potius quàm alimentum. Sicuti autem gustu amaritudinem & adstrictionem præ se fert, sic & temperie caliditatem & siccitatem: caliditatem verò non admodum conspicuam obtinet, duobus autem numeris desiccat. Idem in lib. De simp. medic. facult.

Dioscorides eadem quoque habet. Olus hoc crudum, ait, coctum, conditumque estur magna stomachi vtilitate. vrinam cit: decoctum ex vino potum vesicæ prodest.

De Asparago. CAP. XIII.

Asparagus hortensis.



Asparagus syluestris siue Corruda prior.



ASPARAGI duo sunt: hortensis siue altilis vnus: syluestris alter.

Hortensis Asparagi caulis posteaquam adoleuit crassus, durus, ac rotundus, bicubita- 1.
lis, ac non rarò altior, in multos ramulos diffunditur, qui foliolis conuestiuntur mollibus, virentibus, copiosis quidem, sed exiguis, & capillamenti instar tenuibus. Flosculi secundum ramulos exeunt minuti. succedunt baccæ per maturitatem Corallij similitudine rubentes, rotundæ, Ochri magnitudine, in quibus aliquot nigra semina conduntur: radices sunt multæ, crassæ, molles, spongiosæq; fibræ, ab vno capite dependentes, & in omnē partem sparsæ.

Seritur autem huiuscemodi Asparagus in hortis, pingui, humido, beneque subacto loco. Hyeme vel stercus, ait Columella, vel cinis iniiciendus, vt succus eius pluuiis manans ad radicem perueniat. Palladius solum quoque stercore tegi præcipit, sed per hyemem super stramina iaciendum, & primo Vere tollenda.

Contingit verò & huiuscemodi Asparagum quandoque spontè & citra culturam prouenire, & locis quidem humentibus ac herbosis, veluti in pratis, in quibus haud procul Moguntia frequens reperiri fertur. Exiguum hic ab hortensi differt, nec ab eo genere aut specie,

Asparagus syluestris alter.



Asparagus syluestris tertius.



sed cultura tantummodo differens est. quæ speciosiora & ampliora omnia reddit.

Cauliculorum prima rudimenta Aprili erumpunt, & dum adhuc tenera sunt, cruda, sed sæpius cocta eduntur, quę nisi citò decerpantur in caulem assurgunt: cui adnascentes fructus sub finem æstatis maturitatem consequuntur.

2. Syluestres Asparagi caulibus ac ramulis satiuum referunt, sed quæ huic mollia, inermia, tenuiaque veluti capillamenta, acutæ syluestribus, duræ, & pungentes (exiguæ licet & tenues) spinæ sunt. differentia verò & inter hos: vni etenim spinæ frequentiores: alteri rariores ac pauciores: baccæ rotundæ sunt, huic quidem nigræ, priori verò cineritio colore sordentes. radices ambobus quales satiuo, aut breuiores paulò.

3. Tertium verò & quendam syluestrem describit C. Clusius, acutis secundum ramulos alterno ordine dispositis, duris, horrentibus, & candicantibus spinis deorsum nutantibus, circa quos quina senáve cohærentia foliola longiora, molliorаq; quàm prioris syluestris, quæ commanducata subdulcia sint, & lenti aliquid habeant. Flosculi huius deinde & fructus ex longis dependet pediculis carnosus, initio virens, sed per maturitatem rubescens, rotundus quidem, sed tricocci speciem referens. radix multiplex veluti aliorum.

1. Syluestrium horum prior locis petrosis, tum in agris, ac iuxta sepes in Castellæ ac Granatæ regnis à C. Clusio repertus: nascitur verò & idem in Narbonensi Gallia.

2. Alter in petrosis quoque in Bętica inuentus.

3. Tertius verò in Lusitania locis sabulosis. Meminit verò & syluestris in Creta nascentis Petrus Bellonius Singularium lib. primo, cap. XVIII.

Appellatur autem qui hortensis est, Græcis quidem ἀσπάραγος, nonnullis ἀσφάραγος: Latinis similiter Asparagus: Officinis Sparagus, & Speragus: Germanis Spargen: Gallis *Asperges*: Belgis similiter Asperges, & quandoque Coraelcruyt/ id est, herba Coralli, à baccis coralli instar, vt dictum est, rubentibus: Italis *Asparago*: Hispanis *Esparragos*: Anglis Sperage aut Sperache: Bohemis Chromowe korenij.

Per eminentiam autem siue ἐξοχὴν Asparago nomen datum, quòd videlicet huius, reliquarum omnium stirpium Asparagis præferantur. Propriè siquidem Asparagus primum germen cuiusque stirpis, præsertim tenerum ac prius quàm in caulem abiens durescat vt

sunt

sunt Lupuli primi turiones, item Vitis syluestris, Bardanæ, Rubi, Oxyacanthæ acidæ, Sambuci, & aliorum similium.

Syluestris Asparagus propriè μυάκανθα, hoc est, muris spina, & ἀσπάραγος πετραῖος, siue petræus Asparagus dicitur. Latinis etiam Asparagus syluestris, & Corruda: Officinis incognitus est.

Recens autem enati turiones siue Asparagi quandoque in pinguium carnium iure decocti eduntur: vel in aqua cocti, cum oleo, aceto, & exiguo sale acetarij loco inferuntur. Ori autem grati sunt: facile concoquũtur: aluum leniter molliunt: vrinas nonnihil promouent: renibus & vesicæ vtiles: alimentum verò corpori exiguum, & humidum, non tamen vitiosum adferunt. Semen genitale augere, & ad Venerem excitare existimantur.

Radices autem cùm satiui, tum syluestris Myacanthæ citra manifestam caliditatem ac siccitatem extergendi vim habent: renes & iecur ab infarctu liberant: pectori ac pulmonibus prosunt. Decoctum earum dentium doloribus mederi, Dioscoridis est.

Commendatur vero & semen ad eadem.

De Crithmo. CAP. XIIII.

Crithmum marinum.



Crithmum spinosum.



CRITHMI siue Crithami aliquot genera posteritas obseruauit.

Primum fruticosum & vndequaque foliosum est: caulibus quandoque cubitalibus: 1.
foliis pinguibus, numerosis, in particulas dissectis, quarum singulares longiores quàm minoris Portulacæ, gustu cum exigua salsilagine aroma referentes. vmbellæ in summo culminantes flores proferunt candidos. semen succedens ceu Libanotidis est, & odoratum. tres aut quatuor radices cohærent grati ac iucundi odoris.

In rupibus ac scopulosis littoribus maritimis Italiæ, Hispaniæ, & Galliæ nascitur, & abundè frequens est.

Proximum genus priori simile est, sed caulis geniculatus, procerior. folia in angustiora se- 2.
gmenta diuisa, duro mucrone pungentia ac spinosa. semen maius est, oblongum, & spinis obsitum. radix oblonga, Pastinacæ albæ sapore & figura, esui apta.

Tertium Crithmum complures ab vna radice cauliculos promit, foliis circumdatos mul- 3.
tis oblongis, extrema parte dissectis, crassioribus, latioribusque quàm Abrotoni, in quorum

fastigiis

Crithmum Chrysanthemum.



fastigiis flos exit Chrysanthemi æmulus, medio videlicet disco & orbiculato ambitu luteus.

Hæc duo genera rariora sunt: gignuntur tamē alicubi haud procul à mari, & spinosum quidē in Narbonensis Galliæ sabulosis maritimis.

Κρίθμον siue κρῆθμον, a Galeno verò κρίθμον Græce dicitur: Latinis eadem vox manet: à nonnullis verò & Bati. In Belgij Officinis Creta marina. Petro Crescentio Cretamū & Rincum marinum: Germanis Meerfenchell: Italis Fœniculus marinus, *Fenocchio marino*, *Herba di San Pietro*. vnde & à nonnullis Sampetra: Hispanis *Perexil de la mar*, *Hinoio marino*, *Fenol mari*, & *Funcho marinho*. Gallis *Bacille*, & *Fenoil marin*: Et hęc quidē prioris nomina sūt.

Reliqua duo reuera & Crithma sunt: sed recentiorum pleriq, aliò pertrahere conantur: nam secūdum, Pastinacam marinam quidam appellat: tertium verò, Astera Atticum marinum facit. Nobis verò, sicuti & Matthiolo, inter Crithmi genera recipere magis placuit. & alterū quidem Crithmum spinosum, tertium verò Crithmum Chrysanthemū nuncupare.

Cęterùm Crithmi vis, vt Galenus ait, exsiccatoria est & abstersoria. Dioscorides radicem, semen, & folia vino incocta vrinæ difficultati ac regio morbo auxiliari tradit: menses item & ciere. edi verò & crudum & coctum olens modo, tum & in muria asseruari.

In muria autem conditum quandoque in Belgium infertur, quod coctum, veluti Cappares cum oleo & aceto mandirur. Gratū autem admodum ciborum condimentum est: vētriculo bene facit: iocinori, lieni, renibus, ac vesicæ prodest: vrinam moderatè prouocat: viscera ab obstructionibus expedit: appetentiam ciborum excitat.

Sinapi satiuum prius.



De Sinapi. CAP. XV.

SINAPIOS tria sunt genera: satiua duo. & syluestre tertium.


Satiuo priori Rapo similia sunt folia, asperiora tamen & minora: caulis rotundus, asper, & hirsutus, bicubitalis vel altior, ramulis aliquot brachiatus, circa quos flosculi ordine digesti, colore lutei: siliquæ deinde oblongæ, tenues, asperæ, in quibus semen globosum, maius quam Rapi, colore luteum, gustū acre ac mordax.

Alterum satiuum foliis, ramosis caulibus, vtrisque asperis, floribusque luteis prius refert, sed semen huius non luteum, sed è nigro subruffum, interiore medulla è luteo virescens: quod & similiter nō parū acre aut mordax est.

Syluestre à satiuis minore procentate differens est: flosculi quoque lutei sunt, quadrifolij: semen in siliquis subrubet, nec minoris tamen, quàm reliquorum, acrimoniæ.

Satiua in agris ac hortis seruntur. Terram diligunt,

Sinapi satiuum alterum.



Sinapi syluestre



diligunt, vt inquit Palladius, aratam, & si fieri potést congestitiam. gaudent humore.

Syluestre vbique sponte nascitur, asperis, petrosis, & ruderatis locis, quandoque verò etiam humentibus.

Primo tempore Sinapi seri potest: Iulio aut Augusto semen maturum reddit, perficitur siquidem eodem anno.

Græcorum quidem reliqui σίνηπι: Atticorum verò nemo, vt apud Athenæum legitur, σίνηπι, sed νάπυ dixit. Latinis Sinapi est: Barbaris Sinapium Germanis Senff: Gallis *Seneue*, & *moustarde*. Belgis Mostaert saet: (quod autem ex semine condimentum conficitur, Mostaert simpliciter appellatur) Italis *Senape*: Hispanis *Mostaza*, *mostalla*, & *mostarda* Anglis Mudsterd/ Senuye: Bohemis Horcice. Plinius Sinapi etiã à quibusdã Thlaspi: ab alijs Saurion dici refert.

Satiui semen quod luteum & maius Belgij Officinæ pro Erucæ semine exponunt & vendunt: vulgò tamen wit mostaert saet nominatur, id est, Sinapios albi semen.

Alterum Sinapios nomine cognitum: & ex hoc condimẽtum conficitur, quo ad ciborum intinctus vtuntur. Vtrunque autem Sinapi hortense, & σίνηπι κηπαῖον est.

Tertium σίνηπι ἄγριον dicitur, & Sinapi syluestre. Germanis wilder Senff: Brabantis wilden Mostaert: Gallis *Seneue sauuage*. Hispanis *Mostaza saluage*. Italis *Senape saluatica*.

Sinapios autem semen, quod præcipui vsus, calfaciendi, extenuandi, & extrahendi vim habet. Excalfacit verò, vt Galenus ait, & resiccat ordine quarto.

Commanducatum pituitam elicit, & dentium dolores mitigat tritum naribus appositum sternutamenta cit, & feminas ab vtero strangulatas excitat: epilepticis prodest. Lethargicis deraso capite emplastri modo imponitur. cum ficis admistum, & donec locus rubescat admotum Ischiadicis: ad omnes item diutinos ex frigida causa dolores cõfert conducit quoq; cùm ex alto aliquid in superficiem attrahendum est. Extrahentibus emplastris necnon scabiem extenuantibus vtiliter admiscetur. Alopeciis impositum auxiliatur. Suggillata cum melle, adipe, & cerato delet: cum aceto contra lepras & feras impetigines illinitur: tum & contra scorpionum ac serpentum ictus. Breuiter Sinapios seminis magna vis est, non modò ad nares, sed & ad cerebrum etiam penetrans. Quod facilè percipitur, quando nimium condimenti ex Sinapi cum cibo assumitur, mox enim nares impetũtur, cerebro etiá consentiẽte.

Fit

Fit autem ex semine Sinapios, quo Germania & Belgium frequenter vtitur, condimentum, quod & Sinapi dicitur, vt plurimum cum aceto, quandoq; verò & cum vino musto.

Palladius vero ex Sinapi condimẽrum componere docet, cui preter acetum, mel & oleum adduntur. Sinapis semen, inquit, ad modum sextarij vnius & semis redigere curabis in pulverem, cui mellis pondo quinque, olei Hispani vnam libram, aceti acris vnum sextarium misces, & tritis omnibus diligenter, vteris.


Columella autem lib XII cap. LV. multò alium modum ostendit Semen Sinapis, inquit, diligenter purgato & cribrato: deinde aqua frigida eluito, & cùm fuerit bene lotum, duabus horis in aqua finito postea tollito, & manibus expressum in mortarium nouum, aut bene emundatum conicito, & pistillis conterito. cum contritum fuerit, totam intritam ad medium mortarium contrahito, & comprimito manu plana, deinde cùm compresseris, scarificato, & impositis paucis carbonibus viuis, aquam nitratam suffundito, vt omnem amaritudinem eius, & pallorem exanict deinde statim mortarium erigito, vt omnis humor eliquetur. post hoc album acre acetum adiicito, & pistillo permisceto, colatoque. Hoc ius ad rapa condienda optime facit. Cæterùm si velis ad vsum conuiuiorum præparare, cùm exanieris Sinapi, nucleos pineos quàm recentissimos, & amygdalum adiicito, diligenterque conterito infuso aceto. Cætera, vt suprà dixi, facito. Hactenus Columella.

De Eruca. CAP. XVI.

Eruca satiua.



Eruca syluestris.



DVPLEX Eruca est: vna hortensis & satiua: altera agrestis.

1. Caule cubitali satiua assurgit Eruca: folio longo, angusto, vtrimque profundis incisuris laciniato: flosculis secundum ramulos quadrifoliis sublutei: semine in siliquis oblongis Rapi ac Napi simili. radix candida ac restibilis est.

2. Agrestis siue syluestris Eruca caule, foliisque satiua minor est: flores lutei: siliquæ verò etiam tenuiores. cætera respondent.

Satiua in hortis colitur, quandoque verò & inter rudera veterũ ædificiorũ spontè gignitur.

Syluestris secus vias incultis locis nascitur.

Viget ac florem vtraque profert Iunio ac Iulio mensibus.

Erucam

Erucam autem Græci *εὔζωμον* nominant: Germani Raucken/Rauckenkraut: Galli *Roquette* Belgæ Raket: Itali *Ruchetta*, & *Rucola* Hispani *Oruga*, & *Arugua* Angli Great Rocket: A Poetis quandoque Herba salax appellatur. Differt autem Eruca herba ab Æruca per diphthongum: hæc siquidem æris corruptela, quæ & Ærugo dicitur. Est verò & Eruca insectum animal oleribus & maxime Brassicis infestum, Græcis *κάμπη*, cuius varias species & metamorphoses, non interest huc referre.

Excalfacit autem ac resiccat Eruca tertio ordine, proinde ipsam solam edere, vt Galenus ait, non est facile, nec verò vsu receptum. Additur cruda in acetariis Lactucæ aut Portulacæ, aliisve frigidis herbis, vt nimio frigori par feruor immixtus temperamentum æquet; vt Plinius rectè ait. Semen generare creditur, & Veneris concitatrix esse. Capiti autem dolorem infert, præsertim si quis sola ea vescatur, auctore Galeno.

Semen eius vrinam quoque mouet, & scorpionum ac muris aranei venenis medetur. Bestiolas omnes corpori innascentes arcet: vitia cutis in facie cum melle illitum emundat; lentigines ex aceto: cicatrices nigras traducit ad candorem cum felle bubulo: Plinius.

De Dracone herba. CAP. XVII.

Draco herba.



DRACONI dictæ herbæ oblonga & angusta sunt folia, obscurè virentia, maiora, longioraq́, quàm vulgaris Hyssopi: cauliculi tenues, ac rotundi, cubitales vel altiores: circa quorum ramulos rotundi exigui flosculi nunquam integrè patentes dependent lutei nigro permixti. radice serpit tenui Graminis modo, qua progerminante multiplicatur.

In hortis colitur, sæpius ramulis quàm semine seritur: Mirabili modo hæc, Ruellius inquit, nasci prædicatur, ex semine Lini, Raphanis aut Scyllę bulbo incluso, & in terram obruto. Matthiolus facto periculo nihil scribit successisse, atq; idcirco eos, qui eo modo nasci tradunt, falli.

Tota æstate in multum Autumnum viret. Iulio autem flosculos facit.

Draconem nostra ætas appellat: Itali *Dragoncellum* Galliæ olitores *Dragon*, quo nomine Belgis ac Anglis innotuit. Existimatur verò Auicennę Tarcon illud esse, de quo cap. DCLXXXVI Sed breuis adeò de hoc Auicenna est, vt certò affirmari nihil queat. Fertur & Dracone herba, quæ & *πολυΐδος*, Glaucus olim in vitam restitutus, de quo in Erasmi Chiliadibus. Differentem verò hanc à vulgari Dracone verisimillimum est.

Acria autem huius Draconis folia sunt: saliuam dum manduntur ciunt: atque idcircò valdè calfacientia.

In acetariis autem eduntur non sola, sed Lactucis addita, quarum etiam frigiditatem temperare non minus, quàm Eruca, possint. Nec alium huius herbæ vsum nouimus.

De Dracone syluestri, siue Ptarmica. CAP. XVIII.

AD Draconis herbæ, si non absolutam similitudinem, facultate certè proximè accedit, quam Draconem syluestrem nominant, & Dioscoridis Ptarmice esse creditur. Cauliculi huius cubitales vel altiores, aliis nonnullis brachiati: foliis conuestiuntur oblongis, forma & magnitudine Oleaginis similibus, sed marginibus crenatis. flosculi in summis virgulis medio disco sublutei, sed circumambientibus plurimis foliolis albidi, minores quàm Chamæmeli. radici multæ adhærent fibræ. 1.

In montosis, saxosis, iam & circa margines quandoque agrorum vel pratorum, locisq; vmbrosis nascitur: ad hortos verò etiam transfertur, in quibus citò multumq́ue luxuriat.

Cum flore Maio, Iunio, ac Iulio mensibus viget.

Alterum verò & huius genus habetur, foliis quoque oblongis & angustis veluti Oleæ s co- 2.

Draco syluestris siue Ptarmice.



Ptarmice Austriaca.



liculis quandoque cubitalibus, fastigiante in singulis flore eleganti mediocris magnitudinis, medium cuius discum XIIII aut XV. oblonga orbiculariter cingunt foliola, diluto rubore purpurascentia, è capitulo hic prodit squamoso. radix recta in altum descendit.

In campestribus superioris Pannoniæ siue Austriæ, ac in Morauia non rarò occurrit.

De prioris autem nomine non omninò conuenit. Sunt qui velint Pyrethrum dici syluestre: aliis verò Draco syluestris aut Tarcon videtur esse syluestre, quod magis placet: Nam Draconem foliis referre potest, cum Pyrethro autem similitudinem habet nullam.

Leonhartus Fuchsius hanc Dioscoridis Ptarmicen esse iudicauit: quadrant caules, folia, & floris forma: sed florem odoratu vel acrem esse, vel sternutationem excitare, nondum Belgis exploratum. Ptarmice siquidem, vt Dioscorides ait, θάμνιον, siue exiguus est frutex; ramulos habens λεπτοὺς, tenues, multos, rotundiores, similes Abrotoni, atque circa hos folia oblõga, qualia Oleæ, multa, in summo capitulum veluti Anthemidis paruum, rotundum, odore acre & sternutationem excitãs. Potest autem in frigidis regionibus ignauior vis huius esse, quàm in calidioribus. In calidis siquidem omnia odoratiora & efficaciora, vt Theophrastus ait, gignuntur. Ptarmices autem Plinius & Theophrastus non meminerunt. quod suspicionem nonnullis adfert, nullam esse πταρμικὴν propriè dictam, & eandem cum Struthio hanc esse.

Ptarmice Struthion. Πταρμικὰ siquidem generali voce Græcis dicuntur, quæcunque sternutationem excitant: inter quæ & Struthion. Quod si ita se habet, eademq́; sit Ptarmice cum Struthio, syluestris Draco nequaquam Ptarmice erit: nam Struthion spinosa stirps est, caule ferulaceo, tenui, lanuginoso, foliis Oleæ, vt Plinius lib. XIX. cap. III. scribit. qualis modò descripta non est.

Alteram Matthiolus pro Ptarmice quandoque etiam habuit, sed postea mutata sentẽtia, Fuchsij iudicium amplexus, priorem quoque pro Ptarmice habet, & hanc quasi alteram eius speciem facit.

Facultate autem & viribus Draco syluestris hortensi non est inferior: excalfacit & resiccat: gustu acris & feruens. Adduntur verò & Lactucis aliisq́; acetariis huius folia, quorum frigiditatem, veluti Eruca & Draco, corrigunt quoque ac temperant.

De

De Nasturtio CAP. XIX.

Nasturtium hortense.



ANGVSTA, laciniata, ac dissecta, non tamen magna Nasturtio sunt foliola: cauliculi rotundi, pede altiores, flosculis primum albidis, deinde valuulis paruis rotundiusculis grauidi; in quibus semen ruffo colore rubens.

In hortis seritur: quocunque solo prouenit, præsertim si rigetur.

Quouis anni tempus, excepta hyeme, ad sationem eius commodum: celeriter enascitur: citò quoque in caulem assurgit, ac semen perficit quod tamen serius satum est, non ita citò attollitur.

Græcis κάρδαμον à quibusdam & κλεινοκάρδαμον: vt inter nothas voces habetur: Latinis Nasturtium: nonnullis verò mutuata, à Germanica & Gallica appellatione, voce Cressio: Germanis Kreß/ & garten kreß: Belgis kersse/ & hofkersse: Italis *Nasturtio*, & *Agretto*. Hispanis *Mastuerço, morrstort*, & *mesturço*. Gallis *Cresson*, & *Cresson du Iardin*: Anglis Garden cresses/ aut Towne cresses: Bohemis Zahradnij Rzerzicha.

Nasturtium autem Latinis appellatum, vt Varro & Plinius scribunt, a naribus torquendis, quodque odore & seminis acrimonia sternutamenta prouocet.

Nasturtij autem herba acris & mordax est: potenter idcirco excalfaciens ac resiccans: sed minus tamen cùm adhuc virens & tenella est, propter aqueæ humiditatis admixtionem acrimoniam eius obtundentе, adeò vt cum pane veluti obsonium, vt Galenus ait, hoc vti liceat: veluti non rarò apud Belgas, qui Nasturtio cum pane & butyro mense Maio frequenter vescuntur. Acetariis verò & inditur, veluti Draco & Eruca: atque huius causa maximè seritur. Facit eadem ad graue illud malum, quod Germani Scorbutum appellant: nec minor est huius, quàm vel Cochleariæ, aut Nasturtij aquarilis, in hoc morbo vis & facultas.

Semen Nasturtij multò acrius est quàm herba calfacit & desiccat ordine propemodum quarto: adurentis facultatis particeps, & inter rubefacientia siue φοινιγμοὺς non postremo est loco: proinde ad coxendicis dolores, aliosque veteres, qui rubefieri postulant, conducibile. Lienem cum melle impositum extenuare & reprimere Diosc. ait: Cum aceto autem ac polenta ischiadicis auxiliatur, & œdemata ac inflammationes discutit: lepras & impetigines abstergit: furunculos, quos Græci δοθιῆνας, cum muria ad suppurationem ducit. Sorbitionibus admixtum quæ asthmaticis exhibentur, crassos thoracis humores valenter incidit ac educit. Stomacho autem, referente Dioscoride, inimicum est: aluum turbat: lumbricos pellit. lienem imminuit: menses cit: fœtus enecat: venerem tamen excitat.

Ex alto delapsis aut præcipitatis datum confert: sanguinem coagulatum dissoluit, & ne alicubi in corpore coëat aut coaguletur præcauet: sudorem etiam mouet, vt recentiorum experientia inuentum ac comprobatum.

De Barbarea. CAP. XX.

BARBAREA Rapum ac Napum foliis æmulatur, quæ tamen læuiora, ac minus aspera sunt. caulis rectus, striatus, cubitalis, qui a medio fere ad fastigium vsque tam ipse quam eius ramuli flores promunt luteos, ac siliquas oblongas, teretes, in quibus exiguum & colore ruffum semen. radix mediocriter crassa & oblonga est

In campis ac hortis in quibus olera serũtur, tum & alibi, veluti secus semitas ac vias quandoque nascitur.

Tota hyeme viret: flores Maius, Iunius semen largitur.

Germani Sant Barberen kraut nominant, Latinè Barbaream idcircò vocauimus: Belgis

Barbarea.



1.

Pseudobunium

Winter kersse dicitur, hoc est, Cardamum siue Nasturtium hybernũ, quòd videlicet Nasturtij loco acetariis hyeme addatur: à nonnullis verò Steencruyt/ à facultate qua aduersus calculum pollere fertur.

Dioscoridis autẽ ψευδοβούνιον, hoc est, falsum Bunium esse videtur: folia siquidem & ramulos cum floribus ac siliquis Napi fert, & gustu acre est, quale Pseudobunium esse ipse scribit. Nõ est autem Sideritis, aut aliqua eius species, vel Scopa regia, vt nonnullis visum.

Cæterùm Barbarea valdè excalfacit ac resiccat, vtpote sapore acris, & Nasturtio facultate assimilis est. Acetariis verò & additur, hyeme præsertim, cùm Nasturtij copia deest: in quibus quod illud potest.

Medetur verò & eadem Scorbuto non minus quàm Nasturtium. Semen admodum quoque acre, calidum ac siccum, adeòque tenuium partium, vt vrinas euocet, & cohærentes calculosas harenulas dissoluat ac expellat.

De Thlaspi. CAP. XXI.

THLASPIOS tria genera nostra obseruauit ætas.

Primum latioribus est foliis atque oblongis, vtroque margine nonnihil incisis: caule pedem alto non absque adnatis ramulis, circa quos flosculi primùm albidi, postea verò planæ rotũdiuscu-

Thlaspi latius.



Thlaspi alterum.




culæ

Thlaspi minimum.



Draba siue Arabis aut Thlaspi Candiæ.



culæ valuulæ, superiore parte fissæ ac infractę, in quibus semen nigricās, acre, & feruens gustu, album etiam simul nonnihil resipiens. radix tenuis est.

Alterius folia minora sunt & acuminata: caulis similiter ramosus & paris altitudinis: cauliculi quoq; ramosi: flosculi albidi. valuulæ planæ, rotundæ ac infractæ, sed minores multò: semē acre, mordax, Nasturtio simile. 2.

Tertium cauliculis tenuissimū est, sed magis ramosum: folia exilia, valuulæ minimę: semen valde exiguum, non tamē minus quàm superiorum, acre aut feruens. 3.

Iuxta vias, sæpe in agris, locis non rarò saxosis ac incultis Thlaspi gignitur. In Bohemia ac Germania frequentia sunt: Rheni saxosam amant ripam. Galenus Thlaspi in Cappadocia ac Creta natum commēdat, sed peculiariter ex Sauro asportatum, quod optimum esse ait, & nec Cretico, nec passim nascenti simile. lib.1 De Antidotis.

Thlaspi cum maturo semine à mense Iulio vsque in Augusti finem reperitur.

Hoc herbæ genus Græci θλάσπι, à fructu qui scutum exiguum infractum refert, nominant. Extant verò & alię eius inter nothas voces appellationes: vt, θλασπίδιον, σίνηπι περσικὸν, σίνηπι ἄγριον, μύωτις, μυόπτερον, δισμοδαῖον, ϐίζον, Scandulaceum, Capsella, Pes gallinaceus. Nec desunt recētioribus sua nomina, quibus Nasturtium tectorum, & Sinapi rusticum dicitur Germanis Baurnsenff/ baurnkreß/ wilder kreß: Brabantis Wilde kersse/ borten kersse / Gallis *Seneue sauuage*.

Primum genus à nonnullis in Belgio Visselcruyt/ & Scorodothlaspi: tertium à Germanis Bysemkraut/ hoc est Brabantis Bessemcruyt, quandoque nuncupatur.

Dioscorides & aliud præterea Thlaspi à Cratena traditum refert, foliis latis, magnis radicibus. quod esse videtur vulgò Bolbonac dictum, āc lib.1. Pempt. secundæ Violę latifoliæ nomine descriptum extat. *Thlaspi Crateua.*

Thlaspios autem semen facultatem habet, vt Galenus ait, acrē: Internos abscessus rumpit: menses mouet: fœtus enecat: per sedem infusum sanguinolenta euacuans ischiadicis prodest: bilem per inferna & superna acetabuli mensura potum expurgat, auctore Diosc. Admiscetur verò & antidotis veluti Theriace, & aliis eiusmodi.

De Draba siue Arabi.

CAP. XXII.

DRABA caule assurgit pedalis altitudinis, aut proceriore, in tenues ramulos sparso foliis oblongis, angustis: fastigiantibus muscariis cū flosculis è cæruleo rubroq; permixtis, vtrisq; dilutis, elegāter purpurascentibus. succedunt thecæ paruæ infractæ, alterius

Thlaspios magnitudine; in quibus semen similiter acre veluti Nasturtij.

Huius verò & species quædam flosculis in vmbellis candidis, veluti Sambuci.

In Pannonia superiore, Austria nunc dicta, locis incultis, & secus vias hæc nascitur.

Iulio ac Augusto mensibus florem ac semen profert.

Græcis Δράβη dicitur, vel Ἀράβις facili lapsu ex Δ in A. Latinis Arabis & Draba à Plinio lib xxvii. cap. ix. Dryophonon vulgò Thlaspi Candiæ.

Feruentis gustus, ac potenter idcirco excalfaciens huius non minus quàm Thlaspios semen est. Admisceri verò idipsum aridum obsoniis, maxime in Cappadocia, Dioscorides ait: herbam verò vnà cum ptisana coqui, cui incocta ad crudorum humorum pectori inhærentium concoctionem & expurgationem conferre potest.

De Irione. CAP. XXIII.

Irio siue Erysimum.



IRIO foliis ab vtraque parte profundius incisis Erucam vel potius Sinapi refert. cauliculi tum & ramuli tenues sunt, lenti admodum ac obsequiosi, ac flecti faciles, quibus adhęrent flosculi lutei, ac deinde siliquæ teretes, tenues, oblongæ, graciliores quàm Fœnogræci, in quibus semen exiguum veluti Nasturtij, feruentioris gustus.

Locis saxosis, iuxta rudera, secus semitas, aliisque incultis ac desertis, subinde nonnihil humentibus reperitur.

Flores & semen & hæc Iulio & Augusto perficit.

Irionem Græci ἐρύσιμον vocant nonnulli verò & χαμαίπλιον, Chamæplium: Describitur autem istud a Dioscoride. Theophrasto autem aliud est Erysimum: illud videlicet quod Dioscorides Myagrum appellat, vt lib. 2. cap. XXIII. quartæ Pempt. latius scriptum est. Hallucinantur autem non parum, qui Irionem Verbenæ speciem existimant, & Verbenam feminam nominant.

At Irionis semen sicuti gustu Nasturtio apparet simile, ita, Galenus ait, & facultate igneum est & excalfactorium: est verò & simul extenuans. Facit autem ad thoracis rheumatismos, suppurationes, tusses, icterum, & coxendicum dolores cum melle delinctum. Vbi autem in eclegmate vti eo expedit, præstat aqua maceratum refrigerari, aut linteo inuolutum, & massa pistoria oblitum, perassari.

Bibitur verò & aduersus mortifera venena, addit Dioscorides, quod cum aqua & melle cataplasmatis in modum impositum occultis prosit canctis, parotidibus, duritiis, & mammarum testiumque inflammationibus.

De Iberide. CAP. XXIIII.

MVLTIS tenuibus ramulis à cubitali cauliculo prodeuntibus Iberis luxuriat: folia ei parua, oblonga, angusta veluti Nasturtij: flosculi secundum ramulos albidi, exiguæque valuulæ, in quibus semen. radix longa, sensim attenuatur, intus forisque candida, sapore acris.

Iuxta veteres muros, & inculta itinerum in Italia alibique prouenit: apud Belgas non nisi hortensis est.

Græcis ἰβηρὶς & καρδαμαντικὴ à nonnullis & Galeno λεπίδιον à Plinio Latinè Hiberis, Nasturtium syluestre, & similiter etiam Lepidium. Aliud tamen & Lepidium latioris est folij Plinianum, proximo capite describendum. Existimatur verò & istud herba esse Grias dicta, de quo Apuleius cap. XL cuius ad ischiadicos vsus quoque est commendatus. *Grias herba.*

Iberis autem ex quarto est ordine excalfacientium, simile Nasturtio tum odore, tum gustu, tum viribus, sed minus eo desiccat, auctore Galeno.

Radices, inquit Dioscorides, calfacientes & adurentes, quæ vtiliter cum pinguedine porcina

Iberis.



cina salsa cataplasmatis in modum ischiadicis horis quatuor imponitur, si deinde in balneum descendatur, & postea locus oleo cum lana perungatur. Quæ & latius à Damocrate aliquot carminibus explicantur apud Galenum lib. ix. De medic. secūdum locos his verbis extantibus:

Herba hæc vbique multaq́; frequens nascitur,
Monumenta iuxta antiqua, muros & veteres,
Tritasq́; quondam publicè pedibus vias,
Quas iuxta aratrum duxit haud quis agricola,
Semper virescens, foliis Nasturtij
Florentibus Vere, at tamen maioribus.
Caulem cubitalis longitudinis gerit
Paulo minorem aut rursus ampliorem, ab hoc
Aestate pendent folia, donec multa hyems
Sarmentitiam deducat hæc ad imaginem, &
Detecta & exiccata depereant gelu.
Adnata radici tamen cernes alia.
Aestate florem fert colore lacteo
Multum tenuem variumq́; valde cauliculum.
Ad quem sequitur semen penitus sic exiguum,
Visum ferè vt fallens, oculos quoque effugiat.
Odorem habet radix at inde acerrimum,
Vero similem quàm maximè Nasturtio,
Hanc erutam larga satis cape copia
Aestate, nam tunc optima & fortissima est
Adhuc recens, siccato fit sed debilior.
Tusam hinc probè, (nam difficulter tunditur)
Pauca subactamq́; excipies axungia,
Cruriq́; toti & maximè coxendici
Adhibebis, & ligabis, & sines duas
Horas mulieribus, viris sed quatuor.
Hinc balneo inductos, nec vllo ex vnguine,
Nec smegmate vllo pinguiore collines,
Sudore sed modico exiliente, in solium
Merges, iubens perferre, nam mordacitas
Ingens, caloris sensus atque exoritur.
Verùm hinc rigatos leniter producito.
Illoti enim quamuis manibus sint plurimum,
Exibit attamen suis pedibus valens
Quicunque consilium hoc bonum susceperit.
Ad multum oleum miscebis hinc vinum modicum:
Et concuties, & illines lotos eo.
Ac mox madore terso & pinguitudine,
Totum teges crus mollibus tu velleribus,
Iubens obire assueto vitæ munia,
Quæcunque vult, & non grauatim suscipit.
Hoc auxilium certum atque constans integrè est.
Et nullo alio adiiciendo et simul indigum.
Quare dolore ablato adora radiculam,
Cuius beneficio tibi sanitas data est.
Quod si tamen inde affectionis vestigium
Quoddam superſit, post repetes hoc præsidium,
Diebus vt multum decem his præteritis.

De Lepidio Pliniano. CAP. XXV.

LEPIDIO huic folia sunt oblonga, lata, è cæruleo virentia, Laurinis maiora, molliorque, ambitu verò etiam crenata: caules cubito altiores, teretes, ac lenti; quorum ramulis flosculi adnascuntur candidi, semenque exiguum. radix albida, serpit & non nullibi progermi-

Lepidium Plinij.



nans stirpem multiplicat, veluti Rhaphanidis magnæ.

Apud Belgas temerè fuerit alibi quàm in hortis requirere, in quibus diutine radix viget: vmbrosa autem amat loca, & nō omnino arida.

Vere folia erumpunt. Iunio ac Iulio apparent flosculi.

Describitur istud Lepidiū à Plinio lib. xix. cap. ix. Exit, ait, in cubitalem altitudinē foliis Laurinis, sed mollibus. Dicitur idem & à nonnullis Raphanus syluestris, aut potius Raphanis syluestris item & Piperitis. Est tamen Piperitis etiam Capsicum, de quo mox. Germani Pfefferkraut nominant. Belgæ Peperkruyt: Galli *Passerage*. Angli Dittanmer.


Huius autem folia, sed præcipuè radices, vehementer quoque excalfaciunt, vtpote feruida & acria gustu.

Inter vrentia, inquit Plinius lib. xx. cap. xvii. intelligitur. Sic & in facie cutem emendat exulcerando, vt tamen cera & rosaceo facile sanetur. Sic & lepras & psoras tollit semper facile, & cicatrices vlcerum.

De Capsico. CAP. XXVI.

CAVLICVLVM promit Capsicum virentem, nōnihil striatum, cubito quandoque longiorem: folia oblonga, latiuscula, læuia, hortensis Solani ferè similia, sed angustiora, ac ma-

Capsicum oblongioribus siliquis.



Capsicum recuruis siliquis.



Capsicum latis siliquis.



Capsicum minimis siliquis.



gis acuminata: secundum ramulos flosculi è foliorum alis apparent candidi, vt plurimum quinquefolij, vmbilico medio asterisci instar virente: siliquæ forma & magnitudine differentes postea sequuntur, initio quidem virentes, sed per maturitatem eleganti rubētis Corallij colore, ac nitore resplendentes; in quibus exiguum planum, ex diluto luteo subalbicans semen, gustu Piperis modo acre, veluti & ipsa est siliqua: Sunt autem hæ quandoque oblongæ, & instar digiti rectæ, aliâs oblongæ quidem, sed corniculi modo recuruatæ: nónunquam latiores, & cordis turbinatam figuram referentes: rotundæ & sphæroides etiam quædam ac minimæ, acredinis autem vehementia omnibus similis.

Aliunde & ex Indiis aduectum apud Germanos ac Belgas in hortis seritur: sed frequētius in fictilibus colitur, sic etenim commodius transferri, & hyeme, quæ huic inimica est, sub tectum deferri potest.

Tarde admodum, & sub finem Autumni demum fructus in Germania maturitatem consequuntur.

Appellatur autem istud ab Actuario Græcè καψικὸν existimatur verò & illud esse, quod ab Auicenna Zinziber caninum dicitur: à Plinio verò Siliquastrum, quod Piperis saporem magisquàm Panax refert; Pipentis idcirco & nominatur, vt lib. XIX. cap XII. feriptum reliquit: Panax, inquit, Piperis saporem reddit, magis etiam Siliquastrum, ob id Piperitidis nomine accepto.

Recentiores subinde Piper vocant Indianum, aut Indicū: aliquando Piper Calecuthium, vel Piper Hispanum: Germani Indianischer Pfeffer/Kalechutischer Pfeffer: Belgæ frequētius Bresilie Pepet/ Bresilianum Piper: quandoque & Peper van Indien: Galli *Guinee*, aut *Poiure d'Inde, & de Bresil.*

Cæterum excalfactorium vehementer ac pariter resiccans Capsicum est, ad quartum vtriusque qualitatis ordinem accedens, multò videlicet calidius ac siccius, quàm Zinziber caninum esse Auicenna tradit. Vtuntur autem nonnulli huius semine Piperis loco, sed non rectè: nam malignum ac venenosum quid obtinet, quo iocinori aliisque visceribus incommodat. Auicenna Zinziber caninum canes scribit interimere.

De

De Pseudocapsico.

CAP. XXVII.

Pseudocapsicum.



PSEVDOCAPSICVM altius ac fruticosius est quàm Capsicum: caules eius quandoque bicubitales, lignosi, ramosi: folia oblonga, latiuscula, læuia, longiora angustioraque quàm hortensis Solani: flores candidi: fructus rotundus, rubens, dilutius tamen quam Capsici: semen in hoc planum nullius aut exigui gustus.

Peregrina etiam stirps, quæ & in fictilibus à Belgis alitur. Diuturnioris autē quàm Capsicum vitæ est, & pluribus annis superesse potest, si hybernis mensibus à frigore caueatur.

A Capsici similitudine Pseudocapsicum nomen inuenit. Sunt qui Solanum rubrum, aut Solanum lignosum esse velint: Sed Solani non est species. Hispani *Guindas de las Indas* appellant.

Temperie autem Pseudocapsicum cum Capsico non conuenit: non excalfaciens siquidem est, sed refrigerans. Quæ autem præterea eius sint facultates nondum exploratum.

LIBRI QVARTI PEMPTADIS QVINTÆ FINIS.

STIR-

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTADIS QVINTÆ

LIBER QVINTVS,

DE CARDVIS.

PRÆFATIO.

CARDVORVM *varia est materia. ad Olerum genera referri potest: Cinara, Scolymus. Carlinæ radix ad multa vtilis medicamentis annumeratur. Inter medicas herbas Carduo etiam Benedicto locus, veluti & Eryngio, ac aliis nonnullis. Venenatis accedit Chamælcon niger.*

Cùm igitur ad vnum aliquod genus, vel classem aliquam à nobis institutam referri hac de causa nequeant, nec separari eos conueniat, in quintum huius Pemptadis librum digestos, veluti Parergaolerum historiæ subiunximus, atque in hunc recepti, stirpium earum historia, quæ ad herbarum censum pertinent, finem imponunt. Reliqua enim sexta Pemptas frutices & arbores proponit ac prosequitur.

DE ACANTHO.

CAPVT I.

Acanthus satiuus.



Acanthus syluestris.



ACANTHI duo genera: vnum aculeatum & spinosum, vereq; ἀκανθώδης: alterum læue, spinis carens. quod à similitudine cum priore Acanthi quoque nomen & appellationem accepit. hic hortensis ac satiuus, ille syluestris.

Satiuo Acantho ampla, læuia, subnigricantia sunt folia, profundis ab vtroque margine, & frequentibus incisuris sinuosa, inter quæ medius erectus assurgit caulis crassus, compluribus floribus à medio ordine digestis adornatus, colore candidis, forma oblõgis, qui duobus veluti

nucamen-

nucamentis, vno superiore, altero inferiore muniuntur. sequuntur valuulę, in quibus semen latum. radices foris nigricant, intus candidæ, lentoq́ue succo plenæ, in plures diuiduntur propagines, quæ vti late serpunt, ita subinde progerminant. Tam pertinacis autem hæ sunt vitæ, vt quantulacunque earum relicta pars stirpem non rarò etiam progignat.

Syluestris Acanthus caule, fastigio acuminato, floribusq́ue cincto, florum colore ac specie, tum & semine satiuum refert, sed tamen breuior ac humilior folia similiter ampla, multis incisuris laciniosa, sed haudquaquam læuia, verum frequentibus asperis, duris spinis circa marginum crepidines horrentia.

Satiuum Acanthum Dios. in petrosis, riguis, ac etiam in hortis nasci tradit · in vtraq́ue Germania temere fuerit alibi quam in hortis requirere.

Syluestris in maritimis quibusdam Italiæ locis reperitur. Huius folium, flores, ac semen olim ad me in Belgium misit Clarissimus vir Alfonsus Pancius Ferranensis Ducis Medicus, & simplicium ac Medicinæ, dum viueret, professor.

Vterque Acanthus æstiuis floret mensibus: semen sub Autumnum perficitur. radix restibilis, subinde tamen hyeme in vtraque perit Germania, si rigidior fuerit.

Græci ἄκανθαν nominant. Latini nomen seruant: Acanthus tamen generaliter omnem spinam significat: Per Antonomasiam autem iste Acanthi nomen accepit.

Satiuus siue hortensis Acanthus παίδερως quoque appellatur, & μελάμφυλλος Galeno, Oribasio, & Plinio auctoribus: Plinius verò & hunc Acanthum læuem nominat, ac topiariam & vrbanam herbam esse refert. Dicitur à quibusdam Branca vrsina: (alij Spondylium Brancam vrsinam vocitant.) Italis *Acantho*, & *Branca orsina:* Hispanis *yerua giguante.*

Huius Acanthi folia in epistilijs columnis, ac alijs operibus, poculorum etiam ansis veteres sculptores olim imitati sunt: vti inter alios Virgilius vel ipse testatur Bucolicorum Ecloga tertia:

Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
Et molli circum est ansas amplexus Acantho.

Item & Theocritus Eidyllio primo:

παντᾷ δ' ἀμφὶ δέπας περιπέπταται ὑγρὸς ἄκανθος.

Alter Acanthus spinis horrens ἄγριος ἄκανθος, & syluestris Acanthus nominatur. atque hic propriè ἄκανθα siue spina dici potest, quo nomine Acanthus plerisque dictus reperitur. Est tamen & alia Acantha frutex spinosus, cuius, vt Herodotus & Theophrastus aiunt, lachryma gummi est. ad cuius fortassis differentiam, Herbacantha hoc Acanthi genus à nonnullis dictum. Reperitur & inter Acanthi appellationes Mamolariæ vox, item & Crepulæ, sed cui, syluestrine an satiuo, debeatur, non expressum.

Cæterum Acanthi satiui folia temperie in calidi & frigidi medio quasi consistunt, nonnihil humida, emollientem ac leuiter digerentem facultatem, veluti Maluæ, obtinent. Enematis idcircò non minus quàm Maluæ vtiliter incoquuntur. Radix, auctore Galeno, resiccatoria magis est.

Dioscorides ait, ab igne vstis & luxatis artubus has impositas subuenire: potas vrinas ciere, & aluum cohibere: ruptis, conuulsis, tabidisque prodesse. Prosunt autem tabidis sanguinem spuentibus, tum ex alto delapsis, ab ictu, aut conatu aliquo supra vires læsis non minus, quàm Symphiti maioris radices, quas substantia, lento succo, & qualitate proximè referunt.

De Acanthio. CAP. II.

1. ACANTHIO magna, longa, lataque sunt folia, vtrimque incisuris dissecta, & acutis durisque secundum marginum crepidines spinis horrentia, quæ molli lanugine tota candicant; è quibus medius caulis assurgit procerus, supra duos cubitos altus, adnatis membranis angulosus ac spinosus capitula similiter spinosa, ac acanacea in caulis ac alarum fastigiis eminent; flores ex multis purpurei coloris staminibus, hæc proferunt semen succedens lanugine conditur, oblongum, glabrum, diluti punicei coloris, minus quàm Cnici. radix alta, candida, dura, ac lignosa, fibris non destituitur.

Nascitur in vtraque Germania secus vias, tum & alibi.

A Iunio in Augustum vsque floret, altero à quo enatum est anno: interea & semen maturitatem consequitur, quo maturo perit, vt plerique & alij Cardui, quibus non diuturnior est vita, quàm ad seminis vsque perfectionem.


2. Huic autem & similis Carduus, folijs quoque candicantibus, & secundum margines & angulos spinosis, sed angustioribus, tenuioreque ac non ita densa lanugine obsitis. caules alti veluti prioris. capitula minora quàm superioris, longioribus pediculis insistunt, & innocentioribus spinis horrent. flores purpurei ac staminei sunt, veluti prioris.

Habe-

Acanthium



Acanthium alterum.



Habetur autem iste Carduus pro eo, qui Græcis ἀκάνθιον dicitur, quod Dioscorides foliis describit per extremitatem aculeatis, & araneosa lanugine obductis, ex qua collecta & neta vestes similes bombycinis parari queant. Germanis Weiß wege distell: Belgis Witte wech distell: Gallis *Chardon argentin*: Anglis Ote thistell/vel Cotton thistell.

Dioscorides, folia vel radices huius ad remedia Opisthotoni bibuntur, ait. Galenus excalfactoriæ facultatis hæc esse, ex eo sentit.

De Carduo Leucographo. CAP. III.

SVPERIORI Acanthio foliorum magnitudine non cedit Carduus Leucographus. folia siquidem eius magna, lata, ampla, ambitu crenata, multis duris ac asperis spinulis stipata, veluti Acanthij, sed lanugine carent, omninò glabra, dilutè virentia, notis ac lineis variè ductis usque candidis ac lactei coloris maculata: caulis altus, digito crassior: flores e capitulis spinosis staminei ac colore purpurei: semen lanugini implicatum Acanthij simile.

In hortis in quibus olera seruntur, non rarò & secus vias locis incultis exit.

Floret semenque facit eodem quo Acanthium tempore.

Vulgò Carduus lacteus, & Carduus Mariæ nuncupatur: Germanicè Mariendistell/ frauwen distell: Belgicè Onser vrouwen distell: Gallicè *Chardon de nostre Dame*: Anglice Our Lady thistell.

Leucographus autem haud impropriè dici potest, à candidis foliorum notis ac lineis. Meminit Plinius lib. XXVII. cap. XI. Leucographidis herbæ. sed qualis ea sit non expressit; difficile idcirco fuerit hanc cum Carduo Leucographo eádem esse asserere. Existimatur verò hic Carduus esse Spina alba, Græcis ἄκανθα λευκὴ dicta, quæ à λευκακάνθᾳ differens est, & spuriis vocibus etiã ἀγριοκινάρα, ἐρυσίσκηπτρον, φῆγμα, & Carduus ramptarius vocatur, ab Arabibus Bedoard siue Bedeguar Marthæo Syluatico teste. Describitur autem hæc spina à Dioscoride foliis Chamæleonis albi angustioribus & candidioribus, ὑποδασέσιν siue subhirsutis: talia autem cùm Cardui Leucographi non sint, legitimam Spinam albam esse, non satis etiam constat. Ἄκανθα λευκή.

Cæterùm Cardui Leucographi folia tenera, demptis spinis, aliquando oleribus non in-

Carduus Leucographus.



1.

2.

commode addunrur ad quæ prętereà vtilia, incognitum eſt.

Galenus Spinæ albæ radicem deſiccatoriam eſſe inquit, & modicè adſtringentem, Cœliacos & dyſentericos idcircò adiuuare, ſanguinis reiectiones cohibere. œdemata cõtrahere. dentium dolores lenire, ſi decocto eius colluantur. Semen eius tenuis eſſentiæ ac calidæ facultatis eſſe, itaque potui datum conuenire iis qui conuelluntur. Dioſcorides autem epotum ſemen conuulſis infantibus, & à ſerpente demorſis ſcribit auxiliari & geſtatum pro amuleto, tradi ſerpentes abigere.

De Carduo ſphærocephalo.

CAP. IIII.

SPHÆROCEPHALI reperiuntur complures Cardui.

Vnus caule eſt præalto foliis laciniofis, magnis, longis, latis, profundius inciſis, graueolentibus, ſuperiore parte virentibus, inferiore vero candidioribus ac lanuginoſis. floſculi è globoſo & abſolutæ rotunditatis capitulo in cauliculorum faſtigiis exeunt candidi, exigui, ſtamine in medio cæruleo. ſemen oblongum, nonnihil hirſutum, mediocris longitudinis. craſſa & ramoſa radix.

Alter acutus Sphęrocephalus folia habet minora, at ſpinoſiora capitula quoq; globata, ſed è quibus, præter flores, longæ quædam & duræ eminent ſpinæ.

Carduus ſphærocephalus.



Carduus ſphærocephalus acutus.



Ter-

Tertius primo forma figuraque similis, sed longe minor, & flosculi eius ad cæruleum ma- 3.
gis accedunt colorem.

Minimus est quartus, foliisque acutissimis ac spinosissimis: capitulo exiguo; cuius flosculi, 4.
vt primi, albidi sunt.

Referri huc & alius quidam posse videtur, sed tamen capitulo minus globoso, compressio- 5.
re videlicet ac superius latiore, e quo flosculi cærulei. tenuis, huic caulis est, exilique lanugine candicans folia oblonga, vtrimque similiter laciniatim diuisa, & ad singulos angulos spinis munita.


Sua sponte nati in Germania Cardui isti non repetiuntur. Memini verò olim hos videre in horto Petri Coudebergi Pharmacopœi Antuerpiensis: Prior verò & in aliorum hortis frequenter seri solet.

Priorem Fuchsius quandoque Chamæleonem nigrum facere studuit, sed postea rectius sentiens, Spinam peregrinam nuncupauit. Valerius Cordus Sphęrocephalum apposite appellauit: conuenit & reliquis idem nomen, nam orbiculatum sphæræ instar capitulum habent. Quintum autem plerique esse volunt, quem Matthiolus pro Spina alba proponit.

Cęterùm de temperatura & facultatibus Sphęrocephali Cardui nihil compertũ habetur.

De Eriocephalo Carduo. CAP. V.

Carduus Eriocephalus.



ERIOCEPHALVS Carduus caulibus assurgit crassis & altis: folia eius laciniosa, magna, spinosa, prona parte candidiora capitula rotunda multa, tenui, candida, mollíq; lanugine conuestiuntur emicantibus vndequaque exiguis pungentibus aculeis; superius vero staminëis purpureis floribus. semen splendens & oblongius, vt in multis Carduis.

Aliunde in Belgium hic venit: fertur cõplurimis Hispaniæ incultis locis reperiri, sed tamen breuior, humilior, ac minor, quam in Germanię inferioris hortis, in quibus luxurians, altior atq; omnino amplior nascitur.

Eriocephalus, à capitulo lanoso, alio destitutus nomine appellatur. Videtur nonnullis esse, quam Barptolomæus Vrbevenetanus & Angelus Palea Franciscanæ familiæ fratres Coronam fratrum nominari referunt: Sed ab Eriophoro multum differens hic Carduus est, vt ex iis, quę de Corona fratrum ab ipsis scripta, manifestum. Quæ sic habent: In confinibus Regni Aragoniæ, versus Regnum Castellæ reperimus aliud Cardui genus, quod copiosè ibi iuxta viarum semitas, & in triticeis campis nascitur.

Quod quidem habet folia super terram expansa, similia foliis Carlinæ. Caret caule omnino, & producit capita plura, taliter ordinatè composita: videlicet vnum magnũ caput, echino marino simile est in medio, ac immediatè radici annexum, & circum circa ipsum octo, nouem, vel decem, & aliquando plura, pauciorave capitula, Nucis Iuglandis & ampliore magnitudine sic contigua, quòd vnum tangit aliud, omniaq; terræ adhærentia, &c. Et dum baculo effodiebamus ex ipsis plantam vnam, transeuntem quẽdam rusticum interrogauimus, an sciret nomen illius plantæ. Qui vulgari suo idiomate nomen indicans, idem est quod Latinè Corona fratrum. Quod nomen nobis visum est non disconueniens esse rei. Quia caput magnum stat tanquam pater, capitula verò tanquam filij eius, & fratres in modum coronæ stant circundantes ipsum patrem, &c. Demum effossa ex parte radix, baculi grossitiem habens, tenera, alba, & cum quadam adstrictione iucundi saporis erat: hæc illi.

De Eriocephali verò facultatibus nihil quoque adferri potest.

De Cinara. CAP. VI.

Cinara.



CINARÆ nulla quidem verè genera sunt nam aculeata & spinosa (Carduum vocant) non nisi degenerans Cinara est, ex eiusdem siquidem stirpis semine vtraque tam spinosa quam non spinosa enascitur

Folia autem Cinaræ ampla, magna, oblonga, & lata sunt, profundis incisuris ab vtroque latere laciniata, spinis carentia, aut omninò paucis obsita, e viridi cinericio colore candicantia. caulis cubito altior, fastigio fructum profert globosum; Pini cono initio similẽ, ex multis videlicet compactum squamis, quæ fructu grandiore facto dissoluuntur ac superius virent, interius verò ac inferius carnosæ sunt & albidæ: pandente verò se & ipso cono flos prodit stamineus ex subcæruleo colore eleganter purpureus. semen oblongum, maius & crassius quam Cardui Leucographi; mollibus ac lanosis pilis subest, qui intra fructum continentur radix crassa, mediocris lõgitudinis.

Carduus siue spinosa Cinara à priore non differt, nisi quòd foliorum huius omnes anguli, ac coni squamæ, duris, pungentibus spinis armẽtur. vnde & Cardui nomen meritò accepit.

Colitur autem Cinara in hortis stercoratam & solutam terram diligit, quamuis & in pingui posset melius prouenire.

Serenda est circa Calẽdas Martias Luna crescente si fieri potest semina in area spatio semipedis discreta, non altè imprimenda sunt, sed tribus digitis comprehẽsa mergantur, donec ad primos articulos terra peruenerit: tunc leuiter terra operiantur, & herbis liberentur assiduè. Cacumina seminum si confracta fuerint spinis carebunt. Circa Calendas Nouembris, (vel etiam citius in Germania,) planta deprimenda, multoq́, cinere stercoranda: Id enim genus stercoris huic oleri videtur aptissimum. Singulis annis à caudice auferendæ sunt plantæ siue soboles, cum aliqua tamen radicis parte vellendæ, quæ circa Autumni æquinoctium disponendæ sunt, Columella & Palladio auctoribus.

A cinere, quo stercorari amat, Cinara dicta Galenus *Κύναρα* quoque Græcè appellat, sed per κ & υ prima syllaba Italis *Carciofi*, *Archiocchi* Hispanis *Alcarrhofa* Gallis & Belgis *Artichaux* vnde & Articocalus, & Arricoca à nonnullis nuncupatur. Germanis Strobildorn.

Spinosa Cinara non modo vulgò, verum & à Palladio Carduus vocatur Italis *Cardo*: Hispanis *Cardos*: à Gallis *Chardõs*. Scolymum autem hunc esse Dioscoridis, Leonharto Fuchsio, & plerisque aliis visum fuit Scolymus autem Dioscoridis folio est Chamæleonis aut Spinæ albæ: caule multum folioso. capite spinoso. Cinara autem huiuscemodi non est, & nec illa quidem quæ spinosa Nam tametsi caput spinosum illi sit, caulem tamen non habet multum foliosum, sed sæpè foliis viduum, vel vno aut altero tantumdem folio ornatum.

Cactus Conuenit magis Cinara cum eo qui *κάκτος* à Theophrasto ac Plinio dicitur, tametsi per terram repentes caules à radice non emittat. folia habet lata & spinosa: desquamatæ siue detracto cortice, foliorum mediæ costæ edules sunt, & fructus, exempta cum semine lanugine, vescendus, quodq́; subest, Palmæ cerebro teneritudine haud inferius Quæ de Cacto Theophrastus & Plinius referunt.

Quod autem de caulibus scribunt mox in terram à radice missis, qui esui sunt idonei, fortassis foliorum sunt costæ, quæ sublatis vtrimque foliosis additamentis (quemadmodũ mensis inferuntur) caulem referre possunt. Nisi vel in Sicilia, vbi tantum Theophrasti ætate nascebantur, & caules quosdam *ἐπιγείους*, siue in terram procumbentes, & alium erectum quoq; proferat: postea verò in Italiam aut Germaniam translatus *ἐπιγείους* illos emittere desinat: Solum siquidem ac cælum ad stirpium mutationem plurimum posse, non modò Theophrastus auctor, sed & ipsa rerum experientia ostendit. De Cacto verò hæc Theophrastus.

Κάκτος


Κάκτος in Sicilia tantum nascitur, statim à radice caules in terram procumbentes emittit, folio lato atque spinoso, caules desquamati cibo idonei sunt, paulùlum amaricantes, qui in muria asseruati queunt. alium verò & caulem producit, quem πτέρνικα vocant, is quoque cibo aptus, sed reseruari nequit, περικάρπιον siue fructus spinosa facie, exemptis lanuginosis seminibus, vescendo est, & Palmæ cerebro similis, ἀσκαλίαν appellant, (Plinius Ascaliam legit) Athenæus A'σκάληρον. σπέρνιξ.

Ipsius autem Cinaræ fructus exteriorum squamarum vngues, hoc est, inferiores albidæ crassioresque partes, tum & ipsius medius discus cui papposum semen insidet, & cruda cum pipere & sale, frequenter verò cum pinguium carnium iure addito pipere decocta eduntur, ac inter delitias habentur, gulæque venerisque incitamenta. Sic & foliorum mediæ spinæ siue costæ culturæ mangonio candidæ teneræque factæ magno apparatu mensæ vnà cum bellariis inferuntur: manduntur verò sale & pipere additis veluti crudæ Cinaræ. Vtraque autem praui sunt succi.


Cinara siquidem succum in se continet biliosum copiosiorem, substantiam verò habet duriorem, adeo vt ex hac succus melancholicus, ex illo verò tenuis ac biliosus gignatur: auctore Galeno in lib. De aliment. facultatibus. Præstat autem ipsam elixam mandere. Foliorum autem costæ omninò durioris substantiæ, crudum & melancholicum succum corpori conferunt, & flatulenti multum obtinent.

De Carduo Chrysanthemo, siue Scolymo Theophrasti.
CAP. VII.

Carduus Chrysanthemus.



Cardui Chrysanthemi altera icon.



CHRYSANTHEMO Carduo caules à radice subinde complures efferuntur rotundi ac ramosi. folia autem hos conuestiunt oblonga, pulchrè virentia, vtroque latere profundius incisa, ac spinis per angulos horrentia. flores à foliorum alis è paruo acanaceo capitulo foliosi prodeunt, Cichorii floribus persimiles, sed auri colore lutei, latum, plani, paleaceumque semen, non magnum, nulla lanugine implicitum succedit radix longa, digitalis crassitudinis, dulcis ac mollis, esuique idonea, qua & sues delectantur. Effluit autem ex hoc Carduo, quacunque parte vulnerata, albidus & lacteus succus.

In Belgii hortis satum cognouimus. Petrus Bellonius in Creta frequentem esse scribit.

tum & in Italiæ plerisque locis gigni. Clusius in Hispaniæ, & præsertim regni Castellæ agris à se repertum refert & circa Monspelium, paucioribus tamen ramis & altius assurgentem.

Diutinè & serò in Belgij hortis floruit, a mense videlicet Iunio ad Autumnum vsque.

Chrysanthemus autem iste Carduus à Theophrasto σκόλυμος nuncupatur. Quæ etenim de Scolymo lib.VI. & VII. apud hunc leguntur, ea Chrysanthemo huic omnino quadrant: *Scolymus Theophrasti.* Scolymus, ait, solstitio floret: pulchre diuque floret: radicem vescendam cùm decoctam tum crudam obtinet, & durescens lacteum emittit succum. Gaza Carduum nominat. Meminit verò & huius Plinius lib.XXI. cap. XVI. Scolymos, inquit, Carduorum generis ab iis (Acorna videlicet & Atractili) distat, quòd radix eius vescēdo est decocta. Item lib.XXII. cap XXII. Scolymũ in cibos recipit Oriens, & alio nomine λειμώνιον appellat. Quod & Theophrastus lib.VI. innuere videtur. vbi etenim φυλλάκανθα, hoc est, foliis spinosa recenset, addit: σκόλυμος ἢ λειμωνία.

Facit tamen Plinius & alterius Scolymi mētionem, quem ait florem mittere purpureum, & inter medios aculeos celeriter canescere, & cum aura abire: lib.XX. cap XXIII. Qui haud dubiò differens est à Carduo Chrysanthemo, hoc est, Theophrasti Scolymo, atque illo, de quo prius. Ita duo apud Plinium Scolymi. vnus radice eduli: alter flore purpureo papposo, & celeriter canescente.

Scolymus verò & à Dioscoride describitur, sed hic cum Theophrasti Scolymo haud conuenit: vnus autem eorum est qui à Plinio referuntur: vt infrà latius ostendetur.

Sed ad Chrysanthemum conuertatur oratio. Hunc Cretæ inhabitatores, veteris vestigia nominis retinentes, Ascolymbros vocant. Itali *Ancontant Reuci*. Romani *Spina borda*, ab Hispanis *Cardon Lechar*: à nonnullis verò & Glycyrrhizon, id est, dulcis radix. Sunt qui velint Eryngium esse à Vegetio in arte veterinaria nuncupatum, qui falluntur. Nam Eryngium illud, de quo Vegetius, Marinum est Eryngium: de quo paulò pòst agendum.

Porrò Scolymi huius radix & tenera folia, quæ subinde eduntur, stomachum mediocriter iuuant, sed nutrimentum habent paucissimum, ipsumque tenue & aquosum, Galeno auctore Plinius radicem huius Eratostheni laudatam esse ait in pauperis cœna: vrinam verò & cicere præcipuè tradi: sanare lichenas & lepras ex aceto: venerem stimulare in vino, Hesiodo & Alcæo testibus: item graueolentiam alarum emendare radicis emedullatæ vnciam in vini Falerni heminis tribus decoctam ad tertias, & à balneo ieiuno, itemq́ue post cibum cyathis singulis potam. Quæ posteriora verba, Dioscorides quoque de suo Scolymo habet; ex quo Plinius hæc transcripsisse videtur.

De Carlina siue Leucacantha. CAP. VIII.

1. CARLINÆ valdè spinosa sunt folia, vtroque margine frequentibus sectionibus profundius incisa, & per angulos duris multumq; pungentibus spinis communita, quorum mediæ costæ subinde rubent: caulis dodrantalis aut altior, vnicum vt plurimum proferens capitulum, exteriore circuitu ac ambitu echini Castaneæ instar spinosum, quo superius patente, flos exit latus, medio disco ex multis staminibus farctus, quem paruula oblonga foliola cingunt, sæpè albicantia, rarissimè rubentia semen tenue & angustum subest. radix oblonga, digitalis crassitudinis, subnigricans, adeò rimosa, vt scissa videatur, odorata, gustu nonnihil amaricans.

2. Huius verò & altera species caule carens, foliis quoque valdè spinosis, alterius ferè similibus, circumquaque per terram procumbentibus, inter quæ medium orbiculatum erumpit capitulum, exterius eodem spinosum modo, sed maius, cuius flos medio stamineus rubentibus foliolis, quandoque verò candidis ambitu circumseptus est. Sereno autem cœlo cùm huius, tum & superioris flos explicatur lateque patet: nubilo verò veluti se recludens contrahitur. radix huius oblonga quoque & odorata, sed albida, solida, non rimosa, aut fissa, sapore verò etiam minus acris aut amaricans, atque idcircò Medicinæ minus expetita.

Nascuntur ambo in montibus altis, locis desertis, ac quandoque secus vias: sed quæ caulem fert Germaniæ frequentior.

Iulio & Augusto, tum & serius quandoque florent ac semen maturum proferunt.


r. Prior Carlina & Cardopatium, ac à nonnullis Carolina dicitur, à Carolo Magno primo eius nominis Romanorum Imperatore, cuius exercitus huius radice liberatus & præseruatus à peste olim fuisse fertur: Germanis Eberwurtz, Belgis, Gallis, ac aliis quoque *Carline*. Dioscoridis est λευκάκανθα: conueniunt radices validæ & amaræ: respondent quoque facultates, *Leucacantha.* vt mox referetur. Appellatur verò Leucacātha & aliis, sed nothis vocibus, πολυγόνατον, φύλλον, ἰσχιάς, à Romanis Gniacardus, à Thuscis verò Spina alba. Differens tamen ab ea spina, quam Dioscorides ἀκάνθην λευκήν, hoc est, Spinam albam facit. De qua etiam seorsim scribens, vires quoque cuique suas, & dissimiles quidem, tribuit.

Alteram

Carlina siue Leucacantha



Carlina altera



2. Alteram verò & Carlinam recentiores faciunt: & Carlinam humilem, vel minorem appellant. Falluntur autem non parum, qui ambas ad Chamæleones referre student: In Italia siquidem, Germania aut Gallia nusquam Chamæleones nascuntur, vt vnus, pro multis, testis est Petrus Bellonius lib. singularium primo: qui quantum discriminis inter Carlinas ac Chamæleones sit, satis ostendit, quod & ex Chamæleonum subsequente descriptione manifestum fiet.

At Carlinæ radix, cuius præcipuè vsus est, secundo ordine satis intenso excalfacit: & cum partium ac substantiæ tenuitate, tertio ordine resiccat. sudores verò etiam mouet: ventris tineas ac lumbricos pellit: venenis omnibus resistit: pestis contagia non modò arcet, sed & eandem curat si tempestiuè propinetur: commanducata dentium dolores sedat. iocinoris ac lienis obstructiones aperit: vrinas cit: menses promouet: hydropicis confert: datur & ex alto delapsis ac cæsis.

Atque his similia de Leucacantha Dioscorides habet: Leucacantha, inquit, prædita est radice Cypero simili, amara ac forti, quæ commanducata dentium dolores sopit. Decoctum eius cum vini cyathis tribus auxiliatur aduersus veteres laterum dolores, ischiadicis item, ruptis ac conuulsis. Succus verò & eadem potest epotus.

De Carlina syluestri. CAP. IX.

1. CAVLE assurgit syluestris Carlina dodrantali vel altiore in ramulos aliquot distributo: foliis oblongis, marginibus asperis ac valde spinosis, Carlinæ æmulis: flore è spinosis similiter capitulis in medio stamineo, ambitu verò foliolis subluteis circumsepto. radix tenuis, & acre resipit.

Passim in locis incultis ac desertis per vtramq; Germaniã, & quádoq; in mõtosis reperitur.

2. Huius verò & alteram quandam speciem Carolus Clusius describit, cauliculo vnico, tenui, breui, & palmum non superante. foliis spinosis veluti prioris, sed minoribus, vtrisque lanugine quadam incanescentibus: capitulis ferè binis; flos media lanugine pallens, foliolis verò circumambientibus rigidiusculis ac luteis: radice tenui ac ruffescente.

Hanc in aridis, petrosis, ac desertis quibusdam circa Salmanticam Hispaniæ vrbem se repetisse memoriæ prodidit.

Carlina syluestris.



Carlina syluestris minor.



Germani Drei distell/frauwen distell/ & Sewdistell subinde nominant: Belgæ Oghe distel: Vulgò non ineptè Carlina syluestris dicitur. nam flore Carlinam æmulatur, nec foliis valdè dissimilis est. Hanc autem esse Ἄκορναν tantò est difficilius affirmare, quò breuior de hac Theophrastus est: Ait autē hanc Cneco vrbano similē, colore flauescentem, succo pinguem.

Acorna. Differt autem Acorna ab Acarna: Acarna siquidem, vt Hesychius ait, δάφνη ἐστὶ, siue Laurus est: Sed Ἄκορνα ἀκανθώδες φύτον, id est, spinosa stirps.

Excalfacientem verò & hanc esse, præsertim radice, sapor eius acrimoniæ particeps ostendit. Sed cùm nullius sit vsus, facultates eius reliquæ non exploratæ sunt.

De Chamæleone, & primùm de albo, ex Dioscoride, Theophrasto, & aliis. CAP. X.

CHAMÆLEONES duo sunt: vnus candidus: alter niger. vires radicum inter se distant: & ipsæ radices specie differunt, vt Theophrastus.

Chamæleon albus foliis Silybi aut Scolymi amplioribus, & per terram stratis, crassioribus, asperioribus, & validioribus, quàm Chamæleonis nigri: caule caret, sed è mediis foliis caput promit marino Echino, Cinaræ, aut Acano simile: flos purpurascens, qui senescens in pappos conuertitur: semen veluti Cnici. radix magna, crassa, in lætis collibus instar humani cruris, interius albida, valde odorata, sic vt odore facilè cameram aliquam totam, caput interim aggrauans, adimpleat, sapore verò dulcis. Sub huius foliis circa radicem gummi reperitur, quod à mulieribus Cretensibus non aliter manditur, quàm in Chio ab iisdem Mastix.

In Creta insula à se repertum Chamæleonem album Bellonius prodidit, nusquam verò in Italia, Germania, aut Gallia illum prouenire.

Plinius gummi circa radicem; maximè circa Caniculæ exortum, reperiri ait.

A Græcis χαμαιλέων λευκός: à nonnullis verò & ἰξία. Latinis Chamæleon albus, & Ixine. Gummi tamen, siue Viscum propriè Ixia dicitur. Nothis verò etiam ac spuriis vocibus χαμαιλεύκην, & Carduus suarius. Extant & multæ eiusmodi voces apud Apuleium cap. cx. sed multorum Carduorum inter se confusæ.

Vocari autem hunc Chamæleonem idem ait propter foliorum varietatem: Quod & Plinius

nius lib. XXII. cap. XVIII. aſſerit: Mutat enim, inquit, cum terra colores, hîc niger, illic virens, alibi cyaneus, alicubi croceus, atque aliis coloribus. quod Dioſcorides de nigro ſcriptum reliquit.

Porro Chamæleonis albi radix temperamẽto calida eſt & ſicca, ordine ad minus ſecũdo.

Hæc, inquit Dioſcorides, oxybaphi menſura latos lumbricos pellit. ſumenda autem cum vino auſtero aut Origani decocto· hydropicis drachma commode in vino datur, etenim eos extenuat. Contra difficultatem vrinæ decoctum eius propinatur: cum vino autem ſumpta Theriace eſt, hoc eſt, aduerſus omnium virulẽtorum animalium morſus & ictus remedium. Occidit autem canes, ſues, & mures cum polenta, addito hydrelæo, ſubacta.

Radicem, inquit Plinius, eius aliqui conciſam ſeruari iubent funiculis pendentem, decoquuntque in cibo contra fluxiones, quas Græci Rheumatiſmos vocant.

De Chamæleone nigro. CAP. XI.

Chamæleón niger Cortuſi.



Chamæleon niger Salmanticenſis.



NIGER Chamæleon foliis eſt Scolymi minoribus, tenuioribus, & rubro diſtinctis· caulis dodrantalis, digitum craſſus, ſubrubens· σκιάδιον ſiue vmbellam profert, in qua flores ſpinoſi, tenues, cærulei hyacinthini coloris radix verò craſſa, foris nigra, denſa, interdũ exeſa: quæ diſſecta interius eſt colore ſufflauo, manducata verò mordicat.

In Lemno, inquit Bellonius, valdè communis, vbi tam eleganter cæruleum florem profert, vt coloris pulchritudine cum ipſo cælo certare, & Cyanus flos cum iſto collatus, pallere videatur. Naſcitur & in campis iuxta Abydum, & prope flumina Helleſponti, & in Heraclea Thraciæ.

Iconem autem Chamæleonis nigri coloribus expreſſam olim ad me miſit Magnificus vir Iacobus Antonius Cortuſus patritius Patauinus, radice craſſa ac nigra, inferius in plures diuaricata, per ſumma capillata: foliis oblongis, vtrimque valdè ſpinoſis: caule rubente, in alas quaſdam diuiſo, vmbellis faſtigiantibus, è quibus flores è paruis virentibus acanaceis capitulis, dilutè purpurei rubentis coloris. *Chamæleon niger Cortuſi.*

Accedit verò hæc icon ad deſcriptionem propoſitam, niſi quòd flores non depinganrur cærulei hyacinthini coloris, quales eſſe Chamæleonis nigri non modò Dioſcorides, ſed &

Nicander in Theriacis testatur, in quibus nigrum Chamæleonem κυάνεον; à florum nempe colore appellat: nisi fortassis alicubi alterius coloris flos eius existat. id quod dictionem ποικίλα post ὑακινθίζοντα subsequentem ostendere plerique suspicantur, sed hoc non verisimile. Nam dictio ποικίλα varietatem significans cum ὑακινθίζοντα cohærens, non nisi cærulei varietatem ostendit, qui modò remissior siue dilutior, aliàs intensior esse potest.

Memini verò & in hortis Belgij olim me spinosum quendam humilem videre Carduum Chamæleonis nigri nomine: folia huic numerosa, longa, & angusta, valdè spinosa, dilute virentia quasi candicantia: caule striato, pedem alto, in ramulos diuiso; quorum fastigia occupant aliquot cohærentes flosculi e spinosis acaneis prodeuntes, colore purpurei: radice nigra ac dulci. Describitur hic à Clusio in suis Hispaniensibus obseruationibus Chamæleonis Salmanticensis nomine, à loco in quo ab ipso repertus. In agro siquidem Salmanticẽsi frequentem hunc esse ait. Verùm hunc non esse Chamæleonem nigrum satis manifestum, nec Clusius quoque affirmat.

Chamæleon niger Salmanticẽsis

Sed vt ad Chamæleonem nigrum reditum faciamus: dicitur hic Græcis χαμαιλέων μέλας: à nonnullis verò & inter notha repetitur πάγκαρπον, οὐλόφονον, ἰξία, κυνόμαζον, κυνόξυλον: Romanis Carduus niger, Vernilago.


Radix autem huius lethale quiddam, vt Galenus ait, obtinet. Numeratur verò & inter deleterias à Nicandro in Theriacis, à Dioscoride lib. VI. & à Paulo Ægineta, quamobrem & ad externa tantummodo adhibetur, veluti ad psoras, lichenas, vitiligines, & in summa ad ea quæ detersionẽ postulãt. præterea digerentibus & emolliẽtibus admiscetur, Galeno auctore.

De Eryngio. CAP. XII.

Eryngium marinum.



Eryngium campestre.



ERYNGII vnius Dioscorides meminit. Plinius lib. XXII. cap. VII. duo videtur agnouisse: vnum in asperis natum: alterum in littoribus maris. Posteritati verò & plura sunt obseruata: marinum quidem vnum: campestre verò & aliud: deinde & alia quædam spuria.

1\. Marino Eryngio lata sunt folia, Maluaceis ferè similia, sed marginibus angulosa, durisque spinis circumsepta, pinguia, è cæsio candida, gustu aromatico: caulis crassus, dodrante altior, inferius subinde nonnihil rubescens: cacuminibus verò capitula proferens spinosa ac globosa, nucis ferè magnitudine, senis vt plurimum spinosis foliolis cauliculi fastigium orbiculariter

ter ambientibus incumbentia, quæ vnà cum capitulis cæruleo nitent colore: flosculi autem è capitulis similiter cærulei, staminibus mediis candidis: radix digiti aut pollicis crassitudine, valde longa, & adeò prolixa, vt tota extrahi nequeat, nisi admodum rarò, aliquot locis nodosa, candicans, sapore dulcis & grata.

In tumulis arenosis littore marino apud Belgas nascitur, veluti & in Italia ac alibi.

Alterius Eryngij folia multipliciter in varias particulas dissecta spinis secúdum marginum crepidines horrent: caulis in complures alas diuisus capitula promit spinosa, sed quàm Marini minora, à quibus & flosculi cærulei exeunt, rarò lutei: subsunt & singulis horum sex aspera pungentiaque foliola, vti prioris, sed tenuiora minoraque. radix huius oblonga quoque, foris nigricans, intus albida, digitum crassa, sapore & odore alterius, veluti & folia & ipsa gustu aromatica, quæ recens enata, & adhuc tenella, esui etiam apta sunt. 2.

Locis incultis, asperis, etiam quandoq; saxosis, secus vias per vniuersam Germaniam, tum & in Bohemia frequens reperitur.

Vtrumque post solstitium floret æstiuum: ac Iulio mense.

Dicitur hæc Spina Græcis ἠρύγγιον: Latinis similiter Eryngium: à Plinio verò etiam Erynge: in Officinis Iringus: Inter spurias verò voces & hæc sequentia extant nomina: ἠρυννέας, κάρυον, γοργόνιον, ἥρμιον, χλώνιον, μυρόακανθον, Capitulum Martis.

Prius Eryngium marinum: à Belgis vulgò Cruysdistell/ Eindeloos/ Meerwortele dicitur: Anglis See holye. 1.

Alterum à Plinio lib. XXII. cap. VIII Centum capita vocatur: à Germanis Manßtrew/ Brachendistell/raden distell: ab Hispanis *Cardo corredor*: ab Italis *Eringio*, & *Iringo*. Campestre autem istud ad alterius differentiam cognominatur. 2.

Vtriusque autem radix excalfactoria, sed moderatè, siccitatem verò cum tenuitate substantiæ non exiguá obtinet, Galeno teste. Vrinas mouet: menses pellit, tormina & inflationes discutit in vino decocta. Iocinorosis, aduersus venenatorum ictus, & contra assumpta venena eodem auxiliatur modo. Sacharo aut melle condîta non modò nephriticis prodest, sed & Veneris concitatrix est. Idem in pinguium carnium iure decocta potest, si edatur.

Affirmabat quidam, inquit Aetius, assiduo Eryngij vsu, nunquam postea minxisse calculos, cùm prius eo morbo frequentissime vexaretur. Bibitur, inquit Dioscorides, cum Staphylini semine aduersus plurima drachmæ vnius pondere.

Foliorum succus cum vino expressus iis prodest, qui venerea gonorrhœa vexantur.

Aiunt autem Eryngium herbam, si capella vna in os sumat, ipsam primùm, mox totum gregem subsistere, donec accedens pastor ori eam eximat, Plutarchus auctor.

De spuriis Eryngiis. CAP. XIII.

SPVRIORVM Eryngiorum primum folia & è radicibus, tum & secundum caules lata profert, rotundis longiora, virentia, mollia, non spinosa, sed secundum margines leniter crenata, Mali Cotonei foliis maiora: caules verò cubito altiores in altum surgentes, in quorum fastigiis spinosa capitula quina senáve eminent veluti aliorum, colore vnà cum floribus cærulea. radices subsunt tres aut quatuor rectæ, albidæ, pedalis longitudinis. 1.

In hortis Vratislauiæ primum istud obseruauimus: ostendit verò Adamus Zaschſlauw ciuis Glazensis, à quo in Borussia spontè nasci locis accepimus maritimis, iuxta videlicet mare Germanicum.

Matthiolus verò & Eryngium quoddam pictura exhibet, Plano cognomine, foliis latis, ambitu serratis, cauliculis compluribus, quod nullis ab ipso describitur verbis: Si autem hoc illud est, cuius P. Pena & M. Lobelius in Aduersariis meminerunt, perquam cæruleo arridet colore, & cauliculos promit rectos sesquicubitales vel altiores, per interualla geniculatos: folia inferiora maiora latioraq́; ambitu crenata, superiora verò minora stellatim articulos ambientia, molliter ac innocentibus aculeis spinosa: capitula item spinosa, colore cærulea: radicem torosam, veluti Helenij, foris nigricantem, intus albidam, odoratam, sapore Eryngij. 2.

Prouenire istud scribitur in Iuræ montis, aliorumque finitimorum arduis iugis, palustribus humentibusque locis.

Tertium verò & C. Clusius ostendit pumilum ac humile Eryngium, cuius priora folia maiuscula, lata, ac mollia, in orbem circa radicem humi sparguntur: caulis gracilis, alis aliquot brachiatus, foliolis multifidis, tenuibus, aculeatis, radiatim circumpositis: capitula in alarum cacuminibus globosa spinosaque, colore cum circumambientibus foliolis ac floribus cærulea. radix tenuis & annua. 3.

In agro Salmanticensi in collibus à se repertum Clusius refert.

Præter hæc verò & aliud quoddam, non quidem forma, sed sapore Eryngium referens. 4.

Eryn-

Eryngium spurium primum.



Eryngium planum Matthioli.



Eryngium pumilum Clusij.



Eryngium quartum.



Folia

folia huic ab vno mediocris longitudinis pediculo terna vt plurimum cohærent, rarò quina, angusta, oblonga, dura, dilutè virentia, vtroque margine serræ modo incisa, sapore foliorum Eryngij caulis cubitalis, ramosus, geniculatus dissoluta profert muscaria, in quibus flosculi, ac semina deinde parua, longioris figuræ, odorata, & aliquantulum acria. radix albida, prolixa, digito tenuior, gustu initio dulcis, postea acre quiddam resipiens, & non ingratum redolens, quæ resiccata admodum friabilis citissimè conteritur.

In planis ac campestribus haud procul Praga in Bohemia reperitur: nascitur & in Flandriæ quibusdam sabulosis.

Spuria autem hæc sunt Eryngia, ac posterioris obseruationis: idcirco & nulla eorum vetera nomina.

Primum Eryngium Borussicum, aut non spinosum appellari potest. 1.

Alterum Matthiolus Planum vocat: alij Alpinum Eryngium dicere malunt. 2.

Tertium rectè Pumilum nominatur. 3.

Quartum Crithmi generibus asscripsit Matthiolus: alij verò Eryngij, quod nobis probatur: Odore siquidem & sapore non Crithmum, sed Eryngium refert. 4.

De facultatibus autem horum nihil adferendum sese offert, cùm in medicina vsum nullum hactenùs habuerint, nec inter edules numerentur. Sed tamen excalfacientia esse vel solus sapor ostendit.

De Carduo Stellato. CAP. XIIII.

Carduus stellatus.



STELLATVS Carduus, tametsi Carduus appellatus, nusquam tamen spinas, quàm in solis capitulis gerit. folia eius initio oblonga, dodrantalia, molli lanugine hirsuta, secundum margines grandibus incisuris laciniosa, inter quæ cauliculi cubitales in alas quàm plurimas diuisi, fastigiantibus oblongis, haud magnis, numerosis capitulis, quæ longæ, acutæ, durissimæque spinæ in modum radiantis stellæ ambiunt: flosculi purpurei. prolixa radix & tenuis est.

Exit passim in Zelandiis & aliis maritimis: circa Antuerpiam frequens: reperitur & in Germania, Italia, ac alibi secus vias.

Iulio ac Augusto potissimũ cum flore viget.

Nonnulli Stellariam vocant: Cordus Polyacantham; sed tamen πολυάκανθα siue πολυάκανθος Theophrasti (Gaza Aculeosam vocat) fortassis ab hac differt. Falluntur autem qui Eryngium, aut aliquam eius speciem esse autumant. Matthiolus *Calcatrippam* Italis dici ait: Germanis Wallendistell/ Radendistell: Belgis Sterre distel: Gallis *Chausse trappe*.

Facultate autem hic Carduus excalfacientis naturæ est.

Semen ad vrinæ difficultatem commendatur: vrinas ciere & calculos expellere fertur cum vino exhibitum.

Baptista Sardus aquam ex hoc Carduo destillatam auxiliari affirmat lue venerea infectis: iecur item huius vsu adiuuari, obstructiones eius tolli, sanguinemque à vitiosis humoribus emundari, & aduersus diuturnas febres, siue quotidianas, siue tertianas, vtiliter exhiberi.

De Spina Solstitiali. CAP. XV.

SPINA Solstitialis Cardui stellati altera quædam species esse videtur: neque etenim alibi quàm circa capitulum spinosa est; spinæ eius stellatim quoque digeruntur. caules cubitales in ramulos pauciores quàm Stellati distribuuntur: membranaceas secundum longitudinem appendices habent, quibus quadrangulares apparent. folia longiuscula sunt, incana, ab vtraq; parte profundis sectionibus laciniosa: flosculi ex staminibus compacti lutei: semen exiguum. radix oblonga, tenuis. 1.

Iuxta Monspelium vulgarem esse Gesnerus scribit.

Spina Solstitialis.



Spina Solstitialis altera.



Solstitialis autem Spina dicitur, quòd solstitio æstiuo floreat, Gesnero auctore: vel potius quòd post solstitium spinæ eius maximè pungant: alia eius nomina, si quæ habet, incognita.

2\. Facere huc videtur & alia Iaceæ luteæ nomine descripta: foliis vtrimque profundius dissectis: floribus luteis: capitulis perquàm spinosis: sed priore maior, & caule absque membranaceis appendicibus. Hanc autem in Salmanticensi agro iuxta vineas, arido solo, à se repertam Clusius scribit.

De facultatibus harum quæ incompertæ sunt, nihil adferendum.

De Dipsaco. CAP. XVI.

DIPSACI genera nostra ætas duo statuit: satiuum vnum: syluestre alterum. Non autem nisi culturæ hæc mangonio differunt: Lætiora siquidem quæ excoluntur, & vsibus humanis vtiliora pleraque reddi solent.

Aculeatarum autem generis Dipsacos quoque est. caulem edit rectum, præaltum, geniculatum, & spinis horrentem: folia è singulis articulis bina, non modò contra se posita, sed & caulem amplectentia, simulq; coalita, atque ita cohærentia, vt exigui labri modo rorem imbremque pluuium contineant, longa autem hæc sunt, dilutè virentia, & Lactucæ similia, sed marginibus spinosa, dorso verò eminente durioribus etiam spinis rigentiora: scaporum fastigia oblonga occupant capitula, mordacibus spinis echinata, mucronibus hamulorum instar reflexis; è quibus flosculi candidi, frequentius quidem satiuo, sed dilutè purpurei syluestri: semen succedit veluti fœniculi, gustu amaricans: inalbicant per vetustatem capitula, ac in ipsis per medium sectis subinde paruuli quidam vermiculi reperiuntur. radix candida, mediocris longitudinis.

Nonnullis locis in agris Dipsacus seritur, cuius echinata capitula vtiliora ad tudes pannos expoliendos habentur, quàm spontè ac citra culturam nati: Nascitur verò spontè iuxta fluuiorum ac scrobium margines, humidos ac madentes tractus sequitur ac diligit.

Præter verò ista & tertium huius generis ostenditur, prioribus foliis cauleq; aculeato simile, sed procerius ac altius, capitulis verò breuioribus ac rotundioribus, magnitudine videlicet tantummodo nucis.

Reperitur

Dipſacus ſatiuus.



Dipſacus ſyluestris.



Dipſacus tertius.



Reperitur verò & iſtud, præſertim in Belgio, humidis etiam limitibus, ac iuxta fluenta & ſcrobes aquas habentes.

Iunio ac Iulio Dipſacus floret: echinata capitula Autumno colligenda ſunt.

Appellatur autem Dipſacus Græcis ſimiliter δίψακος, ἀφροδίτης λουτρόν: Latinis verò etiam Labrum Veneris, Carduus Veneris. Dipſacus autem quaſi ſitiens dicitur, quòd aquam in cohærẽtium foliorum ſinu contineat, qua ad ſitis iniurias abigendas vtatur.

Labrum verò Veneris à foliorum etiam poſitu, peluis vel lauacri ſpeciem conſtituẽte, humorem perpetuò continente: Vulgò Virga paſtoris, & Carduus fullonum: Germanis Karden diſtell/ Bubenſtrell/ Weberkarten: Belgis Caerden/ Volders caerden: Hiſpanis *Cardencha*, & *Cardo penteador*: Italis *Diſſaco*, & *Cardo*: Gallis *Chardon de foullon*, *Verge à bergier*: Anglis Tasel.

Nominibus verò & aliis appellatur, ſed ſpuriis ac reiectaneis, vt ſunt κροκοδίλιον, χαμαιλέων, ὀνοκάρδιον.

Tertium genus Plinij Galedragon eſſe non temerè exiſtimatur, de quo lib. XXVII. cap. X. Galedragon vocat, ait Xenocrates, Leucacãtho ſimilem, paluſtrem ac ſpinoſam, caule ferulaceo, alto, cui ſummo capite inhæret ſimile ouo. In hoc creſcente ætate vermiculos naſci tradunt.

Cęterùm Dipſaci exiguus quidem in medici-

na vsus est. Capita, vt diximus, ad interpoliendum laneos pannos vsurpantur. radix ad quędã à Dioscoride commendatur. Galenus ex secundo ordine exiccantium hanc esse ait, habereq; nonnihil abstersorium. Dioscorides in vino decoctam & rusam ad cerati crassitudinem, rimas fistulasq; sedis impositam sanare refert: recondi autem ærea pyxide medicamentum hoc deberi: ac præterea dici formicis ac verrucis pensilibus remedio esse.

Quæ autem de vermiculis in Cardui capitulo repertis & appensis præterea adduntur, & simile quod de Galedragone Plinius, non refert huc transferri, non enim nisi vanissimæ sunt nugæ.

De Atractylide. CAP. XVII.

Atractylis.



CNICI species & syluestris quidem Atractylis est. Duplex verò & hæc, Theophrasto & Plinio auctoribus: Recticaulis vna, ἐπιγειόκαυλος siue procumbentis caulis altera, Carduũ benedictum vulgò nominant.

Recticaulis Atractylis rigidum, rectum, ac firmum caulem promit, superius in alas quasdam diuisum. folia autem habet oblonga, sinuosa, ac spinis horridula: capitula in cacuminibus alarum valde aculeata, è quibus flores staminei, veluti Cnici, sed dilutè lutei coloris, quandoque verò & purpurei: semen maiusculum, nigricans, amarum, Cnici alioqui simile. radix mediocris est crassitudinis.

Nascitur in Creta, nonnullisque Gręciæ prouinciis ac insulis, & in Narbonensi Gallia: Germanis ac Belgis hortensis est.

Serò admodum floret, & semen maturat.

Nominatur Græcis Ἀτρακτυλὶς, & κνῆκος ἀγρία· à nonnullis φόνος vt Theophrastus scribit: Latinis Atractylis, Syluestris Cnicus; & quòd olim mulieres rigido eius caule pro fuso aut colo vterentur, Fusus agrestis & Colus rustica. quod & hac ætate apud Græcos mulieres facere Bellonius refert, qui voce deprauata Atractylidem nunc Ardactyla nominant. Recentiorum nonnulli syluestrem Carthamum appellant, hoc est, Belgis Wilden Carthamus. Nothis verò vocibus ἀμυεσι, ἀσπίδιον, & Præsepium etiam dicitur.

At facultatem Atractylida habere desiccandi & modicè digerendi Galenus tradit. Coma, semen, & folia, Dioscorides ait, trita ac cumpipere & vino pota, à scorpione ictis auxiliantur.

De Carduo benedicto, altera Atractylidis specie.

CAP. XVIII.


CARDVI benedicti caules teretes, lenti ac obsequiosi, & in alas nonnullas effusi, humi accumbunt: folia vtrimque laciniata, innocentibus aculeis per margines spinosa sunt: capitula in summis virgulis acanacea, spinosis & pungentibus foliis ac aculeis stipata, è quibus flos emicat luteus: semen oblongum superius barbæ modo capillatum. radix albida in fibras diuiditur. Tota herba cum foliis ac caulibus, nec non capitulis, molli tenuique lanugine contegitur, & gustu amara est.

In Lemno Mediterranei maris insula locis campestribus frequens occurrit Petro Bellonio teste: apud Germanos & Belgas, tum & Italos ac Gallos studiosè in hortis colitur.

Iulio ac Augusto floret, quo tempore ad medicinæ vsum maximè colligendus ac reponendus est.

Carduum benedictum passim vulgò nominant: Officinæ Cardobenedictum composita dictione. Atractylidis alteram esse speciem, vt antè diximus, satis manifestum: Nam quæ de hac Atractylide Theophrastus, huic adsunt. Δασεῖος siue lanuginosus est, ac ἐπιγειόκαυλος, cauliculisque per terram reptantibus. semẽ barbæ modo hirsutum, & amara sunt folia. Quamobrem & à nonnullis Atractylis hirsutior dicitur. Valerius Cordus Cnecum supinum nominat.

Carduus benedictus.



nat: Germanis Befegneter distell / Kardobenedict: quarum postrema vox etiam Belgis innotuit: Hispanis *Cardo sancto*: Gallis *Chardon benoist*, *ou beneist*: Bohemis Kard benedykt · in Lemno *Garderacantha*.

Veluti autem amara Cardui huius herba est, ita quoque & excalfaciens ac resiccans ordine secundo, & simul expurgans ac aperiens. Venenis omnibus resistit, & pestilentibus morbis auxiliatur, si tempestiuè propinetur: curat & quartanas, ac inueteratas ac diuturnas alias febres: viscera, hepar, ac lienem ab obstructionibus liberat: ventriculo, quem bilis infestat, confert, eiusque dolores, præsertim vitio ventriculi superuenientes, sopit: vermes lumbricos interimit ac expellit tormina sedat: sudores mouet. vrinam cit: nephriticis, ac calculosis prodest: renū ac laterum dolores mitigat.

Optimum autem herbæ decoctum ex vino si febris adsit. Datur & aridæ puluis cum vino. Minus efficax aqua est per organa destillatoria extracta. Contumacia præterea ac rebellia vlcera huius decocto aliquot diebus assumpto curari quoque affirmant. Prodest verò & herba tusa imposita, vel succus eius. commendatur & eodem vsurpata modo aduersus virulentorum animalium morsus ac ictus: tum & assumpta.

Cirsion.



De Cirsio. CAP. XIX.

EX Carduorum & Spinarum numero etiam Cirsion est folia eius oblonga, Lactucę quasi similia, verùm acuminata, & per circumferentias aculeata, candidiora, longioraque quàm vulgaris Buglossi: caules recti, bicubitales, in alas nonnullas discreti, in quorum singulis capitulum eminet spinosum ac hispidū, quod post floris vigorem deorsum reflexum nutat, tandemq; in papposam lanuginem resoluitur. flos purpureo rubet colore. semen læue resplendet aliorum multorum Carduorum instar.

Similes verò & huic nonnullæ aliæ Spinæ, quæ ad Cirsij genus non ineptè referri posse videntur.

Vna folijs est Cirsio nigrioribus, per circum- 1.
ferentiam altius serratis: floribus purpureis: capitulo Cirsij, quod etiam aliquantulum reflectitur. Altior hæc spina est, & caules eius membranaceis appendicibus angulosi.

Altera folijs est spinosioribus: flosculis con- 2.
coloribus, sed tribus quatuórve vnitis, quorum minora capitula non reflectūtur. Hanc pro Cirsio Matthiolus depinxisse videtur.

Tertia tota sua stirpe magis spinosa est: folia 3.
profundis incisuris secta, durissimis & acutissimis spinis horrent, colore virentia, medio tamen candicante neruo: capitula nutant quoque: flosculi purpurei: caules crassi, membranacei, & angulosi.

Nascuntur quædam horū plurimis per Germaniam

maniam locis incultis quidem, non raró saxosis ac ruderatis, ac secus vias: quædam veró in maritimis, vt in Zelandia, Flandria, ac Hollandia iuxta Oceani littora.

Florent omnes mensibus æstiuis: quædam citius: aliæ tardius.

Huiuscemodi Spinam Græci κίρσιον appellant: Latini eadem voce vtuntur: aliqui veró etiam, vt inter spurias voces, Buglossum magnum, & Spinam mollem nominant.

De facultatibus autem Cirsij nihil apud veteres scriptum reperitur. Andreas quidam, qui nugas multas & mendacia in medicinam inuexit, radicem adalligatam varicum dolores sedare scripsit, vt Dioscorides refert.

De Carduo, quem Onopordon appellant recentiores.

CAP. XX.

Onopordon.



Leo, Carduus ferox.



1. INTER omnes spinas & Carduos spinosissimus hic est: caules eius prælti, adnatis & à foliis demissis membranis angulosi apparent: folia vtrimque profunde laciniata multis vnà cum caulibus horrent spinis. capitula spinosissima, ex squamis multis compacta, è quibus flores purpurei veluti aliis, raró albidi. radix fere recta, sed non altè descendit.

Peregrinus iste Carduus Belgio est. Onopordon herbarij appellát: Plinij tamen esse Onopordon affirmari nequit: nihil enim apud eum de Onopordi forma.

Fortassis etiam Acanos est, quem Bellonius omnium carduorum spinosissimum refert: & in Creta hac ætate Aconachiam vocari.

Pauca autem de Acano à veteribus prodita extant: pauciora veró etiam de Onopordo. Certius est Acanon spinam esse, quàm Onopordon.

2. Huic veró & ille accedere potest, quem Lobelius ab Italis Leonem & Carduum ferocem dici scribit: ab infestissimis siquidem ac durissimis spinis; quibus totus redundat; cauliculus eius breuis, vix palmum æquat. flos è capite acanaceo pallidè luteus, veluti Atractylidis, longis, duris spinis ac aculeis circumambientibus horrens.

Fertur in aridis nonnullis collibus haud procul ab Apennino monte, in Italia quandoq; sed tamen raró, reperiri.


De

De reliquis syluestribus Carduis. CAP. XXI.

Carduus syluestris primus.



Carduus syluestris 2.



SVPERSVNT verò præter eos quos hactenus descripsimus Carduos & alij syluestres non modò in Belgio, sed & alibi occurrentes.

Primus supra cubitalem aut bipedalem altitudinem rarò assurgit: caules promit complures, rotundos, alis multis ramosos: folia Acanthij æmula, sed minora, nigrioraque, & non lanuginosa. in fastigio cauliculorum spinosa echini instar capitula prodeunt, e quibus flores eleganter purpurei exeunt; qui in papposam lanuginem tandem commutati, semina aliorum similia relinquunt. radix ex multis fibris commissa est. 1.

Alter caule assurgit altiore, subinde bicubitali, rotundo, minus ramoso, paucioribus foliis conuestito, quæ sicuti prioris spinosa ac mordacia sunt, sed minora & angustiora. capitula quoque minora, oblongiora, non vsque adeò spinosa. Flosculi purpurei in pappos abeuntes. radix nigra ac pedem longa. 2.

Tertius altitudine, alarum paucitate, nec non & foliis, item & floribus secundum refert, sed caules multò spinosiores & radices magis fibrosæ. 3.

Passim secus vias ac semitas exeunt, præsertim primus: reliqui duo non rarò in pratis reperiuntur.

Iulio mense, deinde & Augusto præcipuè florent: Septembri verò papposa lanugo vento rapitur.

Syluestres quidem hi Cardui sunt, qui verò secundus Scolymus est, non quidem ille quem Theophrastus ostendit lactescens, de quo prius scriptum, sed vnus illorum, quos Plinius lib. xx. cap. xxiii. describit.

Syluestrium, inquit, Carduorum genera sunt duo: vnum fruticosius à terra statim: alterum vnicaule crassius: vtrique folia pauca (aliâs plura) spinosa, muricatis cacuminibus. Sed alter florem purpureum mittit inter medios aculeos, celeriter canescẽtem & abeuntem cum aura: σκόλυμον Græci vocant.

Meminit verò & alterius Scolymi Plinius lib. xxii. cap. xxii. quem ait in cibos Orientem recipere; qui idem cum Theophrasti Scolymo, & ab isto differens est. Nominatur verò

Carduus sylueſtris tertius.



Scolymus Dioſcoridis.

ille & λειμώνιον. poteſt & hoc nomen huic quoq; conuenire, in pratis ac paluſtribus ſiquidem gignitur.

Deſcribitur verò & à Dioſcoride Scolymus, qui cum hoc Pliniano côuenire exiſtimatur folia haber, inquit, Chamæleonis aut λευκῆς ἀκάνθης, nigriora & pinguiora: caulem edit longum, foliosum, capite ſpinoſo, radice nigra & craſſa. Quę certè deſcriptio à Scolymo iſto ſylueſtri aliena non eſt. Facit huc quòd Scolymus Carduus intelligatur ſylueſter, & agreſtium nomine veniat, vt Ruellius ſentit.

Scolymum autem hunc Galenus ait calidum ſiccumque ſecundo ordine eſſe: ab eſſentiæ tamen proprietate & graueolentem vrinam, ſi in vino cocta radix bibatur, euocare: ac graueolentiam corporis ac alarum ſanare.

Dioſcorides radicem ait emplaſtri modo impoſitam graueolentiam alarum totiusque corporis emendare. ac idem poſſe ſi in vino decocta bibatur, copioſamque vrinam fœtidam expellere. Idem verò & herbam recentem adhuc teneram inter olera Aſparagi modo recipi aſſerit.

Plinius, hic antequã floreat contuſus, ait, atque expreſſus, illito ſucco alopecias replet. Radix cuiuſcumque ex aqua decocta, potatoribus ſitim facere narratur. Stomachum corroborat, & vuluis (ſi credimus) etiam conferre aliquid traditur, vt mares gignantur. Ita enim Chereas Athenienſis ſcripſit & Glaucias, qui circa Carduos diligentiſſimus videtur. Manducatus Carduus hic odorem commendat oris. Hactenus ille lib. xx. cap. xxiii.

QVINTI LIBRI ET PEMPTADIS QVINTÆ

FINIS.

REM-

REMBERTI DODONAEI

Autoris damnati, at operis permissi

DE FRVTICIBVS, AC ARBORIBVS,

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTAS SEXTA.

DE FRVTICIBVS SPINOSIS, LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.

HACTENVS circa herbarum historias ac descriptiones præcipuè versati sumus. nunc frutices sese offerunt ac arbores, hanc operis partem posteriorem ambientes. In qua primi occurrunt spinosi frutices: deinde spinis carentes: tertio loco arbores succedunt fructiferæ. quarum videlicet fructus edules sunt, & vsibus humanis deseruiunt: quarto loco reliquæ sunt arbores, fructu hominibus inutiles. quas idcirco syluestres appellauimus. Posteriorem sedem ac ordinem occupant perpetua fronde virentes, inter quas Conifera sunt ac Resinifera.

Atque sic nostro operi tandem finis imponitur, quod animo diu conceptum, aliquando attentatum, antehac ad perfectionem peruenire non potuit: vel ocio desiderato, quod inter medicæ negotiosas ægrotorum curationes sæpè ac frequenter exiguum contigit: vel animo, communi patriæ, tum & domestica clade perturbatissimo, à studiorum laboribus nos auocante.

A spinosis autem hanc Pemptadem auspicati sumus, quòd præcedentis finem concludant spinæ: Sic enim à spinis ad spinas transitus fit, & assimiles non videntur separatæ.

De Rubo. CAPVT I.

RVBI duo sunt: vnus fructu nigro, vulgatis: alter rubro, qui Idæus cognominatur.

Vulgaris Rubus tenues, oblongos, lentos, ac obsequiosos, sed per se non consistentes 1. caules edit, duris, minacibus, ac asperis spinis communitos. folia ex pluribus cohærentibus componuntur, quæ aspera, dura, & per margines incisa sunt, superna parte virentiora, inferiore verò candicantia. flosculi aliquot, singuli in breuibus pediculis, in caulium fastigiis spicatim ferè digesti oriuntur albidi, ex quinque foliolis commissi. fructus ex compluribus acinis Moris similis, sed multò minor est, initio rubens, per maturitatem niger, gustu cum dulcedine quadam subacidus. radix fibrosa etiam serpit, subinde noua germina proferens.

Huius autem duo genera Ruellius statuit, sed sola magnitudine differētia Fit autem non 2. rarò, vt vno loco lætior: altero tenerior eadem stirps proueniat, pro soli videlicet, in quo nascitur, conditione.

Ad limites agrorum Rubi gignuntur, ac in syluis, agrisque, qui coli desierunt.

Maio mense flores conspicui sunt: sed Augusto ac Septembri mora ad maturitatem perueniunt

Hic frutex Græcis βάτος Latinis Rubus & Sentis dicitur: quandoque & Vepres, vt ab Ouidio Metamorphoseon quinto.

Aut lepori, qui Vepre latens hostilia cernit
Ora canum.

à nonnullis κυνόσβατος Sed Cynosbatus Rosa est syluestris, vt alibi scriptum. Germanis Bremen: Brabantis Braemen & Bremen Gallis *Ronce*. Italis *Rouo*: Hispanis *Carça*: Anglis Bramble busshe/aut black berrye busshe: Bohemis Wostruzina.

Fructum Græci μόρον τῆς βάτου, μόρον βάτινον Latini Morum Rubi nominant, ac, vt Fuchsius sentit, Vacinium quod tamen nec nobis, nec aliis probatur: Officinæ Mora bati, & quæ barba-

Rubus.



Rubus minor.



barbariores sunt, Mora bassi. Germani Brembeer: Braembesien/& Haghebesien: Hispani *Carçamoras*: Bohemi Wostruzyny.

Minorem Rubum χαμαίβατον ac humirubum à Theophrasto dictum nonnulli esse volunt. Fructum Ruellius Gallis *Catherine* nominari affirmat.

Rubi autem germina, folia, flores, ac immaturi fructus valēter exiccatoriam vim habent, & simul adstringentem facultatem obtinent. Manducata oris, tonsillarumque inflammationes reprimunt: aduersus dysenteriam, alui profluuia conferunt, sanguinisque eruptiones qualescunque sistunt. Idem potest & illorum decoctū, quod & oris vlcera addito melle curat. Oculos procidentes, condylomata, hæmorrhoides sanguinem fundentes folia imposita sanant. Succus ex caulibus, foliis, aut immaturis fructibus expressus, ac in Sole densatus ad omnia efficacior est.

Maturus fructus dulcis est, & non parum habet succi temperatè calidi; esui idcirco non insuauis, adstrictionis vero nonnihil etiam retinet. Ventriculo idcirco & gratus est. & si quis, Galenus ait, largius eo vescatur, capitis dolorem sentiet: Resiccatus verò dum adhuc immaturus est, magis quàm maturus adstringit ac exiccat.

Radix præter adstrictionem non paucam in se habet substantiam tenuem, propter quam & in renibus lapides comminuit: Galenus ait. Plinius Rubi mora & flores vrinam ciere refert, & calculorum ex vino decoctum præsentaneum esse remedium.

De Rubo Idæo. CAP. II.


IDÆUS Rubus vulgarem non paucis refert, sed caules & folia dilutius virentia, paucioribus spinis ac aculeis exasperantur, tenelli verò recensque enati turiones spinis quandoque etiam carent: fructus acinosi, sed colore rubentes, cum dulcedine insuaue quiddam resipiunt. radix valde serpit, & multis locis erumpens germina noua profert.

Fertur & in nōnullis Germaniç ac Bohemiç syluis reperiri: apud Belgas in hortis habetur.

Floret eodem, quo prior, tempore: fructus verò & serotinus Augusto demum maturescit.

Βάτος ἰδαῖα: Latinis Rubus Idæus, ab Ida monte iuxta quem nascitur: Germanis Hymbeeren:

Rubus Idæus.



brámen: Belgis Hinnebesien: Hispanis *Carça llamada Idea*. Gallis *Framboises*: Anglis Framboyse/ Raspis/& Hindberp.

Fructum Matthiolus à Tridentinis ac Ananiensibus Ampoucele nominari refert.

Viribus autem ac facultate alteri Rubo iste similis videtur, sed tamen minus adstringens aut resiccans. Eadem, Dioscorides ait, præstat quæ supradictus.

Flos cum melle oculorum inflammationibus commodissime illinitur: erysipelata restinguit; stomachicis ex aqua bibendus datur.

De Anonide. CAP. III.

CAVLICVLIS Anonis dodrantalibus aut paulò altioribus exit, geniculis aliquot articulatis ramosis, obsequiosis, duris acutissimisque spinis horrentibus: iuxta quas folia parua Hypericoidis Rutæ magnitudine & forma similia, particularibus Lentis foliolis maiora, colore saturato virentia: flosculi secundum cauliculos quoque enascuntur, forma veluti Ochri, sed colore vt plurimum purpurei, rarò albidi, rarissimè verò lutei: subsequuntur valuulę exiguæ, in quibus semina plana. radix longa latè per summa terræ progreditur, lenta admodum ac frangi contumax.

Anonis.



In agris ac iuxta limites siue margines læto pingui ac restibili solo gignitur reperitur in Germania ac Belgio, ac in Italia, tum & alibi. stirps autem admodum viuax est, quæ nec facilè perit, sed nec extirpari, nisi difficillimè, potest. Agricolis sæpè molesta est, quando duræ ac lentæ radices aratrum remorantur, & boues sistunt.

Noua sub finem Veris germina emittit, Autumno perficitur, & tunc quidem spinosissima. Iulio & Augusto cum flore videtur.

Ἄνωνις siue Ὄνωνις Gręcis quidē appellatur, ac similiter Latinis Anonis & Ononis: Vulgò autē herbariorū Arresta bouis, Resta bouis, & Remora aratri, quòd arantes boues in opere hętere efficiat, & quò minus aratrum progredi queat, frequenter radices eius impedimento sint. Dicitur verò & Acutella, à duris acutis spinis, quibus transeuntes pungit.

A Crateua verò Αἰγόπυρος siue Ægipyrus: Germanis est Hauwhechell/ Ochsenkraut/ Stalkraut: Belgis Prangwortele/ Stalcruyt: Italis *Bonaga*: Hispanis *Detiene buey* & *Gattilhos*: Gallis *Arreste beuf*: Anglis Cammocke & petti Wynne.

Anonidis autem radix excalfaciens est, &, vt Galenus, tertio quadantenus ordine, extenuans verò ac incidens quoque est. Cortex eius cum vino epotus vrinam cit, calculosque dissoluit ac pellit, crustas verò & abstergit.

Decocta radix in posca dentium dolores mitigat, ore sæpius colluto. Plinius comitialibus decoctam in oxymelite ad dimidias, dari refert. Matthiolus sibi notum hominem affirmat, pul-

uere

uere huius radicis pluribus mensibus assumpto, à carnoso ramice curatum.

Primos huius fruticis turiones siue asparagos, priusquam spinosi fiant, muria condiri, & cibis gratissimos esse, auctor Dioscorides.

De Rusco, CAP. IIII.

Ruscum.



HVMILIS stirps Ruscum est, cauliculi aut potius pediculi eius rotundi, lenti, virentes, & ramosi, semipedem alti: folia parua, latiuscula, Buxi, aut citius Myrtinis similia, sed pungenti cacumine mucronata: baccæ è mediis dependent foliis, per maturitatem rubentes, maiores quàm Asparagi. radices albidæ, ramosæ, serpentes, mediocris crassitudinis, gustu dulce quiddam resipientes.

In nonnullis regionibus, veluti in Burgundia, & Italia, tum & alibi locis asperis frequens nascitur. In Belgij hortos transferri solet.

Primo Vere virentes ac teneros admodum turiones promit, qui edi aliorum asparagorum modo possunt. Autumno semen perficitur.

Ὀξυμυρσίνη, quasi acuta Myrtus, & μυρσίνη ἀγρία, id est, syluestris Myrtus Græcè dicitur. Latinis Ruscum aut Ruscus: Officinis Bruscus: à nónullis Scopa regia, vt testatur Marcellus Empiricus vetus scriptor: Germanis Mueßdorn: Belgis Steckende Palm: Italis *Rusco, & Pongitopi*: Hispanis *Gilbarbeyra*. Reperiútur verò & huius spuria quædam nomina ac nothæ appellationes, vt, μυρτάκανθα, ἱερόμυρτον, μυάκανθα, ἄγρυτον, πύγνος, κατάγγελος, ἀνάγγελος, ἄκαιρον, χαμαιμύρτη, & tales aliæ.

Inueniuntur, inquit Plinius lib. xxv. cap. xiii. qui Oxymyrsine radicem Acaron vocát Ideoq; quidam Acaron agrion vocare malunt. Sed potuit Plinio vocum affinitas imposuisse, & pro Acæron, quæ vox inter nothas, Acaron aut Acoron legisse. *Plinius notatur.*

Serapio cap. CCLXXXVIII. Myrtum agriam eandem cum Cubebis esse sentit, rationem adducit, quòd Galenus Myrtum agriam, hoc est, Ruscum non descripserit, nec Dioscorides Cubebas. Quæ vt nullius momenti ratio est, ita nec veritatem habet: Galenus etenim nusquam Cubebarum mentionem facit; & vt fecisset, non consequeretur idcircò Ruscum Cubebas esse. Meminit autem Galenus Carpesij, quod Auicenna cap. CXXXVII. Cubebas facit. Carpesium autem à Rusco multùm differens esse, ostendunt ea quæ de hoc lib. primo De Antidotis Galenus scripta reliquit. *Carpesium*

Est Carpesium herba, inquit, Phu appellato genere similis, validior tamen & aromaticum quiddam plus spirans: plurimum hæc in Sida vrbe Pamphiliæ nascitur. tenuia auté quædam Carpesij sarmenta Cinamomi virgultis similia sunt. Eius duo genera reperiútur. vnum quod Laertium: alterum quod Ponticum nominatur. à monte, in quo nascuntur, vtraque nomen habent: sed Ponticum melius est. quod cum plurimum haberem permultis medicamentis admiscui, in quibus Phu vocata imponi debuerat. Est enim Carpesium, vt dixi, Phu simile, validius tamen, & qualitatem quandam aromaticam gustatum odoratumq; remittens: Hactenus Galeni verba.

Ex quibus manifestè constat, Ruscum non esse Carpesium, hoc est, Auicennæ Cubebas; & hallucinatum Serapionem qui tale aliquid suspicatus fuerit. Sunt verò & fructus siue grana quædam Cubebe nomine, non sarmenta; verùm nec illa cum Rusco quadrant, nec Galeno cognita extitere. *Serapionis error. Cubebæ.*

Rotunda siquidem grana sunt, Piperis magnitudine, sed oblongo angulo eminente, quasi caudata, gustu aromatica, & acre nonnihil resipientia. Ysaac Practicæ suæ lib. secundo inter grana numerat: & similiter Hali Abbas Practicæ etiam lib. secúdo, numero CLXII. Posteriores Græci, inter quos Nicolaus Myrepsus, Combebas appellant.

Cæterùm

Cæterùm Rusci radices, quatum præcipuè vsus, temperatè calidæ sunt, ac essentiæ tenuitate mediocriter quoque resiccantes. Vrinam ciunt, tenum calculos, ac arenulas expellunt: vrinæ stillicidio succurrunt, decocto earum ex vino assumpto. Eadem Dioscorides de foliis ac baccis, quæ præterea & menses pellere, capitis dolores, ac regium morbum sanare ait. Prosunt verò & radices ad crassorum pulmoni pectoriq; inhęrentium humorum facilem expurgationem, ac concoctionem eorumdem promouent.

De Hippoglosso. Cap. V.

Hippoglossum.



HIPPOGLOSSVM cauliculos erigit dodrantales, rotundos: folia circa hos oblonga, lata, acuminata, sed non pungentia, Laurinis quidem similia, sed multò minora, maiora verò quàm Rusci, e quorum medio neruo alterum exit folium acuminatū etiam, sed paruum, nec Rusci folio maius: deinde & bacca Ochri magnitudine, colore per maturitatem rubens, quæ ipso exiguo foliolo quasi tota subinde contegitur. radix albida, longa, & suauis odoris.

In Liguriæ Alpibus, ac Pannoniæ superioris mōtibus reperitur. Bellonius circa Athon montem valde frequentem esse scriptum reliquit.

Sub Autumni tempus fructus maturus est.

Græcis *ἱππόγλωσσον* dicitur: à nonnullis verò & *ὑπόγλωσσον*: ab aliis *ἰσόγλωσσον*: à recentioribus Bonifacia, Vuularia, Bislingua, Lingua pagana, Victoriola. Eadem verò & *δάφνη ἀλεξάνδρεια*, & *δάφνη ἰδαία*, ab Ida Troadis monte, quæ & Alexandri Troas dicta est.

Nec refert quòd Dioscorides de Hippoglosso vno loco; alio verò de Lauro Alexandrina scripserit: aut quòd Ruellij versio habet, semina inter folia exire: aut quòd talem iconem, Ruellianę nempe interpretationi respōdentem, Matthiolus exhibuerit, fructu videlicet in longis pediculis è cauliculis inter folia dependente. Nam de vna stirpe quandoque sub diuersis appellationibus, separatisque locis Dioscoridem agere, & alibi ostendimus: veluti cap. de Tussilagine. Ruellij autem conuersionem non esse fidelem & ipse Matthiolus postea agnouit. *Ruellij versio infidelis.* Græcum exemplar habet, *καρπὸν ἐν μέσοις* (scilicet *φύλλοις*) *ἐρυθρόν*, hoc est, fructum in mediis foliis rubentem. Quod & sic se habere Theophrastus etiam testis, qui Laurum Alexandrinam & Ruscum lib. III. *ἐπιφυλλόκαρπα*, hoc est, fructum folio ferentia esse refert. Præter hæc duo nec alia *ἐπιφυλλόκαρπα* nominans, innuere volens, non restare epiphyllocarpa alia. Quod sententiam nostram adstruit, & Hippoglossum Laurum Alexandrinam siue Idæam esse confirmat. Huc verò etiam facit, quòd inter appellationes Lauri Alexandrinæ nomen *ἰσόγλωττον* ascriptum quoq; sit. Matthioli verò falsam esse iconem, & ad infidelem Ruellij versionem excogitatam, ex his, quæ hactenus scripsimus, satis apparet. *Matthioli falsa icon.* Mirum autem quòd cùm ipse errorē Ruellianæ interpretationis animaduerterit, tam falsam & imaginatiam iconem in suis commentariis relictam voluerit.

Cæterùm Hippoglossum siue Laurus Alexandrina à Germanis quidem Zapflinkraut / & Zungenbladt dicitur: Belgis Tonghenblat: Hispanis *Lengua de cauallo*: Anglis Double tonge. Supersunt verò & alia quædam eius apud veteres Græcos nomina: vt, *δανάη, ζάλεια, στεφάνη*, ac inter nothas *Σαμοθρᾳκική, μεθεῖον, δίγλωσσον*: apud Græcos verò nostri temporis Coraco Vorano.

Porrò Laurus Alexandrina temperatura euidenter calida est. Radix pondere drachmarum sex cum dulci vino difficulter parientibus, & stillicidio laborantibus succurrit, & sanguinem quoque menstruum eiicit, vt auctor Dioscorides. Similia & Plinius habet: Celeres partus, ait, facit, radice pota trium denariorum pondere, in vini dulcis cyathis tribus. Secundas etiam pellit mensesque eodem modo pota.

Baptista Sardus ad suffocationes ex vtero hanc vehementer commendat. Exhibendo, inquit, cochlear paruum pulueris, vel herbæ, vel radicis mulierem suffocatione ex vtero laborantem mox liberat. Eandem verò & ad intestinorum ramices extremum esse scribit remedium, puluere videlicet radicis exigui cochlearis mensura cum iusculo carnis aliquot continuis diebus propinato.

De Cappare. CAP. VI.

Capparis.



ACVLEATVS frutex Capparis est, cuius ramuli non minus acutis & hamorum instar aduncis spinis horrentes quàm Rubi, per terram orbiculatiter sternuntur, si non pedamentis quibusdam fulciantur. folia circa hos lata, veluti Mali Cotoneæ, sed tamen rotũdiora, è sinu quorum tenues exeunt pediculi capita rotunda proferentes, quibus dehiscẽtibus flos candidus panditur, quem sequuntur fructus oblongi, Oliuis similes, in quibus semina parua & albida conduntur. radix lignosa, grandis, numerosa, crassiore cortice conuestitur, cuius in medicina frequens vsus.

In Italia, Hispania, alijsq́; calidioribus regionibus absque cultura Capparis nascitur, tenui solo, asperisque locis, & iuxta rudera, vt Dioscorides scribit. Theophrastus natura sua syluestrem esse, & cultum non admittere refert. nostra tamen ætate à nonnullis colitur, ac siccis lapidosisq́; locis seritur.

Capparis æstate floret: viget verò in Autumnum vsque. rudimenta florum antequam dehiscant colligenda, & muria aut sale condienda.

Nomen apud Græcos idem, quod apud Latinos obtinet, κάππαρις siquidem dicitur: à nonnullis verò & κυνόσβατος, sed propriè Cynosbatos siue Canirubus, est syluestris Rosa: vt alibi ostensum est: Germanis Cappern: Belgis Cappers: Italis *Capparo:* Hispanis *Alcaparras:* Gallis *Cappres:* Anglis Capper.

Capitula siue rudimenta florum, hoc est, nondum completi flores, Capparum nomen in Officinis acceperunt.

Cappares itaque siue flores nondum completi temperamento calidi sunt ac tenuium partium. si recentes edantur exiguum admodum alimenti conferunt: sale verò macerati multò etiam minus. non tam edulia idcircò, quàm ciborum obsonium & medicamentosum condimentum. collapsam ciborum appetentiam excitant: humido ventriculo conferunt: saliuationem eius reprimunt, pituitam verò & in eo hærentem detergunt: iocinoris lienisq́; obstructiones expurgant: quartana laborantibus ac lienosis cum cibo prosunt. Eduntur autem, sale prius eloto, decocti, addito oleo & aceto, acerariorum aliorum instar, aut vnà cum cibis coquuntur.


Cortex autem radicis ex diuersis facultatibus constat: excalfacit, extergit, purgat, incidit, digerit, contrahendi adstringendiq́; quadam potentia coniuncta.

Lienes induratos, si quod aliud medicamentum, iuuare valet, cùm foris idoneis remedijs admixtus, tum intra corpus assumptus, & quidem vel in aceto aut oxymelite decoctus, vel aridus contusus, alijsq́; permistus. hoc etenim modo crassos lentosq́; humores euacuat, & eos per vrinas, sæpè etiam per ventrem sanguinolentos defert, vnde & lienes adiuti & coxendicum dolores. menses verò etiam promouet, & ex capite pituitas purgat detrahitque, quod ἀποφλεγματίζειν vocant: auctor Galenus. Idem cortex, vt Dioscorides scribit, vlcera vetera sordida, & quæ occalluerunt expurgat: lienosis cum Omelysi imponitur: mãducata dentium doloribus auxiliatur: cum aceto verò viriligines abstergit. folia verò & radices contrita, duritias & χοιράδας siue strumas discutiunt. Succus aurium vermiculos infusus enecat.

De

De Cappare Fabagine. CAP. VII.

Capparis Fabago.



AD Capparem autem & referre recentiorum plerique student Capparem Fabaginem nuncupatam, non fruticis quidem, sed herbę speciem. cauliculos hæc promit teretes, læues, ramosos, & circa hos folia lata, oblonga, crassiuscula, minora quàm Capparis, Portulacæ æmula, ab vno pediculo bina, saturato colore vnà cum cauliculis virentia flores verò priusquam pateant rudimentorum Capparis florum similitudinem referentes; completos autem inalbicantes, staminibus aliquot luteis medijs: succedunt siliquæ in quibus semina. radix tenuis in diuersa tendit.

Quibus locis spontè exeat aut gignatur nondum accepimus: in hortis Belgij olim hanc conspicere datum fuit.

Nominatur hæc à recentioribus Capparis Fabago, vt scripsimus, & à plerisque Capparis leguminosa. Veteribus notam fuisse non constat. Cepçam siquidem esse nō fuerit facile affirmare, breui ac succincta admodum apud Dioscoridem descriptione extante. Describitur verò ab Auicenna cap. XXVIII. herba quædam Ardifrigi nomine, cum qua Capparis Fabago melius respōderet, si tam graui esset odore, quàm sapore amancat: Ardifrigi siquidem valde acuti & grauis odoris est, vt Auicenna scribit:

Est herba, inquit, similis Cappari, acuti odoris valde & grauis, habens fructum in vaginis. *Ardifrigi.*

Quod si autem errore transscribentium, pro saporis, odoris vox supposita esset, Capparis Fabago cum Ardifrigi conuenire posse videretur. Sed quis hoc temere affirmauerit? Sit ergò Capparis Fabago, sua contenta appellatione, nec aliam expetat aut requirat.

De facultatibus verò nihil occurrit scribendum.

De Vua crispa. CAP. VIII.

BICVBITALIS aut altior hic frutex est, & admodum spinosus: multis tenuibus lignosis aculeatis & albicantibus ramulis luxuriat: folia non magna, lata, rotunda quoque essent, nisi profundius incisa, Vitiginea quodammodo referrent, ambitu verò reliqua etiam crenata, colore autem pulchrè virent, mollia verò & vnà sunt ac modicè pilosa: flosculi ex herbaceo albidi, aut perquam exiguum purpurei: fructus acini rotundi, non racematim cohærentes, sed secundum ramulos sparsim baccarum aliarum modo dependentes, colore initiò virentes, gustuque austeri, per maturitatem verò subflauescentes, vinoso succo pleni, sapore aliquantulum dulces, in quibus semen candicans. radix lignosa fibris non destituitur.

Ad limites agrorum & hortorum hæc spina collocatur, & non rarò ipsa hortorum est sepimentum.

Citò admodum, & frequenter ante Veris æquinoctium folia erumpunt: acerbi fructus Aprili ac Maio mensibus colliguntur: maturi verò sub finem Iunij demum decerpuntur.

Nomen frutex hic apud Veteres non habet, qui eum non cognouerunt, vel neglexerunt: Recentiores quandoque Grossulariam, frequentius verò ab acinis Vuam crispam, Vuam spinam, Vuam spinellam, Vuam crispinam appellant: Germani Kruſʒbeer aut Kruſelbeer: Belgæ Stekelbesien / Kruesselen & Croesbesien: Hispani *Vua cresþa*, siue *Espina*: Itali *Vua spina*: Galli *Groselles*: Angli Goes berrye. Non est autem Rhamni species, vt ex ijs, quæ de Rhamno mox scribenda, satis constat. Non est etiam spina Græcis ἄκανθα ἀγρωστώδης dicta, quam Theophrastus Graminis ferè modo germinare scriptum reliquit.

Sunt autem huius fruticis baccæ nondum quidem maturæ temperamento frigidæ ac sic-

Vua criſpa.



cæ,& ordine quidem ſecundo intenſo,& facultate adſtringentes. In cibatu harum vſus omphacij loco eſt. Iuſcula, in quibus incoctæ, ori grata,& febricitantibus vtilia. Eduntur verò & alijs decocta modis quocunque autem tandem modo,ſemper crudum ac frigidum ſuccum ingenerant,qui ad alimenti ſubſtantiam nihil aut exiguum admodum conferat: aluũ verò etiam ſiſtunt,& ſanguinis fluores, ac menſium purgationes reprimunt,niſi in debilem admodum ac frigidum incidant ventriculum, quem non adiuuant,ſed vel aggrauant, vel aluo quoque vnà permota conturbant.

Maturi fructus vti dulciores ſunt, ſic & parum aut nihil adſtringunt, & caloris exiguum quid obtinent: alimenti verò & paulò amplius quàm immaturi conferunt, idq; non adeò crudum, verum ratò hi vel ad condimenta deſiderantur,vel eduntur.

De Ribeſio. CAP. IX.

RIBESIVM non ſpinoſum quidem eſt, ſed certis de cauſis ab Vua criſpa non videbitur diuellendum. Eius ſpecies duæ ſunt, fructus colore & ſapore differentes; vnius enim rubet: alterius niger eſt.

1. Fruticoſa autem ſtirps eſt, lentos ac flexibiles ramos profert cortice ſubnigricãtes, quibus adnaſcuntur folia lata, ambitu & crenata, & Vitis foliorum modo diſſecta, ſed minora multò,è quorum ſinu pediculi dependent oblongi,floribus initio onuſti, deinde baccis vuæ non racemoſæ modo digeſtis,colore per maturitatem rubentibus,ſapore grato acidulis.
2. Altera ſpecies priorem ramis, folijs, floribusq; refert, ſed fructus niger eſt, & ingrati saporis, & idcircò nullius pretij ac inutilis habetur.
1. Ribeſium rubentis baccæ in multorum hortis habetur: ad ſepimenta vtile, tum & ad topiarias ſcenas, quas non difficili opere conueſtit ac ornat.
2. Alterum in hortis habere nemini vel paucis curæ eſt: iuxta foſſas & ſcrobes agrorum aut pratorum quandoque reperitur.

Floret Ribeſium Aprili ac Maio, ſub finem verò Iunij quandoque, ſæpius verò Iulio menſe baccæ maturæ.

Noſtra ætas Ribeſium appellat, & Groſſulariam rubram, ac Groſſulariam tranſmarinam: Germani Sant Johans treubel ſiue treublin / Sant Johans beerlin: Belgæ Beſiekens ouer zee: Itali *Vuetta roſſa:* Galli *Groiſſeletz Groiſelles d'outre mer*: Bohemi Jahodi S°. Jana. Officinis Ribes nomine cognitum quod fructu rubet. Deſcribitur verò iſtud à Serapione cap. CCXLI Sed Fuchſius & Matthiolus noſtrum negant idem cum illius eſſe: facultates tamen conuenire diffiteri nequeunt, At deſcriptio, aiunt, non reſpondet.


Ribes eſt, inquit Serapio, planta habens capreolos rubros ad viriditatem tendentes, & folia magna, lata, rotunda, viridia: grana, quorum eſt ſapor dulcis cum acetoſitate, & ipſa ſunt frigida & ſicca in ſecundo gradu. Quid autem in hac deſcriptione repugnans? Plantam eſſe, ait, hoc eſt, fruticem, habentem ramulos (interpres capreolos nominat) rubeos, ad viriditatem tendentes,& talia ſunt Vere noua erumpentia cum folijs germina, quæ vetuſtate ſubnigricant. folia, ſi cum aliorum minorum nonnullorum fruticum multò minoribus comparentur folijs, magna ſunt, lata eadem & virentia eſſe, manifeſtum: rotunda verò etiam dici poſſunt. Quid igitur deſideratur? niſi rectum iudicium: id ſi adhibeatur, Ribes noſtrũ idem cum Serapionis ac reliquorum Arabum eſt. Quod ſi in aliquo verbo, veluti in dictione, Capreolos, hæſitatio aliqua occurrat, interpreti imputandum, qui nõ fidiſſimus Serapioni contigit, vt ex cap. de Mummia ſatis conſtat. Nũquam Serapio Mummiam exiſtimauit eſſe mixturam ex aloë & myrrha & eo quod his admiſcetur ex humiditate corporis humani: Interpretis iſtud eſt commentum. Ita cum hic pro Ramulis, Capreolos ſcripſiſſe, quid vetat?

Petrus

Ribesium fructu rubro.



Ribesium fructu nigro.



Petrus Bellonius in lib. De arboribus Coniferis, pro Ribesio aliam ostendit stirpem à se in Libano monte locis frigidissimis repertam, vbi fere toto anno nix visitur, foliis Lapathi grandioribus ac rotundioribus, senis septenísve ab vna radice, baccis rubentibus, è medio sinu foliorum veluti Lauro Alexandrinæ & Rusco exeuntibus, racematímque dependẽtibus. quod legitimum esse Ribes ex eo colligit, quia Serapio Ribes in niuosis prouenire scriptum reliquent: verùm & aliæ stirpes in niuosis non rarò nascuntur, quæ tamen idcircò Ribesia non sunt. In summa autem Arabum breuitate nihil temerè affirmandum, præsertim cùm Ribes vulgare, descriptioni quam ex Ysaaco Serapio adsert, non repugnare queat, & facultates conueniant, vt ostendimus. Ribes Bellonij

Ribesij autem nostratis rubentes baccæ, quarum vsus & non aliarum est, frigidæ & siccæ temperamento sunt, ordine secundo satis intenso, & cum partium tenuitate nonnihil quoq; adstrictionis obtinent. Ardores febriles restinguunt ac mitigant; bilem reprimunt, sanguinem contemperant, putredinibus aduersantur; sitim vehementer sedant, ventriculi subuersiones, & choleram morbum sistunt: dysentericis ex calida causa laborantibus vtiles.

De Spina acida siue Oxyacantha. CAP. X.

FRVTEX acida Spina est procerus, plurimis virgultis ac ramis assurgens, aculeis candicantibus & valde pungentibus, admodum spinosis, quorum cortex læuis ac tenuis est, ligni verò materies lutea; foliis hæc conuestiuntur paruis, oblongis, dilutè virentibus, ambitu crenatis, & nonnihil asperis, sapore acidis. flosculi ex oblongis pediculis cohærent lutei: baccæ succedunt paruæ, oblongæ, tenues, colore per maturitatem rubentes, osseo intus exiguo nucleo, sapore acidę, quæ vbi inaruerunt nigræ fiunt. radices lignosæ in diuersa sparguntur, luteę quoque, sed coloratiores quàm sit ligni materies.

In pluribus regionibus in incultis ac desertis, non tamen arentibus, sed nonnihil humentibus locis gignitur, tum & in syluis: quandoque verò & iuxta agrorum limites. Transfertur verò & ad hortos, ad quorum sepimenta vtilis est.

Aprili folia ei subnascuntur noua, atque eodem tempore ex veteribus caudicibus turiones

Spina acida siue Oxyacantha.



Amyrberis.

Oxyacanthus siue Spina acuta.



I.

erumpunt oblongi, molles, Myacanthæ Asparagis similes, qui esui idonei sunt, nec citò lignosi fiunt aut durescunt. Maius flores adfert, sed September fructus.

Galenus hanc Spiná Græce Ὀξυάκανθαν vocat, & ab ὀξυακάνθῳ differentem in lib. De facult. simp medic. facit sed & manifestius in lib. De facul. aliment. vbi Oxyacanthæ Asparagos inter edules refert, quales non Oxyacanthus, sed Oxyacantha siue Acida spina, vt iam scripsimus, profert.

Dioscorides huius Spinæ non meminit, nam quá ipse Oxyacantham feminino genere nominat, Galeni est masculini generis Oxyacanthus, vt sequente capite etiam dicendum.

Auicéna vtrumq; fruticé sub Amyrberis nomine complexus videtur. ait enim: Et ex eo est rotundum, rubeum, campestre: & nigrum, oblongum, arenosum (*lego* acetosum) & montanum. Quibus verbis vtriusq; fructum expressit: nam rotundus ac rubens Oxyacáthi est niger vero & oblógus Oxyacanthæ, quem scripsimus arefactú nigrum esse. Officinis auté hic frutex Berberis appellatur, ab Amyrberis voce deprauata: recentioribus Crespinus: Italis similiter *Crespino* Hispanis *Espino de matuelas*: Germanis Paysselbeer / Saurich / Erbsell / Versich: Belgis Sauseboom / Suerboom. Gallis *Espine vinette*, atque inde Latino nomine Spinivincta. Anglis Haudthorntre / & May: Bohemis Drack / Dristall.

Folia auté & fructus huius Spinę ordine secundo refrigerant ac resiccant: &, vt Galenus quoq; affirmat, tenuiú sunt partium, ac incisiuum quid obtinent.

Folia ad ciborum conditurам & obsonij loco à nonnullis vsurpátur, veluti Oxalidis. Decoctum eorundem aduersus ardentes & biliosas febres confert: sanguinis feruorem & iocinoris nimium calorem cótemperat.

Fructus ad eadem conferunt, qui & cœliacis ac dysentericis vtiles habétur, & omnes sanguinis superfluos fluores cohibere possunt.

De Spina acuta. CAP. XI.

ACVTA Spina magnus est frutex, non rarò in arborem Pyri altitudine excrescens, præsertim cultu accedente. caudices ei sunt crassi, rami duri ac lignosi, oblógis acutis & duris spinis horrentes: folia latiuscula, profundis incisuris dissecta, læuia, cum virore resplendentia: flores in vmbellis albidi, suaue odorati: baccæ rotundę, per maturitatem rubentes, in quibus mollis ac dulcis pulpa, & semina aliquot albida. radix altè in terram descendit.

In syluis, secus vias, agrorum hortorumque

rumque sepimenta ac limites nascitur: ac non rarò hortos ipsos sepit, vbique frequens.

2. Huic verò & altera quædam annumeratur acuta spina, cuius folia angustiora, sed oblonga sunt: flores quoque in exiguis muscariis candidi & odorati, prioris similes: baccæ forma & magnitudine pares, sed luteo Croci colore rubentes. Humilior autem hæc spina est, nec ita facile arborescit, rara quoque, & in paucorum tantummodo hortis apud Belgas reperibilis.

Vtraque mense Maio floret: folia paulò prius erumpunt: baccę Augusto aut serius maturescunt, esca futuræ turdis, sturnis, merulis, ac aliis per hyemem auibus.

Dioscorides hanc describit, & ὀξυάκανθαν feminino genere nominat: Galenus verò in lib. De simp. med. facult. masculino genere ὀξυάκανθον Oxyacanthus, ait, arbor, vt Pyri syluestris habet speciem: ita & vires non dissimiles &c. Sic & Dioscorides de Oxyacantha: Arbor est Pyrastro similis, valde spinosa, &c. Serapio hanc Amyrberim appellat. Sunt verò, vt & Dioscorides scribit, quibus πυρίνα dicitur aut πυρυάνθη. Pyrinæ autem nomen alteri ac minori Spinæ proprium esse videtur. Germanis Hagdorn: Belgis Hagedoren / & witte Hagedoren prior Spina dicitur. Italis *Bagata, Amperlo*: Hispanis *Perlitero*: Gallis *Aube spine*. Nuncupatur verò & à nonnullis Spina vallaris, & Spina sepicularis.

Cæterum huius baccæ, vt Dioscorides scribit, alui profluuiũ & mensiũ abundantiã sistũt.

De Tragacantha, siue Hirci spina. Cap. XII.

Tragacantha, siue Hirci spina.



TRAGACANTHA humilis spina est, surculos edit breues, robustos, late dispersos: folia verò circa hos complura, ex multis ad vnum neruum siue costam cohærentia, instar foliorum Lentis, quorum singularia tenuia sunt & angusta, sub his autem duræ, albicantes, rectæque spinę. radix lignosa in obliquũ late spargitur, summo terræ cespite hærens. ex quã vulnerata lachryma siue gummi effluit albidum, facileque concrescens.

Theophrastus spontè lachrymã effluere atque spissari, nec opus esse vt radix vulneretur, lib. IX. scriptum reliquit. Præstat autem, Dioscorides ait, pellucens, gracilis, læuis, syncera, & subdulcis.

In Creta insula copiosam reperiri Bellonius lib. primo Singularium refert, & quidem non nisi in mõtium iugis. Theophrastus: hæc anteà nasci tantum in Creta, ait, putabatur: nunc verò in Achaia, Peloponneso, & aliis locis, ac in Asia circa mediam comperiri certum est. In Arcadia etiã nascitur, quæ Cretica non deterior existimatur. Nostra ætas in Gallia Narbonensi hãc etiam obseruauit.

Gręci hanc Spinam τραγάκανθαν vocant, Latinè Hirci spinam dixeris. Lachryma siue gummi, Tragacanthæ quoque nomen habet: in Officinis gummi Tragacanthæ, aut gummi Dragaganti barbarè vocatur.

Tragacantha autem siue Lachryma Tragacanthæ, emplasticam vim obtinet, quare acrimoniam humorum obtundit, resiccat verò etiam nõnihil. Ad tusses, arteriæ exasperationes, raucedines, omnesq; acriores ac tenues destillationes plurimum in eclegmate prodest. Linguæ subdita asperitatem eius colliquescens tollit: renum doloribus, vesicæ rosionibus, ac vrinæ ardoribus auxiliatur cum passo aut glycyrrhizæ decocto epota. Vsus quoque eius ad ocularia medicamenta.

De Acacia. Cap. XIII.

DVARVM Acaciarum Dioscorides meminit, quarum prior vera ac legitima est.

Est autem hæc frutex arborescens, non tamen ὀρθοφυὴς, hoc est, rectè assurgens, proferens ramos lignosos, duris & oblongis spinis aculeatos, circa quos folia sunt ex pluribus ad

 vnam

Acacia.



De prana à Matthiolo imago.

vnam ῥάχιν siue costam hærentibus composita, veluti sunt Lentis: flores albidi: lobi siue siliquæ planæ sunt, & latæ quidem instar Lupini qua parte semen continent: quod modò vna, quandoque duabus lobi particulis angustiore collo cohærentibus comprehenditur semen glabrum & resplendens. Exprimitur autem ex his succus, qui in vmbra siccatus: niger ex maturis est ὑπόπυῤῥος siue subruffus ex immaturis: aliqui verò ex foliis & fructu succum colligunt.

Gummi verò & ex hac stirpe profluit.

Nascitur, ait Dioscorides, Acacia in Ægypto.

Inter frutices autem ac arbores perpetuo virentes Acaciam etiam numerat Petrus Bellonius Singul. lib. 1. cap. XLIIII.

Hanc spinam Græci ἀκακίαν etiam nostra ætate vocant: Latinis similiter Acacia est: Dicitur & Ægyptia spina.

Succus Acaciæ quoque nomen habet. Officinæ Germaniæ huius loco succum ex syluestribus Prunis expressum substituunt: quem & Acaciam appellant.

Gummi in Officinis Arabicũ gũmi dicitur.

Matthiolus pro Acacia Arborem Iudæ recẽtioribus dictam, pictura exhibet, cui præter veritatem spinas addidit, vt Acaciam mentiretur. sed tamen nec sic Dioscoridis descriptioni respondentem reddidit.

Acaciæ autem succus, vt Galenus ait, non est partium similarium, sed cum substantia frigida & terrea, cui & quædam aquea commista, quasdam etiam in sese dispersas partes habet tenues & calidas. Est itaq; tertij ordinis exiccantium, refrigerantium verò non lotus primi: secundi verò vbi lotus fuerit. Lotione enim acrimoniã ac partes calidiores deponit.

Cõducit autem, inquit Dioscorides, ad oculorum medicamẽta, & ad erysipelata, herpetas, chimetla, pterygia, oris vlcera: proptoses oculorum reprimit: mensium abundantiam sistit: procidentem vterum contrahit: alui fluorem supprimit, tum potus, tum per clysterem inditus: capillos denigrat. Ad oculorum autem medicamenta lauatur.

Gũmi adstringens & modicè refrigerans est: emplasticam verò vnà facultatẽ habet, qua acrimoniam medicamẽtorum, quibus admiscetur, retundit. Ambustis cum ouo illitum, vesicas excitari prohibet: Dioscorides.

Acacia altera.



De Acacia altera. CAP. XIIII.

ALTERA Acacia spinæ Ægyptiæ assimilis, vt Dioscorides ait, sed longè minor teneriorque, stirps humilis, aculeatis spinis conuallata: folia habens Rutæ: semen in siliquis trium aut quatuor capacibus Lente minus. Et pro hac quidem, exhibita olim à Matthiolo fuit, stirps lignosis & aculeatis ramis, foliis ternis cohærentibus, Rutæ graueolentis non valde dissimilibus;

bus, femine minore quàm Lentis, tribus aut quatuor in vna filiqua, quę per maturitatem colore sunt luteo, & sub radiis Solis auri colore refulgent. Si verò & hæc eadem est quam Anguillara secundam Acaciam esse iudicat: flos ei quoque luteus, veluti siliqua est.

Nascitur altera Acacia in Cappadocia ac Ponto, vt Dioscorides refert: reperitur vero & in Corsica, ac nonnullis Italiæ montibus, tum & alibi.

Autumno semen maturum est.

Hanc *ἑτέραν ἀκακίαν*, siue alteram Acaciam, & Ponticam Acaciam nominant. Officinis & multis incognita est.

Huius autem succum Dioscorides adstringere etiam ait, sed viribus quàm alterius inferiorem, & ad ocularia medicamenta inutilem.

De Pruno syluestri, siue Acacia Germanica.

CAP. XV.

Prunus syluestris.



SYLVESTRIS Prunus humilis ac spinosus frutex est, Pruno multò breuior ac minor, ramis tenuioribus durisq; hinc inde spinis aculeatis: foliis verò & angustioribus, durioribus, ac minoribus. flosculi similiter albidi: fructus rotundus, paruus instar magni vuæ acini, è cæruleo virescens, osse intus exiguo, gustu admodum austero adstringēs. radix lignosa in diuersa tēdit.

Aggeres agros sepientes, aliaq; eiusmodi editiora & inculta loca syluestris Prunus occupat. Apud Germanos & Belgas frequens, tum & alibi.

Primo Vere floret, Autumno exigua Pruna colligi possunt, & expressus succus resiccandus: resiccari verò & ipsos expediens ac vtile quoque fuerit.

Fruticem hunc *ἀγριοκοκκυμηλέαν*, aut *κοκκυμηλέαν ἀγρίαν* nominant: fructum verò *ἀγριοκοκκύμηλον*, hoc est, syluestre Prunum.

Succum ex his expressum & resiccatum Officinæ Acaciam appellant, & deficiente legitima Acaciā, hanc eius loco substituunt: vnde & Acaciæ Germanicæ stirpi nomen factum. *Acacia succedaneum.*

Germani fruticem Schlehedorn: fructum Schlehen vocant: Belgæ similiter Slehedoren/ & Slehen dicunt: Galli *Prunier sauuaige*: Angli Slootree Bohemi Trnka.

Refrigerant autem & resiccant tertio propemodum ordine Pruna syluestria, ac præsertim ipsorū densatus succus & vnà validè adstringūt.

Prodest succus ad omnia quæ adstrictionē postulant: sanguinis vndequaque fluores reprimit: emplastris ac cataplasmatis quæ reprimendi vim habent vtiliter admiscetur, tum & cœliacorum ac dysentericorum medicamentis.

Fructus post maturitatem, vt Dioscorides ait, resiccati, & cum passo decocti, ventriculo vtiliores, aluumque magis adstringunt, quàm hortensia videlicet Pruna.

De Rhamno. CAP. XVI.

RHAMNI Theophrasto duo sunt, albus & niger, vterq; *ἀκανθόφορος*, siue spinas ferens. Plinius similiter lib. XXIIII. cap. XIIII. Rhamnos duos recēset. Inter genera, inquit, Ruborum Rhamnos appellatur à Græcis candidior ac fruticosior. alterum est syluestre, nigrius, ac quadantenus rubens: fert veluti folliculos: huius radice decocta fit medicamentum quod Lycium dicitur. Horum duorum Rhamnorum meminit & Dioscorides, sed tertium addit, quem reliquis proponit, priore loco ipsum enumerans: candidum secundum: nigrum verò tertium facit.

Primum autem fruticem esse refert iuxta sepes nascentem, & ramos ferentem rectos ac I.
spinas

Rhamnus primus.



Rhamnus primus alter.



spinas duras veluti Oxyacanthæ: foliis paruis, oblongis, subpinguibus & mollibus. Et hanc quidem doctiss. Clusius diligentius descripsit his verbis:

Est Rhamnus frutex sepibus faciẽdis idoneus, ramis rectis, in multa virgulta sese diuidentibus, candidis, validis ac firmis aculeis horrentibus: foliis, quæ plerumque quaterna aut quina ad singularum spinarum exortus nascuntur, oblongis, subpinguibus, Oleæ similibus, subalbidis, sed teneris, & succulentis, quæ Autumno, nouis succrescentibus, interdum decidunt: flores Autumno longiusculi, candicantes, extremis oris in quinque crenas diuisi: quibus decidentibus, quoddam seminis rudimentum, vt in Iasmino relinquitur: nunquam tamen eius fructum videre mihi contigit: crassa multiplicíq; radice firmatur.

Istius verò generis & alium se obseruasse addit, ferè assimilem, sed humiliorẽ, & frequentioribus ramis fruticantem, ac candidiorem: minoribus foliis, magis carnosis: floribus eiusdem formæ, sed colore purpureis.

Horum priorem, nasci ait, multis Hispaniæ, Lusitaniæ, & Galliæ Narbonensis locis: alterum verò rariorem, & non nisi vno loco in Regni Valentini finibus à se repertum.

2. Alter Rhamnus multis albidis ramulis, lentis ac frangi contumacibus, acutarum longarumq; spinarum vallo communitis latè diffunditur: folia oblonga, angustiora, candidiora, minoraq; quàm Oleæ: flos herbaceus circa ramulos frequens: baccæ deinde rotundæ, racematim quasi cohærentes, Asparagi minores, colore flauescentes, succo interius luteo.

Non deest hic Rhamnus in Hollandiæ, ac potissimùm Flandriæ maritimis littoribus: reperitur verò & alibi in conuallibus, ac iuxta profluentes amnes: veluti iuxta Lycum Vindeliciæ fluuium, vbi eum frequentem esse Valerius Cordus scribit.

Vterque autem hic Rhamnus, prior videlicet ac secundus, perpetuò cum foliis virent: fructus siue baccæ secundi, etiam hyeme frutici adhærentes permanent.

3. Tertium Rhamnum Dioscorides describit nigricantibus, & quadantenus rubentibus ramis oblongis, quinûm cubitorum, spinosis, sed minus duras ac infirmiores spinas habẽtibus: fructu lato, tenui, folliculari, σφονδυλίῳ siue verticillo similem. Existimantur autem hæc verba à nonnullis doctis, & quidem haud temerè, non ad tertij Rhamni, sed ad Paliuri descriptionem facere, quæ mutila & imperfecta apud Dioscoridem est.

Nam

Rhamnus secundus.



Rhamnus tertius.



Nam Theophrastus & ipsius Plinius, non videntur inter secundum & tertium, hoc est, inter album & nigrum, aliud quàm coloris discrimen agnouisse. Quod si ita est, Paliurus tertia Rhamni species esse non poterit, qui pro tertio Rhamno à multis habitus fuit: sed omnino stirpem aliam tertium Rhamnum esse consequetur, Rhamnis cæteris nō absimilem. qualis est Clusij Rhamnus tertius.

Fruticosus autem hic admodum est, frequentes habet ramos, cortice vestitos nigro, spinisq; longis aculeatos. folia oblonga, angusta, crassiuscula, aliquot simul enata ac cohærentia, colore virentia, gustu adstringente: flores exiguos iuxta folia plurimos, coloris herbacei: fructus nigri, rotundi, ac acerbi. *Rhamnus tertius.*

Perpetuò & hic viret: fructus verò æstate ad maturitatem peruenit.

Spinam autem hanc Græci *ῥάμνον* appellant: Latinis similiter Rhamnus: à nonnullis verò & *περσεφόνιον, λευκάκανθα*, id est, Spina alba, Spina Cetualis: vt inter nothas voces ascriptum est. A Marcello verò etiam Spina salutaris, & Herba salutaris, quæ velut vuam, inquit, habet. Italis *Marruca*, & *Rhamno*: Hispanis *Scambrones*.

Valerius Cordus alteram Rhamni speciem Oleastrum Germanicam facit.

At Rhamnus, vt Galenus ait, desiccat & digerit ordine secundo: refrigerat verò primo completo, ac secundo incipiente.

Omnium folia, Dioscorides ait, erysipelatis ac herpetibus efficaciter in cataplasmate adhibentur. sed teneris adhuc vtendum: Galenus addit.

De Paliuro. CAP. XVII.

PALIVRVS frutex prædurus, quandoque in arborem transiens, ramis longis & aculeatis, sed spinis iuxta folia minoribus ac minus nocentibus: foliis verò paruis, latis, quasi rotundis, acuminatis, è virenti nigro quasi subrubentibus: flosculis ad fastigia cauliculorum coaceruatis, colore luteis: lobis planis ac latis spondylis siue verticillis assimilibus; in quibus semina terna quaternáve læuia, pinguia vt Lini, siue, vt Dioscorides ait, *λινώδη*. 1.

Nascitur in humidis & aridis veluti Rubus, & pluribus in Græcia locis.

Est verò & alius præter hunc Paliurus, fruticosior Loto: folia cuius qualia prioris, sed fru- 2.

ctus

Paliurus.



ctus differens, qui non planus, sed rotundus ac ruber, magnitudine qua Cedri bacca aut paulò minor, nuclei cuius non simul eduntur. fructus suauis est, & esui per se iucũdus: si quis autem vinum infundit, tum & ipse suauior, & ipsum vinum suauius reddi asseueratur. Quod & Plinius lib. XIII. cap. XIX. Fruticosior hic fructuq; magis rubẽs, cuius nucleus non simul manditur: iucundus per se (fructus) atque suauiter è vino, quin & vina succo suo commendans.

In Libya hic nascitur. Postponit huic Cyrenaica regio Loton suam, vt Plinius affirmat.

Huius Paliuri mentionẽ quoq; facit Diphilus Siphnius apud Athenęum lib. XIIII. referens sępius in secũdis mensis in pulchra Alexandria appositos se comedisse fructus.

Folia autem Paliuro decidua sunt, non quemadmodũ Rhamnis perpetua. Ceptiuo Vere germinat Paliurus: Plinio teste.

Spinosus autẽ hic frutex Græcis παλίουρος dicitur: Latini ac Itali eandem retinent vocem. Plinius semẽ Zurã appellari refert.

Porrò Paliuri folia & radix nõ obscuram habent adstringendi vim: semina verò incidendi, qua calculos vesicæ comminuunt, & ad pectoris pulmonisque excretiones auxiliantur: vt Galenus ait.

Foliorum, inquit Dioscorides, & radicis decoctum aluum sistit, vrinas mouet, cõtra venena & serpentum morsus auxiliatur.

Radix phymata & œdemata discutit trita & imposita.

Semen tussi opitulatur, & vesicæ calculos comminuit.

Rhamnus solutiuus.



De Rhamno solutiuo. CAP. XVIII.

QVEM Rhamnum solutiuum appellant, frutex est facilè arborescens, caudice mediocris crassitudinis, cuius exterior cortex qualis Ceraso; interior verò ligni materies sublutea, & rami aliquot acutis spinis veluti Pyrastri sepiuntur: folia viridia, lata, tenuissimè per margines serrata, minora quàm Pomi: flosculi exigui iuxta foliorum pediculos aliquot exeunt herbacei: succedunt baccæ initio virides, per maturitatem nigræ, vno aut altero intus exiguo nucleo.

Iuxta limites agrorum, in sepibus, in syluis, atque aliis incultis exit locis, amat riuulos & scrobes aquas habentes.

Maio mense flores promit: Autumno baccæ maturescunt.

Rhamnum solutiuum recẽtiores nominant, quòd videlicet instar Rhamni spinosa sit, & expurgandi facultatem baccæ obtineant. Matthiolus Spinam infectoriam: Valerius Cordus Cerui spinam facit: nonnullis verò & Burgispina. Germanis Creutzbeer/Weghdorn: Italis

Italis *Spino merlo, Spino Zerlino, Spino Ceruino*: Belgæ fructum Rhijnbesien / id est, quasi dicas, Baccas Rhenanas vocitant.

Baccæ autem huius Spinę, vt gustu amaritudinem cum adstrictione nonnulla referunt, ita & calidæ siccæque sunt ordine secundo. Purgatrices eædem sunt, crassam pituitam & biliosos quoque humores per aluum educunt. Datur aridarum in puluerem tritarum à drachma ad sesquidrachmam: nonnulli baccas numerant, qui à XV. ad XX. exhibent, vel etiam plures duris hominibus. Præstat autem ipsas confractas in iusculo pinguis carnis absque sale incoquere, atque iusculum ebibere: sic etenim minore cum molestia, ac paucioribus ventris doloribus ac torsionibus euacuant. Incoquuntur autem baccæ à XL. ad LX. pro robustissimis etiam plures.

Baccæ nondum maturæ resiccatæ, in aqua temperatæ, luteum præbent colorem; sed maturæ virentem.

Exprimitur ex maturis succus, qui cum modico aluminis decoctus, pictoribus pro saturato virenti colore in vsu est: quem Saffgruen appellant. *Saffe-gruen.*

De Pyxacantha & Lycio ex Dioscoride.

CAP. XIX.

Pyxacantha Matthioli.



PYXACANTHA spinosa est arbor, ramulis trium cubitorum aut longioribus, cortice luteo, & colore diluti Lycij, iuxta quos folia Buxi æmula, *πυκνά*, densa siue crassa. Fructum habet Piperis magnitudine, nigrum, amarum, *πυκνόν*, densum siue succi plenum, & læuem: radices multas obliquas lignosas.

Nascitur in Cappadocia & Lycia, & alijs regionibus plurimis: loca amat aspera. Bellonius in Palęstina à se repertam scribit.

Pro Pyxacantha à Matthiolo pictura exhibetur stirps folijs Buxi, frequétibus admodum ramulis, spinis aliquot intermedijs, sed hanc non esse legitimam, doctiss. Anguillaræ aliorumque sententia, cui quoque & nos accedimus.

Extrahitur autem ex Pyxacanthæ folijs ac ramulis, aut, vt Plinius, ex ramis & radicibus, per decoctionem succus, cui Lycio nomen. Folia, inquit Dioscorides, cum ramis tundútur, & multis diebus macerata decoquuntur: postea lignosis reiectis, quod reliquum rursus decoquitur, donec mellis habeat consistentiam. Plinius sic habet: Coquuntur in aqua tusi rami radicesque summæ amaritudinis æreo vase ferè per triduum: iterumque exempto ligno donec mellis crassitudo fiat: lib. XXIIII. cap. XVIII.

Quam Græci *πυξάκανθαν* vocant: Latinè Buxeam spinam quis dixerit: Nominatur verò & *λύκιον* à succo, qui ex ea coquitur.

Succus propriè *λύκιον* dicitur, apud Latinos idem nomen retinens. Officinis Lycium incognitum est, quæ eius loco succum fructuú Periclymeni siue Caprifolij perperá, & eú grauissimo errore substituút: vt suo loco scriptú est. *Officinarum error.*

Dioscorides ex Rhu *χύλισμα* facere docet, ad eadem, ad quæ Lycium conueniens. quod deficientis ac desiderati Lycij succedaneum est, & in omnibus medicamentis eius loco adhiberi ex re est. *Lycij succedaneum.*

Lycium autem, auctore Galeno, exiccatoriæ est facultatis, & compositum ex diuersi generis substantijs: vna quidem tenuium partium digerente atque calida: altera terrestri ac frigida, ex qua adstrictionem obtinet: in calore autem medius ac symmetris proximú est. Proinde ad varia eius vsus. Caliginem, inquit Dioscorides, oculorum discutit: palpebrarum scabiem, pruritus, veteresq; fluxiones sanat: facit ad aurium putredines, exulceratas gingiuas, & tonsillas, labiorum fissuras, sedis rimas, attritusq; illitum. Cœliacis & dysentericis potum &

per clysterem inditum prodest. Datur sanguinem excreantibus & tussientibus ex aqua: muliebria etiam appositum sistit. Contra rabiosi canis morsus in catapotio deuoratur, aut in aqua bibitur, aut ex melle sumitur.

De Agrifolio. CAP. XX.

Agrifolium.



AGRIFOLIVM frutex est, quandoque, cultura præcipuè, in arborem excrescēs. caudices arboribus mediocris crassitudinis; fruticibus non valdè crassi, quorum ramuli lenti sunt ac flexibiles, & cortice conteguntur læui ac virente. materies ligni dura ac solida, ac interius nigricans, quæ & in aqua sidit; veluti Lignum Indicum, quod Guaiacum dicitur: folia pulchrè virent, læuia ac glabra, Laurinis ferè similia, sed minora, ac pungentibus aculeis per margines angulosa; quos tamen senescente arbore pauciores vel nullos habent. flores albi & odorati: baccæ rotundæ, Ochri magnitudine, vel non multò maiores, colore rubentes, sapore ingratæ, nucleo intus albido, quæ non facile decidunt, sed diutinè ramis adhærent. radix lignosa.

Fit ex huius arboris aut fruticis cortice, qui læuis est, Viscum, quo in capiendis auibus aucupes & rustici vtuntur. Corticem, inquit Ruellius, detrahunt, & facta humi scrobe, locis vliginosis maximè, obruunt, frondibus arborum inuoluentes, & inibi putrescere patiuntur, quod ferè duodenis diebus fieri solet. Tunc marcidum eruunt, & tantisper pila contundunt, donec in viscum lentescat: demum in profluente, vt adhærentes corticum reliquiæ sordesque fluitent, proluunt, & adiecto olei nucum momento, fictilibus recondunt.

Exit Agrifolium locis incultis ac desertis, tum & quibusdam locis iuxta vias, ac in syluis.

Perpetua autem ac immortali coma viret: Autumno ferè baccæ maturantur, quæ non rarò etiam hyeme ramulis adhærent.

Agrifolium hunc fruticem arborescentem Latini vocant: Itali *Agrifoglio* ac *Aguifoglio*: Hispani *Azebo*: Germani Walddistell/ & nonnulli Stechpalmen: Belgæ Hulst: Galli *Houx* & *Housson*: Angli Holy.


Creditur esse à Theophrasto ἄγρια dicta, quam plerique Latinè etiam Aquifolium aut Aquifoliam dici volunt. Plinius autem lib. XXVII. cap. XXVIII. Aquifolium interpretatur κράταιγον: Sed Cratægus folio est oblongo Mespili simili, quem Athenæus lib. secundo eundem cum Ceraso esse indicat. Theodorus Gaza φιλύκην Theophrasto nuncupatum Aquifolium interpretatur. Philyce autem ex perpetuò virentibus quidem est, sed candor ei qualis Celastro, cuius materies albida: & in alendo pecore honor, fronde semper redundans. At tale Aquifolium non est, cuius materies neque albida, neque frondes pecori vtiles præbet. φιλυκὴ.

Agrifolij autem baccæ temperamento calidæ sunt ac siccæ: tenuiorum item partium: & flatus discutiunt. Ad colicos dolores vtiles sunt: crassos siquidem pituitosos humores per aluum educunt, X. aut XII. numero assumptæ, vt ab his accepimus, qui earum experimentum quandoque fecerunt.

Viscum autem ex huius cortice factum non minus nociuum est, quàm ex arboreo Visco præparatum: tenacissimum siquidem est: interanea omnia conglutinat: excrementorum exitus contrahit ac claudit, atque hoc modo perniciem homini adfert, non qualitate aliqua, sed glutinosa sua substantia.

De Genista spinosa. CAP. XXI.

Genista spinosa.



Genistæ spinosæ altera icon.



Genistella.



IN totum Spina hæc stirps est, densa spinarum du a um acutarumq; agmine circumquaque circumsepta: foliis caret, nisi Vere & quidē exiguis ac mox deciduis. fruticosa autem est, & nō rarò cauliculis lignosis pluribus assurgens, humilior quandoq; , subinde altior, pro loci natura. flosculi è spinosis ramulis erumpunt, quales Genistæ, lutei, qui in calidis regionibus sub feruenti Solis æstu adeò rufo colore intenso sunt, vt purpurei appareant. siliquæ sequuntur assimiles. radix lignosa ac lenta, modò recta descendit, aliàs per obliquum fertur. 1.

Huic accedere potest & altera spinosæ Genistæ species, quę virgulas quasdam admodum tenues promit, initio minutulis foliis ac innocentibus exiguis spinulis circumuallatas: postea verò cùm annuæ fuerint, defluentibus foliolis, foliis durioribus spinulis communitas. flosculi huic pallidè lutei, minores quàm Genistæ: siliquæ paruulæ, in quibus semina exigua rotunda & subrubentia: radix lignosa & lenta quoq; est. 2.

Prior in pluribus reperitur regionibus, vt in Germania, Belgio, Italia, Gallia, Hispania, Anglia, & locis quidem incultis quoq; ac neglectis. 1.

Altera pluribus per Brabantiam locis occurrit, nonnihil humentibus, sed incultis quoque ac neglectis. 2.

Flores harum Maio conspicui: & prioris quidem in Hispania Autumno etiam, vt Clusius refert.

1. Harum priorem Belgæ Genistam nominant spinosam vulgò Gaspeldoorn. Habetur autem hæc pro Theophrasti Scorpio, quem Gaza Nepam nominat. Duo siquidem, Theophrastus ait, ex toto aculeata esse, & difficulter alia præter hæc reperiri posse. In totum aculei sunt, inquit, Corruda & σκόρπιος, deinde pòst. Quod ex toto spinosum exiguo est numero, & difficile quicquam inueneris præter Corrudam & Scorpium. Corruda autem nota est: relinquitur Scorpius idem cum Genista spinosa. Scorpij autem nomen apud Plinium quidem, πολώνυμον, & aliquot stirpibus commune. Præter enim hunc Scorpium, cuius lib. XXV. cap. V. mentionem facit, Theophrasti verba referens, & Aconitum Theliphonon Scorpius illi est lib. XXV. cap. X. Iam & Scorpioidem dictam herbam Scorpium quoque nominat. Ex argumento nomen, inquit lib. XXII. cap. XV. accepit Scorpius: semen habet ad similitudinem caudæ Scorpionis: folia pauca. Quæ de Scorpioide Dioscoridis sunt verba.

Scorpius.

2. Altera, Genistella passim vocatur: Germanis Erdtpfrimmen / Stechend pfrimmen: Belgis Stekende bremme: Gallis *Genest picquant*.

De spinosi autem Scorpij facultatibus nihil apud Theophrastum extat. Plinius easdem quas Scorpioidi vires ei tribuere videtur. Est & alia, ait, eiusdem nominis effectusque sine foliis: lib. XXII. eodem quo suprà loco.

LIBRI PRIMI PEMPTADIS SEXTÆ
FINIS.

STIR-

PEMPTADIS SEXTÆ

LIBER SECVNDVS,

DE FRVTICIBVS NON SPINOSIS.

PRÆFATIO.

A SPINOSIS fruticibus ad non spinosos transeundum, quorum non exiguus numerus occurrit: Sed tamen non omnes Veteribus cognitos describere instituimus, sed quorum notitia ad posteritatem peruenit, vel quos cognoscere refert. Superiori autem libro finem imposuit Genista spinosa, huius verò initium non spinosa exhibet Genista.

De Genista. CAP. I.

Genista cum rapo.



Genista Italica.



FRVTICOSA stirps Genista est: caules aut potius tenues caudices habet lignosos, à quibus plurimæ tenues sparguntur virgulę angulosæ, virentes, lentæ, & flecti nectique faciles, non rarò quoque in alas diuisæ, circa quas folia exigua, obscurè virentia, & flosculi eleganti colore lutei, & tandem siliquæ planæ per maturitatem nigricantes, veluti Faseli siue Bonæ dictæ, in quibus semina plana, dura, subrussa, Lentibus minora. radix dura & lignosa fibras quasdam obliquas subinde à se dimittit. Attollitur autem Genista frequenter in satis magnam altitudinem, hominis staturam attingens: floribus hæc multis sæpè grauida, quandoq; verò humilis permanet, quæ rarò florifera. Huius verò radicum fibris adnascitur quod Rapum appellant Genistæ. 1.

Est autem hoc tuberosum quoddam, turbinatum, subnigricantibus squamis opertum, pulpa interiore sublutea, à quo caulis assurgit dodrante breuior, floribus circa fastigium subcandidis, Lamij ferè æmulis, succedentibus oblongis, crassis, teretibus, non tamen magnis loculis, *Rapum Genistæ.*

culis, in quibus semina minutissima & superuacanea. Tota autem facie istud Orobanchen Dioscoridis refert, lib. III. Pempt. IIII. descriptam: hoc solo ab ea differens, quod non inter Legumina excat: sed è fibris radicum Genistæ, quibus adhærescit.

Nascitur Genista in Germania, inferiore præsertim, frequentissima aridis, incultis, ac desertis locis: tum & iuxta syluarum & agrorum limites: & quæ humilior est rapumque ferens, macro, tenui, ac arenoso solo gaudet.

2. Præter verò hanc & alia elegantior Genista est, ramuli siue virgæ cuius virentes quoque, lentæ similiter, & ad vinciendum accommodæ, paucis adeò foliis conuestiuntur, vt nudæ ferè appareant: circa harum autem fastigia flores spicato ordine exeunt, eleganter quoq; lutei, odorati, maiores quàm prioris, siliquæ verò & nigræ, planæ, & longiores.

Hæc Italiæ indigena est: fertur & in Hispania prouenire: apud Belgas verò hortensis.

3. Iam & hirsuta quædam Genista est, candidioribus ac mollioribus foliis, qualis in Hispaniæ nonnullis regnis, & præsertim iuxta Calpem nascitur. Meminit huius Titus Calphurnius Bucolicon Æcloga secunda, sic scribens:

Cernis vt, ecce pater, quas tradidit Ornite vaccæ
Molle sub hirsuta latus explicuere Genista?

Floret Germanica Genista sub finem Aprilis, aut Maio mense, atque tunc rudimenta florum adhuc virentia, prius videlicet quàm lutea fiant, decerpta, muria aut sale condiuntur, quæ posteà elota & decocta Capparorum in obsoniis loco habentur, nec minore cum suauitate manduntur.

Siliquas cum maturis seminibus Augustus mensis præbet. Rapum Iunio præcipuè mense apparet ac conspicuum est.

Italica Genista seriùs quidem, sed diutiùs in Belgio floret.

Appellatur autem hic frutex à Latinis quidem Genista, aut, vt quidam volunt, Genesta: Italis *Genestra*: Hispanis similiter *Genestra* aut *Giestra*: Germanis Pfrimmen: Belgis Brem: Gallis *Genest*: Anglis Broome.

At Genistæ virgæ, flores, ac semina excalfaciunt ac resiccant secundo ordine: tenuis quoq; sunt essentiæ, & expurgandi ac aperiendi vim obtinent. & præcipuè semen quod siccius est, minusque excrementitiis humiditatibus redundat.

Decoctum virgularum & cymarum Genistæ, hepar, lienem, & renes expurgat ac aperit: per aluum aquosos humores detrahit, hydropicis idcirco auxiliare, præsertim ex vino: reliquis ex aqua vtilius. Ad eadem commendatur & semen.

Paratur verò & ex Genistæ ramulorum ac virgultorum aridorũ & combustorum cinere cum vino tenui albo, cuiusmodi Rhenanum est, lixiuium. quod ad Cachexiam & Leucophlegmatiam à nonnullis valde commendatur: & potenter quidem hoc aquosos ac serosos humores cum vrina & per vesicam expellit: sed & acrimonia sua interna viscera quandoque & lædit & exedit.

Mesues floribus ac ramulis humiditatem ait incidentem adesse, sed excrementosam, & ob id vomitoriam: & stirpem omnibus suis partibus cõturbare, prouocare, incidere, attenuare. pituitam & crudam materiam à iuncturis cum violentia vomitione ac deiectione expurgare. Videntur autem ista non de Genista, sed de Sparto scripta, quod per superna Hellebori ritu purgare, auctores sunt Dioscorides & Plinius. Addit verò & Mesues Genistam calculum frangere renalem atque vesicæ, neque permittere vt in his materia diutius hæreat, aut in calculum durescat.

Flores exigui muria conditi, & pro obsonio mansi, languentem excitant appetentiam, & hepatis ac lienis infarctus expediunt. Iidem completæ maturitatis cum axungia porcina triti ac permisti, dolores podagricos lenire feruntur. Mesues verò hos cum melle misto aut ouo strumas scribit resoluere.

Rapum Genistæ in vino decoctum ad renum & vesicæ dolores commendatur, vrinas promouet, calculos dissoluit & expellit. Succus è recenti rapo Genistæ expressus, recentia vulnera glutinat, vetera & sordida expurgat: vlceribus quoque malignis ac diuturnis prodesse recentiores affirmant.

De Genista tinctoria. CAP. II.

FOLIOSA hæc Genista amplius est quàm præcedentes, humilior tamen & rarò rectè assurgens, sed ad latus declinans: sarmentosas quoque ac tenues herbaceas virgulas à caudice exiguo & lignoso promit, foliis circumuestitas multis virentibus, latioribus, longioribusque quàm vulgaris. flores circa fastigia copiosi, pulchrè lutei, quales Genistæ: siliquæ quoque eiusmodi: semen non absimile. radix lignosa.

Pluribus

Genista tinctoria.



Genistæ tinctoriæ altera icon.



Genista humilis.



Pluribus per vtramque Germaniam prouenit locis incultis, quandoque humentibus aut vmbrosis: syluas quoque ac montosa non rarò subit. Italiæ quoque haud incognita.

Iulio & Augusto cum flore reperitur: atque tunc à nonnullis ad tincturæ vsum colligitur ac subsecatur.

2. Clusius & alteram huius speciẽm exhibet magis fruticosam & altiorem, & ad duorum cubitorum altitudinem rectè assurgentem: cuius caudex enodis, digitum crassus, candicante obducitur cortice, ramosque multos spargit fragiles, circa quos folia Lini, supernè virentia, inferius incana ac resplendentia: flores spicati, Genistæ tinctoriæ æmuli. Hanc autem in Murciano Hispaniæ regno secus vias à se conspectam, & mense Martio cum flore repertam, refert.

3. Est verò & inter Genistas quędã omninò humilis, ac terræ superficiei incumbẽs, cuius cauliculi in membranosam latitudinẽ extẽsi, folia oblõga referũt, à quibus & deinde alij enascũtur, & ab his rursus alij, nec finis donec ad fastigiũ peruentum: folia autem nulla habet alia. ex horum fastigiis emicant flosculi lutei veluti Genistæ, sed minores; & siliquæ exiguæ. radix tenuis est.

1. Harum autem Genistarum priorem plerique florem appellant tinctorium: rectius verò Genista tinctoria dicitur. Meminit huius Plinius;

Tingendis, inquit, veſtibus naſcentes Geniſtæ: lib. XVI. cap. XVIII. Germanis Ferbblumen/ Heydenſmuck: Belgis Verwbleem. Italis (ni fallor) *Cerretta, Braglia,* & *Coſaria,* vt Cap. de Lyſimachia Matthiolus ſcribit Anglis Dieweed.


2. Altera ab Hiſpanis Scoba nominatur.

3. Tertia à nonnullis Geniſta humilis vocatur: à Germanis Erdtpfrimmen/ hoc eſt, terreſtris Geniſta, ſiue Chamægeniſta.

Sapore autem Geniſta tinctoria amaro, Geniſtam priorem refert, proinde & ſecundo exceſſu calida ſiccaque. exiſtimatur verò & reliquis facultatibus ei aſſimilis.

De Sparto frutice. CAP. III.

Spartum frutex maius.



Spartum frutex minus.



DVPLEX Spartum eſt: vnum frutex, alterum herba.

Spartum frutex Geniſtæ, quam Itala terra producit, virgulis ſimilis eſt, quæ virentes, ſtriatæ, tenues, & ad nexum flexumque faciles ac expeditæ ſunt. Folia ei nulla, niſi prima germinatione, quæ paruula & citò defluunt: flores in lateralibus pediculis ſpicato exeunt ordine lutei: lobi qui ſuccedunt rotundis oblongiores, minoribus Bœnis ſiue Faſelis (quos Dioſcorides Phaſiolos nominat) adeò ſimiles, vt ſublato pediculo, ab huiuſmodi Faſelis non mox diſcernantur, in quibus ſemen durum ac nigrum. radix lignoſa.

In Hiſpaniæ prouinciis Spartum naſcitur, & vno loco altius ac fruticoſius: altero verò humilius, cuius tamen lobi maiores ſunt.

Græcis *σπάρτος* ac *σπάρτιον* dicitur: Latini iiſdem vocibus vtuntur, modò Spartum, aliàs Spartium nominantes: Hiſpani *Retama* vocant.

Sparti autem, quo vites alligantur, tum fructus, tum virgarum ſuccus non inſtrennuè trahentis eſt facultatis: ſic Galenus. Dioſcorides verò, Semina, ait, & flores cum melicrato quinque obolorum pondere pota, purgant per ſuperiora vehementer, veluti Helleborum, ſed tutò, ac citra periculum. Semen per inferna purgat.

Ramorum in aqua maceratorum ac tuſorum extractus ſuccus, iſchiadicis & angina laborantibus auxiliatur, ſi quantũ cyathus manè bibatur. Quidam verò hos ramulos marina aqua macerantes, iſchiadicis per clyſterem iniiciunt. educunt autem ſanguinea & ſtrigmentoſa.


De

De Sparto herba. CAP. IIII.

Spartum herba.



Sparti herbæ alia species.



ALTERVM Spartum herba, vt inquit Plinius, spontè nascens. tenuia ac iuncea hæc è radice numerosa emittit folia, cubitalis subinde longitudinis, lenta quoque & obsequiosa, quæ ætate duriora redduntur; culmi inter hæc assurgunt altiores, paniculam ferè arundinaceam proferentes, nonnullorum Graminum assimilem, in quibus oblongum nascitur semen. radices fibrosæ sunt ac perpetuæ, quæ facilè luxuriantes atque inter se implicitæ latum constituunt cespitem, duorum quandoque pedum spacium occupantem.

In compluribus Hispaniæ Bæticæ locis hoc Spartum prouenire Clusius scribit, sed tamen omnium frequentissimè ab initio Granatensis regni ad Murgim vsque vrbem, quæ modò Murcia, in quo terræ spacio & Noua Carthago, nunc Cartagena, sita est: Reperitur verò & in Valentino agro, vbi lætius & vberius exit.

Conueniunt autem hæc cum iis quæ de Sparto herba Plinius lib. XIX cap. II. scriptum reliquit. & quidem his verbis: Herba hæc spontè nascens, & quæ non queat seri. Iuncusq; proprie aridi soli, vni terræ dato vitio: namque id malum telluris est nec aliud ibi seri aut nasci potest. In Africa exiguum ac inutile gignitur. Carthaginiensis Hispaniç citerioris portio, nec hæc tota, sed quatenus parit, montes quoque Sparto operit. Hinc strata rusticis eorum, hinc ignes facesque, hinc calceamina, & pastorum vestes: animalibus noxium præterquam cacuminum teneritate.

Conficiuntur verò ex hoc & hac ætate aulęa, corbes in quibus vuæ passæ & caricæ: tum & alia conduntur: nec alius huius, quod scitur, vsus est: nec nomen pręterquam Sparti, aut Sparti herbæ.

De Tamarice. CAP. V.

TAMARIX frutex haud magnus est, hominis ferè altitudine: caudices habet lignosos quidem, sed nequaquam crassos: ramulos verò ab his complures: folia verò circa hos frequentia, parua, oblonga, teretia, ac tenuia, quasi lineolis transuersis ac obliquis siue incisuris superficietenus exasperata, indiuisa tamen: flores muscosi, numerosi, albidi, aut ex albido purpurascentes tenuium surculorum fastigia occupant, quibus semen succedit papposum, quod

Tamarix.



Tamaricis ramulus cum floribus.



quod per maturitatem, dehiscentibus conceptaculis in quibus continetur, effluit, ac à vento abripitur, non minus quàm Salicis. radix qualis fruticum lignosa, in diuersa tendens.

Secus profluentes amnes, ac quandoque exorbitantes fluuios, non rarò etiam circa paludes nascitur, solo frequenter saxoso humidiores siquidem & lapidosos amat tractus. reperitur in Germania, Vindelicia, Italia, Hispania, ac in Græcia quoque.

In Ægypto autem ac Syria, vt Dioscorides, Tamarices quoque gignuntur. In Tylo verò & Arabiæ insula, vt Theophrastus scribit, quarum, inquit, lignum, non vt apud nos Græcos imbecillum, sed validum veluti πρίνινον, siue Ilignum, aut aliud quoddam forte.

Tamaricem hanc Dioscorides ἥμερον, siue satiuam aut vrbanam nominat, & fructum ait proferre Gallis persimilem, gustu inæqualiter adstringentem.

Petrus Bellonius Singularium lib. secundo Tamarices prælatas & aliarum arborum instar magnas se in Ægypto vidisse refert: & locis quidem quandoque humidis secus flumina: non rarò verò etiam in aridis & sabulosis, vbi nulla alia nasceretur arbor quę Gallas, incolis Chermasel dictas, subinde adeò multas è ramis dependentes ferrent, vt onere earum grauatæ ferè fatiscerent.

Tamarix Græcis μυρίκη: Latinis verò etiam Myrica: in Officinis Tamariscus dicitur: ab Octauio Horatiano Murica. Dioscorides in Græcia & Italia nascentem ἀγρίαν ac syluestrem facit: Germanis est Tamarischen holtz & Portz: Belgis Ibenboom/Tamarischboom: Italis *Tamarigio* Hisp. *Tamargueira* & *Tamariz*: Gallis *Tamaris*. Angl. Tamariske: Bohemis Tamaryss.

Myrica autem abstergentis est ac incidentis facultatis absque perspicua desiccatione: habet verò & adstrictionem nonnullam. Atque ob has facultates admodum prodest lieni indurato decocta cum aceto aut vino, siue radice, siue foliis, siue extremis ramulis. auctor Galen.

Decoctum foliorum ex vino lienem absumere Dioscorides quoq; scribit: deinde & idem ad dolorem collutione prodesse: & ad muliebres menses insessu: & aptè iis qui pediculis & lentibus abundant affundi.

Cinis combustæ admodum desiccatoriæ est facultatis, plurimam abstergendi facultatem habens, pauxillum adstringendi.

Fructus autem siue galla maioris Tamaricis non paucam sortita est adstrictionem, adeò vt

gallæ

gallæ omphacitidi siue immaturę proxima sit, nisi quòd acerbitas euidentior est in galla: Myricæ autem fructus temperatura inæqualis, immista est enim naturæ eius multa partium tenuitas, atque vis abstergendi, quod sane gallæ haud inest, vt Galenus ait.

Conuenienter hoc vtimur, inquit Dioscorides, vice gallæ in medicamentis oculorum ac oris ad sanguinis excretiones prodest verò & cœliacis, fluxui muliebri, ictero, ac à phalangio demorsis. Cortex ad eosdem vsus adhibetur. Conficiuntur ex ligno ad bibendum pocula, vt ex his potus sumptus lienosis prosit.

De Erica. CAP. VI.

Erica prior.



Erica altera.



ERICA humilis, sed tamen lignosa ac fruticosa stirps, rarò dodrantalis altitudinis: virgu- 1.
las promit complures, ac circa has foliola duriuscula ac asperiuscula, Tamaricis aut Cupressi quodammodò similia: flosculos secundum virgulas ordine digestos, exiguos, diluto rubente colore purpurascentes, rarò albidos: radicem lignosam per summam terram sparsam. Et hæc verè ac propriè Erica apud Veteres habetur.

Sunt verò & alij humiles lignosi frutices, qui inter Ericas numerantur. Quarum vni vir- 2.
gulæ quoque lignosæ à radicibus complures, sed tenues, subrubente colore nigricantes, non rarò sesquipedales vel altiores, folijs quæ admodum exiguis circumuestiuntur, quàm vulgaris Thymi minoribus: flosculi in fastigijs ac cacuminibus virgularum quini senive, aut plures cohærẽt, deorsum dependentes, forma oblongi, intus caui, dolioli alicuius effigiem referentes, colore diluto purpurascentes. radix serpens, pluribus germina locis edit. Ex hac Erica scopæ fiunt, quibus domus verruntur, tum & aliæ, quibus vestes expurgantur.

Vtraq; inferiori Germaniç siue Belgio satis vulgaris, locis aridissimis, sterilibus, ac incultis.

Floret & vtraq; æstate, sed prior diutius, sic vt & Autumno cum flore reperiri queat.

Memini verò & aliam quandam me obseruare Ericam, humilem quidem, sed lignosis 3.
virgulis etiam luxuriantem, cuius exigua quoque sunt foliola, sed angusta, & oblongioris formæ. huic spicato ordine ad fastigia virgularum, vnico tamen tantummodo latere, exeunt flosculi eleganter rubentes, nigris prominentibus apicibus.

Nascitur hæc in Germaniæ illo tractu, qui ex Bohemia Norinbergam ducit, locis aridis & incultis, ac iuxta syluas.

Mensę

Erica tertia.



Vaccinia nigra.



Mense Aprili cum elegantibus flosculis reperta. Describuntur verò & multæ aliæ à doctis. C. Clusio Ericæ, quas ex suis per Hispaniam obseruationibus requirendas relinquimus.

Erica autem à Græcis ἐρείκη dicitur: nónulli perperam Myricam nuncupant. Germanis ac Belgis Heyden: Italis *Erica*: Hispanis *Breço*, *Quetro*. Gallis *Bruyre*. Anglis Heth.

At Ericæ, vt Galenus sentit, digerendi per halitum facultatem obtinet. Flore eius ac foliis vtendum.

Auxiliantur, inquit Dioscorides, coma & flores serpentium morsibus imposita. Ex floribus autem reprobum mel apes colligunt.

De Vacciniis nigris. CAP. VII.

VACCINIA, de quibus hoc loco agimus, à Violis differunt: nec flores sunt, sed baccæ: istorum autem Vacciniorum aliquot reperiuntur species, Nigra videlicet, Rubra, & quæ Palustria dicuntur.

Vulgatissima Germaniæ sunt nigra, quorum fruticem Myrtillum quidam appellant. est autem hic exiguus, vix dodrantalis, cauliculis & ramulis tenuibus, virenti cortice conuestitis: foliis maioris Buxi, tenuioribus tamen & ambitu leuiter serratis, ad Myrti vnius generis accedentibus: flosculi secundum ramulos rotúdi, concaui: baccæ Iuniperis magnitudine satis respondent, in summitate concauum veluti vmbilicum habent, perinde ferè vt Taxi, colore è cæruleo saturato nigricát, sapore subacido ac adstringente, in quibus complura tenuia, parua, albicantia semina. radix subest lignosa, tenuis, & subinde proserpens.

Macro steriliq́ue solo, ac incultis syluosisq; gaudet: subinde in editis, vento expositis, ac montanis reperitur: non raro etiam ad plana descendit. In Germania vtraque, Bohemia, & nonnullis Galliæ locis frequens.

Subnatis Vere nouis foliolis, paulò pòst flosculi apparent: baccæ sub finem Iunij ac Iulio perficiuntur. reperiuntur verò nonnunquam & Septembri: tametsi enim maturæ, non facilè tamen corrumpuntur.

Baccas istas Germani Heydelbeeren appellant: Brabanti Crakebesien / quòd strepitum quendam, dum dentibus franguntur, edant: nonnulli Pauerbesien: Galli *Atrelle* aut *Aurelle*, vt Iohannes de Choul scribit: Bohemi Czerne iahody. Germaniæ pleræque Officinæ Myrtillos; propriè autem Myrtilli fructus sunt Myrti, prout hoc tempore Pharmacopœi loquuntur. Apud Græcos & veteres Latinos nomen, quòd sciamus, non habet; nam quòd plerique Vitem Idæam, à Plinio Alexandrinam cognominatam, existiment, veritati repugnat. Vitis siquidem

siquidem Idæa non modò cum Vite vinifera similitudinem aliquam habet, sed Vitis etiam species est. Siquidem Theophrastus, qui huius meminit, nullo addito epitheto, *ἄμπελον* simpliciter nominat (vt paulò pòst ostendetur) quod haud dubie non fuisset facturus, si à Vite vinifera differentem habuisset.

Quæcunque enim stirpis alicuius nomen acceperunt, addito aliquo epitheto exprimuntur, vt ab ea, cuius nomen mutuatæ sunt, differentes agnoscantur: vt Laurus Alexandrina: Vitis alba: Vitis nigra: Vitis syluestris. & tales aliæ.

Iam quæ & à stirpe aliqua appellationem mutuantur, si non in vniuersum, tamen vel folio, vel fructu, vel alio aliquo ipsas referunt. Vitis alba & nigra, siue Bryonia vtraque, folia claviculasque habent, vt Vitis vinifera, tepŭt & eodem modo. Vitis syluestris sarmenta Vitis modo emittit, & fructŭ exiguis vuis similem profert. Laurus Alexādrina & Chamædaphne, item & Daphnoides Laurum foliis æmulantur. Sycomorus fructu Ficum, foliis Morum refert. Chamædrys folio est Quercus simili. Peucedanus Peuces. Ita de aliis quæ ab alia aliquâ nomen acceperunt. Frutex autem iste humilis, nec vllo modo, nec vlla parte Vitem refert.

Nascitur autem Vitis, quam modò Idæam cognominant, non in altissimis ac niuosis Idæ tractibus, (vt quidam interpretari studuerunt) sed circa Idam prouenit. Idam quidem montem non Cretæ, sed Troadis in Asia minore, quæ à Ptolomæo Geographiæ lib. v. cap II. Alexandri Troas appellatur. Vnde & non temere à Plinio lib. XIIII. cap. III. Vitis Alexandrina dicta est. haud secus quàm illic enata Alexandrina Laurus à Theophrasto nominatur: Propria *περὶ τὴν ἴδην*, id est, circa Idam esse feruntur, inquit, Alexandrina dicta Laurus, & Ficus quædam, & *ἄμπελος*, id est, Vitis. Huic autem Viti similes apparent, quas Philostratus in vita Apollonij apud Mæones & Lydos (haud procul à Troade sitos) nasci refert, cum iis vitibus illas comparans, quæ apud Indos vltra Caucasum gignuntur. Vites autem, ait, paruæ admodum, quales apud Mæones Lydosque ibi nascuntur: vinum tamen ex illis expressum gustatu acore iucundissimum.

Traditur autem hæc Vitis, iuxta Idam nata, *θαμνώδης*, id est, fruticis instar esse, *ῥαβδίοις* *Vitis Idæa.* *μικροῖς*, id est, virgulis paruis, ramulis verò ad instar cubitum extensis, circa quos *ῥᾶγας*, siue acini, *ἐκ πλαγίου*, siue obliqui, nigri, magnitudine Fabæ, dulces, intus habentes *γιγαρτῶδές τι*, id est, vinaceum quoddam, molle: folium autem huius rotundum, indiuisum, ac paruum.

Describitur hæc à Plinio lib. XIIII. cap. III. iisdem fere verbis: Alexandrina appellatur, inquit, Vitis iuxta Phalacram breuis, ramis cubitalibus, acino nigro, Fabę magnitudine, nucleo molli & minimo, obliquis racemis prædulcibus: folio paruo ac rotundo sine diuisuris.

In quibus verbis, pro eo quod Theophrastus habet, *ῥᾶγας ἴσον ἐκ πλαγίου*, Plinius non acinos, sed racemos obliquos legit: quod Viti magis conuenit.

Cum descriptione autem hac, fruticulum Germaniæ Officinis Myrtillum dictum, haudquaquam conuenire satis manifestum. humilis enim est, vix cubitum altus, paucis breuibus & nequaquam cubitalibus ramulis, haud racemos, sed nec vuarum acinis similes fructus, sed veluti Taxi baccas profert; non dulces, sed subacidos & adstringentes; in quibus quoque non *γιγαρτῶδές τι* molle, sed multa exigua candida plana semina: folium verò non rotundum, sed rotundo longius; non vt Vitis, sed ad Buxi accedens. Iam & credibile est hunc in Italia, Græcia, ac minore Asia non reperiri, cùm Germaniæ & Bohemiæ proprium Matthiolus asserere videatur: tantum abest vt Vitis Idæa aut Alexandrina dici aut haberi queat.

Vaccinia autem huius fructus posse non abs re nominari videntur, cùm baccæ sint: nam à baccis Vaccinia quasi Baccinia dici possunt. Sed tamen & alia Vaccinia esse non repugnat: Vaccinium etenim *πολύσημος* est dictio pluribus communis. Violas Vaccinia dici cap. de Violis scriptum. Hyacinthum scriptum & Vaccinium Latinis appellari innuit Virgilius Bucolicon primo Æcloga x. Theocriti versiculum Latinè reddens, qui est Eidyllio x.

Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐστὶ καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος.

Virgilius:

Et nigræ Violæ, sunt & Vaccinia nigra.

Vitruuius Architecturæ lib. VII. Vaccinium quoque à Viola distinguit, & ex ea purpuram elegantem fieri refert, ad quam cùm Hyacinthus scriptus non conferat, aliud omninò istud Vaccinium ab Hyacintho esse oportet, quod ad tingendum purpureo colore faciat.

Meminit & Plinius lib. XVI. cap. XVIII. Vacciniorum, quæ ad vestes seruitiorum purpura tingendas adhibentur.

Sint autem hæc eadem cum nostris Vacciniis difficile fuerit asserere: præsertim cùm Plinius Vaccinia inter eas stirpes recenseat, quæ in aquosis gignantur: nostra verò in montanis, editis ac vento expositis: nec constat deinde in Italia cognita esse. Vtcunque est, Vaccinia hæc

 nostra

nostra dici possunt, & cum Vacciniis Plinij ac Vitruuij in eo conueniunt, quòd vestes telæq; lineæ tingi purpureo colore his queant.

Cæterum Vaccinia hæc facultate secundo ordine, eoq; satis intenso frigida sunt, & vnà cum manifesta adstrictione resiccant. Ventriculo æstuanti conueniunt: sitim sedant: ardentium febrium calores mitigant: aluum reprimunt: vomitum sistũt: dysenteriam ex flaua bile natam curant: aduersus choleram morbum prosunt.

Excoquitur horum succus donec crassescat, & addito melle & sacharo conseruatur, Rob Officinæ appellant: quod ipsis crudis baccis ad omnia præferendum. nam subinde, dum hæ crudæ eduntur aut assumuntur, ventriculum debilem ac frigidum offendunt, & tantum abest vt aluum adstringant, aut fluentem reprimant, vt etiam eam sua frigiditate ac cruditate perturbent: quod succus coctus siue Rob haudquaquam efficit.

De rubris Vacciniis. CAP. VIII.

Vaccinia rubra.



RVBRORVM Vacciniorum frutex quoque humilis est, nec quam nigrorum altior: virgulis tenuibus, paucis ramis: foliis durioribus, perpetuò virentibus, maioris Buxi similibus, aliquantò maioribus. flosculi non secundum ramulos, sed in fastigiis virgularum aliquot simul proueniunt, forma oblongi, rotundi, diluto colore rubentes: succedentibus baccis, quę maturę rubent, sapore acidæ & adstringentes. radix tenuis serpit.

Syluosis & interdum opacis quibusdã Brabantiæ locis reperitur. Gesnerus in altis Heluetiorum montibus gigni scriptum reliquit.

Nomen à nigris, quibus forma satis respondent, Vaccinia rubra habent. Germanis Roter Heydelbeere: Belgis Roode Crakebesien: Gallis *Aurelles rouges*: Conrardus Gesnerus Vitem Idæam rubris acinis dixit. sed multò minus quàm nigram cum Idæa Vite hanc conuenire ipsarum baccarum exortus ostendit: non etenim ad latera cauliculorum veluti nigra (quod existimantibus vitem Idæam esse imposuit) sed è ramulorum cacuminibus corymborum instar dependent.

Facultatem autem rubra Vaccinia & frigidam siccamque habent, & simul adstringendi vim.

De Vacciniis palustribus.

CAP. IX.

Vaccinia palustria



PALVSTRIBVS Vacciniis graciles ac ferè instar setarum tenues, nonnihil subrubentes coliculi, dodrante breuiores exeunt; circa quos parua foliola, veluti Thymi aut vulgaris Serpylli. flosculi in extremis virgis, deinde baccæ dependent, rubra Vaccinia referentes; sed turbinatæ, per maturitatem rubentes, quandoque punctulis purpureis conspersæ, sapore acidę. radix instar tenuis bacilli, obliqua, ex qua sursum complures coliculi, & inferius fibræ aliquot demittuntur. Talem enim obseruare me memini, quando virens cespes vnà cum baccis olim ad me missus fuit, sublata siquidem vndequaq; terra ac herbis, radix, qualem descripsimus, relicta est.

In humidis & vliginosis locis proueniunt sæpenumerò apud Hollandos. Valerius Cordus quasdam his similes baccas, si non eædem, in macris, humidis, putridis, muscosisque

quoque

quoque reperiri refert, & plurimum circa Wirtenbergam Saxoniæ oppidum.

Sub finem Iulij, ac Augusto mense baccæ ad maturitatem perueniunt.

Hollandi Veenbesien: Germani Moßbeeren, id est, acinos aut baccas palustres appellant: Oxycoccon Valerius Cordus: nos Vaccinia palustria nominauimus, à similitudine, quam ab aliis habent Vacciniis.

Frigida autem & sicca huiusmodi Vaccinia, vnà cum quadam partium ac substantiæ tenuitate, quæ tamen quandam adstrictionem coniunctam habeat.

Ardentium febrium calorem, atque in his sitim, mulcent: bilis ardorem reprimunt: vomitum sistunt: ciborum appetentiam, per biliosos corruprosque humores deiectam, restaurant: pestilentibus morbis aduersantur.

Coquitur verò & horum succus, donec crassior factus addito sacharo conseruari queat. qui ad omnia, ad quæ baccæ, etiam vtilior est.

De Portulaca marina. CAP. X.

Portulaca marina.



Portulacæ marinæ ramulus.



MARINA dicta Portulaca non herba veluti hortensis, sed exiguus est frutex cuius ramuli duri ac lignosi: folia pinguia, carnosa, forma Portulacæ æmula, sed albidiora ac duriora: flosculi cauliculos parte superiore ambiunt, quales Bliro aut Atriplici ferè; nec dissimile semen latum ac planum. radix lignosa, viuax, veluti & ipsa stirps, quæ defluentibus paucis foliis hyemem sustinet.

In maritimis Zelandiæ, Flandriæ, Hollandiæ aggeribus ac tumulis arenosis gignitur: & alibi similibus locis.

Iulio mense cum flore potissimùm viget.

Huius verò & aliæ reperiuntur species foliis candidioribus, longioribus, & Oliuæ ferè similibus, non rarò quoque altiores aut ramulis teneriores, quales in Lusitania & Valentino Hispaniæ regno se vidisse & obseruasse Clusius scribit.

Hanc stirpem Græci ἅλιμον cum aspiratione vocant: differt ab ἄλιμον absque aspiratione: Latinis quoq; Halimus est: vulgò Portulaca marina: Belgis Zee porceleyne: Angl. Sea porcelline.

Partium autem est Halimus, vt inquit Galenus, dissimilarium: Maior verò pars eius ca-

lida eſt temperatè, cum humiditate non concocta & leuiter flatuoſa.

Folia, Dioſcorides ait, decoquuntur ciborum gratia. radix conuulſa, rupta, torminaq; mitigat cum melicrato drachmæ pondere pota: eadem lactis vbertatem facit. Folia autem in Belgio veluti Cappares ſale aut muria cōdiuntur, & eorū loco menſis inferuntur eduntur q; & nec quidem reluctante palato, cui grata ſunt. Galenus verò etiam prima eius germina in Cilicia eſitari ac reponi, in poſterum vſui futura, memoriæ proditum reliquit.

De Myrto. CAP. XI.

Myrtus prior.



Myrtus altera



MYRTVS magnitudine foliorum non parum differens eſt: differt & fructus colore, qui modò albicans, aliàs niger eſt.

Frutex autem Myrtus haud magnus, culturа in exiguæ arboris ſpeciem quandoque adoleſcens, cuius ramuli ſiue virgæ lentæ, flexibiles, ac obſequioſæ, ſubrubente cortice conueſtiuntur folia circa hos læuia ac reſplendentia, lata aliquantulum & acuminata, vni quidem minuta, alteri verò maiora, & Vincæ peruincæ vulgaris æmula, tertiæ autem mediæ magnitudinis: ſunt eadem nonnullis rariora, quibuſdam frequentia cauliculos denſius ſtipantia. flores candidi ſunt, ſtaminibus aliquot concoloribus medus. fructus baccæ ſunt oblongæ, colore aut nigræ aut ſubalbidæ, in quibus copioſa minuta candidaque ſemina. Foliis ac floribus Myrtus iucundè odorata eſt qui etiam ex his, & præſertim e floribus, ſtillatitius elicitur liquor, gratum ac ſuauè redolet.

Circa autem Myrti ramulos ac caudices inæquale quoddam eminensque ſubinde naſcitur, eiuſdem coloris, ramos ipſos veluti manus aliqua amplectens ac ambiens: quod Myrtidanum vocatur. *Myrtidanum.*

Lætatur Myrtus littoribus marinis, lacuum, ſtagnorum, fluuiorumque ripis, montium conuallibus. gignitur feliciter in hortis & viridarus, cultuque luxuriat. Vento Septentrionali expoſita ac frigidiora odit loca: montes fugit: In calidis idcircò regionibus facilis copioſusque eius prouentus.

In Germania verò reliquisque frigidis ac rigidis prouinciis ægrè ac difficulter colitur, & niſi intra penuarias cellas hybernis menſibus transferatur, intereidit.

Vbi

Myrtus tertia.



Myrti ramuli cum flore ac femine.



Vbi fuę fpontis eft ac nafci gaudet, vnà cum Rofis floret: fructus Autumno maturefcit: alibi florem tardè: fructum nunquam perficit.

Græcis *μυρσίνη* eft: Latinis Myrtus: Arabibus Alas: Italis *Myrto*: Hifpanis *Arrayhan*: Lufitanis *Murta*, & *Murtella*: reliquæ nationes Latinam ferè appellationem feruant.

Inter Myrtos autem, quæ minuto ac exili folio, Plinio Tarentina eft: quæ verò frequentibus foliis denfiffima, exotica. Nigra Myrtus, cuius baccæ nigræ: candida, quæ albidas baccas gignit, appellatur: virent verò & huius dilutius folia. Satiua item habetur in hortis ac viridariis culta: fylueftris quæ fua fponte nafcitur: huius baccæ crebrò minores: illius autem maiores. Numerat Plinius & alias fpecies, Patritiam, Plebeiam, ac Coniugalem, quæ qualefcų fint, non oftendit. Oxymyrfinen etiam inter Myrti fpecies reponit, quæ tamen Myrtus non eft, fed aculeata ftirps: de qua inter fpinofas.

Quod caudices ambit *μυρτίδανον*, vt fcripfimus, appellatur. Plinius tamen lib. XIIII. cap. XVI. vinum ex fylueftribus Myrti baccis Myrtidanum vocari ait, fi modo integrum eft exemplar. Diofcorides fiquidem, & fimiliter Sotion in Geoponicis, ex maturiffimis Myrti nigris baccis vinum exprimi referunt: verùm hoc ipfum *μυρτίτης οἶνος*, hoc eft, vinum Myrteum aut Myrtites dicitur. *Vinũ Myrteum*

Conficitur verò & vinum ex Myrti baccis cum foliis tufis, ac in muftum infufis, quod *μυρσινίτης οἶνος*, id eft, Myrfinite vinum, vt Diofcorides ait, vocatur. Neutrum Myrtidanum à Græcis nominatur. *Vinũ Myrfinite.*

Veneri autem facra habita olim fuit Myrtus: Plinius lib. XV. cap. XXIX. Ara, inquit, vetus fuit Veneri Myrteæ, quam nunc Murtiam vocant.

Cæterùm Myrtus ex contrariis fubftantiis conftat, vincente frigido terreno: habet & tenue quiddam calidum: itaque valenter, vt Galenus ait, deficcat.

Adftringunt autem folia, fructus, germina, ac fuccus, tum foris appofita, tum affumpta. fanguinis fputationes, tum & alias eruptiones reprimunt contra muliebria profluuia infeffu profunt, quo modo, tum & fotu fuperfluentes hæmorrhoides fiftunt. Alui fluore laborantibus ac dyfentericis auxiliantur: Renum ac veficæ vlcera rofionesque fanant: Oculorum inflammationes mitigant cum farina polentæ impofita: vtiliter quoque omnibus incipienti-

bus inflammationibus exterius admouentur: nec non recentibus ex casu, ictu, aut conatu supra vires doloribus. Ventriculum humidiorem adiuuant: vrinas mouent fructus foliaque resiccata, virentibus enim humiditas quædam superflua ac nocens adest.

Luxatos artus horum decocto foueri expedit, & fracta curationi rebellia, tum & extremarum partium vlcera ex vino: vitiligines emendat: purgat furfures & achoras capillos denigrat, & fluentes continet.

E virentibus autem baccis extrahitur succus, qui resiccatur, & ad vsus supradictos seruatur. Exprimitur verò & è folijs succus, affuso vetere vino aut aqua pluuia, cuius recentis vsus est, nam exiccatus cariem sentit, & vires, vt Dioscorides ait, amittit.

Myrtidanum magis quàm Myrtus desiccat, & vehementius adstringit. Quidam id tondentes, ac vino austero subigẽtes, pastillos formant, qui ceratis, insessionibus, cataplasmatisq́; admisti, ac alijs vbi adstringendum est, folio ac semine efficaciores sunt.

De Vitice siue Agno casto. CAP. XII.

Vitex.



Viticis ramulus cum flore.



VITEX haud magnus frutex est, arboris exiguæ in modum assurgit: caudices habet lignosos non crassos; ramulos verò oblongos, lentos, flexibiles, frangiq́; contumaces. folia ex vno pediculo cohærent quina, oblonga, acuminata, veluti Salicis, sed minora molliora que, medio horum maiore ac longiore. flores verticillatim spicato ordine virgularum fastigia circundant, colore aut purpurei toti, vel purpurei albo intermixto. semen rotundum instar piperis.

Nascitur in fluuiorum asperis ripis, in conuallibus, torrentium alueis, locis videlicet palustribus, in Italia, ac alijs calidioribus prouincijs. Germania aut Belgium Viticem non habet, nisi cum diligentia ac cura in hortis excultam.

In Belgio serò, ac Augusto demum mense cum flore reperiri quandoque contigit.

Græci hunc fruticem ἄγνον nominant, & λύγον: Quoniam, inquit Plinius lib. XXIIII. cap. IX. matronæ Thesmophorijs Atheniensium castitatem custodientes, his folijs cubitus sibi sternunt: Latinis verò Vitex appellatur. Dicitur verò & à nonnullis, vt inter voces nothas ac spurias refertur, ἄγνος, ἀμικτομίανος, ζιδάκτυλος: Latinis Salix marina, aut Salix Amerina, &

Piper

Piper agreste: Germanis Schaffmulle/ Keuschbaum: Belgis vnà cum Officinis Agnus castus: Italis *Vitice, Agno casto*. Hispanis *Gattilo casto*: Anglis Chastetree.

Agni autem folia & fructus excalfaciunt ac reficcant tertio ordine: partium sunt admodum tenuium, & flatus discutiunt. Edule autem apud nonnullos semen habetur, teste Galeno, & quidem per se vel frixum. Non frixum dolorem capitis adfert: frixum verò minus caput tentat. Alimentum autem præbet corpori exiguum, idque reficcans: flatus validè dissipat: quamobrẽ accommodũ iis, qui à venereis puros se conseruare cupiũt, huic enim resistit.

Præstant eadem fruticis flores ac folia, tum & assumpta, tum & substrata. Prodest verò & Viticis semen ad iecur & lienem indurata ac obstructa a serpentibus demorsis: spleniticis & hydropicis bibitum. lac euocat, & in vino drachmæ pondere potum promouet.

Decoctum herbæ ac seminis circa vterum morbos ac inflammationes in sessu mitigat. Ciet menses etiam semen cum Pulegio bibitum: item & suffitum ac suppositum. Capitis dolores in cataplasmate soluit. fouentur hoc addito oleo & aceto Lethargici ac phrenitici.

Folia suffita ac substrata venena fugant, & imposita morsibus illorum auxiliãtur. Testium duritias cum butyro & foliis vitium emolliunt: sedis rimas semen cum aqua impositum mitigat: cum foliis verò medetur luxatis & vulneribus. Virgulam qui manu tenuerit, dum iter facit, negatur intertriginem sentire: auctor Dioscorides.

De Ligustro siue Phillyrea. CAP. XIII.

Phillyrea.



FRVTEX arborescens Ligustrum est, cuius ramuli aut virgæ rectæ foliis conuestiuntur mollibus, resplendentibus, saturato colore virentibus, Clematidis Daphnoidis siue Peruincæ æmulis, sed tamen longioribus, quàm Oleæ etiam maioribus, latioribus ac nigrioribus: flores candidi, suauiter odorati, paruuli, racemosi; sequuntur baccæ initiò virentes, per maturitatem nigræ, in exiguæ vuæ modum congestæ, quæ succum reddunt e rubro punicante purpureum · radices hinc inde per obliquum sparguntur.

Italiæ, Galliæ, Germaniæ vtrique, aliisque plurimis Occidentis regionibus Ligustrum familiare est: secus aruorum margines, & in syluis quandoque reperitur: rigua & aquosa amat. Ad topiarias scenas à nonnullis expetitur, quas facili opere haud ineleganter conuestit.

Sub finem Maij mensis, aut Iunio flores facit: Autumno ac circa hyemem baccæ maturantur, quæ subinde tota hyeme restãt, defluentibus interim foliis, quæ Vere noua renascũtur.

Latini Ligustrum: Itali hac ætate *Guistrico*, voce à Ligustro corrupta, appellant. Græcorum est *φιλλύρεα*, nequaquam verò *κύπρος*: Cyprus siquidem frutex Orienti proprius, Ligustrum Occidenti familiarius. Magna quidem vnius cum altero similitudo est, vt ipsæ descriptiones ostendunt · sed tamen hoc differunt, Bellonio teste, quòd Ligustro folia hyeme defluant, Cyprus verò perpetua fronde vireat · Iam & Cypri folia capillos ruffant, vt Dioscorides ait, ac, vt Bellonius refert, ad luteo tingenda colore faciunt; Ligustri verò ad tincturæ vsum haudquaquam seruiunt. Proinde perperam Plinius lib. XXIIII. cap. X. Ligusttum eandem arborem esse censet, quæ in Oriente Cyprus. Quod tamen non ex sua, sed ex aliorum videtur sententia scripsisse nam lib XII cap XXIIII. Quidam, ait, hanc (scilicet Cyptum) esse dicunt arborem, quæ in Italia Ligustrum vocetur. Esse verò Ligusttum ipsam Græcis appellatam *φιλλύρεαν* descriptio ostendit. *Plinius notatur.*

Phillyrea, inquit Dioscorides, arbor est Cypro magnitudine similis: foliis Oleæ nigrioribus ac latioribus: fructum habet Lentisci similem, nigrum, subdulcem, racematim cohærentem: & tale omninò ipsum Ligustrum, vt iam ostendimus.

Arabs Serapio Liguftrum cap. XLIIII. Mahaleb nominat. Eft tamen & aliud Mahaleb granum, cuius mentionem facit Auicenna cap. 478. repido calore refoluens ac dolore fopiés. Serapio de vtroque fimul egiffe videtur, & diuerfa Mahaleb fub vnius capitis titulo cõplexus. Appellatur verò à Germanis Liguftrum Beinholtzlein / Mundtholtz / Rhein oder Schulweiden: à Belgis Keelcruyt / Monthout: à Gallis *Troefne*: ab Anglis Pryuet: a Bohemis Gyfwonj.


Mahaleb Serapionis

Baccas funt qui velint Vaccinia etiam dici, atque Vaccinium illud effe, cuius architecturæ lib. VII. Vitruuius meminit cap. XIIII. de coloribus purpureis: Eadem ratione, inquit, Vaccinium temperantes, & lac mifcentes, purpuram faciunt elegantem. In tanta veterum breuitate, quid poterit certi adferri, aut ftatui?

Frigida autem & adftringentia funt folia: ad oris & tonfillarum incipientes inflammationes plurimum conducunt. Baccis merulæ, turdi, aliæq; nonnullæ aues hyeme haud iniucunde vefcuntur.

De Cypro ex Diofcoride & aliis. CAP. XIIII.

Cyprus.



Cyprus latiore folio.



NON magna quoque arbos Cyprus eft, mali Punicæ magnitudine, aut paulò amplior: folia eius oblonga funt vti Oliuæ, fed tamen latiora, molliora, & non perinde candida, fed virentiora: flores candidi, racemofi, odorati: fructus funt baccæ nigræ, Sambuci acinis fimiles.

Optimum, inquit Diofcorides, nafcitur in Canopo & Afcalone. Canopus autem vrbs eft Ægypti, olim celebris, quæ vni ex feptem Canopico Nili oftio agnomen dedit. Afcalon ciuitas eft Palęftinæ, quæ Syriæ eft prouinciæ.

Plinius Cyprum in Ægypto quoq; arborem effe tradit, Ziziphi foliis, femine Coriandri, flore cãdido, odorato: Coriandri autẽ femẽ cum Sambuci baccis magnitudine fatis cõuenit.

In Ægypto magnus huius, & hac ætate eft prouentus, vbi eius folia ftudiosè colliguntur, reficcataque in alias prouincias mittuntur, præfertim Turcarum Imperio fubditas, vt Bellonius lib. II. Singularium refert.

Græcis κύπρος eft: Latini eandem vocem retinent. Falluntur qui Liguftrum, Plinij authoritate decepti, exiftimant, vt fuperiore capite oftendimus. Arabum Alkanna fiue Henne eft: appellatur & modò à Turcis Henne.

Pseudoligustrum.



Syringa.



Adstrictoriam autem vim Cypri habent folia, vt Dioscorides. Commanducata oris vlceribus medentur: feruidis inflámationibus imposita prosunt. Decoctum ipsorũ ambustis affunditur. Ruffant eadem trita capillos, herbæ Lanariæ succo macerata, & illita, vt quidem Dioscorides. Bellonius non modò capillos, sed & inferiores humani corporis partes, tum & vngues his colorari ac tingi refert: quod apud Turcas, vt ait, pulchrum habetur.

Flores cum aceto fronti impositi, capitis dolores sedant.

Fit & ex his Cyprinum oleum, odoratum, calfaciens, & neruos emolliens.

De Pseudoligustro. CAP. XV.

PSEVDOLIGVSTRVM ad mediocris arboris magnitudinem ferè adolescit: folia ei sunt oblonga, lataq́; veluti minoris Cerasi: flores candidi, suaueolentes, plures ab vno tenui oblongo pediculo ordine digesti dependent; quibus succedunt baccæ per maturitatem nigræ, osse intus duro, haud magno, crispis lineolis elegáter imbricato, in quo exiguus nucleus.

Reperitur hæc arbos nõ paucis Belgij locis, sed tamẽ raro obuia. in Austria frequẽs admodũ visitur, ac in densis Silesiæ quibusdã syluis.

Floret autem Ligustrum istud incipiente Maio mense: baccę sub Autumnum ad maturitatem perueniunt.

Pseudoligustrum, alio destitutum nomine, appellatur: sunt qui ἄγνον siue Viticẽ, sed perperam vocitent: vnde & Pseudoagnos à nonnullis dictum: vulgò Vogelkersen nominant. Suspicantur nonnulli Mabaleb illud esse, de quo Auicẽna cap. 478. & quod à Serapione ex Mesuæ sententia refertur: sed idipsum difficillimum fuerit asserere, cùm Mahaleb istud ab Auicenna nullis exprimatur notis.

Cæterùm quòd ad Pseudoligustrum attinet, eius quidem in medicina vsum esse nondum accepimus.

Nuclei qui in officulis continentur, vti Cerasi nucleos sapore satis referunt, ita quoque facultate ipsis respondere videntur; temperatè videlicet calidi, & vrinas clementer promouentes, ac nephriticis ea propter vtiles.

De Syringa. CAP. XVI.

SYRINGA frutex award ampliter luxuriat. caudices eius ac rami geniculis articulati, tenui cortice subrubro exterius sordescunt, interius verò cãdida, fungosã, molliq́; medulla replentur: folia oblonga, lata, venosa, ambitu leuiter incisa, Pyri foliis magnitudine formaq́; ferè assimilia, sed asperiora, ex vno geniculo bina sibi opposita: flores spicato breui ordine digesti fastigiis adnascuntur candidi, ex quatuor mediocris longitudinis foliis, cum grauitate quadam odorati:

odorati: fructus parui, crispi, ac quasi ex multis exiguis valuulis cohærentes, superius latiores, versus pediculum contractiores, per maturitatem nigri, in quibus semen tenue & oblõgum. radix aliorum fruticum modo in ramulos diuulsa.

Apud Belgas temerè alibi quàm in hortis requiritur: fertur ex Hispania allatus frutex.

Sub finem Maij aut serius flores in hortis apparent: semẽ Augusto aut Septẽbri perficitur.

Syringa à recentioribus nominatur, aut potius σύριγξ, id est, fistula, quòd caudices & ramuli exempta medulla fistulosi sint & inanes. Cognominatur non tarò quoque candida, aut Syringa candido flore, ad differentiam nempe Lillach, quæ Syringa cærulea subinde dicitur.

De vsu autem & facultate huius fruticis nihil comperrum vel ipsi habemus, vel ab aliis accepimus.

De Lillach. CAP. XVII.

Lillach.



Matthiolus notatur.

Glans vnguentaria.

FRVTICOSA stirps est quæ nostra ætate Lillach appellatur. complures hæc à radice promit virgas, siue tenues caudices tectos, ramosos, geniculis quoque, vt Syringæ, interseptos, sed breuiores; cortice minus russo, interiore verò medulla candida quoque ac fungosa. folia huic è singulis geniculis duo situ opposita, lata, acuminata, læuia, maiora, duriora, virentiora, ac magis resplendentia quàm Syringæ. flores racematim cohærent exigui, dilute cærulei, ex tenui oblongiore collo in quatuor paruula folia explicati. succedunt siliquæ planæ, oblongæ, per maturitatem punici coloris, membrana media interseptæ, in quibus semina quaterna ferè, angusta, ac rufa. radix in non paucas fibras distribuitur.

Aliunde quoque in Belgium hæc stirps venit, hortorum facta alumna.

Floret sub finem Aprilis ac Maio mense.

Recẽtiores, vt diximus, Lillach nominãt: quidam etiam Syringam cæruleam. Vocem autem Lillach pleriquе Ben interpretantur: Ben verò Serapionis & Arabum, Glans est vnguẽtaria, hoc est, Βάλανος μυρεψική Græcorum, à qua Lillach plurimum differens est. Inter alia discrimina euidentissimum est, Lillach nullam nucem ferre; vtcunque à Matthiolo contra veritatem ei appingatur: sed siliquam exiguam tantummodo profert, cuius semen nihil oleosi continet.

Glans vnguentaria fructus est arboris Tamarici similis, magnitudine Auellanæ nucis, è cuius nucleo, non secus ac ex Amygdalis amaris, oleosus exprimitur succus, cuius ad pretiosa vnguenta vsus est, vt Dioscorides ait: hac verò ætate non omninò etiam neglectus: nam huius oleo odoribus imbuto, chirothecis aliisque, suauis odoris gratia conciliatur.

Cæterùm Lillach vsum aliquem in Medicina esse ignoratur: idcirco & facultates eius incompertæ & latentes.

De Rhoe siue Rhu coriaria. CAP. XVIII.

RHVS ad duos aut tres cubitos assurgit, subinde culto & fœcundo solo proceri hominis altitudinem superat, in ramulos, aut citius virgulas multas diffunditur: folia ex pluribus, IX. videlicet aut XI. committuntur, quorum medius neruus siue costa rubet, singularia verò foliola inalbicant, lata, oblonga, & ambitu serrata. flores candidi racematim prodeunt; succedente semine aliquantulum lato, quasi Lentis, ad Terebinthi fructus magnitudinem accedente, quod tandem rubescit. radix haud altè descendens, per summa cespitum hæret.

Theophrastus huius duas facit species: masculam & feminam: quarum vna sterilis: altera fructifera.

Plinius lib. XXIIII. cap. II. Rhois duo etiam genera describit: alterum ἐρύθρον, quod reuera non nisi Rhois semen: prius herbam syluestrem foliis Myrti esse refert: mox fruticem coriarium appellari ait, subrutilum, cubitalem, crassitudine digitali, &c. Suspectus autem hic *Plinij locus suspectus.*

locus

Rhus coriaria.



locus videtur, & duarum stirpium descriptiones complecti, vel aliàs errore ac vitio aliquo haud carere.

Nascitur, inquit Dioscorides, Rhus in petrosis. apud Hispanos nonnullis in montibus ac sylvis frequens. provenit & pluribus in Apennino Italiæ monte locis: tum & iuxta Pontum. Archigenes apud Galenum de med. secundum loca lib. VIII. in Syria gigni ostendit, Syriacū eligens.

Flores Rhois Iulio mense prodeunt: semen Autumno cum uva maturatur.

Græcis ῥοῦς: Rhus, inquit Plinius, Latinis nomen non habet. Gaza tamen ex etymo Græcæ vocis nomen effingens, Fluidam appellat. Arabibus est *Sumach*: Italis *Somacho*: Hispanis *Sumagre*: Belgę Arabicam vocem contrahētes Smack vocant. Folia fruticis ῥοῦς βυρσοδεψική appellantur. Latini Rhun coriarian dicunt sive Rhoen. Semen verò ἐρύθρος, & ῥοῦς ἐπὶ τὰ ὄψα nominatur: Latini Rhoen culinariam, & Rhoen obsoniorum nuncupant.

Huius fructus, folia, & semen insigniter adstringunt, unaque refrigerant ac resiccant: & resiccant quidem ordine tertio, secundo verò refrigerant, ut auctor Galenus.

Foliorum usus ad densanda coria præcipuus: Laudantur hircorum & caprarum his præparata. Decoctum verò foliorum capillos denigrat: dysentericis utiliter infunditur, & in horum potiones ac insessus additur. Eadem ex aceto & melle gangrænas & pterygia cohibent imposita.

Conficitur ex aridis foliis in aqua ad mellis consistentiam decoctis χύλισμα (recentior ętas extractum dixerit) ad eadem uti Lycium conveniens, auctore Dioscoride. Paulus verò Ægineta expressum e virentibus foliis succum huius loco commendat. *Lycij succedaneum.*

Semen eosdem effectus præbet: Cœliacorum & dysentericorum obsoniis admiscetur: fractis, luxatis, suggillatis cum aqua impositum inflammationes arcet: linguæ asperitatem cum melle permixtum abstergit: muliebria profluvia sistit: hæmorrhoides nimiū profluentes eum querno carbone impositum cohibet.

Aqua in qua semen infusum decocta concrescit, spissaturq́ue, quæ & ipso semine efficacior habetur. Defluit & ex ipso frutice gummi, quod dentium cavitatibus inditum dolores tollit, uti Dioscorides refert.

De Cotino Coriaria. CAP. XIX.


COTINUS Coriaria frutex quoque est haud magnæ altitudinis, ad quatuor aut quinq; cubitos assurgens: ramulos fert complures, rotundos, obscurè subrubente cortice contectos: folia lata, venosa, rotundis longiora, quorum pediculi rubent, Ulmi foliis ferè similia, sed minora, læviora, & dilutius viretia. pro floribus in summis caulibus crispa exit, tenuis, mollis, veluti lanugo, copiosa, instar racemi compacta, obscurè purpurei sive punici coloris, Lentibus minora exigua semina, quæ postea sequuntur, è rusto subnigricant. radix lignosa haud alte dimittitur.

Reperitur in plerisque Italiæ & Galliæ montibus, in Histriæ Alpibus, in Pannoniæ superioris, sive Austriæ, tum & in Hungariæ, ac Bohemiæ arduis sylvis.

Nominatur à Plinio Cotinus lib. XVI. cap. XVIII. Est, inquit, in Apennino frutex, qui vocatur Cotinus, ad lineamenta modo Conchylij colore insignis. Est tamen & κότινος Oleaster sive Olea sylvestris, à qua frutex iste multum differt. Proinde Cotinus Coriaria rectè dici potest: placet nonnullis Scotinum appellari, quæ apud nullum Veterum vox extat. Pannonij Farblauff vocant. Existimatur verò & hic frutex Plinij esse Coggygria, de qua lib. XIII. cap. XXII. his verbis agit: Similis (scilicet Unedoni) & Coggygria folio magnitudine minor, proprietatem habet fructum amittendi lanugine (pappum vocant) quod nulli alij arborū evenit. *Coggygria.*

Sunt

Cotinus coriaria.



Sunt autem huius folia, tenuiaque virgulta, vnà cum seminibus validè adstringentia, frigida, siccaq;, veluti Rhus. Densantur etiam coria non minus feliciter & eleganter huius fruticis foliis, ac tenuibus virgultis, quàm cum Rhoë.

Radix ad tincturam (vt refert Anguillara) vtilis, rubente colore lanas pannosque inficiens. Quod Plinius haud ignorauit, ad lineamenta modo Conchylij colore insignem fruticem hunc (radice nempe) esse referens.


De Chamelæagno. CAP. XX.

CHAMELÆAGNVS humilis & exiguus est frutex, cubiti altitudinem rarò attingens ramulos promit nonnullos: foliola circa hos latiuscula, oblóga, Myrti foliis haud multum dissimilia, sed duriora, & subinde longiora è sinu foliorum flores spicati exigui luteoli exeunt, quibus semina succedunt aspera, cacumine pungentia, in racemi exigui & oblongi formam cohærentia, oleoso succo per maturitatem redundantia. radix subest lenta & dura. Totus frutex cum grauitate quadam odoratus est, præsertim semen, & eius oleosa pinguetudo.

Gaudet locis incultis & ericastris, aliquantulum aquosis ac palustribus. In Británia plerisque locis, & apud Brabantos ac Flandros non rarò occurrit.

Maio ac Iunio flores apparẽt: Iulio & Augusto semen perficitur. tunc collectus fruticulus ad forum vna cum fructu infertur.

Chamelæagnus.



Elæagnus.

Rhus syluestris.

Brabanti ac Flandri Gagel appellant: nonnulli Myrtum Brabanticam, & Pseudomyrsinen Cordus Elæagnum: nobis Chamelæagni vox placuit. Elęagnus siquidem Theophrasto describitur fruticosa, Vitici similis: folio molli ac lanuginoso flore Populi. qualis haud est à nobis descripta.

Nomen apud Veteres, quod sciamus, non inuenit, nisi sit Rhus syluestris Plinij, de quo lib XXIIII cap. XI. Herba est, inquit, syluestris, cauliculis breuib⁹, quę venena & tineas pellit.

P. Pena & M. Lobelius alium omnino pro Rhu syluestri fruticem exhibẽt, ad coria præparanda etiam vtilem, ramulis quadrangulis luxuriantem: virentibus frequentibus foliis exornatum, Myrti aut Rusci similibus, cuius semen in angulosis valuulis spiræ aut cochleæ modo conuolutum gignitur: quod minus quàm Kali herbæ sit.


Familiare esse referunt Narbonẽsi Galliæ, & iuxta Lani fluminis ripas siue margines copiosum frequensque nasci.

Sed ad Chamelæagnum reuertimur: huius semina impensè calida ac sicca sunt, ad tertiũ vtriusque gradum accedunt. Folia quoque calida & facultate sicca sunt, sed multò minus.

nus. Fructus cerebro molestus: ceruisiæ inter coquendum additus (quod à plerisque fit) admodum caput tentantem, & citò ebrietatem adferentem eam reddit. Totus frutex cum fructu aridus, vestimentis interpositus, à tineis & vermibus ea tuetur.

De Lantana siue Viburno. CAP. XXI.

Lantana.



INTER humiles frutices & Lantana numeratur. virgas lignosas siue tenues caudices edit bicubitales, aut altiores, digitalis aut pollicaris crassitudinis, lentos, flecti faciles, frangíque contumaces, cortice albicantes: folia vero magna, lata, ambitu siue marginibus crenata, Vlmeis magnitudine & forma ferè similia, sed hirsuta & dum vigent candida, rubentia verò cùm citò casura emarcescunt, quæ ex singulis ramulorum geniculis bina ex aduerso cohæret: flores racematim enascuntur candidi. acini succedunt in vuam congesti, Lentis magnitudine ac similitudine, vtrimque leuiter compressi, qui initio virent, inde rubent, per maturitatem nigricant. radix per summa cespitum huc & illuc diuagatur.

Locis frutetôsis, asperis, ac petrosis, in montibus ac syluis etiam prouenit: Italiæ, Germaniæ ac Galliæ nota.

Æstate flores visuntur: baccæ siue acini sub Autumnum ad maturitatem perueniunt: Vere noua folia exeunt.

Itali vulgò *Lantanam* nominant: Gallis *Viorne* dicitur. Creditur esse Viburnum, quod humilem lentumque fruticem Virgilius Bucolicon Æcloga prima ostendit, Romam commendans vrbem:

Verùm hæc tantum alias inter caput extulit vrbes,
Quantum lenta solent inter Viburna Cupressi.

Sunt autem Lantanæ & folia & baccæ refrigerantis, resiccantis, & adstringentis facultatis.

Ad tonsillarum & gutturis, omnesque oris cum inflammatione tumores decoctum initio vtiliter gargarizatur: laxiores gingiuas contrahit & dentes firmat. In lixiuio eadem decocta capillos denigrant. Acini facultate respondent, quorum aridorum puluis alui fluores, sanguinisque profluuia; tum & muliebria cohibet. Ex cortice radicis aliquamdiu sub terra macerato, ac deinde decocto tusoque, viscum ad aucupia parari posse sunt qui referant ac affirment.

De Buxo. CAP. XXII.

BVXVS paruæ arboris similitudine assurgit, caudicibus subinde humani cruris, rarò femoris crassitudine. ramosa est. folia verò habet magnitudine Myrti ferè, sed duriora crassioraque, rotundis longiora, læuia, ac resplendentia. flosculi herbacei sunt: fructus rotundiusculi, ingustabiles, & omnibus animantibus inuisi: vt & Theophrastus lib. III. testatur. Materies ligni durissima ac densissima quidem, sed ad opera quæuis conueniens, & valdè tractabilis, grauissima quoque, & in aqua subsidens, colore luteo pallescens, carnem ac teredines non sentit. 1.

Huius verò & alia quædam species humilis existit, quæ ad duos aut tres pedes tantummodo attollitur, sed in latitudinem diffunditur. ramuli huic numerosi tenues admodum: folia verò rotundiora & dilutius virentia. 2.

Algentia & vmbrosa Buxus loca amat: nascitur in altis quoque ac rigentibus montibus.

Perpetuò autem viret, nec frigora horret: Aprili noua germina promit, atque subinde flosculos.

Buxum autem Græci πύξον vocant: Germani Buchßbaum: Belgæ Buxboom: imperitum

Buxus.



verò vulgus Palmboom: Itali *Bosso:* Galli *Buys:* Angli Boxe: Bohemi Pusspan.

Minor χαμαιπύξος ac Humibuxus dici posse videtur, aut humilis Buxus.

Buxi folia, quantum quidem gustabilis qualitas ostẽdit, cum siccitate quadam adstringunt; vsum tamen nullum in medicina habent: nam quòd quidam huius comam tusam apoplecticis propinent ratione caret. nam fructus vel odore frequenti, quem tamen exiguum habet, cerebro ac capiti molestus est. Multùm verò & à veritate aberrabit, qui huius scobe, ligni Guaiaci loco vti voluerit.

De Virga sanguinea. CAP. XXIII.

VIRGA sanguinea ab Italis dicta, Corno assimilis est, in arborem tamẽ non excrescit, sed fruticosa permanet. virgulæ eius nouellæ geniculatæ sunt, ac obscurè purpureo colore rubent; intus verò medullam albidam ac fungosam habent, veluti Sambuci: vetustiores verò caudices, ligni materia dura ac ossea, Corno non cedunt, quam & albidam habent. folia qualia Corno, lata, virẽtia sunt, ac neruosa. quorum pediculi etiam rubent, quandoque & quædam iprercursantes venulæ. fastigiantes vmbellę floribus albidis grauidæ sunt: baccis verò initio virentibus, cùm verò maturæ fuerint nigricantibus, sapore ingratis & volucriũ nulli desideratis.

Virga sanguinea.



In dumis ac sepibus crescit, ponè agros ac syluas.

Vere, Aprili mense flores exeũt: fructus Autumno maturitatem consequuntur.

Italis vulgò *Sanguine & Sanguinello* vocatur: Petro Crescentio Sanguinus: Matthiolo Virga sanguinea. Extant pauca de Virga sanguinea apud Plinium lib. XXIIII. cap. X. Nec Virga, inquit, sanguinea felicior habetur: cortex eius interior cicatrices, quæ præsanauere, aperit. Difficile aut fortassis etiã temerè fuerit, ex his paucis verbis, Plinij Virgam sanguineam eandem cum Sanguino affirmare. Germani hanc Hartriegel nominant: Belgæ wilde Cornoillie/ id est, Cornum syluestrem: & Gallicè *Cornellier sauuage*. Valerius Cordus ψευδοκρανίαν facit, id est, falsam siue spuriam Cornum. Videtur verò & hæc esse Theophrasti θηλυκρανία, siue Cornus femina. Virgulas hæc habet paruas, medullam intus continentes, non veluti maris duras ac solidas: fructum verò ἄβρωτον, hoc est, esui haud idoneum, & serotinum, vt qui post Autumni æquinoctium demum perficiatur. Ac talis quidem Cornus syluestris, siue Virga sanguinea, cuius noui ac tenelli termites rubentes medullam intus, vt scripsimus, habent: fructus verò ingrati, & qui tardè maturentur.

θηλυκρανία.

Partium dissimilariũ baccæ istius sunt, quasdam enim habent calidas, amaras, & extersorias: plurimas verò frigidas siccas, acerbas & adstrin-

ſtringentes: Vſum tamen in medicina nullum habent. Matthiolus ex baccis prius decoctis, deinde prelo ſubditis, oleum exprimi refert, quo Ananienſes ruſtici in lucernis vtantur. Quod verò de cortice Virgæ ſanguineæ Plinius ſcribit, id præſtare poſſe corticem huius Corni ſylueſtris ſiue Virgæ ſanguineæ nec comperrum, nec veriſimile eſt: Ait enim, vt iam retulimus, corticem eius interiorem cicatrices, quæ præſanauere, aperire.

De Euonymo. CAP. XXIIII.

Euonymus.



HAVD procerus frutex Euonymus eſt; mali Punicæ magnitudine. ramulis plurimis diffunditur. veteres caudices corticibus inalbicant: recentiores ac non ita dudum enati virent, & quibuſdam à cortice eminentiis quadrangulares apparent. ligni materies dura, ex diluto luteo albida. folia oblonga, lata, tenuia, ac mollia ſunt. Floſculi albidi quini ſeniue, ex tenui pediculo vmbellæ fere inſtar cohærent. fructus quadrangularis, rubens, quatuor continet grana albida, quorum ſingula luteo conteguntur cortice, qui detractus luteo inficit colore.

Locis incultis ac frutetoſis exit, circa aſperos colles & aggeres non rarò & agris pro ſepimento eſt vnà cum Rubis aliiſque ſentibus.

Aprili menſe flores: fructus ſub finem Auguſti aut Septembri menſe maturi apparent.

A Theophraſto hic frutex εὐώνυμος appellatur, & lib. III. De ſtirpium hiſtoria ab ipſo deſcribitur: nonnulli Anonymos parum rectè legunt. Petrus Creſcentius Fuſanum appellat, quòd ex huius ligno fuſi fiant: atque ex eadem cauſa à Germanis **Spindelbaum**; pleriq; tamen **Hanhödlin** dicunt: Brabanti verò **Papenhout**. Itali *Fuſano*: Galli *Fuſin*, & *bonnet de preſtre*: Angli **Spindel tree**. Qui hanc ζυγίαν ſiue Iugalem faciunt, à vero recedunt: Zygia ſiquidem Aceris eſt ſpecies, vt infrà dicetur.

Pernicioſus autem hic frutex omnibus eſt, vt Theophraſtus ſcribit, capris verò & nociuus. Fructus huius, inquit, oues enecat: ſimiliter & folium ac fructus capras maximè interimit, niſi infrà ſupraque purgentur. Fertur verò hic fructus homini exhibitus, & per ſuperna ac per inferna purgationem moliri, ſi terni aut quaterni fructus dentur.

De Frangula. CAP. XXV.

COMPLVRES à radicibus rectas virgas edit Frangula, X. aut XII. pedes altas, pollicatis craſſitudinis, in ramulos nonnullos diuiſas; quarum exterior cortex niger eſt, qui verò ligno proximus ſubeſt, luteus, ac luteo quoque Croci colore tingit. ligni materies candida & fragilis, ruffeſcẽte quadam medulla media. folia ſunt qualia Alni vel Ceraſi, nigriora tamen & paulò rotundiora. floſculi inalbicãt. baccæ rotundæ fructus ſunt, in quibus fiſſura quędam apparet, quaſi ex duabus in vnam coaluiſſent, colore initio virentes, deinde rubentes, poſtea nigricantes; nuclei verò in his duo ſunt exigui. radix per ſumma ceſpitum vagatur.

In ſyluis apud Brabantos frequens eſt, præſertim humidioribus ac vliginoſo ſolo ſitis. Reperitur & in Germania ac Bohemia.

Vere noua folia & flores naſcuntur: Autumno baccæ.

Alnum nigram fruticem hunc ſunt qui vocitent: aliis Frangulæ nomen magis placet: Petro Creſcentio Auornus eſt: Brabanti **Sporkenhout**, & quandoque **Pylhout**, quòd pueri ex his ſibi tela conficiant: Germanis **Faulbaum**: Bohemis **Kruſſyna**.

Frangula.



Interior autem huius cortex apud rusticos nonnullos in vsu est, qui eius vtuntur diluto, quando corpus expurgare cupiunt. Expurgat autem crassos pituitosos humores, tum & biliosos: & non modò per inferiorem sedem, sed frequenter etiam vomitione, cum magna ventriculi perturbatione ac molestia. Rusticorum idcircò magis est medicamentum, quam vrbanorum, ac eorum qui crassa victus ratione vtuntur, quàm delicate viuentium. Sunt verò & qui asserant, corticem aridum mitiorem esse, & minores molestias excitare: recenti siquidē ac nondum resiccato humiditatem quandam superfluam adesse, quæ torsiones afferat ac vomitiones excitet, ventriculumque perturbet.

Idem verò cortex in vino aut aceto decoctus collutione dentium dolores mitigat: aduersus scabiem & cutis fœditates etiam commendatur.

Folia lætum feruntur bubus, ac præcipuè vaccis pabulum, quæ horum pastu lac reddunt copiosius.

De Colutea. CAP. XXVI.

Colutea.



Colytaa.

FRVTICOSA quoq; stirps Colutea est, hominis altitudinem superans, caudicibus lignosis nō admodum crassis, qui in tenues ramos sparguntur. folia oblonga sunt, ex pluribus ad vnum neruum composita, veluti Viciæ, sed maiora; quorum singularia cum particularibus Fœnogræci conuenire possunt. flores lutei sunt instar Genistę. succedunt siliquæ vesicularum instar distentæ, ac veluti vento inflatæ, colore nonnihil purpurascentes; in quibus semina dura, nigra, plana, ac Lentibus proxima.

Hortensis apud Belgas est stirps, & semine nascitur: citò perficitur: tertio anno flores & fructus facit.

A Maio in multam æstatem floret: interea siliquæ maturum semen præbent.

Frutex hic à Theophrasto Græcè κολοῦτεα per ου diphthongum in secunda syllaba dicitur: Latine, interprete Gaza, Coloutea, aut Colutea: Germanis Welsch linsen: Gallis *Baguenaudier*. Falluntur qui Senam esse rentur: idcirco & impropriè Belgis Seneboom vocatur.

Differens autem hæc Colutea est ab altera κολύτεα per υ secunda syllaba: Colytea siquidem hęc, vt Theophrastus lib. III. scribit, fruticosa & ὀζώδης, id est, odorata, & multiramosa est, inuentu rara, non frequēs: folium habet Laurinum veluti latifoliæ Lauri, rotundius tamen ac maius, simile apparens Vlmi folio, sed oblongius, colore vna parte herbido, inferiore verò albido ac neruoso,

neruoſo,cortice non læui,ſed veluti Vitis veſtitur. ligni materies dura ſolidaq́ue. radices per ſumma vagantur graciles,ſolutæ,criſpæ,& valdè luteæ. florem fructumq́ue dicitur non proferre. Et de Colyrea quidem hæc.

At Coluteę fructum ſiue ſemen,quod in ſiliqua naſcitur,mirum in modum oues pinguefacere, Theophraſtus ſcriptum reliquit.

De Anagyri. CAP. XXVII.

Anagyris.



Eghelo.



ANAGYRIS exiguæ arboris inſtar frutex eſt, ad hominis altitudinem, aut interdum amplius aſſurgens: ramos à caudicibus ſuis fundit complures, ſubinde tenues, quorum cortex ſaturato virore nigricat. Folia circa hos ab vno pediculo terna, Trifolij Aſphaltitis æmula,dilutius tamen ſuperius virentia: flores oblongi,auri colore lutei, Geniſtæ perſimiles, bini terniue quoque cohærentes. ſiliquæ ſuccedunt pollicem latæ, in quibus renum forma Phaſeolis ſimiles duri fructus, ſed minores,initiò albidi,deinde purpuraſcentes, poſtremò è cæruleo nigricantes. Ingrato autem huius folia ac flores odore ſunt, veluti Spatulæ fœtidæ, adeoq́ue graui, vt & prætereuntibus moleſtus ſit. 1.

In pleriſque Galliæ Narbonenſis, tum & Hiſpaniæ locis abſque cultura gignitur: tum & alibi ſecus vias,veluti in Creta inſula,vt Bellonius refert.

Primo quoque tempore flores producit: ſemen cum vua,Dioſcorides inquit, dureſcit.

Græcis ἀνάγυρις, aut ἀνάγυρος, quæ & incorrupta adhuc vox in Creta permanet : Latinis Anagyris: à nonnullis verò & ἄκοπος, aut, vt inter nothas ſcribitur, ἀγνάκοπος.

Exiſtit verò & alter huic haud multùm diſſimilis frutex, non rarò arboreſcens: folio quoque Trifolij : floribus luteis, racematim palmi longitudine digeſtis : ſiliquis ac ſemine vti prioris: qui non modò graui, ſed & omni deſtitutus eſt odore. 2.

In ſyluis ac montibus haud procul Tridento frequens naſcitur.


Vulgò apud Ananienſes Eghelo dicitur. Refertur hic ad Laburnum , de quo Plinius lib. XVI. cap. XVIII. Alpina hæc arbor eſt, nec vulgò nota, cuius florem cubitalem longitudine, apes non attingunt. Repugnat autem Matthiolus, qui mauult Anagyridis alteram ſpeciem ſtatuere, quàm Laburnum eſſe concedere : floris ſiquidem racemum, ait, non cubitalem, ſed Laburnum.

palmi tantummodo longitudinis esse: apibus verò flores gratos affirmari. quæ à Plinij dissentiunt verbis.

Cæterum Anagyris, vt Galenus scribit, excalfacientis ac digerentis est facultatis. Folia, Dioscorides ait, tenera trita œdemata reprimunt imposita: cum passo verò drachmę pondere bibuntur aduersus asthma, & si menses, secundæ, aut fœtus hæreat: ad capitis verò cum vino dolores. Radicis succus digerit ac maturat. Semen comestum vomitiones cit. Quod non modò graueolentis Anagyridis, sed & alterius Eghelo dicti, vt Matthiolus scribit, facit.

De Arbore Iuda. CAP. XXVIII.

Arbor Iudæ.



INTER frutices numeráda venit & Arbor Iudæ dicta, non nisi cultura arborescens, quá accedente, haud difficulter arboris assurgit modo. e caudice lignoso ramulos nonnullos promit, corticibus è purpura nigricantibus, à quibus flores in breuibus pediculis exeunt forma Ochri, sed colore eleganti purpureo rubentes, quandoque & cádidi, ramulorum cortice & vnà albicante. folia rotunda sunt, Asari ferè similia, sed molliora, tenuiora, diluriusque virentia. siliquæ succedunt floribus, digitum longę ac latæ, planæ, tenues, compressæ, in quibus semen planum durumq; veluti Lentis.

In nonnullis Hispaniæ prouinciis in sepibus ac dumis reperitur: Italiæ quoque montes, ac Narbonensis Galliæ agri hoc non destituuntur frutice.

Flores primo tempore erúpunt, & prius quàm folia: siliquas æstas maturat.

Vulgò Arboris Iudæ nomen inuenit: Sunt qui Sycomoron appellauerint, quòd videlicet è crassioribus ramulis flores ac siliquæ dependeant: Sed legitima Sycomorus fructu Ficum refert, & folia habet qualia Morus arbor: vnde illi nomen. Ab aliis

Sycomorus.

κερκὶς credirur esse, de qua his verbis Theophrastus: Cercis fructum in siliqua facit.

Cercis.

Quæ adeò pauca sunt verba, vt ex his nihil certi haberi queat: plures etenim in siliqua fructum ferentes frutices sunt. Galli *Guainier*, quasi vaginulam, appellant. Hispanorum plerique *Algorouo loco*, id est, siliquam syluestrem aut fatuá: alij *Arbol d'amor*, propter elegátiam.

Incompertæ autem & incognitæ huius fruticis vires sunt & facultates. Nam quòd Matthiolus hanc Acaciam (additis præter veritatem spinis) faciat, figmentum est.

De Ceratonia. CAP. XXIX.


CERATONIA ex fruticum arborumque siliquas ferentium numero quoque est. mediocris autem magnitudinis arbor, valde ramosa: foliis oblongis ex aliis pluribus còacervatis, veluti Fraxini, sed particularibus eorum latioribus, durioribus, rotundioribusq;. fructus oblongæ sunt siliquæ, pede longiores, pollicem latæ, planæ, crassæ, in quibus semina plana lataque. siliquæ ipsæ sapore dulces sunt, & à nonnullis eduntur, sed non prius quàm dudū collectæ & resiccatæ fuerint: nam virentes adhuc, etiam maturæ, ingrato sapore, esui displicent.

In Apulia regni Neapolitani prouincia, tum & nonnullis Hispaniæ locis incultis gignitur. Nascitur verò & apud Indos aliosque Orientales populos, vbi siliquæ melleo adeò redundant succo, vt eo ad condituram Zinziberis, aliorumque fructuum vtantur, vt Matthiolus refert. Strabo autem lib. xv. Aristobulum referre ait, arborem esse in India non magnam, quæ magnas siliquas habeat, denum digitorum longitudine, mellis plenas, quas qui ederint, non facile seruari. Quod de recentibus, atque nondum resiccatis siliquis, veritatem tantummodò fortassis habet.

Floret Ceratonia mox soluta hyeme: Vere appetente fructus maturos sub Autumnum proferunt.

Arbori

Ceratonia



Arbori κερατωνία nomen est: Latinis similiter Ceratonia: Hispanis *Garouo*.

Fructus siue siliqua κεράτιον dicitur: Siliqua Latinis, aut Siliqua dulcis in Officinis nonnullis Xylocaracta: in aliis *Carobe* aut *Carobole* vocibus Italicis: ab Apulis verò *Salequa* vocatur: Hispani *Alfarobas* aut *Algarouas*, & absque articulo *Garouas*: Germani Sant Johans brot/ id est, Sancti Iohannis panem, nec alio nomine vulgo Belgarum innotuit.

Ceratonia autem exiccantis est & adstringentis facultatis, sicuti & fructus, nonnihil etiam dulcedinis continens, vt Galenus auctor. Siliquæ autem recentes assumptæ stomacho aduersantur, vt Dioscorides ait, & aluum soluunt: resiccatæ verò eandem sistunt, & stomacho gratiores sunt. Vrinam quoque ciunt, sed præcipuè vinaceis exemptis. Est autem praui succi edulium, concoctu difficile, & quod non facile aut celeriter descendit.

Casia nigra.



De Casia nigra. CAP. XXX.

TAMETSI non frutex sed arbor sit Casiæ nigræ, quia tamen siliquas profert, hoc loco describenda fuit, ne siliquarum feraces seiungerentur. Magna autem & procera est hæc arbor instar nucis Iuglandis. folia habet haud dissimilia, ex pluribus composita, sed singularibus magis acuminatis. materia arboris solida & compacta est, colorisque nigri veluti Guaiaci. exterius verò cortice contegitur lutei aut buxei coloris. Fructus siliquæ sunt oblongæ, teretes, nigræ ac lignosæ, crebris ligneis membranis transuersalibus interseptæ, inter quas, præter semina plana lataque, qualia Siliquæ, & nigra dulcisque continetur medulla; quæ exempta inter medicamenta clementia locum inuenit.

In Ægypto hæc arbor frequens nascitur: præfertur Memphitica & Alexandrina.

Veteribus hęc arbor incognita, vel adeò neglectim habita, vt eius non meminerint. Arabes vsu medullæ siliquarum cognito in precio primi habuerunt, atque deinde posteriores Græci, vt Actuarius & eius ætatis alij, à quibus κασσία μέλαινα, id est, Casia nigra appellatur. Est autem fructus, inquit Actuarius lib. v., eius fistulosus & oblongus, nigrum intus humorem concretum gestans, qui haudquaquam vna continuitate coaluit, sed ex interuallo tenuibus lignosis membranis dirimitur.

Officinæ Casiam fistulam, & Cassiam, per duplex ss., fistulam nominant. At Veterum Casia fistula, siue σύριγξ Græcè, cortex ille odoratus est, fistulæ oblongæ ac teretis instar conuolutus: quem nunc Officinæ Canellam vocãt, & quo legitimi Cinamomi loco vtũtur. *Casia syrinx.*

Cæterum medulla Casiæ nigræ, cuius est vsus, humida est ordine primo satis intenso: in

 calore

calore verò parum medium temperatumque excedit. Vim habet leniendi, & aluum clementer subducendi: feces educit, & humores qui circa primas venas hærent, idque citra torsiones & molestiam, sed tamen ventriculo minus grata, facilè nauseam excitat. Admiscetur idcirco à nonnullis ei vel aloë, vel hieræ pieræ puluis nondum melle addito: sic verò & ventrem magis subducit, & ventriculo minus nocens redditur. Alij Rhabarbarum addunt, & ita quidem cholagogum fit medicamentum, atque febricitantibus ac tertiana laborantibus vtile. Possunt & alia admisceri pro conditione morbi & laborantis. Calculosis quoque ac nephriticis hæc quoque admodum conueniens est, præsertim admixtis nonnullis diureticis, sed non vehementibus: dolores siquidem sopit: vias laxat: & ad calculi aut arenularum faciliorem descensum ac exitum non parum confert.

Tam benignum autem, vt Mesues ait, & innoxium hæc medulla est medicamentum, vt cuiuscunque tandem ætatis hominibus, ac etiam pueris, tum & grauidis ac puerperis tutò exhiberi queat. Foris admota cutis asperitates mitigat, & inflammationibus imposita ad suppurationem adiuuat.

LIBRI SECVNDI PEMPTADIS SEXTÆ

FINIS.

STIR-

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTADIS SEXTÆ

LIBER TERTIVS,

DE ARBORIBVS FRVCTIFERIS.

PRÆFATIO.

FRVTICIBVS *arbores succedunt. quarum tria nobis sunt fastigia: vnum fructiferarum: alterum syluestrium: tertium perpetua fronde virentium. fructiferæ autem hæ omnes sunt. sed illas fructiferas nuncupare libuit, quarum fructus hominibus edules ac vtiles, quæ ἥμεροι, siue domesticæ aut cultiuæ idcircò etiam dicuntur: Plinius has vrbanas non improbè dici sentit, quia videlicet fructu mites, vel aliqua dote homines iuuant: lib. XVI. cap. XIX. Quæ verò fructus ferunt humanis vsibus abdicatos, ἄγριαι ac syluestres dici possunt.*

Arborum verò & earum, quæ fructus idoneos proferunt, discrimina quædam sunt: Quædam fructus carne edules sunt, vt Poma ac Pyra: alia nucleo, vt Amygdala & Nuces: nonnulla verò & carne ac nucleo, veluti Mala Persica, Pruna, Cerasa, & id generis alia. Sunt verò & in singulis differentiæ, quas historiæ progressu facile erit cognoscere.

Cùm autem de iis arboribus primùm agendum videretur, quorum fructus carne sua præcipuè esui apti, Malus siue Pomus se reliquis omnibus præferendã offert. Ab hac igitur initiũ sumẽdum.

DE POMO SIVE MALO.

CAPVT I.

Malus.



MALI nomen latè apud Veteres patet, pluribusque commune est, sed de præcipuè dictis Malis primùm: de reliquis deinde.

Est autem Malus arbor quidem caudice subinde mediocris crassitudinis, nõ alta, sed longis ramis iisque inconditis in latitudinem expansa. cortex mediocriter æqualis, non valde scaber est: folia lata, rotundis longiora, marginibus leuiter crenata: flores quinquefolij, non parui, colore albidi, sed frequentius ex albido & diluto purpureo rubentes: fructus magnitudine, forma, colore, & sapore differentes sunt. horum superior pars floris specimen retinet, inferiori, qua sinuosi sunt, pediculus adhæret breuis, cum quo arbori annectuntur. radicum quædam altius, sed per obliquum tamen, descendunt: reliquæ sub ipso terræ cespite huc illuc sparguntur. Constant autem fructus exteriore cute, interiore carne & semine, quod in loculis duriusculis membranaceis inclusum in medio residet, & cortice quidem nigricat, medulla verò albidum est. Permagna autem nõnulla Poma sunt. quædam paruula: medij generis plurima non desunt. pallido colore albicant pleraq;: cineritio sordent alia: rubent illa, & vel parte aliqua vel tota.

forma

forma quibusdam rotundior: plerisq; oblongior. Sapore vel dulcia, vel subacida: plurima ex his variè mistum saporem obtinent. austera sunt syluestria.

2. Sunt etenim & quædam syluestres Mali culturæ expertes, non insitæ videlicet, quarum fructus acerbi sunt & adstringentes. Insitione siquidem Poma & Pyra mitescunt.

3. Est tamen & χαμαιμηλέα quædam, siue humilis Malus, fruticis modo adolescens, quæ non propter insitionem, sed natura sua Poma fert præcocia, mediocriter dulcia, colore admodum dilute flauo albicantia.

Plantantur ac seruntur in hortis ac paradisis eò destinatis cultæ ac insitæ Mali: syluestres alicubi neglectim habentur.

Florent circa finem Aprilis, aut sub initium Maij: Poma præcocia quidem, matura circa Calendas Iulij: reliqua Septembri ferè mense: paucissima prius.

Malus Græcis μηλέα est. Latinis & Pomus. Germanis Opffelbaum: Belgis Appelboom: Gallis *Pommier*. Bohemis Jablon.

Fructum Græci μῆλον vocant. Latini Malum aut Pomum: Germani Opffell: Belgæ Appel: Galli *Pome*. Hispani *Mansanas*: Bohemi Jablko.

Precocia poma humilis Mali, Brabãti vulgo Poma Paradisi, aut Poma D. Ioãnis nominãt.

Est autem Pomorum omnium temperies frigida & humida, coniũcta cum humore quodam excrementitio: verùm sicuti neque frigiditas omnibus æqualis est, ita nec quantitas superflui humoris. Citius corrumpuntur in quibus hic redundat: diutius verò asseruari possunt in quibus paucior est. aduentitia siquidem & excrementitia humiditas corruptionis est causa.

Dulcia Poma. Dulcia autem Poma minus frigida sunt ac humida. carnis suæ soliditatem hæc cocta retinent: alimentum conferunt amplius ac minus humidum, quàm cætera Poma: minus facile per ventrem etiam descendunt.

Acida Poma. Acida frigidiora sunt, tum & humidiora: horum coctorum substantia diffluit, nec soliditatem suam retinet: alimentum parcius subministrant, idq; crudum ac frigidum: ita verò & facile ac citò delabuntur, vt etiam remorantem aluum promoueant, præsertim ante alium cibum assumpta.

Acerba siue Austera Poma. Acerba aut Austera Poma, vt sunt syluestria ac immatura, frigidiora sunt: succum ingenerant crassiorem, ac omnino flatulentum. minus nocent, si citò ac velociter descenderint; si hæserint flatus gignunt, ac colicos adferunt dolores.

Medij saporis Poma. Quæ inter hæc medij sunt saporis Poma, ac non rarò duarum vel trium qualitatum gustum referunt, vincentis saporis facultates præcipue obtinent, aliarũ verò & participes sunt.

Præstant autem semper crudis, Poma cocta: quorum malignitas sæpenumerò non modò per ignem emendatur, sed & additis vel aromatis, vel aliis corrigi potest.

Prodesse autem possunt Poma ventriculo calido. austera verò etiam calore languentem ac resolutum roborare queunt. Inflammationibus omnibus, sed præcipuè incipientibus, Poma etiam commodè imponuntur.

Succus Pomorum odoratorum ac medij saporis compositionibus nonnullorum medicamentorum admiscetur, tum ad humorum melancholicorum contemperationem, tum & ad medicamentorum impensius resiccantium qualitatem remittendam: vt sunt, Serapium ex Pomis Regis Saporis, Antidotum ex granis cocci Baphici, & si quæ sunt alia.

Vnguentum Pomatum. Conficitur verò & cum eiusmodi Pomis vnguentum ex adipe porcina & aqua rosacea, cuius ad nitorem faciei & aduersus cutis asperitatem vsus est.

Arboris folia cum astringendi facultate refrigerantia: inflammationibus initio quoque vtilia habentur.


De Malo Medica. CAP. II.

ARBOR hæc non admodum magna est. rami eius lenti ac obsequiosi cortice virent, & spinulas aliquas, non tamen frequentes adnatas habent: folium oblongum, latum, læue, odoratum, Laurino simile: flores subpurpurei, staminibus in medio tenuibus ac capillaceis. fructus oblongus est, Cucumere vulgò dicto non tãtò maior, quandoq; minor, & Limonia mala non multum magnitudine excedens: cortex huic diluti aurei coloris, tuberculis nonnullis exasperatus, odore grato præstans. subest caro crassa, albida, dura aromaticũ quid resipiens, sed exiguum, & neq; acris neq; acida, sed ferè qualitatis gustabilis expers. interior medulla non multa quidem, succo acido plena turget, in qua semen conditur Hordei grano maius ac crassius, cortice duro, interiore substantia albida ac amara.


Ad huius genus pertinent & Limonia mala, tum & Anerantia dicta, quorum arbores Malum Medicam magnitudine, virentibus spinosisque ramis, ac foliis Lauri æmulis referunt. flores autem vtriusque candidi sunt; & Anerantij odorati admodum, cuius & folia subinde maiora.

Limonia

Malus Medica.



Malus Limonia.



Mala Limonia. Limonia autem mala oblongi crassique sunt fructus, Citriis tamen minores: cortex luteus, amaricans & suaueolens, sed tenuis; caro albida cui valde exigua accedit. copiosam autem admodum hæc mala medullam habent, succo magis pregnantem ac redundantem, qui & acidior est. semina & in hac continentur veluti Citrij, nec minus amara.

Mala Anerantia. Anerantia mala rotundam formam instar globi obtinent, & Limoniis minora sunt. cortex horum intensiore auri colore nitet, odoratus quoque, exterioreque cute amaricat, nonnihil asper, quasi rugosus, subinde crassior, quandoque tenuior, sed tamen quàm Limoniorum crassior, subditam habens substantiam albidam, mollem, ac fungosam. interior pulpa siue medulla multo copiosoque succo madet; & semina comprehendit minora quàm Citriorum, forma, colore, saporeque alioqui similia. succus modò dulcis est; aliâs acidus; non rarò medij ac vinosi saporis.

Malus Assyria. Huc verò & alia quædam referuntur Mala, Assyria nuncupata horum arbor aliarum Malorum similitudinem refert: rami haud dissimiles: folia paulò quàm Limoniorum maiora: flores Medicæ mali æmuli: fructus rotundus, sed triplo quadruplóve quam Anerantij maior, crasso è luteo pallidulo rugoso ac asperiusculo cortice, in quo quandoque quædam veluti fissuræ patent. interior substantia succosa admodum est, sapore acidula veluti Limoniorum, sed palato minus grata: in qua & semina gignuntur veluti Mali Citrij & aliorum.


Nascuntur Mali Medicæ, tum & Limoniæ & Anerantiæ in Italiæ præcipuè maritimis, ac in Adriatici & Tyrrheni, tum & Ægæi maris insulis: gignuntur verò & in Mediterraneis iuxta grandiores lacus, qualis est Benacus, vbi & Citria, sed cæteris minora, proueniunt. Est & Hispania horum ferax, sed locis præcipuè vel iuxta mare, vel haud procul dissitis: Galliæ & quædam prouinciæ, quæ Mediterraneum mare attingunt, etiam istis gaudent fructibus.

A Media autem primum in Italiam venisse non modò Plinius apertè scribit, sed & Virgilius innuit Georgicon II. de Malo Medica sic scribens:


Media fert tristes succos, tardumq́ saporem
Felicis mali, quo non præsentius vllum,
Pocula si quando sæuæ infecere nouercæ,
Miscueruntq́ herbas, & non innoxia verba,

Anxi-

Malus Anarantia



Malus Assyria.



Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipsa ingens arbos, faciemq́, simillima Lauro.
Et si non alium latè iactaret odorem,
Laurus erit, folia haud vllis labentia ventis,
Flos apprime tenax, animas & olentia Medi
Ora fouent illo, & senibus medicantur anhelis.

Arbores istæ perpetuò virent, &c, vt Plinius inquit, omnibus horis pomiferæ sunt, aliis cadentibus, aliis maturescentibus, aliis verò subnascentibus.

1. Prior μηλέα μηδική: Latinis Malus Medica ac Malus Citria dicitur.

Fructus verò μῆλον μηδικὸν ἢ κίτρειον Malum Medicum siue Citrium, & Citromalum. Æmylianus apud Athenæum, Iubam Mauritaniæ Regem refert, de Citrio meminisse, qui Malum hoc apud eos Malum Hespericum dicat nominari. Galenus Malum Medicum amplius vocari negat, sed Citrium dici, atque eos qui Medicum appellant, hoc agere ait, vt quæ loquuntur nemo intelligat: Officinæ huiusemodi mala Citrones vocant: Germani Citrin epffel/Citrinaten Belgæ Citroenen: Itali *Citrons* ac *Cedri*: Hispani *Citras*: Galli *Citrons*: Angli Citron appel: Bohemi Cytrynowe iablko.

2. Alterum Pomi genus Limonium malum dicitur: Officinis Limones: Gallis *Limons*: Belgis Limonen.

3. Tertium Malum Anerantium aut Anarantium, à quibusdam verò Aurantium: ab aliis Aurengium, ab auri luteo colore: Sunt qui Arantia dici velint ab Arantio Achaiæ oppido: vel Arania à gente eius nominis in Persia: Italis *Arancio*: Germanis Pomerantzen: Belgis Araengie appelen: Gallis *Pommes d'Orenges*: Hispanis *Naranjas*: Bohemis Pomerancij.

4. Quartum Pomum Assyrium à quibusdam dicitur: vulgo Italorum *Lomie* appellatur, à quibus & Pomi Adami nomen accepit, ex eo nempè, quòd rude vulgus huiuscemodi Pomum fuisse existimet, de quo Adamus in Paradiso, transgressus Dei mandatum, comederit: vnde & in illo morsus vestigia apparere aiũt. Sed alij, nõ huius generis Pomũ, sed illud fuisse ferũt, quod Arabes Musam siue Mosam vocãt, cuius Auicẽna cap. 395. meminit. Istud etenim Iudæorũ nõnulli pro eo habẽt, ex quo Adamus cõedens peccauit, vt Andreas Theuetus refert.

Cæterùm

Cæterùm fructûs omnes isti ex dissimilibus & facultate multùm differentibus partibus compositi sunt.

Cortices odorati, amaricantes, sicci sunt ac calidi.

Caro albida frigida ac crassi succi, præsertim Citriorum.

Interior succosa pulpa siue medulla acida, qualis Citriorum ac Limoniorum, refrigerans est, & cum partium tenuitate resiccans.

Semen verò quia amarum, excalfaciens atque resiccans.

Cortex autem Citrij venenis omnibus aduersatur: qua de causa & Theriacis compositionibus quandoque admiscetur: commanducatus oris halitum commendat, & suaueolentem reddit: assumptus verò & frigidum ventriculum roborat. *Citrij mali vires.*

Caro verò albida, solida, duraque subinde editur, sed difficulter admodum concoquitur, & crassum, frigidum pituitosumq; succum procreat. Galenus cum garo & aceto ipsam mandi refert, vt saporis hebetudinem acuant: atque hoc modo assumptam facilius concoqui. Posteritas hanc cum sacharo condire didicit quo modo præparata ori gratior, facilioris concoctionis, & copiosioris alimenti redditur, & obstructionibus minus obnoxia.

Veteres Citria mala (vt Theophrastus hist lib. IIII. scribit) non edebant, placebant odore, & inter vestes reponebantur, quas à tineis & blattis inoffensas conseruãt: contra verò venena mortifera, quando opus, ipsis vtebantur, quo nomine vel maximè fuisse commendata etiam Virgiliani versus, quos suprà attulimus, attestantur. Extat apud Athenæum lib. III. facinorosorum ad serpentes damnatorum, qui ab esu Citrij mali liberi ac salui euaserint, historia.

Interiorem pulpam succo acido plenam Galenus non vescam ait: sed nostra ætas hac non ratò pro condimento vtitur, atque inter hæc assumpta, bilem, si quæ in ventriculo est, reprimit, languentem appetentiam excitat, & ventriculo grata est. Facit eadem aduersus vehementes ardentesque febres, & omnes morbos pestilentes ac venenosos, quibus à totius substantiæ proprietate resistit. Cor eadem roborat: refrigerat, & simul crassa attenuat, & lenta viscidaque incidit.

Paratur ex hac & Serapium, quod de acetositate Citri Officinæ nominant, ad eadem vtile & conueniens, palato gratius.

Conficitur verò & tale Serapium ex Limoniorum acido succo, similis omninò facultatis. Nam & Limoniorum interioris pulpę siue substantię succus acidus, Citrij succum tum qualitate, tum facultatibus reliquis ita refert, vt vno deficiente, alter eius loco substitui queat. Cortex Limonij nec inferior Citrij cortice habetur: Albidam autem carnem Limonium malum tam habet exiguam, vt nullius censeatur momenti. *Limonij mali facultates.*

Aqua ex integris Limoniis per vitrea organa elicita, vitiligines & maculas tollit, facieique nitorem conciliat. Eadem pota vrinas prouocat, & calculos cohærentes dissoluit, frangit, & expellit.

Malorum verò Anarantiorum cortex Citriorum ac Limoniorum facultate satis similis, tantò tamen calidior, quantò acrior ac amarior. Interior succosa pulpa siue medulla acida quidem eiusdem aut non multò inferioris est facultatis, quàm sit Citriorum aut Limonum, at dulcis non adeò refrigerat aut resiccat, sed ad temperatum quendam calorem & humiditatem accedit, ori grata, & alimẽti plus quàm acida confert, sed idipsum tenue ac exiguum: medij autem saporis succo vinoso prædita, medio se habet modo, frigidior quàm dulcis, minus verò frigida quàm acida. Flores Anarantij odorati ab vnguentariis ad odoramenta paranda vsurpantur. Extrahitur verò & ab ipsis per virtea organa aqua admodum odorata, quæ assumpta sesquiunciæ pondo sudorem mouet, & febribus medetur. *Anarantij mali vires.*

Semen autem omnium istorum vetris lumbricos necat & expellit: venenis quoq; potenter resistit, & aduersus scorpionum ictus assumptum conducit. *Seminis facultates.*

Quæ Adami vocantur Poma, Limoniis præsertim acido succo facultatibus respondere videntur, sed tamen minus efficacia.

De Malo Punica. CAP. III.

MALI Punicæ duæ sunt: vna fructifera: altera sterilis.

Vtraq; humilis & haud magnus frutex est, tenues aliquot ramulos promit, exiguis paucisq; aculeis spinosos. foliola parua sunt, & Myrti æmula, pediculis annexa rubentibus. flores secundum ramulos vnà cum staminibus mediis ac ipsis quoq; Cytinis eleganti purpureo colore rubent.

Cytinus calyx est oblongus, anteriore parte latior, in septem rimulas (totidem videlicet quot flori foliola) fatiscens, Asari floribus maior, cuius inferior pars in fructum ac amplum transit pomum: superior denticulata vnà cum staminibus ipsi medio insidet Pomo. durus ac *Cytinus.*

VV quasi

Malus Punica.



quaſi lignoſus huius Pomi cortex eſt, foris obſcuri ac ſordidi purpurei coloris, interius luteus, in quo oblongioris figuræ granula reconduntur, quæ, vbi maturitatem aſſecuta fuerint, eleganti colore rubent, ac ſucci plurimum habent, vno in ſingulis vinacco ſimili ſemine. differunt grana ſapore: quædam dulcia: alia acida: tertia vinoſo guſtu media.

Syluestris Malus Punica florem quidem facit, ſed qui nullo ſuccedente fructu perit: è breuibus calyculis hic exit, & frequentibus denſiſque foliolis multiplex eſt. Huius genera complura Dioſ. colore differentia eſſe refert: vnum candidum: alterum πυῤῥὸν ſiue fuluum: & tertium ῥοδόχρουν, ſiue rubentis roſei coloris. Officinis autem Belgij, notior eſt rubentis coloris.

Proueniūt Mala Punica in calidis meridiem verſus regionibus, veluti in Italia, Balearibus inſulis, Hiſpania, ac præcipuè in regno nunc appellato Granatæ: quod à frequētia malorum Punicorum (quæ vulgò Granata) nomen accepiſſe creditur. Gignuntur autem paſſim etiam citra culturam: culta tamen melius proficiunt: In hortis ſiquidem, vinetis, viridarijs, aliiſq; perinde excultis lætiora proueniunt.

Malus Punica Græcè ab Atticis ῥόα: ab Ionibus verò ῥοιά, vt Galenus ait.

Fructus verò & ipſe ῥόα ſiue ῥοιά dicitur: Latinis Malum Punicum: Officinis Malum aut Pomum Granatum: Germanis Granatöpffell: Belgis Granaetappel: Italis *Melagrano*, & *Pomo Granato*: Hiſpanis *Granadas* & *Romanas*: Gallis *Pommes Granades*: Anglis Pomgranat: Bohemis Granatowe.

Flos fœcundę Mali Punicæ Græcis κύτινος dicitur, qui tamen propriè ipſius floris calyx eſt: Latini nomen ſeruant.

Syluestris verò ac ſterilis flos βαλαύστιον nominatur: Officinæ ſimiliter Balauſtium vocant.

Cortex ſiue putamen ipſius mali, cuius frequens vſus, Græcis σίδιον: Latinis Malicorium & Sidium: Officinis cortex Granatorum appellatur.

Sunt autem Mali Punici interiora ſucculenta grana eſui apta, boni mediocriter ſucci, ventriculo grata, ſed omnia tenuis ac exigui aut nullius alimenti.

Dulcia non æque vt cætera refrigerant ad nutriendum aptiora ſunt, ſed promptæ inflationes pariunt, febricitantibus idcircò minus laudata.

Acida, & præſertim nonnihil auſteritatis referentia, manifeſtè refrigerant, reſiccāt, & nonnihil adſtringunt: æſtuanti ventriculo proſunt: choleram morbum reprimunt ac ſiſtunt: aduerſus dyſenterias, nauſeam, & vomitum conducunt.

Fit autem ex acidorum eiuſmodi granorum ſucco Serapium, quod eadem poteſt, & grauidis κιττᾷ laborantibus ſæpenumero multū prodeſt, niſi omnino vētriculi frigiditas obſtet.

Nuclei acinorum, ac præſertim acidorū, reſiccati refrigerant ſimiliter & adſtringunt: ventris fluores, vomitus, & ſanguinis excreationes cohibent: ventriculum roborant.

Idem verò & Cytini & Balauſtia præſtant, temperamento ac facultatibus nucleis ſimilia: mobiles verò dentes firmant, gingiuarumq; vitia & hæc collutione emendant: Enterocœlen erumpentem cum cataplaſmate impoſita repellunt.

Malicorium, acinos, cytinos, ac balauſtia facultate non modò refert, ſed & ipſis potentius eſt: refrigerat etenim & adſtringit valentius: oris tonſillarumq; inflammationes gargarizatione reprimit: & ad omnia quæ refrigerari adſtringiq; poſtulant valdè conducit.

Succum verò refert Dioſcorides & ex cytinis ac balauſtijs colligi. hic autem facultate ac viribus aſſimilis eſt Hypociſtidi: eodem auctore.

De

De Malo aurea. CAP. IIII.

AD Mali Punici formam accedit, Mali aureæ dictæ, Pomum & ipsum cognomento aureum, sed magna & procera hęc arbor est, longis ramis valdè patula: folia etiá pręgrandia, tres subinde cubitos longa & duos lata, in quibus crassiores venæ secundum longitudinem productæ, veluti in Cinaræ foliis: fructus permagnus est, ad instar humani capitis, forma & colore Malo Punico similis: habet verò & intus recondita complurima succi plena grana, sed oblongiora & maiora, quàm Punici mali, & colore non rubentia, sed auri luteo splendentia, sapore subacidulo, ori grata.

A quo huius descriptionem habuimus, sibi hanc Panormi in Sicilia visam retulit in horto excellentissimi cuiusdam Medici: haud dubium autem, quin peregrina sit, & ex India vel aliunde illuc olim aduecta.

Nomen autem hic vel arboris vel fructus huius nullum sibi aliud cognitum affirmabat, quàm Mali aurei, atque hoc nomine fructum appellari: Potest autem hoc nomen accepisse, quòd grana auri luteum colorem referant.

Plinius huius, vt videtur, meminit lib. XII. cap. VI. vbi arborem hanc Palam: fructum verò Arienam dici refert *Pala Ariena.*

Maior alia (videlicet in India) Pomo & suauitate præcellentior, quo sapientes Indorum viuunt. folium alas auium imitatur: longitudine trium cubitorum, latitudine duûm. fructum cortice emittit, admirabilem succi dulcedine, vt vno quaternos satiet. Arbori nomen Palæ: Pomo Arienæ. Plurima est in Sydracis, expeditionum Alexandri termino.

De facultatibus verò nihil quoque aliud accepimus, quàm quòd ipsa auri colore succulenta grana valde & acutè febricitantibus admodum essent & grata & vtilia; vtpotè quæ & calorem magnum contemperarent, ac sitim vehementer sedarent.

De Malo Cotonea. CAP. V.

Malus Cotonea.



HAVD magna arbor Malus Cotonea, sed humilis, frequenter verò etiam instar fruticis nascitur: cortice vestitur aspenusculo, squamas quasdam quandoq; dimittēte: ramos explicat aliarum arborum modo, circa quos folia subrotunda, veluti vulgaris Pomi, superna parte virentia ac glabra, prona verò mollia ac albicantia. flores ex purpureo candidi sunt: fructus Pomo similes, nisi incisuris quibusdam quandoq; crispentur: figura & magnitudine differunt: quidam enim rotunditatis in orbem circinatæ, minores: alij oblongiores, maiores: tertij se medio habēt modo: omnes tenui pubescunt lanugine, colore auri lutei, odore fragranti caput subinde ferientes: sapor quoque omnibus austerus: caro interior lutea: semenq; nigricans in membranis, vti aliorum pomorum, conditum.

In hortis & cultis locis prouemiunt: non rarò verò in hortorum ac vinearū sepimentis serūtur: planis ac mediocriter humentibus gaudet.

Autumno & Octobri potissimum mense maturitatem poma ista adipiscuntur.

Arbor *μηλέα κυδωνία*: Latinis Malus Cotonea.

Fructus *μῆλον κυδώνιον*: Malum Cotoneum, Pomum Cydonium, & non rarò Cydonium absolutè: quo nomine Officinis innotuit: à quibusdam verò etiam *χρυσομῆλον*, ab exterioris cutis colore aurum referente: Germanis Quitten/ Quittenopffel aut Kuttenopffel: Belgis Queappel: Italis *Mele cotogne*: Hispanis *Codoyons, Membrilhos*, & *Marmellos*: Gallis *Pomme de coing*: Anglis Quince: Bohemis Kdaule.

Maiora huius generis mala, quæ ferè pyri turbinatam figuram exprimunt, Galeno *στρουθία*, Struthia, & *στρουθιομῆλα* appellantur Belgis Queperen/ id est, Cotonea pyra. Columella

tria Cydoniorum genera statuit, Struthia, Chrysomeliana & Mustea: sed quæ aut qualia sint non exponit. Struthia Galenus commendat: Dioscorides verò minora istis præfert.

Sunt autem Mala Cotonea refrigerantia quidem ac resiccantia ordine siue excessu secundo, ac vnà validè adstringunt, præsertim cruda: adest verò & ipsis superflua quædam & excrementitia humiditas, quę diu ipsa incorrupta asseruari non patitur. Crudorum vix vllus est vsus: Cocta gratiora sunt: ventriculum roborant: vomitum sedant: alui fluores reprimunt: dysentericis ac cœliacis vtilia: prosunt verò & sanguinem expuentibus, vel etiam vomentibus: tum & quibus menses copiosius fluunt.

Coroneum malum addito oleo Masticino coctum, ac deinde tritum, & cataplasmatis in modum ventriculo impositum, singultum potenter sedat, & vomitum ac choleram sistit.


Ex carne leuigata & cum melle cocta, quod μηλοπλακοῦντα Galenus appellari ait, olim in Hispaniis coquebatur, ac Romam deferebatur, diuque asseruari poterat. Nunc caro eorundem non cum melle, sed cum sacharo coquitur, varieque apparatur: quæ non modò seruari diutinè potest, sed & multis annis incorrupta durat. Veluti & illud, quod ex decocti pomi expressa substantia cum sacharo concreti iuris instar gluten conficitur: vel quæ ex crudorum succo parantur: vt sunt Serapia: vel etiam ipsa poma integra sacharo condita. Quæ omnia diutissimè citra corruptionem asseruari possunt. Sapiunt hæc omnia palato: ventriculo grata ipsum roborant: fluores omnes sistunt, siue ventris, siue aliarũ partium, tum etiam sanguinis.

Coquitur & oleum cum Coroneis, quod μήλινον vocatur, quo vtimur, inquit Dioscorides, quotiens adstringente opus est.

Semen Coroneorum in aqua temperatum muccaginem reddit, quæ in ore detenta linguæ asperitates in ardentibus febribus vehementer ac citò lenit. ambustis eadem vtiliter illinitur, ac dysentericorum enematis additur, dolores etenim intestinorum lenit, & mordacium humorum acrimoniam obtundit.

De Malo Persica. CAP. VI.

Malus Persica.



ARBORESCIT quidem Malus Persica, sed in arborem magnam haud excrescit: ramos effundit nõnullos, fragiles adeò, vt quandoque fructuum ponderi succumbẽtes disrumpantur. Folia oblonga sunt, ambitu crenata, Salignis fere similia, gustu amara: flores dilutè purpurei. Fructus rotundi, rimæ quodammodò persimilem figuram ab vna parte ostẽtant, molli tenuique lanugine pubescunt; colore foris vt plurimum albidi, quidam vna parte; alij in totum saturo colore rubentes, lutei etiã nonnulli. caro exteriorem corticem colore refert: lutea luteis: rubens saturate rubentibus: candida albicantibus. quorum tamen nonnullis, vna videlicet parte extrinsecus rubicundis, circa nucem eleganti purpuræ rubeæ colore caro nitet: sunt verò huiuscemodi Persica sapore vinosissima, atque idcirco gratissima; lutea verò cæteris duriora. in medio autem Persici lignosa, dura, scabra, & rimosa nux latet, in qua amygdali æmulus nucleus, cortice persimili: substantia interius albida, sapore subamara.

Ex cortice autem Persicæ vulnerato gummi profluit initiò liquidum, quod successu temporis siccius ac durius redditur, veluti ex Amygdalis ac Cerasis.

Persica in hortis ac vinetis seruntur ac plantantur.

Citò Persica malus enascitur: tertio aut quarto à satione anno fructus facit. facilè etiam perit: diuturna non est. floret paulò pòst erumpentibus foliis Aprili mense: fructus Septembri maturos reddit.

Μηλέα περσική: Latinis Malus Persica, & Persica: Germanis Persichbaum: Belgis Persikboom: Gallis *Perscher*: Anglis Perche tree.

Μῆλον

Μῆλον περσικὸν, & περσικὸν quoque absolutè, fructus, vt Galenus testatur, dicitur: Latinè Malum Persicum, & Persicum. Germanis Pfersing: Belgis Persen: Italis *Pesche* Hispanis *Pegos*: Gallis *Pesches*: Bohemis Bruskew. Horum quædam Duracina Latinis dicuntur, quorum nempe caro à nuce non facile abscedit, sed firmius adhærescit.

Sunt verò & alia quædam Persica nullam ferentia lanuginem, sed glabra, læuia, exterius tum & interiore carne virētia, aliis duriora, in cuius lignosa nuce nucleus reconditur Amygdalo persimilis. Arbor horum Persicam refert. Medium quoddam genus inter Persicum & Amygdalum videtur. vulgò *Persenaux* aut *Persenoix* appellant: Latinè id Nucem Persicam sonat. 2.

Persica autem frigida sunt & humida, vtriusque qualitatis ordine secundo: succum habent ac vnà substantiam facilè corruptibilem, qui alimenti conferre queat nihil, nocere verò potest, præsertim si post alios cibos postremoque loco edantur: tunc enim & alios cibos in corruptionem pertrahunt. Sed ante alios cibos assumpta minus mala existunt: cùm enim humida ac lubrica sint, facilè ac citò descendunt, & aluum lubricam reddentes aliis ad descensum viam præparant.

Nuclei autem Persicorum calidi sunt ac sicci: aperiunt & extergunt aduersus lienis ac iocinoris obstructiones conducunt: breuiter Amygdalis amaris facultate ac viribus similes. Extrahitur verò ex his cum aqua Pulegij succus lacti similis, quem in ore frequenter contineri Apoplecticis prodest, saliuam elicit & linguam expedit.


Folia Persicæ amata excalfaciunt quoque ac resiccant: viscerum obstructiones aperiunt: ac purgandi potentiam obtinent, qua biliosos ac pituitosos humores per aluum detrahunt: Decoquuntur in aqua, sero lactis, aut vino diluto. Eadem contusa ac vmbilico puerorum imposita, vermes interficiunt ac educunt. Resiccata verò & cruentis vulneribus inspersa, ad sanitatem perducunt.

Feruntur & flores, sacharo potissimùm conditi, ad alui expurgationem quoque facere.

Gummi temperamento mediocre est: sed substantia lentum ac glutinosum, cuius beneficio tenuium humorum acrimoniam obtundit: phthisicis ac tussientibus in eclegmate conducit, & ad omnes sanguinis excretiones, aliosque fluores accommodatur.

De Malo Armeniaca. CAP. VII.

Malus Armeniaca.



HÆc arbor maior est quàm Persica: caudices nanciscitur crassiores. durabilior est, præsertim insita. folia huius lata & acuminata veluti nigræ Populi, at minora, & ad Betulæ magis accedentia, marginibus serrata: flores albicant. fructus rotundus Persico similis, colore intus forisque luteus, in quo cōcluditur ossea nux nigricans, nequaquam aspera aut scabra vt Persici, breuior etiam ac minor, in qua nucleus dulcis.

Differunt autem poma siue fructus non parum magnitudine. parui quidam sunt, nec Prunis vulgatibus maiores; alij verò ad mediocrium Persicorum magnitudinem accedunt, vel etiam æquant. Ex huius autem arboris caudice, qua parte cortex rimosus est, vel etiam ramis, gummi quoq; quoddam effluit, veluti ex Persica.

Habentur ac seruntur in hortis. & quædam absque cultura aut insitione, quę exigua sunt. alia insita maiora. Inseruntur autem optimè in Prunum, & si taleolus siue surculus, qui insętitur, arboris fuerit per insitionem cultiuæ, elegantes magnique fructus sunt futuri.

Præueniunt Armeniaca multo tempore Persica, nam Iulio matura sunt.

Græci arborem μηλέαν Ἀρμενιακὴν: Latini

tini Malum Armeniacam faciunt. Fructus verò μῆλον Ἀρμενιακὸν vocatur: à nonnullis verò πραικόκκιον, vel βερικόκκιον vocibus à Latina deprauatis, Latine siquidem præcox quandoque præcoquum dicitur: nominatur verò & Malum Armeniacum: vulgò Armeniacum: Germanis Molletten/Mollelin/S. Johans Pfersing: Belgis vroege Persen/ Auant Persen: Italis *Armeniache, Bacoche, Grisomele, Moniache*: Gallis *Abricoz*. Hispanis *Aluarcoques, Aluarchigas, & Albercocs*. Anglis Abrecock.

Galenus inter Præcocia & Armeniaca differentiã facere videtur in lib. De aliment. facultatibus: Præcocia Armeniacis præferens: vtraq; tamen Ἀρμενιακὰ appellari confitetur. quæ alij Ἀρμένια per quatuor syllabas proferunt. In libris verò De simp. medic. facultatibus, tum fructum, tum arborem πραικόκκιον vocari affirmat. Recentiorum nonnulli differentiã quandam inter hæc etiam constituunt: vt quidem maiora ac insita Armeniaca sint, Gallis *Auant Perses*: minora verò præcocia, Gallis *Abricoz*.

Sunt autem Armeniaca siue præcocia mala frigida quoque ac humida secundo ordine, sed tamen minus humida quàm Persica, qua de causa nec ita citò aut facilè corrumpuntur, & ventriculo ac ori gratiora apparent. Corrumpuntur tamen & ipsa, nec alimenti conferunt quicquam: atque hoc ipsum frigidum, humidum, ac excrementitium. Post alios cibos sumpta ipsos corrumpunt ac vitiant: initio verò & ante alios cibos esa, facilè descendunt, & aliorum faciliorem descensum procurant, veluti & Persica.

Nucleus interior horum dulcis est, Persicorum nucleis facultate nullatenus similis.

Foliorum huius arboris facultas nondum explorata.

De Amygdalo.

Amygdalus.



CAP. VIII.

PERSICÆ similitudinem Amygdalus refert, arbor tamen procerior, caudice crassior, & vita diuturnior. folia eius oblõga, acuminata, marginibus crenata, qualia Persicæ: flores similes: fructus Persicum quoque æmulatur, fissuram ab vna parte instar rimæ habens, & exteriore cute molli, araneosaq; quasi lanugine obducta, sed sub hac nulla, vel exigua eaq; dura ac cartilaginea caro subest, quæ non editur. interior nux longior quàm Persico, non ita aspera, sed læuis, in qua nucleus, hoc est, Amygdalũ cõtinetur, Persici nucleo longius, sapore dulce, quandoque amarũ. radix arboris altè descendit. Gummi autem quod ex hac manat simile est Persicorum.

Amat loca regionesq; calidiores, atque idcircò rarò ac difficulter nascitur aut fructum facit in Belgio.

Floret eodem, quo Persica tempore: Amygdala subinde Iulio ad perfectionem perueniunt.

Arbor à Græcis Ἀμυγδάλη: Latinis Amygdalus nominatur: Germanis Mandelbaum: Gallis *Amandier*.

Ἀμυγδαλὸν, & Amygdalum fructus appellatur: Officinis Amygdala: Germanis Mandell: Belgis Amandelen: Italis *Mandole* Hispanis *Almendras, Amelles, & Amendoas*: Gallis *Amandes*: Anglis Almond: Bohemis Mandlij.

Amygdala autem quæ dulcia sunt, vbi maruerunt moderate calida ac sicca sunt: Amara verò calida ac sicca ordine secundo. Adest verò vtrisque oleosa quædam ac pinguis substãtia, quæ prælo excuti potest, sed tamen exigua.

Dulcia Amygdala recenter decerpto ori grata sunt, alimenti nonnihil conferunt, sed hoc ipsum crassum ac terrestre: Crassius verò etiam quæ arida ac dudum collecta sunt. Tarde autem & hæc descendunt, præsertim à putaminibus liberata: Nam veluti frumentorum cortices siue

ces siue furfures ad facilem excrementorum alui descensum adiuuant, ita quoque & Amygdalorum putamina. Ab his itaque quæ repurgata sunt, adeò tardè descendunt, vt etiam fluentem aluum cohibeant: quamobrem & cœliacis & dysentericis vtiliter exhibentur.

Extrahitur ex Amygdalis dulcibus, addito liquore, chylus albidus lacti similis, qui præter quod alat, ac dysentericis ac cœliacis vtilis sit, pleuriticis quoque ac purulenta expuentibus prodest, vt Alexander Trallianus testatur: adest enim & Amygdalis aperiendi concoquendique cum extersione quadam facultas, qua pectori ac pulmonibus auxiliatur, & ad sputi purulentorumque expurgationem adiuuant. Conficiuntur verò & ex Amygdalis istis bellaria ac tragemata, vt sunt vocati Massapanes, & alia eiusmodi, quæ plus quidem, quàm extractus succus resiccant, & ventrem fluentem retinent, ad pectoris tamen pulmonisque expurgationes non minus faciunt.

Oleum ex Amygdalis dulcibus recenter expressum anodynon est, & dolores omnes sopit: exhibetur sanguine prius detracto pleuriticis, sed vtilissimè nephriticis, & à calculi doloribus molestatis: vrinarios meatus laxat, lubricosque, & ad calculorum descensum aptiores reddit: aluum etiam lenit, faciliorem facit, quamobrem & colicis huius vsus accommodus: Vtile verò & puerperis, relictos enim à partu dolores citò tollit.

Amygdala amara extenuandi ac aperiendi vim obtinent: iecur ac lienem ab obstructionibus liberant, lateris doloribus idcirco auxiliantur: aluum quoque faciliorem efficiunt: vrinas & menses prouocant: stranguriæ medentur: expurgantur & facilius in pulmonibus ac pectore hærentia, Amygdalis amaris in eclegmate admixtis: sanguinis sputationes addito Amylo supprimunt. feruntur quina senáve à ieiuno assumpta ebrietatem arcere. Abstergũr verò & hæc cutis in facie vitia, & in reliquis corporis partibus: putrescentia vlcera quæ serpunt emundant: canis morsibus cum melle imponuntur: cum aceto vel rosaceo temporibus imposita, capitis doloribus prodesse, Dioscorides refert.

Exprimitur & ex istis oleum, quod vrinas prouocat, sed potissimùm scorpionibus aliquot *Oleum scorpionum.*
in eo extinctis ac maceratis, quod calculosis, ac cum molestia ac difficultate vrinam reddentibus, pubi perinæoque illitum, multum prodest.

Gummi Dioscorides ait calfacere & adstringere, quę tamen in hoc non percipiũtur. Sanguinem autem expuentibus auxilio esse potest, non adstringendi facultate, sed substantię suę lentore, meatus videlicet ac poros obliniendo, & sic quidem & veteri tussi mederi potest, & magnos ex calculo dolores lenire, & potissimum vrinæ acrimoniam retundere, si cum passo vino bibatur, vel etiam cum alia quauis dulci potione, vt glycyrrhizæ, vel vuarum passarum decocto. Extergere verò idem cum aceto dissolutum impetigines, summũ corpus occupantes (quod Dioscorides addit) à ratione haud alienum est.

De Pyro. CAP. IX.

PYRORVM vrbanæ plurimæ sunt: syluestres verò aliæ.

Vrbana Pyrus arbor est Malo procerior: ramis non in latitudinem effusis, sed altum petentibus. caudex subinde crassus. ligni materies admodum tractabilis, ad typos ex ea sculpendos valdè accommoda, colore sublutea. folium latiusculum, ambitu leuiter circinatum, virens, sed prona siue inferiore parte albidius. flores albicant. Pyra (hoc est, fructus) magna ex parte oblonga, & turbinatæ formæ, sed magnitudine, colore, forma, & gustu siue sapore admodum differentia: cute etiam conteguntur non vnius coloris. quædam enim virenti: alia ex parte, vel in totum subrubente: pleraque sordente. caro albida est: semen in membranaceis loculis nigrum, medium occupat. radix Pyri in rectum ac obliquum fertur.

Syluestris Pyrus vrbanam satis referret, nisi subinde breuior, & spinas secundum ramos duras haberet ac pungentes, & fructus duros, austeros, & esui haudquaquam aptos.

Plantantur ac in hortis habentur Pyri vrbanæ, non secus ac Mali, quorum varia insitione, ex agrestibus mites ac edules fructus redditi sunt.


Syluestres Pyri in plerisque locis, vel in syluis, vel circa agrorum margines, secusque vias, nulla cura aut cultura adhibita sponte sua nascuntur.

Flores Pyri Aprili mense vt plurimum apparent: folia inde sequuntur: fructus non omnis eodem tempore maturatur: quędam enim Pyra Iulio, alia Augusto: Septembri nonnulla, vel etiam serius, vt austeriora quæ hyemem attingunt.

Nominatur Pyrus vrbana siue cultiua Græcis *ἄπιος*, *ἀπίδιος*, vel per duplex *ππ ἄππιος* & *ἀππίδιος*: à Tarentino in Geoponicis *ἀππίδιον*: Germanis Byrbaum: Belgis Peerboom: Gallis *Porrier*.

Pyrum Græcis *ἄπιον* & *ἀπίδιον*: Germanis Byrn / Byre: Belgis Peere: Italis *Pere*: Gallis *Poyre*: Hispanis *Peras*: Anglis Pear: Bohemis Hrusska.

Pyrus.



Syluestris Pyrus Latinis Pyraster etiam dicitur: Græcis ἀχράς quo nomine & fructus & arbor ipsis cognita. Cognomina Pyrorum multa apud veteres ac præcipuè Plinium lib. xv. cap. xv. quorum nullum ad posteritatem peruenisse apparet: Non desunt verò & recentioribus suæ nomenclaturæ, quas ad veterum referre difficillimum, cum præter sola cognomina vix quicquam posteritati reliquerint: deinde & singulis nationibus, vel etiam vrbibus suæ sint, & aliis atque aliis locis, aliter Pyra nuncupentur.

Relictis igitur Pyrorum variis cognominationibus, ad facultates, quæ Medico cognoscēdæ, conuertimur, quæ pro saporum differentiis etiam variant. Pyrorum enim quædam dulcia: vnctuosa nonnulla: acida alia austera aut acerba pleraque, præsertim syluestria: nec desunt ex horum mistione composita, vel etiam quæ insipida dici queant, ad aquæ saporem accedentia.

Sunt autem Pyra quidem omnia frigida, adest verò & cunctis adstringendi quędam facultas, ac terrena substantia & acerbis quidem & austeris copiosior: dulcibus verò paucior: Quæ nonnullis adeò multo est excrementitio humore imbuta, vt diutinè conseruari nequeant: alia verò minus huiuscemodi humoris obtinent, quæ diutius conseruari, vel omninò etiam resiccari queunt.

Alimenti autem Pyra omnia amplius & copiosius quàm Mala siue Poma conferunt, sed hoc ipsum frigidum quidem ac reprobum.

Dulcia & vnctuosi saporis plus quàm cætera nutriunt: aquosa exigui habent alimenti: parcè etiam alunt acerba & austera, velut & acidiora. Crudis semper cocta vtiliora, & ad corporis nutritionem meliora. Quædam verò & adeò acerba aut austera sunt, vt non nisi cocta edi queant: horum autem & nonnullis tam copiosa humiditas, vt super prunas, vel sub ipsis coqui ipsa expediat.

Retinent autem Pyra omnia ventrem, & acerba quidem & austera potissimum: dysentericis & cœliacis in cibo conueniunt.

Arida ac resiccata Pyra, siue cocta siue cruda edantur, ventris fluxus sedant, & sanguinis quoque fluores sistunt: ad muliebria profluuia accommodari possunt.

Incipiẽtibus inflammationibus Pyra, austera aut acerba maximè, vtiliter imponi possunt, tum & arboris folia, quæ & adstringendi cum refrigeratione vim & facultatem obtinent.

De Mespilo. CAP. X.

MESPILI duæ Dioscoridi, vna Aronia vocitata: altera in Italia nascẽs, quę vulgaris est.
Vulgatis Mespilus arbor est non magna: caudice frequenter tortuoso: ramis duris, frangi contumacibus: foliis oblongioribus, sed angustioribus quàm Mali: floribus albis magnis, quinquefoliis: pomo paruo, rotundo, vmbilico lato & amplo: pulpa initiò albida, & tam acerba, vt edendo non sit, prius quàm mollescat, in qua semina siue officula quina, plana, dura recondita sunt.

Mespili in hortis habentur: non rarò verò & in dumetis ac viuis sepibus virent ac vigent. Oxyacanthum. In Oxyacanthum, non quidem in Acidam illam spinam, sed in alteram acutam, insita, optimè proficit, & fructus profert duplo triplóve, quam non insitæ maiores, exiguis Malis magnitudine ferè æquales.

Serò admodum sub finem Octobris mensis Mespila maturescunt: flores tamen satis tempestiuè exeunt.

Arbor

Mespilus.



Mespilus Aronia.



Arbor à Theophrasto Græcè *μεσπίλη*: Latinè Mespilus: Germanis Nespelbaum: Belgis Mispelboom: Gallis *Nefflier*.

Pomum *μέσπιλον*: Latinis similiter Mespilum: Germanis Nespel: Belgis Mispele: Italis *Nespolo*: Gallis *Neffle*: Hispanis *Nesperas*: Anglis Melder & Medeler. Bohemis Nyspule.

Hanc autem Mespilum Dioscorides *ἐπιμηλίδα* quoque dici affirmat, & à nonnullis *σητάνιον*: Galeno etiam in lib. De simp. medic. facultatibus hæc *ἐπιμηλὶς* est: quæ a rusticis in Italia (vt ait) *οὐνήδων*, siue *Vnedo* appellatur, ac plurima in Calabria gignitur. Sub Mespili siquidem voce, haud alterius quàm Tricocci, quæ & Aronia, meminit. *Epimelis.* *Vnedo.*

Sitanij nomen Theophrasto cognitum est, tametsi non *σητάνιον*, sed *σατάνειος* exemplaria habeant. Tria huic Mespilo sunt genera, *ἀνθηδών, σατάνειος, ἀνθηδονοειδής*: Satanios fructum grandiorem candidioremque habet: reliquę minorem. Conuenit Satanios hac de causa cum Mespilo vulgari: aliæ ad Aroniam Mespilum referendæ.

Aronia Mespilus, quæ apud Dioscoridem prima, arbor est Malo altitudine inferior: ramis duris ac aculearis: foliis fissis veluti acutæ spinæ, maioribus (vt Theophrastus ait) quàm Apij (videlicet hortensis) diuisuris, quæ antequam decidunt rubescunt: flores herbacei racematim cohærent: fructus rotundis longiores, quàm vulgatia Mespila minores, qui initio virent ac duri sunt; maturi rubentes ac molles, gustuq; suaues, in quibus tria tantummodo continentur dura officula. 2.

Est autem Mespilus Aronia Græciæ quàm Italiæ, à Galeni & Dioscoridis ætate notior. Nascitur modò Neapoli in hortis, teste Matthiolo.

Fructus huius tarde etiam maturescit.

Appellatur hæc Græcis *μέσπιλος* & *μεσπίλη*: à nonnullis *Ἀρωνία*. Galenus hanc quoque *μέσπιλον* nominat, nec alterius mentionem facit: priorem siquidem, vt scripsimus, *ἐπιμηλίδα* vocat. Huius fructus *τρίκοκκος* etiam à tribus granis dicitur: Neapolitanis verò *Azarolo*.

Vtriusque autem Mespili fructus refrigerans, & potenter adstringens est. Vulgaris quidem acerbus admodum & *κακοστόμαχος* ac ventriculo ingratus, capitis mouet, vt Galenus ait, dolores. quod quidem verum est, si adhuc durus & priusquam mollis tenerque redditus fuerit, edatur. Mollior factus minus adstringit, nec ventriculo æquè molestus, citò tamen corrumpitur,

pitur, vt quidam semicorruptus existat: quamobrem & parce admodũ hoc fructu vtendũ est.

Aroniæ verò Mespili fructus ventriculo gratiores, crudi ac cocti eduntur. condiuntur hi quandoque cum sacharo aut melle, quo modo apparati ori ac palato grati sunt ac iucundi: vterum verò gerentibus etiam perquam vtiles, ventriculum etenim roborant, & illarum fastidio ac nauseæ resistunt.

De Corno CAP. XI.

Cornus.



MEDIOCRIS arboris in modum frequenter Cornus nascitur, quandoq; verò numerosis virgis fruticat: cortice vestitùr scabro. materies ligni admodum dura & solida est. folia læuia, lata, & venosa. flores muscosi, subluter. baccæ oblongæ, initio virent; maturitate rubent; sapore cum aciditate quadam austeræ; oblongo, osseo, albido intus nucleo, veluti in Oliuis, quibus & fructus forma, & non raro magnitudine assimilis est.

Plerisque Germaniæ locis citra culturam gignitur. habetur tamen & in hortis, & non modo Germaniæ aut Belgij, sed & in alijs regionibus.

Citò & multò prius quàm pleræque aliæ arbores Cornus flores suos profert: fructus tamen Augusto demum mense maturitatem nanciscitur.

Græci *κρανίαν* arborem vocant. Latini Cornum: Germani Cornelbaum / Thierlinbaum / Kurbeerbaum: Belgæ Cornoele boom: Itali *Cornolo*: Galli *Cornillier*: Hispani *Cornizolos*: Angli Cornell tree: Bohemi Wlasca wissne.

Cornum, fructus est: Germanis Cornell: Belgis Cornoele: Italis *Cornole*.

Atq; hæc Cornus, Theophrasti mas quidem esse videtur, duplicem siquidem Cornum facit: marem videlicet & feminam. Mari tribuit solidum lignum, quale huic Corno, quam tum propter hanc, tum & alias rationes pro Mare recipimus. Femina videtur vulgò dicta Virga sanguinea, quæ & Cornus syluestris, & *θηλυκρανία*, vt huius Pemptadis lib. II. cap. XXIII. latius ostensum est.

Cæterùm Corni fructus admodum acerbus: refrigerat, desiccat, & adstringit, esui tamen & aptus, non raro quoque editur. aduersus alui profluuia & dysenterias auxiliatur: frigido tamen ventriculo nocet, & cruditates eius adauget. Folia autem arborisq; germina acerba similiter gustu sunt, valenterque desiccant. maxima vulnera glutinare possunt, potissimũ durorum corporum: at paruis vulneribus mollioribusque corporibus magis contraria, Galeno auctore.

De Sorbo. CAP. XII.

1. PROCERÆ magnitudinis arbor Sorbus est: caudice recto: cortice læui: ligni materia solida & cõpacta: folio oblongo Fraxini æmulo, ab vnius medij pediculi lateribus, vtrimque alarum instar singularibus prodeuntibus ac expansis, vno ad fastigium eminente; quæ mollia, oblonga, auersa parte inalbicantia, per margines serrata, Orni folijs perquam similia. minuti candidi & racemosi flores cohærent & fructus racematim, palliduli, ab vno latere rubentes, forma nonnihil differentes, ac etiam sapore. Quidam enim rotundiores sunt: alij oblongiores, ouali figura Pyris quibusdam quodammodo assimiles. hi gustu sunt asperiores: illi verò suauiores ac mitiores.

2. Est verò & syluestris quædam Sorbus, Vitigineo folio, læui, Aceris assimili, quæ arbor quoque procera, cortice læui, & materia satis dura. flosculis in laxiore vmbella candidis, succedunt baccæ oblongiores, Auellanarum aut Oliuarum non magnarum magnitudine, puniceæ aut rubentis coloris, sapore cum aciditate quadam acerbæ, in quibus exigui nuclei nigricant.

Ad

Sorbus.



Sorbus torminalis.



Ad Sorbi syluestris genus refertur, & à nonnullis Ornus dicta, quæ lib. IIII. huius Pempt. 3.
cap. XIII. exhibetur.

Sorbi Italiæ familiares sunt: in Germania verò & quandoque reperiuntur, in montanis ac frigidis, solo lapidoso, & non raro iuxta Rhenum, aut alios fluuios.

Syluestris syluis quoque gaudet ac montosis; ac pingui cretosoque solo.

Fructus Sorborum Autumno demum ad maturitatem vnà cum Mespilis perueniunt.

Dicitur arbor Græcis quidem ὄη & ὀύη: Latinis Sorbus: Germanis Sperwerbaum: Belgis Sorbenboom: Gallis *Cormier*.

Syluestris verò à Plinio Sorbus torminalis: Germanis Arressel/ Eschrösel/ & wilder Sperwerbaum.

Baccæ siue fructus Sorbi ὄον siue ὀύον: Latinis Sorbum: Germanis Speierling/ Sporopffel: Belgis Sorben: Italis *Sorbe*, & *Sorbole*: Gallis *Corme*: Hispanis *Seruas* & *Sorbas*: Bohemis Kzerbiuij.

Adstringentem autem ac refrigerantem Sorba facultatem obtinent. & validius quidem dura, quàm quę mitia molliaq; reddita sunt. Mollescunt autem alicubi repente, aut non omnino frigido loco, suspensa, aut fœno paleisve substratis reposita. Nimium fluente aluo talia in cibo admittuntur: ventrem enim retinent: alimenti verò si quid præbeat, hoc ipsum valdè exiguum, crassum, frigidumq; est. quamobrem cùm ab his, tum aliis similibus fructibus in cibatu abstinere expedit, nec aliter quàm vt medicamentosis vti. Sistunt autem hæc omnes ventris cœliacas & dysentericas fluxiones: vomitiones reprimunt: sanguinis item eruptiones compescunt, si prius quàm matura fuerint dissecta, & in Sole siccata, ad vsum seruentur. Potest verò variis modis istis vti, pro conditione videlicet affectus & loci malè habentis.

De Arbuto. Cap. XIII.

HVMILIS magna ex parte Arbutus est, Cotoneæ mali (cui hanc Dioscorides cōparat) magnitudine plurima parte satis assimilis: caudice asperi ac scabri corticis: ramis frequentibus per fastigia rubentibus: foliis latis, oblongis, læuibus, Lauri vel Ilicis æmulis, è virente colore pallidulis: flosculis racematim cohærentibus, concauis & albidis, subinde vna

parte

Arbutus.



Arbuti ramus cum flore.



parte purpurascentibus. succedunt fructus è tenuibus dependentes pediculis, Fragis similes, sed maiores, magnitudine Sorbi, nullo intus ossiculo, sed exiguis tantummodò seminibus; qui per initia virent, maturi verò eleganti colore rubent, gustu subausteri, ac quasi insipidi, quibus turdi ac merulæ per hyemem vescuntur.

Arbuti in Græciæ plerisque regionibus, in Creta Insula, in Italia, ac Hispania gignuntur. Prouemunt & in conuallibus Athou montis, vbi, quæ alibi pumilę, in magnas arbores excrescunt, vt Petrus Bellonius scribit. Iuba etiam auctor est, quinquaginta cubitorum in Arabia esse: vt tradit Plinius lib. xv. cap. XXIIII.

Iulio & Augusto Arbuti flores demum erumpunt: hyeme fructus maturitatem assequitur. Theophrastus anno integro fructum ait maturescere, sic vt simul vnum haberi, alterum verò flore sponderi contingat. Quod & Plinius. fructus, inquit, anno maturescit, pariterque floret subnascens, & prior coquitur.

Arbor hæc Græcis κόμαρος dicitur: Latinis verò Arbutus.

Vnedo. Fructus μεμαίκυλον, aut vt alij legunt, μεμάκυλον. Latinè Memæcylum: Plinius verò etiam Vnedonem appellat. Aliud corpus, ait, est terrestribus Fragis: aliud congeneri eorum Vnedoni: quod solum Pomum simile fructui terræ gignitur. Galenus tamen Vnedonem Epimelidem facit, vt antè scriptum. Arbutum autem Itali *Albatro*: Hispani *Madrono, Medronheyro, & Medronho*: Galli *Arboutes*.

Dioscoridis locus suspectus. At Arbuti fructus edulis quidem est, sed ἀχυρώδης: vt exemplar Dioscoridis habet: (acetosus Ruellius vertit, fortassis rectius ἀχυλώδης, siue insipidus) ventriculo infestus, capitisque dolorem adferens.

De Pruno. CAP. XLIIII.

MEDIOCREM Prunus altitudinem & crassitudinem assequitur: cortice vestitur leuiusculo. folia habet lata, & quàm sint rotunda longiora, circumferentiis serræ modo incisis flosculos albos. Pruna colore, forma, & magnitudine differunt. omnia carne cuteque constant, ac nucleo lignoso putamini incluso, quod ossiculum dicitur. Prunorum siquidem quædam ex cæruleo nigricant, quorum & longiora hæc, rotundiora illa: alia ceræ colore lutea: ex puniceo rubentia nonnulla, reliquis ferè maiora: nec desunt virentia subinde admodum longa,

Prunus.



longa, ſapore dulci gratiſſima. Cam etiam quibuſdam ſiccior, facileq́; ab oſſe ſeparabilis: aliis humidior, & pertinacior adhærens.

Gignuntur Pruni in omnibus cogniti orbis regionibus: terram amant ſolutam & hortenſem. Differétiam verò ab ipſis regionibus etiam accipiunt, non ſolum formæ quidem, ſed præcipue, vt dicetur, facultatum.

Inſeruntur verò & Pruni in alterius nonnunquam generis arborem, quæ faciem parentis, ſuccum adoptionis, vt Plinius dicit, exhibent.

Præter has verò & ſylueſtris quædam Prunus eſt: vt cap. XIIII. huius Pempt. lib. I. ſcriptum. 2.

Theophraſtus autem, & Plinius Ægyptiæ etiam cuiuſdam Pruni meminerunt. quæ inſignis magnitudinis eſt arbor, fructum ferens natura & magnitudine Meſpilo proximum: quæ menſe Pyanepſione florere incipit: fructum verò circa ſolſtitium hybernum perficit; nec folia dimittit. Verùm huiuſcemodi Prunus incognita eſt. 3.

Vulgares ac hortenſes Pruni Aprili menſe flores edunt: folia mox vnà erumpunt. æſtate Pruna matureſcunt: quædam citius: nonnulla tardiùs.

Prunus autem Græcis *κοκκυμηλέα* appellatur: Germanis Pflaumenbaum: Belgis Pruymboom: Hiſpanis *Ciruelo, Andrino, & Amexeyra*: Gallis *Prunier*.

Pomum, *κοκκύμηλον*, Prunum: Germanis Pflaumen/ Praumen: Belgis Pruymen: Italis *Prune* & *Suſino*. Gallis ſimiliter *Prune*: Hiſpanis *Prunas, Andrinas, Amexas, & Ciruelas*: Bohemis Sſweſſka Slywa. Acceſſerunt autem bis à regionibus & patria cognomina. Damaſcena Veteres appellarunt in Syria prope Damaſcum nata: Hiſpanica, quæ in ea regione proueniunt: Sic & noſtra ætas Pannonica ſiue Hungarica: item Morauica quædam & Gallica, à patria appellat. Clearchus Peripateticus Damaſcena Pruna Rhodios ac Siculos dicit *βράβυλα* appellare: quemadmodú & Theocritus Syracuſius: *Brabyla.*

Ὄρπακες βραβύλοισι καταβρίθοντες ἔραζε.
Flectuntur Brabylorum onerati pondere rami.

Et rurſus:

ὅσον μᾶλον βραβύλοιο ἥδιον.
Quàm malum Brabyli iucundius.

Eſt autem hic fructus, Athenæo auctore, circumferentia Prunis minor, cibo verò idem, ſed paulò *δριμύτερος*, ſiue acrior. Seleucus (teſte eodem) *βράβυλα, ἧλα, κοκκύμηλα, & μάδρυα* eadem eſſe affirmat. & Madrya veluti *μαλόδρυα* dici: Brabyla quia *ἐκβόλια* ſiue ventri grata, & cibum expellant: *ἧλα* quaſi *μῆλα* ſicuti Demetrius Ixion in Etymologia.

At Pruna, quę quidem matura, recens abs arbore decerpta, qualiacunque tandem ſint, humectant ac refrigerant, atque ab ipſis quàm minimum corpori alimenti accedit, atque hoc ipſum nequaquam bonum. Nam veluti Pruna citiſſimè corrumpuntur, ita quoque & ipſorum ſuccus in corpore corruptioni ac putredini obnoxius eſt, & alia ſecum aſſumpta alimenta corrumpit: Vtilia autem tantummodo his ſunt qui aluum ſibi mediocriter humectari ac refrigerari poſtulant. humiditate enim ſua ac lentore aluum faciliorem reddunt.

Paſſa verò Pruna ac reſiccata vtiliora ſunt, ſtomacho gratiora: alimenti plus ac omninò melius, nec facilè corruptibile conferunt. Fama eſt, inquit Galenus in lib. De aliment. facult. omnium eſſe præſtantiſſima, quæ in Damaſco vrbe Syriæ naſcuntur: ſecunda autem poſt illa, quæ in regione quam Iberiam ac Hiſpaniam nominant, prouenìunt. verùm hæc nihil adſtrictionis præ ſe ferunt: nonnulla verò Damaſcenorum plurimum. Damaſcena ſiquidem magis adſtringunt: at quæ Iberia profert dulciora ſunt. Dioſcorides Damaſcena reſiccata ventrem ſiſtere dicit: ſed Galenus in lib. De ſimp. medic. facult. ipſa palam etiam ſubducere aluum affirmat, minus tamen, quàm quæ ex Iberia importantur. Cocta autem in melicrato

in quo

in quo plusculum sit mellis, aluum admodum (eodem auctore) deiiciunt, etiam si quis sola ipsa sumpserit, & multò magis si post ipsa Melicratum sorpserit.

Nostra ætas in Germania circa Damascum Syriæ vrbem natis caret. Pannonica siue Hungarica laudat, oblonga & dulcia, sed magis tamen Morauica ad aluum leniendam commendat, præsertim Brunnæ nata, quæ Morauiæ olim Marcomannorum prouinciæ vrbs est primaria hæc etenim, vbi aquea humiditate consumpta, resiccata fuerint, ori suauia palatoque gratissima, aluum citra molestiam ita facilè ciunt, vt deiectoria vi Cassiam & Mannam post se relinquant vt Thomas Iordanus affirmat.

Gummi autem quod ex Pruno profluit, Dioscorides ait agglutinare: potum in vino calculum comminuere. ex aceto illitum lichenas infantium sanare. Potest autem idem, quod Persicæ ac Cerasi.

De Myxis. CAP. XV.

AD Prunorum genus Myxa referri posse videntur. arbor horum Pruno haud multùm dissimilis, sed humilior: folia rotundiora ac duriora: flores in racemulis, aut citius in laxioribus exiguis vmbellis albicantes, subsequuntur paruis Prunis assimiles fructus siue baccæ, calyculo cuidam veluti glandes insidentes, quibus maturis color est ex atro siue nigro virescens, triangulum in his ossiculum nucleum continens. sapore autem hi fructus dulces sunt, sed pulpam habent lentam admodum ac viscidam, ad viscum conficiendum idoneam.

In Syria ac Ægypto frequentia Myxorum arbusta sunt: olim Italiæ peregrina, nunc in illius hortis familiaria, Plinij ætate primum illata: Nunc cœperunt, inquit lib. xv. cap. XXVIII. Myxæ Romæ nasci insitæ Sorbis.

Ἀμμυμυξις. Arborem Plinius Myxam appellat. hanc verò eam esse, quam Ἀμμυμυξιν Matron Parodus in cœna Attica apud Athenæum appellat, suspicari quidem licet: sed affirmare non est promptum, præsertim cùm & exemplaria quædam Ἀμμαμαξὶς habeant. Bacca autem siue fructus μύξον & μυξάριον dicitur: neque aliud nomē Latinis. Arabes & Officinæ Sebesten appellant.

Sunt autem Myxa siue Myxaria temperate admodum frigida ac humida, ac substantiam habent viscidam ac crassam, corpus idcirco plus quàm alij quidam fructus nutriunt; sed & viscera angustosque meatus facile obstruunt, ac inflationes pariunt. Leniunt eadem exasperatas fauces & pulmones. sitim quoque sedant in eclegmate, aut alio quocunque modo apparata, vel etiam per se assumpta. Ventrem verò & horum pulpa lenit drachmarum x. aut sesquiunciæ pondere exhibita.

Conficitur verò & ex his Antidorus siue Electuarium ventrem subducens, sed quod facilè muccorem contrahit: proinde non nisi recenter parato vtendum.

De Zizypho. CAP. XVI.

1. ZIZYPHVS arbor est Pruno non multò minor: caudice contorto: cortice scabro ac rimoso: ramis duris, frequentibus ac fortibus aculeis, spinosis, à quibus dodrantales aut longiores pediculi emittuntur, Iuncorum instar, lenti ac obsequiosi, tenuesque instar virgularum Spartij, circa quæ ex interuallis alterno ordine folia prodeunt oblonga, haud magna, duriuscula, Clematidis prioris, Peruincæ dictæ, æmula; iuxta verò folia palliduli ac muscosi exeunt flosculi, deinde baccæ succedunt oblongæ, magnitudine mediocrium Oliuarum aut paruorum Prunorum, in quibus ligneum veluti in Prunis ossiculum, quo nucleus cōtinetur.

In Italiæ complurimis locis Zizyphi nunc nascuntur, quæ olim peregrinæ ex Syria illuc allatæ sunt, & circa Plinij quidem ætatem, vt ipse lib. xv. cap. XIIII. scriptum reliquit.

Zizypha grano seruntur mense Aprili, inquit Plinius lib. XVII. cap. x.


Græcis ζίζυφος & ζίζιφος per ἰῶτα secunda syllaba nuncupatur. Latinis similiter Zizyphus: Petro Crescentio Zezulus.

Fructus ζίζυφα, ζίζιφα, & à nonnullis ζύζιφα dicuntur. Galenus etiam σηρικὰ appellat: vt satis ostendit Auicenna cap. 369. de Iuiubis, hoc est, Ziziphis, in quo asscripta ea sunt, quæ de Sericis in lib. De aliment. facult. Galeni habentur. Latinis similiter Zizipha ac Serica: Officinis verò Iuiubæ nominantur.

2. Præter hanc verò & alia est appellata Zizyphus.

Arbor autem hæc est non magna, sed fruticosa ac ramosa: cortex læuis est, & veterum ramulorum puniceo colore nitet, à quibus & tenues veluti priori Zizypho virgulæ exoriuntur tenues, albidæ ac molles, quibus folia adnascuntur oblonga, mollia similiter & albicantia, & auersa parte etiam candidiora, Salicis similia, nisi angustiora & albidiora essent. flosculi verò & secundum folia bini ternive prodeunt, concaui, sublutei, odorati, staminibus aliquot exiguis mediis: fructus qualis prioris Zizyphi, Oliuæ similis, albidus, dulci quoque & candida pulpa, ossiculo medio, in quo nucleus.

Ziziphus.



Ziziphus Cappadocia.



Non paucis Italiæ & præsertim Hispaniæ locis nascitur: Colitur quoque in nonnullis Germaniæ ac Belgij hortis.

Flores Iunio mense in Belgio apparent: fructum Autumno in Italia ac Hispania maturari contingit. In Belgio nullus floribus succedit.

Altera hæc Ziziphi species est, quam Columella lib. IX. cap. IIII. albam nominat, ad differentiam prioris, quæ illi rutila. Plinius hanc Cappadociam cognominat: lib. XXI. cap. IX. vbi agit de honore Coronarum, quarum duo ait esse genera. quando aliæ flore constant· aliæ folio florem esse dixerim, inquit, genistas (nam ex iis decerpitur luteus:) item Rhododédron: item Zizipha, quæ Cappadocia vocantur: his odoratus, similisq; Olearum floribus. Nec temerè hæc à Columella, vel à Plinio pro Zizipho haberi videtur: nam & folia & flores ex teneris recenterque enatis virgulis, veluti priori Zizipho, exeunt: flores valdè odorati, vtpotè latè etiam odorem diffundentes· & fructus Ziziphi alterius similis. *Ziziphus Cappadocia.*

Sunt autem Zizipha, priora quidem illa Officinis notissima, temperie quidem frigida, sed non vehementer, vtpotè primum frigiditatis ordinem non excedentes: humida quoq; nonnihil: substantiæ autem siue essentiæ crassioris. pro edulio assumpta difficulter concoquuntur ægrè ac tardè descendunt: ventriculum aggrauant: parum omnino corpori alimenti exhibent Medicamenti vice data, acrimoniam tenuium mordacium ac salsorum humorum obtundunt ac mitigant, eosdemque incrassant: Atque idcirco quæ ex ipsis fiunt eclegmata aut Serapia perquam commoda sunt aduersus tusses, sanguinisque sputationes, ex acrium tenuium aut salsorum humorum destillationibus.

Valet ad eadem & decoctum ipsorum, sed potissimum aduersus vrinæ ardores ac stillicidia, renum exulcerationes, & vesicæ rosiones.

De Cerasis. CAP. XVII.

CERASORVM quatuor genera nostra ætas numerat. vna maior ac syluestris est: altera hortensis: tertia aciduli fructus: Chamæcerasus quarta est.

1. Prior magna & procera arbor est: caudice mediocriter crasso, atque in ramos plurimos superius distributo: cortice nonnihil læuiè puniceo colore subnigricante, lento ac obsequioso.

Cerasus.



Chamæcerasus



ligni materia medio quoque subnigricat, circumferentia inalbida. folia magna sunt, lata, oblonga, venosa, ambituque crenata. flores albi, mediocris magnitudinis, quinque constant foliolis, & aliquot staminibus concoloribus mediis: fructus in rotunditate oblongi ex tenuibus ac prælongis descendunt pediculis, ossiculo intus duro, quod exigua carne contegitur; cuius nucleus cum leui quadam ac exigua amaritudine non ingratus. Colore autem fructus quidam rubent, alij nigricant; sapore verò dulces.

2. Altera Cerasus cortice, magnis foliis, floribus candidis priorem refert; sed humilior est, nec in tantam vt illa altitudinem excrescit: caudices etiam minus crassi: Cerasum autem maius, carnosius, plus succi habet, quod & dulce, & colore vel rubens, vna tamen parte albidiore, vel nigrum. ossiculum huius & nucleus, veluti superioris.

3. Tertia Cerasus etiam quàm priores humilior ac tenerior est: caudices tenuiores: cortex asperior, non minus tamen obsequiosus· folia similia quidem, sed minora: flores haud dissimiles, at fructus, hoc est, Cerasum rotundius, carnosius, plus succi habens, sapore vinoso acidulum: colore similiter aut rubens aut nigricans, quoddam verò & quasi albidum, quod rarius est. Est autem in hoc, & nonnulla varietas alia. quæ etenim citra insitionem nascuntur Cerasi, aut in alias eiusdem generis insitæ, magna admodum Cerasa frequenter ex breuibus pediculis dependentia gignunt, quæ subinde adeò magna sunt, vt XVI. vel etiam plura suorũ ossiculorum pendeant: Earum verò quæ in syluestrem siue priorem Cerasum (quod sæpè fit) inseruntur, Cerasa minora sunt, & longioribus hærent pediculis; citius autem maturitatem hæc assequuntur; ossicula verò istorum minora sunt quàm superiorum.

Præbent autem & hæ omnes Cerasi gummi, è corticibus aliqua parte vulneratis; quod ex luteo colore pallescit, & tandem durum redditur.

4. Quarta, quæ quidem Chamęcerasus, humilis est, non arbor, sed exigua fruticosa ac ramosa stirps, subinde cubitalem altitudinem non excedens: foliola cum aliarum forma conueniunt, sed omnino exigua sunt· fructus verò etiam paruuli, aliisque persimiles.

5. Præter has verò Cerasos & alterius cuiusdam iconem Matthiolus exhibet, cuius Cerasa complura racematim instar vuæ simul cohærent, quam & idcircò Racemosum appellat, & sibi Veronaà Francisco Calzolario missam refert.

Cerasus prior natura sua syluestris in syluis, secus agrorum margines, alijsque incultis fre- 1.
quentius, quàm alibi gignitur.

Duæ succedentes hortenses sunt. 2. 3.

Chamæcerasus in Bohemia, Morauia, Austria iuxta semitas, ac vias non rarò reperitur &, 4.
vt Matthiolus, in Tridentino solo.

Aprili mense Cerasi florent. In fructu præbendo, quædam præcociores, aliæ seriores. Rubra autem Cerasa semper sui generis nigra præcedunt. Prima autem syluestria sunt Cerasa, quæ Iunio maturantur: succedunt circa Iulij Calendas Amarenæ, præsertim in syluestrem Cerasum insitæ, nam aliæ sunt tardiores: tardissima sunt secundi generis Cerasa, quæ & hortensia ac dulcia.

Arbor Græcis κέρασος: Latinis similiter Cerasus est: Germanis Kirschenbaum: Belgis Kersenboom / & Crieckenboom: Gallis *Cerisier*.

At fructus κεράσια & κεράσα à Græcis appellantur: & Latinis similiter Cerasa: Germanis Kirschen & Chirschen: Belgis Kersen & Criecken: Italis *Ceregie*: Gallis *Cerises*: Hispanis *Cerezas*: Bohemis Wissne.

Prioris generis Cerasa vulgò cleyn kersen / id est, parua Cerasa, quia cæteris minora, dicuntur: 1.
item & wilde kersen: Germani wilder Chirschen / hoc est, syluestria Cerasa, sunt enim syluestris
Cerasi fructus: eadem & præcocia sunt, prius siquidē quàm reliqua maturitatē consequūtur.

Secūdi generis vulgò Hispanica cognominātur Cerasa. fieri autem potest, vt hæc sint Lu- 2.
sitana à Plinio dicta; quibus principatum Belgica illius ætate tribuit.

Amarenas tertiæ Cerasi fructus, posterior ætas nuncupat, vel etiam Merendas: Italorum 3.
plerique *Marasche & Amerine*: alij *Marchiane*, vel *Duracine*: Germani Amarellen: & quæ nigra sunt Weichßlen weinsiell: Brabanti Criecken: alibi in Belgio etiam kersen. Plinius lib. xv. cap. xxv. Duracinis principatum tribuit, quæ Campania, Pliniana, ait, appellat. Ad hoc verò genus referenda videntur Cæciliana rotunda, neq; enim ex Cerasis alia his rotundiora: item & nigerrima Actia nominata, quædam siquidem & horum nigra sunt. quæ resiccari ac diutinè conseruari queunt.

Inter Cerasia autem optima sunt acidula, Amarena dicta: Dulcia illa parua syluestria siue præcocia deterrima, mali sunt succi, citissimè corrumpuntur, & malos ingenerant humores. vnde non solum facilè lumbrici, sed & molestæ ac subinde pestilentes febres gignuntur. Atq; idcirco in bene institutis Rebuspublicis, ne in forum veneant pestilentiæ temporibus, diligenter cauetur.

Lusitanica siue Hispanica Cerasa, facultatibus his vicina sunt, minus tamen promptè corrumpuntur, & frigidiora sunt, nec tamen boni succi.

Amarena verò, quæ quidem rubent, melioris sunt succi, sed aquei, frigidi, ac humidi: sitim sedant: æstuanti ventriculo prosunt: febricitantibus vtilia: facilè descendunt, & aluum lubricam reddunt: nutrimenti verò nihil exhibent. At nigra huius generis sicciora sunt, & nonnihil quoque adstringunt. hæc resiccata siue passa, Prunorum instar ori ac ventriculo grata sunt, & aluum laxiorem cohibent.

Cerasorum gummi cum vino diluto sumptum, fertur adiuuare calculosos: prodesse autem potest vias lubricando, & humores, si quiacres sunt, contemperando: tussi veteri & hoc modo medetur: Addit Dioscorides bonum colorem, oculorum claritatem, & ciborum appetentiam facere.

De Moro. CAP. XVIII.

PROCERA arbor Morus est, nec minus ramosa. caudex eius non rarò crassus: cortex scaber, radicis verò luteus: folia lata & acuminata, duriuscula, & secundum margines serrata. pro floribus iuli sunt virentes, lanuginosi. fructus oblongus, ex granis coaceruatus, Moro in Rubo nascenti similis, sed crassior, longior, ac omnino maior, initiò virens, maturitate nigricans, succo tamen, quo redundat, rubens. radix in multas spargitur propagines.

In hortis seritur ac plantatur Morus: calida & sicca loca desiderat, ac lætum solum: in humido deterior redditur, & pauciora Mora adfert. Seritur Morus commodè talea siue surculo. Inseri verò aut inoculari etiam potest in nonnullas arbores: In Populum albam insita mora fert candida: vt quidem Beritius in Geoponicis refert.

Inter vrbanas arbores nouissimè Morus germen emittit, nec prius quàm frigore soluto, Maio mense: Arborem idcirco sapientissimam, eam Veterum nonnulli appellarunt.

Augusto mense matura mora leguntur. Hegesander apud Athenæum, suis temporibus intra viginti annorum spatium Moros fructum non tulisse affirmat, atque tantam Podagræ pestem omnes inuasisse, vt non viri solum, sed pueri, puellæ eunuchique, & mulieres eo morbo laborarent.

Morus.



Morus candida.



Μορέα autem & συκαμινέα vel συκάμινος arbor Græcis: Latinis Morus est: Officinis Morus Celsi: Germanis Maulberbaum. Belgis Moerbesie boom: Gallis *Meurier*.

Μόρον & συκάμινον fructus nominatur: Latinis Morum: Officinis Morum Celsi: Germanis Maulbeer: Belgis Moerbesie: Italis *Moro*: Gallis *Meure*: Hispanis *Moras*, & *Mores*: Bohemis Moruffe.

At Mora ante maturitatem collecta refrigerant & resiccant ordine propemodum tertio, & valenter adstringunt: resiccata ad cœliacos & dysentericos affectus vtilia sunt, admiscetur puluis obsoniis, vel cum vino & aqua bibitur. Sanguinis fluores, & superfluentes menses eadem reprimunt ad oris & faucium inflammationes conducunt. tum & ad aliarum partium inflammationes incipientes idonea.

Matura ac recentia Mora frigida similiter sunt, & humore vinosi saporis copioso redundant, qui nonnihil resiccantis est facultatis, & adstrictionis haud expers est: atque idcircò quoque ad stomatica medicamenta, qui oris tonsillarumque inflammationibus adhibentur, vtilis & perquàm commodus.

In cibo hæc mora sumpta, ac ante alios ingesta, citissimè per intestina substantiæ suæ humiditate ac lubricitate descendunt, & aliis cibis ductu suo viam, vt Galenus ait, struunt: aduersus sitim conducunt: appetentiam calore languentem excitant: ventriculo non aduersantur; parcissimè autem corpus alunt. Secundo autem loco, aut post cibos assumpta, citò quoque vnà cum cibis corrumpuntur: Tametsi enim fugacibus sint innocentiores, corrumpuntur tamen ac vitiantur, nisi celeriter descendant.

Cortex radicis Mori amarus, calidus, ac siccus est, & expurgandi facultatem obtinet. Decoctum huius iocinoris ac lienis obstructiones aperit: aluum mouet, & latos lumbricos expellit. Idem cortex in aceto maceratus dentium dolores sedat. præstat hoc ipsum foliorum & corticis decoctum, Diosc. ait. Qui & circa messis tempus ex Mori incisa radice succum promanare tradit, quem postridie sit concretum inueniri, atque hunc aduersus dentium dolorem efficacem, phyma discutere, & ventrem purgare. In foliis autem ac primis germinibus huius arboris, mediam quandam esse Galenus ait adstringentis ac expurgantis facultatem.

Vermes sericum præbentes. Foliis verò nutriuntur ac sustinentur vermes illi qui sericum nent ac præbent: Ex Erucarum

rum sunt hi genere, serico confecto in Aurelias transeunt: inde in Papiliones vertũtur, veluti & aliæ omnes Erucæ. Papiliones isti corpore graues, exiguas pro ratione corporis habent alas, proinde non auolant, sed generationi intenti citò pereunt: mas quidem coitu, femina vbi oua excluserit.

De Sycomoro. CAP. XIX.

Sycomorus.



SYCOMORVS non exiguæ proceritatis arbor est, Moro magnitudine & aspectu proxima: folio verò & ipsum referens. fructum verò fert magnitudine & figura Ficus, succo & sapore Caprifici persimilem, verùm dulciorem, & interioribus granis carentem. qui non ex tenerioribus ramulis prodit, sed ex caudice & maioribus vetustisque ramis fœcundissimo prouentu erumpit. multo autem lacteo succo hæc arbor turget, qui vulnerata parte aliqua mox effluit.

Nascitur, vt Dioscorides scribit, plurimum in Caria, Rhodo, locisque non multi Tritici feracibus, in quibus iuuamentum adfert, & pro pane frumentoq; sufficit, cùm annonæ premit penuria. Galenus Sycomori plantam in Alexandria Ægypti, vnà cum fructu Ficui albæ assimilem, se vidisse scribit. Huius ramum cum fructu ac foliis olim ad me misit magnificus vir Iacobus Antonius Cortusus patritius Patauinus.

Ternos quaternosque fructus anno vno fundit, & si ferreis vnguibus scalpatur, etiam frequentiores.

Huic arbori *συκομόρῳ* à Ficu & Moro nomen est: Cornelius Celsus inuerso nomine Momsycon appellat: Ægyptij nostro tempore Ficum Pharaonis, reste Bellonio: Dicitur verò & *συκῆ αἰγυπτία*, siue Ficus Ægyptia: item & *συκάμινος αἰγυπτία*, id est, Morus Ægyptia.

Fructus verò *συκόμορον* quoque appellatur, & ab Italis *Sycomoro*, & *fico d'Egitto*.

Sycomori autem fructus, vt Galenus ait, nullam habet acrimoniam, exiguæ dulcedinis particeps, estque facultate vt Mora humidior quodammodo ac frigidior.

Vtilis, inquit Dioscorides, aluo, sed *ἄτροφος*, hoc est, nullius alimẽti, & vẽtriculo molestus.

Eximitur verò ex arboris cortice lachryma primo Vere prius quàm fructus ferat, quæ spongia aut vellere excepta siccatur; in pastillos cogitur; ac fictili reponitur. Facultatem hæc habet mollientem, vulnerum conglutinatricem, & crudorum resoluentem: Bibitur verò & illinitur contra serpentium morsus, lienis duritiem, stomachi cum refrigeratione dolores. Celerrimè autem hic succus teredinem sentit.

De Ficu. CAP. XX.

FICVS non omninò tecto assurgit caudice, nec omninò læui cortice, sed asperiusculo con- 1.
tegitur. materies ligni alba, fungosa; tenellorum verò ramulorum mollis etiam ac medullosa. Folia ampla in quinque partes, eminentibus totidem angulis, dissecta, veluti Vitis, sed maiora, duriora, asperiora, ac nigriora. fructus, nullo apparente prius flore aut iulo, aliòve quod floris vicem supplere queat, iuxta pediculorum, quibus folia adhærẽt, annexum erumpunt, & quidem particulatim; initio admodum paruuli, successu temporis maiores, forma turbinata vt Pyri, nonnulli tamen longiores, alij verò breuiores ac magis sessiles, colore vel albidi, vel subrubentes, vel ex cæruleo saturato purpurei, pulpa interiore molli, suaui, ac prædulci, granis compluribus referta. Ex Ficus autem cortice, foliorum pediculis, immaturis ficubus vulneratis liquor fluit lacti similis, sed acris & amarus.

Ficus.



Ficus Pumila.



In Græcia, Italia, Hispania, alijsq; regionibus perinde calidis, ac Solis radijs expositis frequentes Ficus sunt: In Germania ac Belgio crescunt quidem, sed rarò ad perfectionem fructus perueniunt, nisi vel diligenti cura adhibita, vel hyems admodum clemens, æstasque feruida fuerit.

Germina cum folijs Maio mense in Germania erumpunt, atque his in longitudinem proficientibus multiplicantur & folia & Ficuum rudimenta: quorum priores Septembri ad maturitatem perueniunt, si æstas fuerit calida: In Italia verò ac Hispania etiam citius ac prius. posterius verò enatę Ficus, si per hyemem non deciderint, altero anno mox adueniente æstate perficiuntur.

Arbor Ficus Græcis συκῆ dicitur, & à nonnullis ad differentiam Caprifici συκῆ ἥμερος: Latinis Ficus, & Ficus satiua, siue Vrbana: Germanis Feigenbaum: Belgis Vyghboom: Gallis *Figuier*: Italis *Fico*: Hispanis *Higuera*.

At fructus σῦκον Græcis: Latinis verò etiam Ficus; & qui nondum maturus est, ὄλυνθος: Latinis Grossus: qui verò resiccatus siue passus, Græcè ἰσχὰς, Latinis Carica dicitur: Germanis Feygen: Belgis Vyghen: Gallis *Figues*: Italis *Fichi*: Hispanis *Higos*: Bohemis Fyk. Semina quæ in ipsis Ficubus κεγχραμίδες, Cechramides Galenus appellat.

2\. Inter vrbanas Ficus & humilis quoque ac parua quędam est sesquicubitalis altitudinis, folijs & fructu priori assimilis. Pumilam hanc Ficum recentior ætas rectè appellat.

3\. Est verò & syluestris quædam species, cuius fructus ad maturitatem peruenit nunquam. Theophrasto ἐρινεὸς: Plinio Caprificus appellatur. fructus ὄλυνθοι quoque nominantur, &, vt Dioscorides, ἐρινεοί.

Virides autem recentes ac maturæ Ficus reliquis fugacibus in cibo præferuntur, alimenti quoque amplius quàm cæteri præbent, sed non omninò optimi succi. Superfluam verò & quandam excrementitiam humiditatem coniunctam habent, propter quam & flatibus ventrem implerent, nisi citò descenderent, & facilè per ventrem permearent, huius etenim beneficio nec flatus vel permanent vel dolorifici sunt: Prosunt verò & eædem Ficus nephriticis, nam vias laxant, lubricant, aperiunt, & nonnihil quoque abstergunt: vnde post earum esum arenulas subinde multas excerni contingit.

Siccæ

Siccæ autem Ficus, siue Caricæ, mediocriter excalfaciunt, nutriunt quoque, & alimenti non exiguum conferunt, sed tamen non probum sanguinem gignunt: quamobrem & offenduntur qui iis largius vescuntur, & copia pediculorum ipsis prouenit. Aluum verò & faciliorem reddunt, & ad excretionem irritant, præsertim ante alios cibos præsumptæ. Asperæ arteriæ, pectori, pulmoni, renibus, ac vesicæ vtiles sunt, nec muliebri vtero incommodæ: attenuandi siquidem, leniendi, concoquendi, ac maturandi facultatem obtinent. Quæ pectori inhærent concoquunt, maturant, & expurgant, præsertim cum Hyssopi aut consimilis herbæ decocto: ventri, tussi, ac diuturnis pectoris ac pulmonis vitiis hoc modo auxiliantur. renes expurgant, & ab arenulis liberant: vesicæ dolores mitigant: grauidæ si Ficubus aliquot ante partum diebus vescuntur facilius pariunt: exanthemata siue papulas præterea, & sudores Ficus etiam, vt Dioscorides ait, prouocant. Tumores vel concoquunt vel discutiunt, ad concoquendum Triticea farina, ad digerendum Hordeacea admixta, Galeno auctore, conferunt.


Decoctum Ficuum oris ac faucium tumores & abscessus citò facileq; ad suppurationem perducit, sæpius in ore detentum aut gargarizatum.

Lacteus autem Ficiarboris liquor & succus foliorum eius non mordicat tantùm, aut abstergit vehementer, sed & vlcerat, & ora vasorum reserat, & myrmecias euicit: verùm & purgare potest: auctor Galenus Coaguli modo, Dios. ait, lac coagulat, concretumque vt acetum dissoluit. Menstrua cum oui luteo aut Tyrrhenica cera appositus cit: podagricorum cataplasmatis cum farina Fœnigræci & aceto vtilis. lepras, lichenas, discolorem à Sole curem, alphos, scabies, ichoras cum polenta expurgat. Instillatum plagæ percussis à scorpione, venenatorum ictibus, & rabiosi canis morsibus auxiliatur. dentium doloribus lana exceptus prodest, & cauitati eorum inditus. myrmeciam tollit cum adipe circumlita in ambitu carne.

De Ficu Indica. CAP. XXI.



Ficus Indica.



Ficus Indicæ fructus & flos.

INDICA hæc Ficus appellata arboris specie absque caudice & ramis adolescere videtur, tota enim nihil aliud quàm ex foliis folia apparet; folium siquidem in terram depactum mox radices agit, & alia ex se promit, à quibus & aliis prodeuntibus succedunt rursus & alia, donec ad arboris altitudinem peruenerint, effusis interim & veluti ramis, ab vno nempe sub-

inde duobus aut tribus foliis enatis nonnunquam tamen caudicē facit, tunc videlicet quando non ex folio enata, sed ex semine sata fuerit. Oblonga autem Ficus Indicæ lataq; sunt folia, & pollice non rarò crassiora, è quibus albidæ, tenues, oblongæ, acutæq; prominent spinæ (rarò ebsque his prouenit) in extremis autem foliis primùm flores erumpunt oblongi, deinde fructus subsequuntur Ficubus turbinata forma quodammodo similes, nec minores, colore è viridi purpureo, interiore pulpa succosa rubicunda, sanguineoque colore manus veluti Mota inficiente, quorum fastigium foliosa quædam instar coronæ ambiunt, veluti ostendit icon, quam magnifico viro Iacobo Antonio Cortuso patritio Patauino acceptam ferimus.

Ex India in Italiam aliasq; prouincias illata fertur. In Germaniæ ac Belgij hortis hanc quandoque reperiri contingit, sed haudquaquam fructum proferentem: quem Italia tamen quandoque videt, Hispania autem frequentiùs.

Opuntia. Existimatur autem hæc esse Opuntia à Plinio dicta herba, de qua lib. XXI. cap. XVII. sic habet: Circa Opuntem Opuntia est herba, etiam homini dulcis: mirumq; e folio eius radicem fieri, ac sic eam nasci. Opuns autem ciuitas Phocidi in Græcia vicina, vt Pausanias, Strabo, & Plinius testantur. Vulgò autem hęc stirps Ficus Indica nominatur: ab Indis verò Tune.

Ficus Indica Theophrasti. Describitur autem alia quædam pro Ficu Indica à Theophrasto lib. IIII. quam Plinius lib. XII. cap. V. iisdem ferè verbis, sed Latine redditis, eleganter exprimit: Ficus, ait, ibi exilia poma habet. Ipsa se semper serens, vastis diffunditur ramis: quorum imi adeò in terram curuantur, vt annuo spatio infigantur, nouamque sibi propaginem faciant circa parentem in orbem quodam opere topiario. Intra sepem eam æstiuant pastores, opacam pariter & munitam vallo arboris, decora specie subter intuenti, proculque fornicato ambitu. Superiores eius rami in excelsum emicant, syluosa multitudine, vasto matris corpore, vt LX. p. pleræque orbe colligant, vmbra verò bina stadia operiant. Foliorum latitudo peltæ effigiem Amazonicæ habet: ea causa fructum integens, crescere prohibet. Rarusque est, nec Fabæ magnitudinem excedens: sed per folia solibus coctus prædulci sapore, dignus miraculo arboris gignitur circa Acesinem maximè amnem.

De Castanea. CAP. XXII.

Castanea.



Castanea Equina.



ADMODVM magna & procera arbor Castanea est: ramos extendit plurimos: caudex crassus, qui aliquando tantæ amplitudinis visus, vt à tribus hominibus vix complecti potuerit:

tuent: ligni materia solida ac durabilis: folia magna, aspera, rugosa, ambitu incisa, singularibus Nucis iuglandis foliis maiora: tenues, oblongi, viridesq; iuli: fructus calyce concluditur rotundo, aspero, & echini modo spinoso, qui sponte dehiscens maturum fructum siue nucem demittit: Nux non rotunda, sed compressior ab vno latere, plana, & superiore parte acuminata: cute contegitur dura, lenta, & admodum leui, obscuri puniceique coloris: caro siue interior nuclei substantia dura ac alba, tenuiq; membrana velatur, quæ cuti subest.

Montibus & opacis gaudent: descendunt verò quandoque & ad plana: solum amant molle ac nigrum. Quibusdam verò in locis ac regionibus maiores ac mitiores: aliis verò minores gignuntur.

Iuli cum foliis Aprili mense erumpunt, sed nuces serius, ac Autumno demum perficiũtur.

Castanearum autem arbor Græcis pariter ac Latinis cum fructu nomen habet cõmune: Germani Kestenbaum / & Kastanibaum: Belgæ Castanibooм: Galli *Castaignier*: Angli Chestnutztree vocant.

Nux autem Græcis *κάστανον*: à nonnullis *Διὸς βάλανος, σαρδιανὴ βάλανος, λόπιμα* aut *καστάνιον* appellatur: Latinis Castanea, Iouis glans, Sardiana glans: Germanis Kesten: Belgis Castanien: Italis *Castagne*: Gallis *Chastaigne*: Hispanis *Morones*, *Castanas*: Anglis Chestnutz: Bohemis Kassstan: Quæ autem maiores Italis *Marrons*: Gallis atq; Belgarũ nonnullis *Marons* vocãtur.

Est verò præter hanc & alia quædam Castanea, arbor procera quoque & magna, cuius folia in quinque segmenta diuisa Pentaphylli referunt, sed maiora & ad Ricini quodammodo accedentia. clauduntur & huius nuces duris ac spinosis echinis, quæ crassiores, & quàm vulgares Castaneæ rotundiores sunt. 2.

Hæc Italiæ peregrina, in Orientis regionibus gignitur. Equina autem Castanea idcircò nominatur, quod anhelosis & tussientibus equis auxilietur. *Castanea, equina.*

At vulgares nostræ Castaneæ admodum resiccant, & simul adstringendi facultatis participes; in calido verò ac frigido temperatæ videntur; habent tamen & flatulentum quiddam, atque propter hoc, nisi prius cute vulnerata, cum strepitu repentè, dum ab igne coquuntur, exiliunt.

Inter omnes glandes, Galenus ait, principatum Castaneæ tenent, solæq; sylvestrium fructuum alimentum memorabile corpori præbent. Tardè autem admodum descendunt, difficulter concoquuntur, & crassum humorem adferunt, flatusque ingenerant; ventrem verò etiam sistunt, præsertim crudæ.

Coctæ Castaneæ minus difficulter conficiuntur, facilius descendunt, flatulenti minus habent, ventrem tamen & adstringunt.

Ex Castaneis crudis arefactis, & in farinam deinde redactis, panem coqui posse, sunt qui affirment; verum hunc siccum & friabilem admodum esse oporteret, difficulter concoqui; & tardè admodum descendere: Auxiliaris autem talis esse posset cœliacis & dysentericis.

De Nuce Iuglande. Cap. XXIII.

PRÆGRANDIS arbor hæc Nux est, crasso ac procero caudice: cortice cineritio colore subuirente, & frequenter rimoso: ramis in amplitudinem sese diffundentibus: foliis ex quinis senisve ad vnã costã Fraxini modo cohærentibus, vnoq; eminente; quæ latiora lõgioraque sunt quàm singularia Fraxini, læuia item & odore graueolentia. Iuli nuces præcedunt, quæ iuxta foliorum pediculos binæ aut ternæ prodeunt, per initia cum tenellę suaueolentes, herbaceo ac virente hæ conteguntur cortice, lignosum putamen subest, in quo nucleus continetur, tenui velatus cuticula, quadripartito fere diuisus, intermedia lignosa veluti membrana, cuius interior caro albida, dulcis, & ori grata est: recens quidem; arida enim oleosum ac rancidum quid subinde contrahit.

In agris secus vias ac semitas, pingui ac restibili solo Nux proficit, & in hortis: lætis gaudet collibus: aquosos non amat tractus.

Primo Vere folia ac vnà iuli erumpunt: Nuces Augusto mense leguntur.

Ipsa arbor *καρύα* appellatur: Latinis Nucis nomen & arbori & fructui commune est: Germanis Nußbaum: Belgis Nooteboom/& Nootelaer: Gallis *Noyer*: Hispanis *Nogueyra*: Anglis Walnut tree: Bohemis Wlasky wořech.

Nucem Græci *κάρυον* vocant, & *κάρυον βασιλικὸν*, id est, Nucem regiam: Dicitur verò & Nux Iuglans, quasi Iouis glans, aut iuuans glans: & à quibusdam Persica nux: Germanis Welschnuß & Baumnuß: Brabantis Okernoten / Walsche noten: Italis *Noce*: Gallis *Noix*: Hispanis *Nuezes* & *Nozes*: Anglis Walnut: Bohemis Wlasky wořech.

Nucũ autẽ adhuc virentiũ recentes nuclei ori quidem grati sunt, frigidi exiguũ habẽt, humidi verò imperfectè cõcocti nõ parũ. Difficulter cõcoquuntur, parùm alũt, ægre descẽdunt.

Aridæ

Nux iuglans.



Aridæ nuces excalfaciunt & reſiccant, & magis quæ oleoſæ ac rancidę factæ ſunt. ventriculo hæ valde inutiles, & præter quod difficulter cõcoquantur, bilem etiam adaugent; capitis item dolorem adferunt, & tuſſientibus ac pectori nocent. Cum Carycis autem & Ruta præſumptę, lethalibus venenis aduerſari feruntur & latos lumbricos largius eſitatæ pellere. Cum Cepa, ſale, & melle canis hominisq́; morſui impoſita conueniunt. Commanducatæ verò ac impoſitæ gangrænas, carbunculos, ægilopas, & alopecias celeriter, vt Dioſ. refert, ſanát. Efficaciter & hoc pręſtat oleũ ex ipſis expreſſum, quod tenuium eſt partium, digerens ac excalfaciens.

Nuces integrę, priuſquam lignoſum induerit putamen, decerptæ, ac cum ſacharo aut melle conditę, ori ac palato gratę ſunt, aromaticum quid reſipiunt, & propter exterioris corticis adſtringendi potentiam, ventriculum etiam roborant, non tamen vt alimentum, ſed vt medicamentum aſſumptæ.

Exterior Nucum virens cortex adſtringendi eximiam vim obtinet. ſtomaticũ medicamentum ex eius ſucco cõponere Galenus inuenit ac docuit, ad omnes oris inflãmationes vtiliſſimũ.

Folia & prima germina aliquid adſtrictionis, eodem auctore, poſſident; excellit tamen in ipſis ſicca calidaq́, temperatura. Ad balnea, corporisque lotiones quidam recentiorum hæc adhibent, in quibus & digerendi, & ſudores mouendi vim exercent.

Nux auellana ſiue Corylus.



De Nuce auellana, ſiue Corylo.

CAP. XXIIII.

CORYLVS craſſis ſæpenumero caudicibus aut robuſtis fruticat ſtolonibus, qui hominis ſtaturam frequenter multum ſuperant, & in ramos ſparguntur enodes, lentos, ac obſequioſos. folia lata ſunt, maiora rugoſioraque quàm Alni, marginibus ſerratim inciſa, colore virẽtia, auerſa parte albidiora: cortex tenuis eſt: radix craſſa, alta, & robuſta: oblongi tenues compactiq́; iuli pro floribus dependent: nuces Iuglandibus multò minores calyci inhærent calloſo, herbacei coloris, extremis partibus fimbriatis, Roſarum alabaſtra propemodum referentibus. putamen læue & lignoſum eſt. interior nucleus carne conſtat albida, dura ſolidaq́;, tenuis quem contegit membranula, quandoque rubicunda, ſæpius candicans, ſapore non ingratus.

Coryli frequenter in ſyluis ac in vliginoſis incultis proueniunt: ſeruntur & in hortis, quarum nuces meliores ſapidioresque, nucleo foris plerumque rubent.

Iuli primo quoque tempore erumpũt, nondum ſoluta hyeme, qui Martio aut Aprili ſuccedentibus foliis defluunt. Auguſto menſe maturæ carpuntur Nuces.

Frutex Latinis Corylus dicitur: Græcis verò

κάρυα

κάρυα ποντικὰ, id est, Nux Pontica: Germanis Haselstrauck: Belgis Haselere.

Nux κάρυον ποντικὸν, & λεπτοκάρυον; id est, Nux Pontica, tenuis Nux, parua Nux: Nominatur verò & Nux Prænestina, Nux Heracleotica, & vulgò Nux auellana, quo nomine etiã Officinis innotuit: Germanis Haselnuß: Belgis Haselnoten: Italis *Nocciuole, Auellane, Nocelle*: Gallis *Noisettes*, & *Noisilles*: Hispanis *Auellanas* Bohemis Lyskowy worech.

Quę autem harum cute rubent sanuę ac vrbanæ Auellanæ habentur, ac legitimæ Ponticæ: Germanis Rhurnuß & Rotnuß: Belgis Roode Haselnoten dictæ.

Aliæ verò albidę, sylUestres iudicantur.

Auellanæ autem nuces recentes nondumque resiccatæ, humiditatis quoque excrementitiæ nonnihil in se continent, cuius occasione flatulentæ sunt. Concoctioni verò non modò recentes, sed & aridæ admodum rebelles sunt, essentiæ siquidem sunt terrestris & frigidæ, & densioris solidiorisque substantiæ, qua de causa & difficulter admodum descendunt: ventriculo quoque idcircò molestæ ipsum aggrauant.

Succus autem ex his, veluti ex Amygdalis, lacteus extractus valenter aluum adstringit, atque cœliacis & dysentericis hac ratione prodesse potest.

Iuli frigidi ac sicci, & similiter adstringentes: ventris quoque fluxiones sistunt.

De Pistaciis. CAP. XXV.

Pistaciorum arbustum.



Pistacij ramulus cum fructu & corniculis.



ARBOR Pistacia ferens Terebintho similis est. Folia huius quàm Lentisci maiora, sed eodem modo composita, similique ordine disposita ac digesta, colore è viridi in luteum languescente. Fructus siue nuces racematim ex suis pediculis dependent, conorum Pini nucibus siue strobylis maiores, Amygdalis verò multò minores; externus horum corium tenue ac virens est; putamen ligneum fragile & albicans; nucleus pulpa viret, sapore subamaro dulcis, ori gratus, nonnihilque odoratus.

In Persia, Arabia, Syria, tum & apud Indos Pistacia nascuntur: Iam verò & Italiæ indigena facta sunt: Venetiis enim, & Neapoli, ac alibi proueniunt.

Nucem autem hanc Græci πιστάκιον vocitant; apud Athenæum, Nicander Colophonius in Theriacis ψιττάκιον nominat:

Ψιττακί' ἀκρεμόνεσσιν ἀμυγδαλόεσσιν ὅμοια.

Posidonius Βιςάκιον· alij φιςάκιον: Latini voces seruantes & Pistacion, Bistacion, aut Phistacion dixerunt: Officinæ Fistici: Hispanis *Alhocegos, & Fisticos*: Italis *Pistacchi*.


Theophrastus lib. IIII. De stirpium historia Pistaciorum arborem sub Terebinthi apud Indos nascentis nomine descripsisse videtur: In India siquidem Terebinthum esse tradit, aut Terebintho similem, quæ folio, ramis, ac reliquis Terebinthum æmuletur, sed fructu differens sit, quem Amygdalis similem facit. Et hanc in Bactris esse, & fructus Amygdalis etiam suauitate præstantiores.

Terebinthus in India.

Pistaciorum autem nuclei non rarò veluti strobylôn eduntur: temperati calidi ac humidi sunt: concoquuntur non ita facile, sed multo quàm nuces faciliùs: succi sunt boni, aliquantulum tamen crassi, alimenti corporibus conferunt non exiguum: extenuata reficiunt: vires reparant: phthisicis ac tabidis prosunt: cruda pulmoni aut pectori inhærentia concoquunt, maturant & expurgant: iecur ab obstructionibus liberant: nephriticis quoque auxiliantur: renes etiam ab arenulis & calculis liberant, dolores eorum mulcent, vlcera leniunt: semen & libidinem augent.

De Nuce vesicaria. CAP. XXVI.

Nux vesicaria.



HVMILIS arbor Nux vesicaria est, non rarò emissis aliquot à radice virgis fruticans: ligni materia albida & perquam dura ac solida est: cortice è viridi inalbicat: folia ex quinis ferè particularibus cohærent, per ambitus incisa, Sambuci æmula, sed minora, dilutius virentia, nec graueolentia: flores candidi racematim ex tenuibus pediculis dependent: folliculi succedunt vesicarum instar, in quibus crebrò duæ, quandoq; vna tantummodo nux parua, Auellana minor, sed quàm Cicer Arietinũ maior, putamine lignoso ac subruffo, pulpa interiore virescente, sapore initiò dulci, sed tandem nauseoso.

Loca amat incusta, neglecta, syluas, dumos, & sepimenta.

In Italia, Germania, Gallia, & alibi gignitur.

Flores Maius mensis, nuces præbet Augustus ac September.

Vulgò Germanorum Pimpernuß / hoc est Belgis Pimpernoten: Gallis *Nez coupeZ*: nonnullis Pistacium Germanicum: alijs Arbor vitis: Nucis vesicariæ appellatio nobis præ cæteris placuit. Matthiolus in Epistolis suis Coulcoul & Hebulben Turcorum cum hac conuenire sentit. Gulielmus Quacelbenus Coulcoul à quibusdã Constantinopoli in delitiis haberi affirmat, præsertim quando recentes ex Ægypto aduehuntur. Vetus autem nomen hæc stirps non habet, nisi sit Staphylodendron Plinij, pro quo à recentioribus habetur. Meminit verò huius Plinius lib. XVI. cap. XVI.

Coulcoul.

Est & trans Alpes, inquit, arbor, simillima Aceri albo materia, quæ vocatur Staphylodendron: fert siliquas, & in iis nucleos sapore nucis Auellanæ.


Staphylodendron.

Cæterùm nuces istæ humidæ sunt, superfluoq; crudo humore redundant: atque idcirco & facilè nauseam excitant, & ventriculum perturbant, vtpote quæ adstrictionis obtineant nihil: atq; idcirco edules non habentur. Vsum verò in medicamẽtis nec vllũ habent cõpertum.


De Palma. CAP. XXVII.

PALMA procera admodum est arbor, caudice crasso & squamoso, ramos fastigio tantummodo promit, & quidem numerosos ac foliosos, foliis vestitos oblõgis quasi veluti Indis. flores inuolucro quodam includuntur; quod inter ramos exit; quo tandem dehiscente ac sese pandente, albidi prodeunt, ex breuibus ac tenuibus pediculis, virgulis quibusdam adhærentes;

Palma.



Palmarum fructus & flores cum Elate.



hærentes, succedunt ab iisdem virgulis dependentes Palmulæ, forma tereti ac oblonga, dulces, & quandoque cum leui quadam austeritate, colore subruffæ, officulo intus duro ac oblongo, quod pro nucleo ac semine est.

In Africa ac Ægypto Palmæ frequentes sunt: earum autem quæ in Palæstina Syriæ præstantiores Palmulæ sunt: iudice Galeno.

Autumno Palmulæ maturescunt, atque tunc decerptæ in Sole siccantur, vt commodius & transferri & conseruari queant.

Arbor φοῖνιξ Græcis dicitur: Latinis Palma.

Fructus βάλανος φοινίκων, id est, glans Palmarum, & vna dictione φοινικοβάλανος: Latinis Palmula: Officinis Dactylus: Germanis Dattelen: Belgis Dadelen: Italis *Dattoli*: Gallis *Dattes*: Hispanis *Tamaras* & *Dattiles*: Bohemis Daktyle. Palmularum autem dulciores, quales Palæstinæ καρυωταὶ appellantur.

Inuolucrum siue tegumentum florum ac Palmularum σπάθη, & à quibusdam ἐλάτη nominatur: A nonnullis verò & ipsorum florum ac fructuum rudimentum inuolucro contentum ἐλάτη vocatur; ab aliis verò βόρασσος.

At Palmulæ qualescumque tandem omnes concoctu difficiles sunt, & capitis dolorem mouent: deteriores quidem siccæ & adstringentes, vt Ægyptiæ: molles verò humidę & dulces, vt καρυωταὶ, innocentiores sunt. Succus autem, qui à Palmulis in corpore generatur crassus omnino est, lentoris quoque quippiam obtinet. Celerrime autem à talibus iecur obstruitur, præsertim inflammatione aut scirro occupatum: lien quoque læditur ac offenditur. In regionibus frigidioribus enatę Palmulæ, vbi integrè maturescere nequeunt, si frequentius edantur, crudis etiam humoribus corpus implent, & flatus gignunt.

Sicciores Palmulæ, vt Dioscorides refert, sanguinem excreantibus, stomachicis ac dysentericis vtiles sunt: cum Cotoneo & cerato œnanthino vesicæ medentur malis impositæ.

Caryotæ pulmonis & arteriæ asperitatem leniunt.

Officulorum siue nucleorum eius adstringendi, & simul emplasticam facultatem habet: contra oculorum pustulas, staphylomata, palpebrarum defluuia cum nardo efficax est: cum


vino ὑδροσταγμάτι, in vlceribus carnis excrescentias reprimit, atque vlcera ad cicatricem perducit.

Rami & folia adstrictionem euidentem quoque obtinent, sed præcipuè ipsa Elate, hoc est, florum inuolucrum. Proinde vbi adstrictione opus est, his vti licet.

Extat compositio Diacalcitheos in lib. De medic. secundum genera, quæ cum Palmæ ramo, radiculæ loco, mouenda est, nõ alia de causa, quàm vt adstrictionis aliquid inde accipiat.

De Chamærrhiphe. CAP. XXVIII.

Chamærrhiphes.



PALMÆ sed humile genus Chamęrrhiphes à Theophrasto habetur. huic autem mox à radice germen quoddam erumpit cubitale, inferiore parte omnino crassum, superiore tenuius, à quo folia Palmę similia, sed minora ac breuiora, à latere verò & coma erumpit, cum flosculis racematim colligentibus. germẽ verò istud, priusquàm flores conspicui sunt, innumeris ferè membranaceis inuolucris, circumsepta in se continet foliorum florumque rudimenta; vtraque admodum candida, quę secundis mensis cum exiguo salis & piperis eduntur, ori palatoque grata.

Nascuntur, vt Theophrastus tradit, in Creta, sed multò plures in Cicilia. Iam verò & in maritimis quibusdam Italię reperiuntur: tum & in Hispanię nonnullis locis prouenıunt. vnde Antuerpiam adferuntur.

Χαμαιρρίφὲς à Theophrasto appellatur: A Neapolitanis *Cephaglione*: vulgò Palmites. Quod verò in medio ipsius germinis edule habetur, ἐγκέφαλος τῆς φοίνικος. Latinè Palmæ cerebrum dicitur.

Galenus Palmæ cerebrum ex differentibus partibus constare sentit; aquea videlicet quadam substantia tepida, & altera terrestri frigida: proinde humidum est, & cum adstrictione quadam refrigerans.

In cibo sumptum crudos humores ac flatus gignit. atque idcirco cum sale & pipere edi conducibile est.

De Olea. CAP. XXIX.

OLEARVM quædam satiuæ ac vrbanæ: aliæ syluestres.

1. Vrbanæ siue satiuæ Oleæ prægrandes sæpissimè ac proceræ arbores sunt: ramis complurimis in latum amplumque diffusis. folia oblonga, angusta, dura subcandicant. flores racemosi albidi. fructus siue baccæ oblongæ virent initio, sed maturæ nigricant ac oleosæ sunt, nucleo interius duro.

2. Syluestres Oleæ humiliores ac minores sunt. rami harum aculeati. folia magnitudine cedunt satiuis: baccæ quandoque frequentiores dependent, sed minores, paucioris que carnis.

Nascuntur satiuæ ac syluestres Oleæ in complurimis Italię, Gallię, ac Hispanię locis, tum & circumuicinis insulis. a mare feruntur loca maritima: plerique enim, vt Columella refert, existimant vltra miliarium sexagesimum à mari Oleam aut non viuere, aut non esse feracem.

Iunio mense Oleę omnes florent. decerpuntur Nouembri aut Decembri: vbi verò paululum resiccatę fuerint & rugas contraxerint, torcularibus subiciuntur; & oleum ex ipsis addita aqua exprimitur. Quę sale autem & muria condiendę ac asseruandę sunt, prius legi debent, & quidem antequam maturæ sint, dumque adhuc virent.

Ἐλαία & ἐλαία ἥμερος Gręcis appellatur, quę satiua ac vrbana Latinis Olea est: Germanis Oelbaum: Belgis Olijfboom: Italis *Oliuo domestico*: Gallis *Oliuier*: Hispanis *Oliuo* & *Oliuera*.

Bacca

Olea.



Olea cum fructu ac flore.



Oleæ syluestris ramulus.



Bacca Oliua dicitur: Græcis verò etiam ἐλαία: Hispanis *Azeytuna*: Gallis & Belgis *Oliue*.

Oliuæ sale ac muria conditæ, Græcis ἁλμάδες & κολυμβάδες nominantur.

Syluestris Olea Ἀγριελαία, ac etiam κότινος vocatur: à nonnullis ἐλαία αἰθιοπικὴ: Latinis Oleaster, Cotinus, Olea Æthiopica Germanis wald Oelbaum: Italis *Oliuo saluatico*: Hispanis *Azebuche*, *Azambulheyro*: Gallis *Oliuier sauuaige*.

Oliuæ autem, quæ quidem adeò maturæ sunt, vt sponte sua vel cadant, vel mox casuræ (quas δρυπεπεῖς appellant) moderatè calidæ ac humidę sunt, exiguum tamen, si edantur, corpori præbent alimentum.

Immaturæ adstringunt ac resiccant.

Halmades siue muria asseruatæ, quæ & Colymbades, humentem nimium ventriculum resiccant & roborant, aduersus eius saliuationem conducibiles: cibi fastidium tollunt: appetentiam excitant; alimentum verò ab his nullum, multò minus probum expectandum.

Rami, folia, & germina Oliuarum refrigerant, resiccant, adstringunt, & potissimum syluestris: Satiuæ vi ac facultate inferiora sunt: idcircò ad ocularia medicamenta, quæ adstrin-

adstringẽtia admisceri postulant, vtiliora, vtpotè mitiora. Cohibent eadem, auctore Dioscoride, erysipelata, herpetas, epinyctidas, carbunculos, nomas, siue depascentia vlcera: crustas expurgant cum melle imposita, emundant verò & sordida: inflammationes & phygethla cum melle imposita discutiunt. amotam capitis cutem agglutinant: oris vlceribus commanducata medentur.

Succus & decoctum eosdem præbet effectus: Succus verò etiam sanguinis eruptiones & muliebria profluuia sistit.

Exprimitur succus tusis foliis, affusoque vino (quod præstat) aut aqua, siccatusque in sole, in pastillos digeritur.

Sudor è virenti ligno accenso profluens, lichenes, furfures, & scabiem illitu sanat.

Oleum ex maturis Oliuis, quales δρυπεπεῖς dictæ, humectat ac modicè calfacit ac tale quidem omninò dulcissimum quoque est: At ὠμοτριβὲς & ὀμφάκινον appellatum, ex immaturis videlicet Oliuis, quantum habet adstrictionis, tantundem & frigiditatis.

Vetus Oleum quod ex dulci ac maturo inueterato tale redditum est, calidius vnà etiam factum est, & potentioribus ad digerendum viribus pollet: quod verò ex crudo consenuit, quippiam adhuc adstrictionis conseruat, & mixtæ est facultatis, partim videlicet adstringentis, & partim discutientis, digerendi siquidem facultatem ætate contraxit, adstringendi à seipso retinuit.

LIBRI TERTII PEMPTADIS SEXTÆ

FINIS.

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTADIS SEXTÆ

LIBER QVARTVS,


DE ARBORIBVS SYLVESTRIBVS.

PRÆFATIO.

QVÆ sint syluestres nobis arbores, in præcedentis libri præfatione dictum est, nempe quarum fructus hominis edendo non sunt, quæ verè syluestres ac ἄγρια, magna siquidem ex parte in syluis, aut aliis locis agrestibus proueniunt: neque etiam cultura sic mitescunt, vt fructus esui idonei reddantur.

De Quercu. CAPVT I.

Quercus.



Quercus humilis.



GLANDIFERARVM arborũ, quas Græci δρῦες appellant, complura sunt genera: Eius tamen quæ communiter δρῦς, à Latinis Quercus, duo sunt: ἥμερος videlicet quæ ἡμερίς: & ἄγρια, quam Robur, appellant: nam reliquæ δρῦες propria nomina obtinent, veluti πρῖνος, φελλός, αἰγίλωψ, πλατύφυλλος, ἁλίφλοιος, quibus quandoque & φηγὸς siue Fagus & ὀξύα annumerantur.

1. Hemeris Quercus Robore siue agresti quercu sæpè humilior est; caudice tamen crassissimo, eo autem nec recto nec læui, sed detorto, multis ramis aliisque comoso. materies huic robusta, verum infirmior quam Fago; tractatu ad omnia opera quàm Roboris facilior; glans omnium maxima, & dulcis.

2. Syluestris Quercus non rarò in permagnam altitudinem assurgit, frequenter ingentium ramorum armamentis latissimè patet: caudices eius subinde admodum crassi, ambitu duas aut tres orgyas patentes. ramos amplissimos fundit, in plurimas alas diuisos. folia læuia sunt,

 duriuscu-

duriuscula, lata, oblonga, ambitu sinuosa, superna parte virentiora: glandes oblongæ quidem, sed breuiores quam Hemeridis; singulæ suis inhærent calycibus, foris asperiusculis, & membranaceo cortice conteguntur. interior nucleus ex duabus partibus componitur, veluti Faselorum Eruiliorumque fructus, & Amygdala. Cortex nouellarum, ac veluti fruticantium, læuis, glaber, ad coria densanda vtilis: veterum verò asper, crassus, durus & rimosus interior ligni materies subflaua, dura, ac solida, & quò vetustior hoc quoque durior. exterior cortici proxima candida, facile cariem sentit: præsertim si tempore non idoneo cæsa arbor fuerit. radices & late fundit quercus, & partim in altum demittit, quibus firmiter inhæret.

Vix vllum solum Quercus respuit, nam & arido sterilique prouenit: lætiore tamen solo melius proficit. in collibus & montosis gignitur: ad plana etiam descendit. passim per Europæ prouincias obuia est Quercus, præsertim Robur: Hemeris siquidem nō ita vulgaris est.

Syluestris autem in quibusdam regionibus altior, in aliis humilior euadit: nam in plerisq; Hispaniæ prouinciis ad tantam, vt Clusius refert, altitudinem haud excrescit, quantam vel in Germania, vel in Belgio: adeò verò & humilem Quercum quandam haud procul Vlixipone à se repertam refert, vt pedem altitudine vix superet, quę tamen & glandem fert Roboris similem, sed calyci foris læuiori insidentem, quæ gustu admodum amara.

Folia Quercubus vt plurimum sub Autumni finem defluunt: quibusdam tota hyeme, sed arida permanent, donec à nouis superuenientibus deturbentur, quod sub finem Aprilis in Germania accidit.

In agro Thurio quandam Quercum Theophrastus esse inquit, quæ nunquam folia demittit, & non cum aliis, sed post exortum Caniculæ germinet.

Glandes Autumno maturæ è calycibus decidunt, & non multò pòst ipsi calyces.

Cedendæ sunt Quercus ad ædificia vtiles futuræ Decembri aut Ianuario mense, & decrescente quidem Lunæ lumine. Si etenim incrementum Luna capiente succidatur Quercus, ligni materies citò cariosa fit, præsertim candida.

Quercus Græcis *δρῦς*, vt diximus, appellatur.

Quæ glandem dulciorem & maiorem profert, *ἥμερος* est, quę & *ἡμερίς* nominatur. Latinè Placida, vt Gaza vertit: potest satiua & vrbana, aut etiam culta dici: nonnulli *φήγον* quoque vocant: Macedones *ἐτυμόδρυν* aut *ἐτυμόδρυον*, quasi dicas Veriquercum, interprete Gaza, aut vere Quercum.

Altera *Δρῦς ἀγρία*. Latinis Robur dicitur & syluestris Quercus: vulgò Quercus: Italis *Quercia*: Hispanis *Roble* aut *Roure*: Gallis *Chesne*: Germanis Eichbaum: Belgis Eykenboom: Anglis Oke tree: Bohemis Dub.

Fructus Græcis *βάλανος*: Latinis Glans: Germanis Eichell: Belgis Eekel: Hispanis *Bellotas*: Italis *Ghiande*: Bohemis Zialud appellatur. Sunt tamen & aliæ *βαλάνοι*, sed quæ non simpliciter, verùm cum adiectione alterius vocis proferuntur: vt, *Διὸς βάλανος*, & *σαρδιανὴ βάλανος*, Castaneæ fructus: *φοινικοβάλανος*, Palmæ fructus.

ὀμφακίς. Cauum cui glans inhæret, Gręcis *ὀμφακὶς* appellatur, Paulo Ægineta lib. III. cap XLII. teste: *ὀμφακὶς*, inquit, *ἐστὶ τὸ κοῖλον ἐξ οὗ ἐκπέφυκεν ἡ τῆς δρυὸς βάλανος*: hoc est, Omphacis est cauum ex quo glans Quercina enascitur. Latinis calyx glandis: Officinis Cupula glandis.

Quercus autem folia, cortices, glandium calyces, glandesque ipsæ vim habent validè adstringentem cum resiccandi tertio ordine potentia & nonnulla refrigeratione. Præstat autem reliquis (vt Galenus ait) membrana quæ cortici caudicis subest, & quæ fructus carnem conuestit. Ad fluxum muliebrem, superfluentes menses, sanguinis expuitiones, ventrisque fluores vtilia & commoda habentur: Datur decoctum horum aut aridorum puluis: miscentur & pessis.

Glandes, si edantur, ægrè concoquuntur, alimenti homini quidem nihil, nisi fortassis crassum, crudum, & frigidum conferunt: Sues his pinguescunt, & duram solidamque carnem colligunt.

De Galla, & pilula Quercus. CAP. II.


MVLTA præter glandem proferre Quercum Theophrastus annotauit, quorum non omnia, sed præcipuè nota, ac in vsum recepta, nobis describenda: vt sunt Galla, Pilula, & Viscum.

Gallas autem ferunt singula glandiferarum genera, sed Hemeris & Robur Medicinæ vtilem & ad coria densanda accommodam.

Duplex autem Dioscoridi & Galeno Galla est: vna paruula, solida, non perforata: altera maior, flauescens, foraminosa, & interiore parte laxior. vtraque rotunda, & pilulæ formam refert. & quædam exteriore superficie læuis, in aliis tubercula quædam exigua eminent.

Similis forma Gallæ est, quæ foliis absque pediculo quoque inhæret ac insidet, pilula siue sphærula

Galla maior.



Galla minor.



sphærula dilutè virens, laxa, & aquosa, in cuius medio subinde aut musca aut vermiculus reperitur: quæ in calidis regionibus, in modum læuis paruæ Gallæ quandoque indurescit, vt Theophrastus ait. *Pilula Quercus.*

In ramulis tenuibus absque pediculo vt plurimum gignuntur Gallę, quandoque, sed rarò, ab extremis virgulis dependent.

Apud Italos, Hispanos, atque Bohemos frequenter reperiuntur. In vtraque Germania raræ aut nullæ nascuntur: Sed pilulæ in foliis in his regionibus satis frequentes.

Nascitur, inquit Plinius, Galla Sole de Geminis exeūte, erumpens noctu semper vniuersa.

Galla autem Græcis *κηκὶς* dicitur: Latinis, vt diximus, Galla nomen Officinę & Itali retinent: Germanis Galoppffel: Belgis Galnoten: Hispanis *Agalla, Galha, & Bugalha*: Gallis *noix de Galle*: Bohemis Dubowa fulka/ Galles.

Prior, quæ minor, Græcis *ὀμφακῖτις* dicitur, non quòd immatura, sed acerba admodum sit, Omphacij siue succi immaturæ vuæ instar. Differt ab hac galla *ὀμφακὶς*, quæ est, vt supra scripsimus, cauum Glandem continens.

Maiorem Galenus à rusticis appellari refert *οἰνοκηκίδα*, quasi vini Gallam: nonnulli legunt *ὀνοκηκίδα*, hoc est, asininam Gallam.

Theophrastus quoque duarum Gallarum meminit: vnam paruulam esse ait: alteram *πιττώδη καὶ μελαίναν*, hoc est, piceam (alij resinosam) & nigram: Plinius nigram lib. XVI. cap. VII. tradit diutius virere & crescere, vt interdum Mali compleat magnitudinem.

Quod in foliis natum reperitur, *σφαίριον τῆς δρυὸς* appellatur: Latinè Pilula quercus: plerique Gallam viridem, aut mollem Gallam: Germani Eichoppfell: Brabantis Eycken appel.

At Galla Omphacitis, auctore Galeno, tertij in desiccando, secundi in refrigerando est ordinis: admodum acerbum est medicamentum: partes languidas & laxas constringit contrahitque, veluti in carne excrescentias fluxiones repercutit, ac resiccat strenuè ipsis resistens, præsertim ad gingiuas, tonsillas, aut vicinas oris partes decumbentes.

Altera Galla desiccat & adstringit quoque, sed tantò minus, quantò acerbæ qualitatis minus est particeps. Decocta, trita, & cataplasmatis modo ad sedis inflammationem & procidentiam vtiliter imponitur. Decoquitur in aqua, si modica adstrictione opus: in vino verò, præsertim acerbo, si vehementiore.

Denique


Denique Gallæ combustæ, sanguinis reprimendi facultatem acquirunt, suntque iis quæ ignem expertę non fuerint, tum subtiliorum partium, tum maiore desiccandi potestate: Carbonibus autem imponere ipsas oportet vsque dum vndequaque candeant: aceto & vino deinde extinguendæ.

Prosunt verò Gallæ dysentericis & cœliacis cum vino aut aqua & impositæ & assumptæ, vel obsoniis additæ. In summa his vtendū ad resiccāda & adstringēda, quæ his opus habent.

Pilulæ quæ in foliis reperiuntur ad Gallarum facultatem accedunt, sed tamen ipsis multò infirmiores ac minus efficaces.

De Visco. Cap. III.

Viscum.



Οἰνάς.

CVBITI altitudinem Viscum non excedit, in latitudinē verò sese effundit, ramis multis, genicularis, lentis, & lignosis, qui in multas alas diuiduntur, & cortice conuestiuntur dilutè admodum virente. Folia oblonga sunt, duriuscula, Buxi maioris foliis satis similia, attamen paulò longiora, circa genicula, post exiguos flosculos subluteos succedunt baccæ tres aut quatuor cohærentes, candidæ, transparentes, exiguo in medio semine nigro, quibus inest lentus admodum, viscidus, ac tenax succus. radices nullas profert; arborum enim ramis adhæret.

Nascitur autem non modò in Quercu, ac reliquis δρυῶν generibus, verùm & in Pomis, Pyris, Tiliis, Betulis, Salicibus, Mespilis, Coroneis, & aliis. In terra satum non prodit, foliis arboris comes est, nec nasci proditur, nisi semine per auis alicuius aluum reddito. Fertur, inquit Athenæus lib. IX. si οἰνὰς Visci semen comederit, super quacunque arbore ventrem exonerauerit, Viscum nasci.

Oenadem autem Latini interpretes Vinaginem nominant; quæ à nonnullis Turdus existimatur, nam hæc vinearum accola est.

Viscum semper viret, tam hyeme quàm ęstate: baccę Autumno perficiuntur, mita hyeme restant, esca futuræ nonnullis auibus, vt turdis, merulis, ac palumbis.

Ἰξὸς & Ἰξία Græcis, Latinis Viscum appellatur: Germanis Mistell: Belgis Maretacken: Italis *Vischio*: Hispanis *Liga*: Portugallensibus *Visgo*.

Glutinum autem, quod ex baccis Visci conficitur, similiter Viscum & Ixia vocatur. Dicitur verò ἰξία quoque Chamęleon albus, propter Viscum quod iuxta radices eius quandoque reperitur. Chamæleoni quoque nigro hæc vox inter nothas adscripta est. Refertur Ixia quoque lib. VI. à Dioscoride, & à Paulo Ægineta lib. V. inter deleteria & venenosa: quæ autem sit hęc venenosa & maligna Ixia, difficultate & ambiguitate non caret. Multi Chamæleonem nigrum esse volunt: alij glutinum esse, quod ex Visci acinis siue baccis confectum, qui Ixiam à Chamęleone nigro differentem haud temerè existimant.

Paulus siquidem Ægineta in enumeratione simplicium venenorum, lib. V. cap. XXX. Chamęleonis nigri primùm meminit: deinde paulò pòst Ixiæ. Cùm verò particulatim singula prosequitur, de Chamæleone nigro cap. XXXII. de Ixia verò, quæ & Vlophonon, cap. XLVII. agit, & vtriusque multum differentia symptomata praua ostendit.

Dioscorides verò & ipse lib. VI. in censu simplicium venenosorum, Chamæleonem nigrum prius, deinde paulò pòst Ixiam reponit, tametsi de sola Ixia particulatim scripserit.

Ostendunt hæc Chamęleonem nigrum ab Ixia, quę inter venenosa habetur, differre. Iam & Chamæleonem nigrum Viscum ferre, aut ita glutinosam & lentam habere substantiam, vt ἰξία aut Viscum dici debeat aut queat, nusquam legitur.

Proinde Ixia inter venena relata, ex acinis siue baccis Visci glutinum est, quod cùm acre sit, linguę inflammationem excitare potest, & tenaci ac lenta sua substantia interanea ita conglutigluti-

glutinare, simul contrahere ac concludere, vt excrementorum exitus ac descensus impediatur: quæ inter nocumenta Ixiæ referuntur.

Cum acrimonia autem Viscum, id est, glutinum ex acinis confectum, calfacit; ex plurima etenim aërea & aquea, paucissima terrestri substantia, auctore Galeno, constat; nam acrimonia in eo amaritudinem superat: humores vehementer ex alto extrahit, nec eos tantum tenues, sed etiam crassiores, eosq; diffundit ac digerit. Phymata, ait Dioscorides, parotidas, & alios abscessus cum resina ac pari cera maturat: cum thure vetera vlcera & malignos abscessus mollit: lienem cum calce aut gagate lapide, aut asio coctum, & impositum minuit: cum auripigmento aut sandaracha vngues extrahit: mixtũ cum calce & vini fece vim suã intẽdit.

Intro autem assumptum istud Viscum lethale est, & grauissima symptomata adfert: vehemens linguæ cum tumore inflammatio excitatur, mens mouetur, cordis vires, animusq; recedunt.

—— *& ambo*

In cæco obstracta conniuent ventre meatus
Potus atque cibi. flatus vbi carcere clausi
Dant strepitum, & circum spatiis voluuntur iniquis:
Sic miserè afflictus vix tandem ducere presso
Ore potest animam. vt in Alexipharmacis Nicander, interprete Gorræo.

Ligno in Quercu nati Visci, pro amuleto aduersus comitialem morbum nonnulli vtuntur, & similiter contra sanguinis vndequaque eruptiones, sed exiguo, imò nullo cum fructũ aut successu.

De Ilice coccum ferente, siue minore. CAP. VIII.

Ilex minor coccigera.



TAMETSI Theophrastus vnius tantummodò πρίνου siue Ilicis meminent, duo tamen eius genera posteritas statuit: vnũ Coccum ferens: alterum Glandiferum tantum. Quod à Dioscoridis sententia haud alienum: Ilicem siquidem glandiferam lib. I. inter δρύες refert: alteram verò lib. IIII. sub titulo κόκκου βαφικῆς describit.

Coccum autem ferens Ilex quandoque vnico caudice arborescens attollitur: sæpè fruticans plures à radice caules promit ramosos; circa quos folia oblonga, marginibus crenata, ad singulos angulos aculeata ac spinosa, minora non modò quàm Roboris, sed & quàm Ilicis glandiferæ, ramulis grana absque pediculis adhęrent, colore primùm albido, per maturitatem verò cineritio, Erui[illegible] magnitudine, in quibus exigui vermiculi gignuntur, qui immobiles initiò, donec Soli expositi vi caloris prorepant, & aufugere conentur, sed à custodibus qui assident in linteo tantisper concutiũtur, donec examinentur: glandem (si quãdo profert) pusillam gignit, calyce spinoso ac echinato inhærentem, gustu amarum. alta, inquit Theophrastus, radice descendit.

In Gallia Narbonensi, ac eiusdem Prouincia, in Hispaniis quoque Ilex crescit, sed tamen non vbique Coccum gignit, sed iis potissimùm quæ ad mediterraneum mare vergunt locis, & quæ Solis ardore torrẽtur, C. Clusio teste. Neq; illic perpetuò, sed tantisper quàm humiles frutices sunt; vbi enim adoleuerint & glandem fecerint, Coccum ferre desinunt. Idcirco incolę prægrandiores succidunt, vt iterum noui prodire cauliculi queant, qui Coccum adferant.

Petrus Bellonius in Singularium suorum libris in Palęstina, ac iuxta Lacum qui mare Tyberiadis dicitur, nasci Coccum baphicum refert, & in exiguis quidem arboribus prouenire: Item & in Creta insula paruulas esse arbores Coccum ferentes, ex quo indigenę locupletem prouentum accipiunt, qui cortices à pulpa siue vermiculis separant, atque hanc leui compressu in pilam effotmatam, multò pluris quàm inanes exuuias, & veluti relictas granorum vesiculas;

vesiculas, distrahunt, ad tincturam purpurei coloris, quem vulgò Scarlatum vocant, vtilem.

Meminit & huius Cocci Pausanias lib. x. atq; arborem, quę hanc producit, haud magnam quoque ostendit, vtpotè Rhamni magnitudine; & in Phocide quidem nasci, quæ Macedoniæ prouincia est, iuxta Bœotos, haud procul à Parnasso monte.

Gignitur, inquit Plinius, in Galatia, Africa, Pisidia, & Cilicia.

Theophrastus πρῖνον arborem esse magnam, & Roboris modo assurgere, & quidem non vbique, sed si locum, & solum adipiscatur idoneum, montibus propriá esse, & in planis haud nasci, quorum contrarium recentiorum obseruationes docent.

Ipso Vere, spirantibus Fauoniis ac imbribus decidentibus, granula exigua circa ramulos, præsertim vbi in alios diuiduntur, apparere incipiunt: Iunio mense ad perfectionem veniūt vnà cum innatis vermiculis, qui calore Solis animati mox auolant, si non studio ac diligentia custodum sæpius concussi intereant. Arbuscula siue frutex perpetua fronde ac coma viret. Glans serò admodum perficitur, noua veterem occupat: quamobrem biferam quidam existimant, auctore Theophrasto.

Frutici siue paruulæ arbori huic πρῖνος Græcis nomen est: Latinis Ilex: recentiores Ilicem Coccigeram aut Cocciferam appellant: Hispani *Coscoia*: Dioscoridi κόκκος βαφικὴ dicitur, sed minus propriè.

Granum autem, quod tingendo est, propriè κόκκος βαφικὴ: Latinis Coccus infectoria, aut Coccum infectorium: Plinio etiam Cusculium, siue (vt pleriq; legunt) Quisquilium dicitur: Idem & Scolecion nominari ait, quod in Asia & Africa nascitur, quia celerrimè in vermiculum mutetur: Arabes & Officinæ Chesmes & Kermes nomine agnoscunt. Hallucinantur qui Chesmes ab Infectorio Cocco differens esse opinantur: & circa radices alitu ius herbæ veluti Pimpinellæ reperiri ac colligi. Itali Cocci granum, *grano de tentore*: Hispani *Grana para tannir*, & *grana de tentoreros*: Germani Scharlachbeer: Galli *Vermillon*, & *graine escarlate*, & *Scarlatum* vocitant.

Glans siue fructus huius à nonnullis, Theophrastus ait, ἄκυλον dicitur.

Cæterùm granum tinctorium adstringendi vim cum nonnulla amaritudine habet, citra acrimoniam ac morsum resiccat. Proinde, inquit Galenus, ad ingentia vulnera conuenit, & ad neruorum læsiones impositum: cum aceto nonnulli, alij cum oxymelite terunt.

Aduersus superfluentes menses à recentioribus commendatur, & exhibetur. Refertur & inter ea quæ cordi prosunt, & ipsum corroborare existimátur. Ab hoc celebris illa apud Arabes Medicos compositio Alkermes nomen accepit: quæ ad cordis affectus à multis probatur; tametsi non nisi ad melancholicorum purgationes præcipuè inuenta ac instituta. Id quod Lapidis Cyanei, vulgò Lazuli, in abundè magna quantitate additio, euidenter ostendit. nam hic cùm facultatem habeat deleteriam, & simul melancholici humoris expurgatricem, cordi per se prodesse nequit: prosunt autem reliqua, quæ idcirco admixta, vt cor à Cyanei lapidis iniuria tuerentur, & malitiam ipsius reprimerent. *Confectio Alkermes.*

Commédatur autem hæc compositio ad cordis tremorem, palpitationemq; & syncopen: aduersus melancholicas affectiones, tristitiamque absque causa euidente: animum recreare & exhilarare fertur.

Aduersus melancholicos affectus, vanas imaginationes, suspiria, tristitias, & mœrores citra manifestam occasionem conuenit quidem, quòd melancholicos & atros humores expurget. Prodesse & hoc modo cordi potest, & animum hilariorem reddere, auferendo nempè causam quæ molesta est. Sed alio modo cor debile aut malè affectum roborare non potest, nisi Lapide Cyaneo prætermisso.

Idcirco qui hac compositione aduersus palpitationes, tremoresq; cordis, animi defectiones, sed haudquaquam veluti expurgante medicamento vti instituit, prudenter & rectè faciet prætermittendo lapidem Cyaneum: Nam exiguo pondere aut parua quantitate hic assumptus, expurgare nequit, perturbare interim ventriculum potest, pręter quòd acri sua qualitate ac deleteria potentia interna viscera (si frequenter sumatur) plurimum offendat: atque hoc modo plus mali, quàm auxilij conferat.

Deinde non necesse, imò non expediens est, vt in hanc compositionem addatur seta tincta in Chesmes, vt Officinæ loquuntur, nam seta hæc absque auripigmento & aliis perniciosis additis non tingitur, quorum malignæ qualitates vnà cum colore succis communicátur; si sericum tinctum his incoquatur.

Cocci grana per se sumenda sunt, quæ sola succos tingere abundè poterunt, & suarum virium participes reddere: Neq; opus quoq; est setam crudam vnà cum granis incoquere, vt plerique iudicant; omitti hæc potest, ad cordis enim roborationem nihil facit.

De

De Ilice glandifera, siue maiore. CAP. V.

Ilex maior glandifera.



ILEX maior ad iustæ arboris altitudinem non rarò excrescit, subinde Pyro magnitudine haud inferior, ramis aliarum glandiferarum more diffunditur. materies firma ac solida. Folia humilis ac tenellæ, per margines, ferè vti prioris, spinosa & aculeata; adultæ verò haudquaquam spinis horrét, ambitu quidem nonnihil sed minus quàm Roboris sinuosa, instar foliorum Suberis, sed maiora & latiora, quæ superius virentiora, inferius inalbicant. Glans calyci spinoso inhæret, Quernæ similis, quæ per maturitatem nonnullis locis nigricans est, nucleo intus candido, sapore haud ingrato.

Dependet ex huius ramis subinde tenuis & capillaceus muscus cineritij coloris.

Vestiuntur Ilicibus in nonnullis regionibus nemora, colles, loca campestria, aut conualles: compluribus Hispaniæ regnis familiaris. In Narbonensi Gallia ac Prouincia etiam haud infrequens. In Italia quoque nascitur. Glandem verò vno loco maiorem ac grandiorem quàm sit Quercus: alio minorem ac breuiorem profert.

Omni anni tempore viret: glandes serò ac tardè perficiuntur. florem racemosum flauescentem se Maio mense conspexisse, Clusius scribit.

Græcis est πρῖνος: Latinis Ilex: Hispanis *Enzina*: Italis *Elice*: Gallis *Chesne verd*, & Allobrogibus *Eulse*. Fructum Hispani *Bellota* aut *Abillota* nominant. Theophrastus hanc arborem non πρῖνον sed σμίλακα appellare videtur: vnius siquidem Ilicis tantummodo *Smilax.*
meminit, coccum videlicet ferentis. altera verò non Ilicem, sed Smilacem ab Arcadibus vocari tradit. Est autem σμίλαξ vox πολύσημος siue multa significans. Inter Legumina est Smilax cognomento hortensis, quæ Dolichus & Phasiolus quoque appellatur: Smilax aspera & læuis inter eas quæ sese aliis conuoluunt: Smilax item Dioscoridi est Latinis Taxus dicta.

De Smilace autem Theophrastus sic habet lib. III. Qui Arcadiá incolunt, arborem quandam Smilacem appellant: similis hæc Ilici est: folia eius haud aculeata, sed teneriora & longiora, plurimasq; differentias habentiá.

De hac Smilace etiam Plinius lib. XVI. cap. VI. Ilicis, inquit, duo genera: Ex iis in Italia folio non multum ab Oleis distant, Smilaces à quibusdam Græcis dictæ, in prouinciis Aquifoliæ. In quibus verbis pro Oleis, rectius fortassis Suberis aut φέλλοις erit reponendum: Nam *Plinij locus suspectus.*
Oleæ folio neque est, neque à quoquam veterum hæc Ilicis species siue Smilax esse traditur: Suber autem, vt diximus, folio refert, quod Græcis φελλός.

Cæterùm Ilicis folia refrigerandi ac reprimendi vim, veluti omnium glandiferarum, habent: tusa aut trita tumoribus œdematosis imposita prosunt, & imbecilles partes corroborát.

Radicis cortex cum aqua coctus vsque dum dissoluatur, noctéq; tota impositus, capillos denigrat, prius cimolia terra purgatos, vt Dioscorides ait.

Glandem experi, edi, ac in forum venalem inferri apud Salmanticenses, ac plerisque aliis Hispaniæ locis C. Clusius refert. Atque de hac glande scripsisse potuit Plinius lib. XVI. cap. V. his verbis: Quin & hodieq; per Hispanias secundis mensis glans infertur.

De Phello siue Subere. CAP. VI.

SVBER mediocris magnitudinis arbor est, Ilici similis, caudice tamen crassiore; ὀλιγόκλαδος, siue paucorum ramorum. folia plerumque maiora, latiora, rotundiora, per margines incisa & aculeata, quando que verò longiora & acuminata. cortex crassus, admodum scaber, & rimosus, sponteq; dehiscens, ac in fragmenta sese separans; quæ nisi tempestiuè detrahantur;

Phellos siue Suber.



hantur, alteri subnascenti corticí cedunt, qui sublato vetere, veluti colore aliquo oblitus, insigniter rubet. glans calyce maiore, hispido, aspero, magisque echinato insidet, adstringens, & gustu multò quàm Iligna ingratior: vno loco maior, altero minor.

Nascitur in Aquitaniæ tractu Pyrenæis montibus vicino, est verò & in Hispaniæ regnis frequens, ab Aquitanico nónihil differens, vt C. Clusius tradit: gignitur & in Italia, ac in agro quidem Pisano folio longiore ac acuminatiore: in Romano verò folio, latiore, & per margines serrato ac asperiore, Matthiolo teste.

Perpetua fronde in Hispania ac Italia viret: circa Pyrenæos montes foliis hybemo tempore exuitur. Quod & de φελλῷ Theophrastus scribit: γίνεται μὲν ἐν πυῤῥηνίᾳ οὐκ ἀείφυλλον, id est nascitur quidem in Pyrrhene folio haud perpetuò viréte.

Φελλὸς Græcis: Latinis Suber dicitur: Gallis *Liege*: Italis *Sugaro*: eadem & cortici apud hos nomina: Hispani arborem *Alcornoque*: corticem verò *Corcha de Alcornoque* vocant: vnde Belgis Corck dicitur, qui tamen & ipsum Vlothout appellant.

Euidenter autem cortex iste cum adstrictione resiccat: tritus & cum aqua sumptus sanguinem vndequaque fluentem reprimit. Suber ex vinorũ cadis, inquit Paulus, combustum, cinerem reddit siccãdo vehementissimũ, qui medicinis ad dysenterias inscriptis admiscetur.

Est deinde ad multa Suber vtile. Vsus eius, inquit Plinius, ancoralibus maximè nauium, piscantiumq; tragulis, & cadorum obturamentis, præterea in hyberno feminarum calceatu. Qui ætate adhuc nostra, vsus perdurat, nam piscatores corticem hunc, reticulorum alis, ne sidant, appendunt: & sutores soleas aduersus frigora hoc muniunt.

De Phellodry ex Theophrasto. CAP. VII.

INTER glandiferas arbores reponitur & Phellodrys dicta: hæc media quædam inter Ilicem & Robur apparet: materies eius mollior ac solutior quàm Ilicis, fuluior verò quàm Quercus: fructum minorem quàm Ilex habet, minimis glandibus similem, & dulciorẽ quidem quàm Ilicis, amariorem verò quàm Quercus.

In Arcadia nascitur, &, si Matthiolo credimus, in agro Senensi, & Comitatu S. Floræ apud Italos.

Ex syluestribus perpetuò virentibus & hæc est.

Φελλόδρυν Arcades, inquit Theophrastus, appellant, & θῆλυν πρῖνον, id est, Ilicem feminam esse existimant: ideoq; vbi Ilex non prouenit, hac ad plaustra similiaq; vtuntur opera. Lacedęmonij verò, Elij, & Dores ἀγρίαν, id est, syluestrem (nempe Ilicem) nominant: nónulli non
Ἀρίαν. ἀγρίαν, sed ἀρίαν legunt: (Est autem Aria syluestris quoque arbor, perpetuò virescens.) Itali, Matthiolo auctore, Phellodryn *Cerro sugaro* vocant, quasi Cerri suberem: Dicitur autem Φελλόδρυς quasi Suberi quercus. Plinius eandem cum Subere esse existimare videtur, verba quæ de Phellodry Theophrastus habet ad φελλὸν transferens, lib. XVI. cap. VIII. his verbis: Sunt & qui feminam Ilicem vocent: atque vbi non nascitur Ilex, pro ea Subere vtantur, in carpentariis præcipuè fabricis, vt circa Elin & Lacedæmonem.


Glans

Glans huius ἄκυλον ἢ ἄκυλος etiam dicitur. Appellant, inquit Theophrastus, Ilicis & huius fructum ἄκυλον.

De facultatibus ex veteribus quod adferamus non occurrit.

De Aegilope ex Plinio & aliis. Cap. VIII.

Ægilops siue Cerris maiore glande.



Ægilops minore glande.



EX numero glandiferarum δρυῶν, Ægilops quoque est arbor procera, caudice recto, excelso, ac læui, per longitudinem robustissimo, sed materia improba. glans tristis, amara. echinatus asperque calyx, veluti Castaneæ. fert quoque & gallas Hemeridis similes, sed læuiores ac inutiles.

Quod verò φάσκον (Gaza penem) appellant, βραγχίοις simile sola Ægilops producit, canū, muscosum, cubitali lōgitudine depēdēs, ceu vill⁹ lintei alicuius prolixus. nascitur id è cortice, nō è surculo vnde glans, nec ex ὀφθαλμοῦ siue gēma, sed à latere supernorū ramulorum. φάσκον.

Incultis autem amica Ægilops: rarò non nisi in syluestribus reperitur. Italiæ magna ex parte incognita, vt Plinius refert. Græcis Αἰγίλωψ: Latinis Cerrus: Meminit tamen & Ægilopis & Cerri Plinius. Est verò & Αἰγίλωψ inter frugum vitia, quæ Festuca dicitur, multum ab arbore Ægilope differens.

Ex ramis dependens Plinius Panum nominat lib. XVI. cap. VIII. È glandiferis, inquit, sola quę vocatur Ægilops fert panos arentes, muscoso villo canos, non in cortice modò, verùm & è ramis dependentes cubitali magnitudine, odoratos, vt diximus inter vnguenta.

Nihil autem apud veteres de huius facultatibus scriptum reperitur.

De Platyphyllo siue Latifolia ex Plinio. Cap. IX.

AB Ægilope proxima Latifoliæ proceritas est, & ipsa inter glandiferas δρῦς referenda: sed materies ædificiis minus vtilis, quæ carbone dotata, vitiis obnoxia est. Glans huic post Quercus gratissima. radix altè descendit: & si Virgilio credimus, Æsculus quantum corpore eminet, tantum radice descendit. Non vbiq; vt Plinius ait, nascitur.

A latitudine & magnitudine folij, πλατύφυλλος, ac Latinis Latifolia dicitur: Eadem verò & Latinis Æsculus nuncupari censetur: de qua in Odis Horatius: Æsculus.

Nec rigida mollior Æsculo.

Dicata olim Æsculus Ioui fuit: nec de eius vsu aut facultatibus plura cognoscere contigit.

De Haliphlæo, siue Salsicortice ex Plinio & Theophrasto.
CAP. X.

HALIPHLÆOS altitudine non excellit: cortex eius crassissimus: caudex plerumque cauus ac fungosus, nec alia putrescit ex hoc genere etiam cum viuit: pessima verò & carboni & materiæ: ad axes materiem eius tantummodo accommodam Theophrastus tradit, alioqui omnino inutilem: carbonem quoque parum vtilem, quòd scintillet & transiliat, rarò eidem glans, vt & sterilem nõnulli existiment: cùm autem fert, amaram gignit & adeò vitiosam, vt eam pręter sues nullũ attingat animal, ac ne eæ quidẽ, si aliud pabulum habeant.

Gignit verò & Haliphlæos quiddam simile Phasco quem Ægilops profert, sed ipsum nigricans & pusillum.

Ἁλίφλοιος Græcis, Latinis & Plinio Salsicortex appellatur. Macedonibus, auctore Theophrasto Α'ατεας dicitur; huius etenim fructum adeò ait vitiosum, vt cum nullum animal mandere queat, præter sues, & has cùm alium non habeant. Quod de Ægilope scribitur. Κεκπις.

De Fago. CAP. XI.

Fagus.



FAGVS procera arbor est, in orbem non rarò latè comosa: caudice crasso multis ramis brachiato. cortex cuius læuis est, interior verò materies candida, dura, ad multa vtilis: folia læuia, tenuia, lata, minora quàm nigræ Populi. Iuli minores quoque ac breuiores quàm Betulæ, lutei. Fructus calyci includuntur foris hispido, & aliquantulum echini modo àspero, minus tamen quàm Castaneæ, qui læui molliq́ue cute contecti, colore & sapore Castaneis ab echinis exemptis similes, sed multò sunt minores, & forma differentes, vtpote triangulares. interior horum nucleus dulcis est, adiuncta quadam adstrictione. radices Fagus nec multas nec altas agit, sed quæ summo terræ cespite gaudeant.

Plana & campestria Fagus amat: nascitur & in montosis, sed nonnihil humentibus.

Iuli cum foliis Aprili mense erumpunt, sed fructus Autumno demum maturatur.

Græcis est φηγός: Latinis Fagus: Germanis Buchbaum aut Buche: Belgis Bukenboom: Italis *Faggi*: Hispanis *Haia, Faia, & Fax*. Gallis *Fau*, aut *Fovstre*: Anglis Bech tree: Bohemis Buk.

Fructus, Nuces fagi: Græcis βάλανοι τῆς φηγοῦ. Belgis Buecken nootkens: Gallis *Fayne*. Bohemis Bukwice dicuntur. Glandiferis autem arboribus Dioscorides Fagum annumerat, tametsi fructus Quernæ glandi nihil simile habeat.

Oxya. Ad Fagi genus à nonnullis refertur, quæ ὀξύη à Theophrasto dicitur; à Gaza Scisema. Arbor hæc est erecta, læuis, enodis, crassitudine & altitudine Abietis similitudinẽ referẽs: lignũ eius εὔχρουν siue benecoloratum, robustum, ac neruosum: cortex læuis: folium crassum, σχιδώδες, id est, dissectum, oblongius quàm Pyro, extremn aculeatum: radices neque multæ neque profundæ: fructus læuis βαλανώδης in echino, non tamen spinoso, sed lęui, non hispido vt Castaneæ, similis tamen illi dulcedine atque succo: Gignitur & in montibus. vtile lignum eius ad multa. Hucusque Theophrastus.

Plinius & huius arboris meminit, sed sub Ostryæ nomine (si modò non pro Ostrya legendum sit Oxya) lib. XIII. cap. XXI. Gignit, inquit, (Græcia videlicet) arborem Ostryn, quam

& Ostryam

& Ostryam vocant, solitariam circa saxa aquosa, similem Fraxino cortice & ramis: foliis Pyri, paulò tamen longioribus crassioribusque ac rugosis incisuris, quæ per tota discurrunt: semine Castaneæ (perperam Hordeo) simili colore. materia est dura atque firma: qua in domum illata, difficiles partus fieri produnt, mortesque miseras. *Ostrya.* *Plinij locus emendatus.*

Cæterum vt ad Fagum redeat noster sermo, folia huius refrigerandi facultatem cum nonnulla adstrictione obtinent. inflammationibus omnibus incipientibus vtiliter imponuntur: commanducata labiorum asperitatibus & gingiuarum doloribus medentur.

Interiores fructus nuclei sapore cum leui adstrictione dulces, calidi quidem sunt ac humidi: feruntur renum ex calculo dolores si edantur mitigare, & ad calculorum ac arenularum faciliorem exitum prodesse. Muribus autem hi gratissimi sunt, ac sciuris, quorum etiam prouentum augent. Saginantur & horum pastu porci, & alia quædam animalia: delectantur his quoque turdi ac columbæ.

Ligni autem cinerem ad vitri compositionem vtilem Petrus Crescentius scribit.

De Fraxino. CAP. XII.

Fraxinus.



ALTA & procera arbor Fraxinus quoq; est: caudice assurgit recto, crassitudinis subinde haud exiguæ frequenter mediocris: cortice contegitur læui. lignum albidum est, læue, durum, & subcrispum: ramuli huius teneriores recensq; etiam geniculis aliquot nodosi sunt, medullamq; intus habent candidam & fungosam: sed vetustiores toti lignosi geniculis ac medulla carent. Folia oblóga, pennata ex compluribus constant, ab vno pediculo siue costa, aut, vt Theophrastus, ἀφ' ἑνὸς μίσχου, coniugatim hærentibus, sibique inuicem ex aduerso positis; excepto extremo, vnico, quorum singularia oblonga, lata, Laurinis similia, nisi molliora, dilutius virentia, ac nequaquam odorata, & per circumferentiam leuiter serrata. à tenerioribus ramis iuxta foliorum exortum multæ prodeunt simul dependentes, oblongæ, angustæ, planæque veluti siliquæ, volucrium nonnullorum linguis ferè assimiles, in quibus semen perficitur, quod gustu amaricans est. radices multæ & sublimes.

Locis humétibus, veluti circa pratorum margines, aut fluuiorum ripas, melius Fraxinus proficit, quàm in siccis, aut aridioribus.

Aprili mense in Germania ac Belgio folia & siliquæ prodeunt: semen tamen non ante Autumnum maturitatem consequitur.

Arbor hæc Græcis μελία dicta est: à nonnullis etiã μίλεα: Latinis Fraxinus: Germanis Eschernbaum, Eschernholtz, & Steyneschern: Belg. Esschen & Esschenboom: Italis *Frassino:* Gallis *Fresne.* Hispanis *Fresno, Fraxeno, & Freixo:* Anglis Asshe tree: Bohemis Gesen.

Fructus siliquatum instar Officinæ Linguam auis & Linguam passerinam vocitant. Græcè ὀρνιθόγλωσσον quis dixerit: Sunt tamen qui velint Orneoglossum dici: alij Ornum ipsam Orneoglossum faciunt.

Facultatem autem Fraxini folia & cortex cum moderato calore efficaciter tesiccantem habent: Semen calidum ac siccum est ordine secundo.

Foliorum succus, aut ipsa folia imposita, aut ex vino assumpta viperarum morsibus ac ictibus resistunt, vt Diosc. ait. Tanta autem est huius arboris contra serpentes vis, vt ne matutinas occidentésve vmbras, quàm sint longissimæ, arboris eius, serpens attingat, adeoq; ipsam procul fugiat: vt Plinius lib. XVI. cap. XIII. Idem verò ait Fraxini frondibus circumseptum serpentem, citius in ignem proximum, si adsit, abiturum, quàm ad Fraxini frondé accessurum: & præterea florere Fraxinum prius quàm serpentes appareant; nec prius demittere folia, quàm hi conditi sunt.

Experti, inquit, prodimus: si fronde ea gyro claudatur ignis & serpens, in ignem potius quàm in Fraxinum fugere serpentem. Mira naturæ benignitas, priùs quàm hæ prodeant florere Fraxinum, nec ante conditas folia dimittere.

Vtraque, hoc est, folia & cortex ventrem feruntur adstringere, & cum aceto & aqua decocta ventriculo imposita vomitum sistere.

Semen quod folliculis eius inest medetur iocinoris ac lateris doloribus ex causa frigida cum vino. Aquam quę, cutim subit educit, vrinam cit: fertur & Veneris esse incitamentum, præsertim vnà cum Pistaciis ac Pini nucleis assumptum.

Ligni materies est ad plurima vtilis, Homeri præconio & Achillis hasta, vt Plinius ait, nobilitata. Eius verò πρίσματα siue ramenta potu perniciem adferre tradunt: Dioscorides ait. Corticis cinis ex aqua illitus lepras curat, Plinio auctore.

De Orno. CAP. XIII.

Ornus.



ORNVS & arbor quidem subinde magna est, & Fraxino similis, eiusq; altera species, sed humilior: folia ex pluribus ad vnum pediculum cohærẽtibus, vnoq; eminente, constant, veluti Fraxini, sed minus dilutè virentibus, mollioribus, ac nonnihil pilosis, per ambitum profundius serratis, instar Sorbi. cortex mediocriter læuis est. interior ligni substantia minus crispa, coloratior, sed non minus dura. flores in vmbellis albidi & odorati. baccæ initio virent, maturæ rubent, gustu insuaues, ac sapore ingratæ.

In prealtis & asperis montibus Ornus gignitur, atque his gaudet: ad plana non, aut rarò admodum descendit; in quibus ægrè quoque adolescit, fruticis tantummodo, non arboris speciem referens.

Maio mense & folia redeunt & flores vigent: Autumno verò baccæ ad maturitatem perueniunt.

Ornum hanc arborem Latini nominant, & non rarò syluestrem Fraxinum: Et Fraxini quoque species est. Græci siquidem, vt non modo Plinius scribit, sed & Theophrastus, duo Fraxini genera fecêre: vnum altum atque procerum: alterum humilius: Alta autẽ & procera, Fraxinus vulgaris est, humilior verò Ornus, quæ & ὀρεινὴ μελία, siue montana Fraxi-

Βουμελία. nus, quia montibus propria: veluti altera πεδεινὴ siue campestris vocatur, quæ & Βουμελία, siue (vt Gaza) Bubula Fraxinus, sed rectius magna dicitur Fraxinus. Particula enim βοῦ, intentionis nota, solet magnis præponi: sic Βουλιμία, aut Βούλιμος magnam significant famem, & Βουμελία, Fraxinum magnam. Nominatur verò Ornus Germanis Malbaum: Belgis Haueresschen: nonnullis Qualster: Gallis *Fresne sauuage*: Bohemis Habr. Matthiolus hanc Sorbum syluestrem facit.

De facultatibus autem vel foliorum, vel corticis, aut etiam baccarum, vt nihil apud veteres extat: sic & à recentioribus nihil compertum. Plinius verò Ornum facultatibus similem Fraxino facere videtur, lib. siquidem XVI. cap. XIII. vbi de vtraque Fraxino scribit, campestrem crispam esse tradit, montanam spissam. mox hæc subdit: folia earum iumentis mortifera, cæteris ruminantium innocua Græci prodidere. Quæ quidem de Taxo veteres scripse-

Plinij error. re, non autem de Fraxino. Fefellit Plinium vocum μίλου ac μελίας affinitas: μίλος Taxus est: μελία Fraxinus. sic vt Fraxino perniciosam illam facultatẽ perperam tribuerit, quæ Taxi est.

Symphoriani lapsus. Lapsus est & in Orni historia Benedictus Curtius Symphorianus, cùm ex Virgilij Georgicis Ornum Pyri flore esse existimat: ex ipso siquidem Virgilij carmine nequaquam hoc rectè colligi potest, agit siquidem non de formis arborum, sed de insitione nonnullarum in

alias

alias dissimiles ac natura differentes, veluti Nucis in Arbutum: Mali in Platanum: Fagi in Castaneam: Pyri in Ornum: Quercus in Vlmum. Atque hoc modo Platanum scribit pomiferam: Fagos Castaneam ferre: Ornum incanescere Pyri flore. &c. vt ex ipsis Virgilij verbis manifestissimum est, quæ sic habent Georgicôn secundo:

Inseritur verò ex fœtu nucis Arbutus horrida,
Et steriles Platani malos gessere valentes,
Castaneæ Fagos: Ornus incanuit albo
Flore Pyri, glandemq; sues fregere sub Vlmis.

De Populo. CAP. XIIII.

Populus alba.



POPVLI duæ sunt alba & nigra: Plinius tertiam annumerat Lybicam; Theophrastus verò καρκὶν dictam.

1. Alba Populus perquam facilis auctu arbor est, cito in altitudinem assurgit, superius ramosa: caudicis cortex læuis est; ramulorum verò etiam albicans. lignum candidum facilè finditur. Folia lata profundius incisa ac angulosa, Vitigineis ferè similia, sed multò minora, superiore parte læuia, glabra, ac virentia, auersa verò albida, ac lanuginosa: iuli oblongi, papposi, initio purpurascentes: radices in diuersa tendunt, summo terræ cespiti subsunt, nec altius demittuntur: atque idcirco validiore vento has arbores subuerti non rarò accidit.

2. Nigra Populus proceritate alba non est inferior, subinde verò & excelsior, frequenter ramosior: non rarò crassioris caudicis: cortex eius læuis similiter est, sed ligni materia durior, flauior, ac minus albida, neruosior, ac difficilius finditur. prima huius germina futurorumq; foliorum rudiměta oblonga, hordeaceo grano maiora, pingue oleosum ac resinosum quiddam continět digitis adhærescěs, colore flauo ad luteum accedens, odore suaui gratum, quod maioribus factis & in folia iam abeuntibus perit. folium autem non angulosum, sed instar priorum Hederę foliorum latum & acuminatum, per ambitum verò nonnihil crenatum, colore virens, læue ac resplendens, longo tenuique pediculo appensum, quamobrem ventis concussum strepitum exhibet. profert hæc & iulos: ac deinde post hos oblongum veluti racemum, vuæ oblongioris speciem exhibentem, cui baccæ adhærent rotundæ, quæ vbi maturuêre, in papposam vanescunt lanuginem. radix huius altius descendit, & firmius hæret.

3. Tertia Populus non multò minus quàm priores excelsa & procera est. cortex ac ligni materies ad nigræ similitudinem accedunt: iuli longiores ac nigriores: folia quoque nigriora ac duriora, subrotunda, marginibus profundius incisa, quæ è longioribus pediculis dependětia continuò ferè mouentur, atque inter se collisa crepitant, cœlo etiam tranquillo ac sudo, vel quàm minimum ventoso. radices huius firmiores, profundius quàm albæ descendunt.

Lucos, aquosa, & palustria Populi amant: stagnis gaudent: lætiores circa amnes nascuntur, ac præsertim alba.

Inter primas Populus germinat: præcedit reliquas nigra, cuius prima germina tunc colligenda, cùm in ipsis resinosus liquor reperitur, quod subinde circa æquinoctij tempus, aut paulò pòst contingit.


Populus alba Græcis λευκὴ nominatur: Latinè verò à nonnullis Farfarus. vt à Plauto in Penulo:

—— viscum legioni dedi
Fundasq;: eos prosternebam vt folia Farfari.

Populus nigra.



Populus Libyca.



Germanis est Pappelbaum, weiß Alberbaum/weiß Popelweyden: Belgis Abeelboom, quá Grammatici perperam Abietem interpretantur: Italis *Popolo bianco*: Hispanis *Alamo blanco*, & *Amieyro*: Gallis *Peupleer blanc*: Bohemis Topel.

2. Altera species Græcis Αἴγειρος: Latinis Populus nigra: Petro Crescentio Albarus: Germanis Aspen: Belgis Populier & Popelaer: Italis *Popolo nero*: Gallis *Peuplier noir*: Hispanis *Alamo negrillo*: Anglis Asp vel Popler tree.

Primum illud erumpens germen, cuius in medicina vsus, Officinæ Oculos Populi appellant: alij malunt Gemmam Populi dicere: Græcorum quidam σπέρμα appellant. vnde erroris occasionem acceperunt, qui non prima illa germina resinosa, sed racematim cohærentia granula, in compositione vnguenti ex Populo assumenda temerè existimant; in quibus nihil resinosum. Græci certè non aliud quàm quod resinosum est, accipi volunt, licet fortassis hoc ipsum haud proprio nomine exprimant. πολλὴ, Paulus Ægineta lib. VII. ait, περὶ τὸ σπέρμα, ἔστι ῥητίνη. id est, multa circa semen resina existit. *Error quorundam notatur.*

In non minore autem versantur errore, qui Poëtarum fabulis addicti, Succinum ex Populi lachrymis in Padum defluentibus coire ac durari credunt. Neque enim ex Populi liquore, sed ex alio concrescit: neque in Pado, sed in littore Borussico, Germanici siue Balthici maris Succinum colligitur. *Succinum.*

3. Tertia autem Populus Tremula à quibusdam cognominatur, voce à Gallis mutuata, quibus *Tremble* dicitur: Belgis à crepitu ac strepitu foliorum nomen quoque accepit, qui Ratelleer ipsam nominant. Existimatur verò hæc esse à Plinio Libyca dicta, & à Theophrasto κερκὶς, quam Gaza montanam Populum vocat.

1. Cæterùm alba Populus abstersoriæ est facultatis, inquit Galenus, & temperaturæ mistæ, ex aquea tepida & terrena extenuata essentia.

Cortex, Dioscoride auctore, vnciæ (aut vt alij, & rectius denarij) pondere ischiadicis prodest, & aduersus vrinæ stillicidium. Ischiadicis verò hunc corticem vtilem scribit & Q. Serenus Sammonicus:

Sæpius occultis victa coxendice morbis
Perfurit, & gressus diro languore moratur:
Populus alba dabit medicos de cortice potus.

Fertur


Fertur verò & idem cortex sterilitatem facere cum Muli rene potus. quod & folia post purgationes sumpta posse existimantur. foliorum tepens succus aurium dolori instillatus succurrit.

Populi verò nigræ resina, quæ primis inest germinibus siue Oculis dictis, calida ac sicca, partium tenuium, attenuandi, ac molliendi facultatem obtinet: acopis & malagmatis commodè admiscetur.

2. Folia similem quodammodo facultatem habent, sed ad omnia infirmiorem, Galeni sententia. Cum aceto hęc trita magna vtilitate podagricis doloribus imponi, Dioscorides tradit. Semen, hoc est, prima germina, vt antè ostendimus, ex aceto potum comitialibus vtile esse, idem auctor est. Fit ex Populi oculis vnguentum Officinis notissimum: Docet verò & Oleum ex his conficere Paulus Ægineta, quod Ægyrinum dicitur.

De Vlmo. Cap. XV.

Vlmus.



1. INTER proceras & altas arbores & Vlmus est, ab imo ferè frequenter ramosa: crassi, scabri, ac rimosi exteriores caudicis cortices sunt; lenti verò & flexibiles, qui subsunt, veluti & ramulorum, qui non minus quàm Tiliæ obsequiosi ac flexu inuicti sunt. ligni substantia solida ac subflaua. folia lata, indiuisa, rugosa, venosa, longiora quàm Pyri, ambitu crenata, quadrupedum nonnullorum animantium, ac præcipuè boum, pabulo grata; in quibus folliculi superiore parte eminentes gignuntur, præter exiguos veluti culices, & liquorem continentes lentum ac viscosum, qui quandoque Solis caloribus induratus gummi instar concrescit. semen planum, rotundum, tenue, membranosum, maius quàm Atriplicis, quod inter folia ac sub ipsis latitat. radix non in altum dimittitur, sed per obliquum spargitur.

Loca amat plana ac campestria, lætumque ac humidum solum: iuxta fluenta, vel scrobes aquas habentes feliciter gignitur, & facilè in altitudinem assurgit.

2. Huic autem non multùm dissimilis & alia quædam prealta quoque ac procera arbor nascitur, cuius lignosa materies multò durior est, & ad opera idcirco vsurpatur quæ pondus ac vim sustinent: vt sunt Cochleæ & molendinorum rotæ. folia huius rugosa similiter & ambitu serrata existunt, veluti prioris, sed longiora & auersa parte læuiora, dilutius virentia, quæ vbi reſiccata fuerint gratum olent. ab his verò nulli exeunt aut nascuntur folliculi, & bubus eadem minus grata sunt: semen prioris satis simile.

In densis syluis, locis montosis ac arduis hoc genus prouenit, veluti in Arduenna sylua ac Sonia in Brabantia dicta, olim Arduennæ parte: in quibus hæc arbor frequens reperitur.

Erumpunt vtriusq; folia sub finem Aprilis aut circa Maij initium in Belgio quidem: eodē tēpore & semen nō modò prodit, sed & perficitur, ac vēto mox abripitur & decidit, quod inutile habetur: Nemo enim, vt Columella ait, Vlmos ex semine serit, sed ex sobolibus.

Liquor & folliculus Iunio mense colligi potest, priusquam densari incipiat.

Vlmum Græci πτελέαν nominant: Germani Rüstholtz/Rüstbaum/Vlmbaum: Belgę Olmen: Galli *Orme*. Itali *Olmo*: Hispani *Vlmo*. Angli Elm tree: Bohemi Gilin.

Semen à Plinio ac Columella Samera dicitur.

Vermiculi qui intra folliculos cum liquore reperiuntur, Græcis κνῖπες: Latinis Culices ac Muliones vocantur.

Et prior quidem harum ea est, quam Theophrastus simpliciter ac citra adiectiuum πτελέαν 1.
appellat: Duo siquidem huic genera sunt: vnum ὀρειπτελέα: alterum πτελέα. Eadem verò & Atinia Columellę, siue Gallica Vlmus. Nam & hic duo Vlmi genera facit, Gallicum & Vernaculum: Illud, inquit, Atinia; hoc nostras dicitur. Atiniam siquidem læriorem ac procerio-

rem

rem esse, frondemq; iucundiorē bubus præbere, quàm aliā, quod de priore quoq; scripsimus.

2. Altera Vlmus ὀρειπτελέα Theophrasto est, quam Gaza Montiulmum interpretatur: Columellæ verò Vernacula ac nostras dicitur, id est, Italica. Belgis hæc Herseleer: & quibusdam locis Herrenteer nuncupatur.

Plinius lib. XVI. cap. XVII. quatuor Vlmi genera refert. sed Atiniam & Gallicam tanquam differentes pro duobus numerat, quæ Columellæ vnum idemque sunt genus. Tertium nostratem sibi ac Columellæ dictam facit. quartum genus addit syluestrem Vlmum, cuius nec Columella nec Theophrastus meminerunt.

Vlmi autem prioris folia & cortex cum moderato calore abstersionem non obscuram obtinent: lentum ac viscidum quid in mandendo habent.

Vulnera folia glutinant: idem & cortex fasciæ modo ipsis impositus ac circumligatus. Ad lepras cum aceto trita faciunt & folia. Crassiorem corticem vnciæ pondo cum vino aut aqua potum pituitam detrahere Dioscorides refert.

Humor in folliculis repertus abstersorius est, atque vnà conglutinans: illitus cuti nitorem inducit, facieique maculas delet. Vulnera recentia consolidat: curat & enterocœlas non inueteratas cum splenio impositus, ligatura rectè adhibita.

De Tilia. Cap. XVI.

Tilia.

1.



2.

DVVM generum Tilia est: mas & femina.

Tilia femina, vulgò nota, & magna arbor est: multis & oblongis ramis in latitudinem amplam sese facilè diffundens: caudices crassi sunt: cortex læuis, foris subnigricans, sed interius ex luteo inalbicans, lentus, flexibilis, admodum obsequiosus, ex quo & funes & chordæ conficiuntur, ac alia quędam texuntur. interior materia lęuis, non dura, enodis, & inalbicans, ex qua carbones confiunt, quorum ad pulueris eius compositionem vsus, quo bombardæ & bellica implentur tormenta: folia læuia, splendentia, lata, acuminata, Hederæ non angulosis ferè similia, sed dilutius virentia, & per margines incisa. Flosculi racematim aut vmbellatim potius, in longis cohærent pediculis, qui à quibusdam veluti angustis & albicantibus foliolis exeunt. semen in rotundis folliculis baccarum Hederę magnitudine nigricans, sponte vbi maturuerit excidit. radices in profundum descendunt, ac in latitudinem simul expatiantur.

Tilia mas, non minor aut minus in amplitudinem diffusa est quàm femina: cortices lenti ac obsequiosi similiter sunt, & ad funes conficiendos idonei, sed tamen paulò duriores ac fragiliores. lignum durius, nodosius, & ex luteo coloratius, Vlmi satis simile: folia lata, haudquaquam læuia, sed asperiora, propemodum veluti Vlmi, in quibus tamen folliculi nulli gignuntur. Fructum adeò rarò profert, vt sterilis & nec vllum facere existimetur. Est autem hic planus, rotundus, & vti maioris Thlaspios infarctus, cohærentésque plures è longiusculis pediculis racematim.

Pingue lætumque solum Tiliæ requirunt: in stercorato optimè proficiunt: in arido ægrè adolescunt: gignuntur quandoque, sed rarò, in syluis.

Flores femina Maio mense adfert: fructū verò maturū Septembri mense, aut paulò prius.

Ruellij error. Tiliam Græci φιλύραν nominant, quæ differens à φιλλυρέα est: Ruellius perperam φιλλυρέαν Latinè Tiliam interpretatus est. Dicitur autē Tilia Germanis Linden & Lindenbaum: Belgis Linde & Lindenboō: Italis *Tilia* Hispanis *Teia*: Gallis *Tilet*: Anglis Linden tree: Bohemis Lypa. Marem, Belgarum nonnulli patria voce Ypelme appellant.

Error quorundam. Falluntur autem non parùm, qui Vlmum, aut huic cum folliculis in foliis similem pro Tilia mare icone exprimunt ac exhibent.

Tiliæ

Tiliæ autem folia & cortex reſiccandi quandam vim habent, & vnà repellendi. Folia in aqua decocta oris puſtulas reſiccant ac ſanant ore ex hac colluto. tumores etiam pedum reprimere feruntur, cum aqua decocta, & emplaſtri modo impoſita.

Flores calidi ſunt ac ſicci, & partium admodum tenuium: aduerſus capitis ex cauſa frigida dolores, vertigines, apoplexiam, ac etiam morbum comitialem, à quibuſdam commendantur: & non modò ipſi flores, ſed & ex ipſis ſtillatitius liquor.

Tiliæ folia, Theophraſtus ait, prædulcia, & pleriſque animalibus pabulo: fructus mandi à nullo poteſt.

De Alno. CAP. XVII.

Alnus.



NON minus quàm præcedentes alta ac procera Alnus eſt. caudice aſſurgit mediocris craſſitudinis recto. cortex eius ſcaber, fragilis, nigricans, ad corij aliorumque tincturas vtilis· lignum ſubrubet, molle, ac tractabile, quod extra aquas nõn diu incorruptum durat, ſub ipſis verò aquis, ac in aquoſis ad æternitatem immortale, ædificiorum fundamenta ac immania ſtructurarum pondera ſuſtinet: multa certè ædificia ex Alno palos ſubditos habẽt. folia autem Alni, Pyri foliis maiora rugoſioraque ad Colurna accedunt, per circumferẽtiam ſimiliter crenata, tactu glutinoſa. iulos quales Betula pro floribus emittit. oblongum eſt & ex multis ſquamulis cõpactum quod pro fructu habetur, quibus dehiſcentibus ſemen excidit.

In aquoſis naſcitur, ac in humidis & paludoſis ſyluis, nec alibi proficit.

Iuli Vere erumpunt: ſemen Autumno excidit.

Gręcis κλήθρα nominatur: Latinis Alnus: Perto Creſcentio Amedanus: Germanis Erlenbaum & Ellernbaum: Belgis Elſen & Elſenboom: Italis *Alno*: Gallis *Aulne*: Bohemis Wolſſe.

Cæterùm Alni cortex refrigerantem ac adſtringentem cum ſiccitate facultatem obtinet. Incipientibus inflammationibus vtiliter imponi poſſunt. Conducunt quoque ad oris & tonſillarum inflammationes ac tumores, veluti nucum Iuglandium cortices.

De Betula. CAP. XVIII.

BETVLA ſæpè ad mediocris arboris altitudinem excreſcit: quandoque humilior fruticoſa magis. cortex eius exterior caudicem conueſtiens craſſus, ſcaber, albidus, ac rimoſus, qui verò huic ſubeſt interior, tenuis admodum, læuis, atque inſtar membranę pellucidus. craſſiorum ramulorum cortices inalbicãt quoque, ſed minimorum non ita, qui punico, qualis eſt Caſtaneæ echino exemptæ color, reſplendent, qui ferè deorſum reclinati ex arbore dependent, veluti iulorum aut foliorum pondere grauati. ligni materia alba eſt, ſimiliter & ramulorum, qui & adeò lenti ac flexibiles, vt ad circulos vaſarios non minus vtiles ſint, vel etiam vtiliores habeantur, quàm Saligni rami. folia lata, acuminata, & per margines inciſa, minora quàm Fagi, læuioraque ac virentiora. Iuli oblongi ſunt, in quibus quod ſemen exiſtimatur, gignitur; quod dehiſcentibus per ætatem iulis effluit.

In Germaniæ ac Bohemiæ montibus ac ſyluis, tum & alibi gignitur: & quandoque in arenoſis ac aridiſſimis, veluti in Brabantiæ Campania, quibuſdam locis adeò ſterilibus, vt nẽ herbam quidem producant, in quibus tamen Betula viget ac creſcit.

Iuli primo tempore prodeunt: deinde folia Aprili menſe aut paulò ſerius.

Nominatur hæc arbor Græcè à Theophraſto σημύδα: à nonnullis σημὺς: ab aliis σημύδς: Latinis Betula: non deſunt verò & qui per duplex ll. Betulla ſcribant, veluti quædam Plinij exem-


Betula.

1.


Acer maior.

2.

3.

exemplaria habent. Germanis Birckenbaum: Belgis Berckenboom: Italis *Betula*: Tridentinis *Bedollo*. Gallis *Bouleau*. Bohemis Bryza.

De medico autem vsu Betulæ vel partium eius, nihil vel apud veteres, vel recentiores extat.

Gallica hæc arbor, inquit Plinius lib. XVI. cap. XVIII. mirabili candore atq; tenuitate terribilis Magistratuum virgis: nam ex ea olim constabant fasces magistratuum. hac verò ætate, pueros quoque pędagogi ac parentes virgis ex Betula terrent.

De Acere & Carpino.

CAP. XIX.

ACERIS species tres sunt: vna maior: altera minor: tertia Carpinus dicta.

Maior speciosa ac procera arbor est: cortice mediocriter læui: materiâ interiore tenera ac tractabili: ramos expandit in omnem partem complures, circa quos folia magna, lata, angulosa, vitigineis satis similia, sed lęuiora molli oraque, & pediculo longiore eoque rubente annexa. flores racematim dependent ex albido herbacei. succedunt fructus oblongi, bini ex aduerso cohærentes, circa annexum nuclei conceptaculo tumentes, reliqua parte plana, ac membranæ instar tenui, Ephemeri aut interiorum Cicadę alarum similes. nuclei candidi ac exigui sunt.

Minor Acer frequenter in arboris speciem quoque adolescit: sæpè verò fruticis in modum humilis permanens nascitur: cortex huius similiter læuis: interior ligni substantia albida ac tractabilis: folium vti prioris angulosum, læue, glabrumque, pediculoque adhærescens rubente, sed multò minus, Saniculę folio cum magnitudine, tum & splendore ferè persimile, nisi quòd profundius incisum: flores veluti maioris, herbacei, non tamen racematim, sed in vmbellis exeunt: fructus similiter similes bini ab vno pediculo dependent.

Carpinus caudice assurgit procero; cortice inalbicante, nonnihil aspero ac scabro: ligno solido ac tenaci. rami in latitudinem effundũtur foliis circumuestiti latis, haud angulosis, sed ad Vlmi folia accedentibus, nisi teneriora essent: inter hæc triangularia quædam racematim dependent, iuxta quę capitula Cicerum magnitudine, in quibus fructus siue semẽ. radix firma crassáq;.

Montibus

Acer minor.



Carpinus.



1. Montibus propria maior Acer est, descendit tamen & ad plana ac campestria, præsertim cultu accedente.

2. Minor & in syluis montosis gignitur, vbi facilè arborescit: reperitur verò & iuxta agrorum septa, ac quandoque secus riuulos fruticis instar nascens.

3. Carpinus & syluis & montibus gaudet.

Vere omnibus folia exeunt, ac flores vtriq; Aceri: semen sub finem æstatis perficitur.

Acer Græcis σφένδαμνος nominatur.

1. Maiorem Germani Ahorn & Waldeschern vocant: Galli *Plasne*: Bohemi Brek: & propriè σφένδαμνος hæc dicta esse existimatur. A veritate autem longè recedunt, qui pro Platano hanc habent, vicinitate Gallicæ vocis decepti: Platanus siquidem multum ab hac differens est.

2. Minorem Germani Maßholder: Brabanti Bogghout: Galli *Erable* appellant: Creditur esse γλῖνος dicta.

3. Tertia Carpinus est: nomen Itali & Allobroges retinent. ζυγίαν hanc Græcis vocari testis Plinius est. Dicitur autem ζυγία quasi coniugalis, quod ad ζυγὰ, Latinis iuga, quibus boues iunguntur, conueniat quæ & nũc ex hac cõfici testatur Benedictus Curtius Symphorianus.

Theophrastus tria quoque Aceris genera statuens, Primum σφένδαμνον: alterum ζυγίαν: tertium κλινότροχον appellari ait; prout videlicet Stagyritæ distinguere solent: Zygiam autem à Sphendamno differre, quòd huic candida ac netuosa materia sit, illi autem flaua ac crispa. At verò Olympi incolæ, eodem auctore, Zygiam montanam esse volunt: Sphendamnon verò in planis nasci. Nascentem verò in monte Acerem gratè coloratam, crispam, & ligno solidam esse: campestrem verò in planis candidam, rariorem corpore, minusq; crispam: & hanc à nonnullis γλῖνον siue γλεῖνον, non autem σφένδαμνον vocari.

Plinius quoque tria Aceris genera tradit lib. XVI. cap. XV. (Titulus perperam notam denarij X. pro ternarij III. habet.) sed Zygiam siue Carpinum tertiam facit, κλινότροχον non meminit: campestrem γλῖνον etiam vocari refert. *Plinij locus emaculatus*

Cæterùm Aceris aut Carpini quis sit in medicina vsus, à Græcis proditum non reperitur.

Plinius verò lib. XXIIII. cap. VIII. Aceris radicem contusam iocinoris doloribus efficacissimè imponi scriptum reliquit.

Q. Serenus Sammonicus bibi cum vino aduersus lateris dolorem affirmat:

Si latus immeritum morbo tentatur acuto,
Accensum tinges lapidem stridentibus vndis,
Hinc bibis: aut Aceris radicem tundis, & vnà
Cum vino capis: hoc præsens medicamen habetur.

De Platano. CAP. XX.

Platanus.



MAGNA arbor Platanus est, prælongis & amplissimè luxuriátibus ramis latissimè patet, spaciosam admodum vmbram efficiés, cuius gratia olim Romanis gratissima, expetita, & commendabilis fuit: folia habet Ricini modo angulosa, maiora quam Vitis, rubentibus annexa pediculis. flosculi non magni, pallidulì: fructus pilularum instar rotundus, scaber, & nonnihil hirsutus: In Asia quidem hirsutior ac maior, ad Iuglandis nucis quantitatem accedens.

Fontes ac fluuios Platani amant: Plinius aliquando vino enutritas refert. Tantum, inquit, postea honoris (scilicet Platanis) increuit, vt mero perfuso enutriantur: compertum id maximè prodesse radicibus docuimusq; arbores vina potare. lib. XII. cap primo.

Italiæ autem hæc arbor aduena & peregrina: In Germania aut Belgio nusquàm apparet: In Asia frequentior est: reperitur & in Cretæ conuallibus, ac iuxta Athon mórem: vt Petrus Bellonius in Singularibus refert.

Platani, folia hyeme dimittunt, teste Bellonio; proinde nec mirum si solem æstate arceant, hyeme verò minimè. Commendatio arboris, Plinius ait, nulla alia maior, quàm solem æstate arcere, hyeme admittere.

Dicitur autem hæc arbor Græcis πλάτανος: & similitér Latinis Platanus. à latitudine nomen habet. Gallorum *Plasne* multum ab hac differt, quæ Aceris species est.

At Platanus humidioris ac frigidioris essentiæ est, vt Galenus ait. folia viridia ad œdemata & incipientes inflammationes faciunt: in vino decocta oculorũ fluxiones imposita sedant,

Cortex & Pilulæ maiorem resiccandi potentiam habent. in aceto decoctus cortex dentium dolores sopit: Pilulæ virentes cum adipe tritæ ambusta persanant: eædem ex vino potæ, à serpentibus demorsis auxiliantur. Crematus cortex vehementius resiccat, & vnà abstergit: lepras pellit, & humidis vlceribus medetur.

Vitandus est puluis, Galenus ait, foliis arboris insidens, spiritu siquidem attractus, arteriam offendit, valenter desiccans & exasperans, vocemque lædit, sicuti & visum & auditum, si in oculos aut aures inciderit. Dioscorides hoc non modò foliorum, sed & pilularum lanugini tribuit.

De Salice. CAP. XXI.

SALICES duæ sunt: vna procera altera humilis.

1. Procera Salix, caudice mediocriter crasso, in altitudinem non minorem assurgit, quàm aliæ maiores arbores, si non initiò & citò à satione præcisa ei summa pars fuerit. cortex eius læuis, lentus, ac flexibilis est. lignum albidum & adeò lentum frangique contumax, vt nullo oneri succumbat, quamobrem & machinæ ex eo ad eleuanda maximi ponderis onera conficiuntur. folia oblonga, minora & angustiora quàm Persici, superiore parte virentia ac glabra,

Salix.



Salix humilis.



aduersa verò molliora albidioráque. rami cortice vel purpureo vel albido conuestiuntur. iuli qui primo tempore promuntur oblongi, muscosi, citò in albidos & lanosos pappos abeunt.

Minor à capite paululum eminente virgas progignit tenues, cortice nonnihil rubentes 2.
aut virentes, viminibus vtiles. seritur taleis aut virgis in terram depositis, quarum, vbi incrementum acceperint, superior pars præscinditur, sic quod caput dicitur, illis subnascitur, vnde tenues virgulæ exeunt, quibus sæpius retisis, caput grandius redditur. Mutilantur quandoq; & procerarum Salicum depositæ ac plantatæ taleæ siue surculi, sed altius & supra hominis staturam, vnde crassiores nascuntur perticæ, ad multa vtiles, & frequentius ad circulos, quibus lignea vasa ac dolia colligantur.

Salix aquosa desiderat ac humentia loca, nec etenim alibi Saliceta commodê proueniunt. Minor in palustribus omninò riguis feliciter nascitur.

Aprili mense, vel, si serius, Maio, cum foliis prodeunt iuli, in quibus semen (si modò fiat) citius cum pappis abripitur, quàm ad perfectionem perueniat Ocyssimè, inquit Plinius post Theophrastum, Salix amittit semen, antequam omninò maturitatem sentiat, ob id dicta Homero Frugiperda: Græcè ὠλεσίκαρπος. Virgulæ & perticæ cæduntur quoque Vere, priusquam germinare Salix incipiat, & eodem tempore surculos deponere & serere cõuenit.

Salix Græcis ἰτέα vocatur: Germanis Weyden: Belgis Wilgen: Italis *Salice*, *Salcio*. Gallis *Saux*: Hispanis *Salgueiro*, *Salzer*, & *Sauz*: Bohemis Wrba.

Maior Salix perticalis appellatur, præsertim quæ sæpius mutilata ab vno capite plures ramos effundit. Huius generis cortice rubens Theophrasto nigra dicitur. altera verò candida. Plinius nigram Græcam cognominat (finditur, inquit, Græca rubens) candidiorem verò Amerinam.

Minorem ἑλίκην, non ἰτέαν Arcades nominare, Theophrastus scribit: Plinius & hanc Helicen nominat Vterque hanc Salicis tertiam speciem statuit: Dicitur verò & eadem Salix pumila, Salix viminalis, Gallica Salix, & à Columella Sabina, quam & Amerinam vocari à plurimis scribit: Germanis kleyn Weyden: Belgis Wijmen: Petro Crescentio Vincus.

Salicis autem folia refrigerandi facultatem obtinent, & cum nonnulla adstrictione citra morsum resiccantem: ad cruenti idcircò vulneris curationem adhiberi commodè possunt.

 Interdum-

Inferuntur etiam perquam vtiliter rami cum foliis virentes in cubicula, ac iuxta lectulos ponuntur, acute febricitantium, aëris siquidem calorem vehementer contemperant, quod febricitantibus multùm expedit.

Cortices similem facultatem habent. hos in cineres combustos, & cum aceto maceratos, callos & clauos extrahere Dioscorides scribit. Nonnulli, inquit Galenus, dum floret Salix corticem incidunt, & succum quendam colligunt, quo vtuntur ad ea quæ pupillas offuscant; extergente videlicet simulque tenuium partium medicamine.

De Sambuco. CAP. XXII.

Sambucus.



Sambucus laciniofo folio.



1. SAMBVCVS subinde mediocris arboris magnitudinem æquat, ramis suis latè effusa: quandoque verò fruticosa permanet. caudex plurima parte lignosus exiguum admodum medullæ intus habet. at rami, & præsertim iuniores geniculis articulati, medullam multam albidam crassam interius recondunt, ac lignosi minus habent. cortex caudicum scaber ac rimosus cineritio colore sordescit: ramulorum non omninò læuis, colore ferè assimilis, qui quidem exterior, subest enim huic & alius, ligno vicinior, virens. ligni materies dura solidaque, subflauescens, findi facilis. Folia ex pluribus ad vnum medium pediculum quinis senisve cohærent, veluti Iuglandis, sed singulis minoribus, ambitu serratis, & graueolentibus. flosculi in latis laxisque vmbellis albidi & odorati. succedunt baccæ non magnæ, initiò virentes, postea nigricantes, quorum succus saturo colore rubet: semina in his parua, plana, oblongioris formæ.

Adnascitur non rarò veterum arborum aut fruticum caudicibus gummi quoddam, molle, nigricans, tenue, membranosumque, hominis auriculam quodammodo subinde referens, quod ablatum, resiccatumque contrahitur ac durescit. Et huiusmodi quidem est passim vulgaris Sambucus.

2. Præter hanc verò & aliæ quædam nascuntur raræ ac peregrinæ. cuiusdam siquidem baccæ non nigræ, sed albidæ existunt: foliis ac floribus priorem referens.

3. Tertiæ folia admodum fissa & multùm laciniosa foliis ac baccis primæ simillima.

4. Quartæ flores quidem albidi sunt, sed baccæ rubent, & vtraque non in vmbellis, sed race-

matum

matim congesta, ac vuæ in modum gignuntur: foliis autem ac reliquis vulgari accedit, nisi quòd subinde altius excrescat, & procerior reddatur.

Iam & Sambuci species esset Ebulus, nisi herba foret, & nequaquam arbor aut fruticosa stirps. de hoc autem Pempt. tertiæ, lib. II. cap. XXIIII. scriptum. 5.

Humidis lætatur Sambucus ac opacis, tamen & alibi prouenit, vt in hortorum, agrorum, pratorumque sepimentis.

Reliquæ species similes requirunt natales: sed cui fructus racemosus, montana est.

Sub finem Maij, aut circa Iunij Calendas apud Germanos ac Belgas Sambucus cum flore est: maturæ baccæ Septembri ac Octobri leguntur.

Græcis ἀκτὴ, quæ Latinis & Officinis Sambucus: Gulielmo Saliceto Beza: Germanis Holunder/Holder: Belgis Vlier: Italis *Sambuco*: Gallis *Hus* & *Suin*. Hispanis *Sauco*, *Sauch*, *Sambugueyro*: Anglis Elder tree: Bohemis Bez.

Quartam speciem nonnulli Sambucum syluestrem, sed Matthiolus montanam facit.

Gummi è caudice Sambuci profluens, Aurē Sambuci pleriq; alij Iudæ auriculā nomināt.

Galenus Sambuco qualem Ebulo facultatem ascribit, resiccandi videlicet, conglutinandi, ac modicè digerendi: verùm non hæ tantùm, sed & aliæ ei facultates adsunt. Nam Sambuci quidem cortices, folia, prima germina, flores, ac fructus, non modò resiccant, sed & calfaciunt, & vnà quidē purgandi vim obtinent; sed nō absq; molestia & ventriculi incōmodo.

Prima enim germina cocta, & Asparagi modo assumpta ventrem commouent, & quandoq; ventriculo perturbato vomitionem faciunt. Simile possunt & folia.

Interior virensq; cortex potentius purgat: bilem & aquosos humores detrahit, hydropicis ea de causa vtilis. Tunditur, & cum vino aut lactis sero liquor expressus propinatur.

Facultatis huius participes sunt & flosculi: recentes quidem, cum cibo aliquo permixti, veluti cum ouis frixi, ventrem quoque conturbant & deiectionem moliuntur: resiccati verò simul cum humiditate, purgandi potentiam amittunt: digerendi & attenuandi retinent. Acetum in quo flores aridi macerati sunt, in cibis ventriculo gratum, appetentiam excitat, crassos crudosque humores incidit ac attenuat.

Seminis facultas paulo quàm reliquorum mitior: ventrem quoque mouet, & humores aquosos detrahit, in puluerem redactum, & drachmæ pondere exhibitum. recens collectum in aceto id macerari expedit, ac deinde resiccari, commode additur fæcis vini aridæ par pondus, & nonnihil seminis Anisi; sic etenim citra omnem molestiam potentiam suam exercet, & hydropicis subuenit. continuis autem aliquot diebus exhibendum, cum modico vini, quibus placet.

Gummi Sambuci adstringendi ac resiccandi vim obtinet. Dilutum eius in quo paucis horis maceratum fuerit collutione ac gargatizatione oris tonsillarumq; incipientes inflammationes sedat, & columellam laxiorem reprimit.

Dioscorides tenera ac virentia Sambuci ait folia cum polenta inflammationes mitigare: ambustis ac à cane demorsis prodesse: dolores podagricos cum seuo arietino aut hircino leniter imposita: glutinare verò & ὑπονόμους, id est, cauernosa vlcera. Nouellorum ramulorum medulla qualitatis expers est: hæc, resiccata, atque nonnihil compressa aut contorta, ad fistularum angustiora ora dilatanda, imposita, conducit.

De Sambuco palustri. Cap. XXIII.

1. PALVSTRIS quæ dicitur Sambucus, non foliis, sed ramis ipsam refert. humilior multò est, & fruticis in modum nascitur. rami cortice conuestiuntur veluti Sambuci, cinericio colore sordente, geniculis per interualla intersepti sunt, ac multam copiosamq; albidam medullam intus reconditam habent; lignosi idcirco minus, quod candidum & fragile est. folia lata, angulosa, Vitigineis ferè similia, sed minora & molliora. vmbellæ flosculos edunt, quorum exteriores secundum marginum crepidines maiores sunt, eleganter albidi & quinquefolij, Leucoiis minores, reliqui verò medij ac intra margines exigui. baccæ vbi maturuerint rubent, Vuæ acinis minores, maiores, quàm Sambuci, sapore haud gratæ, in quibus duri planique nuclei.

Circa humidos tractus, & palustres gignitur: sepit verò & non rarò prata ac veruacta.

Vmbellæ cum floribus Maio vigent: Autumno baccæ perficiuntur, quæ subinde totâ hyeme in frutice restant.

2. Huius verò & altera est species; similiter fruticosa tantummodò, quæ caudicibus, ramis per interualla articulatis ac nodosis, medullaque candida refertis, foliisque angulosis priorem omninò exprimit, sed flores huius non ab vmbellis exeunt, sed in rotundum, densum, orbicularemque globum confertim collecti simul vigent, exterioribus & vmbellam superioris

Sambucus paluſtris.



Lotus.



Lotos Aphricana.

rioris ambientibus, magnitudine & forma pares omnes, colore eleganter albidi, ſed odore deſtituti, nullo ſuccedente fructu.

Hortenſis hæc eſt, & culturæ mangonio talis, vt creditur, facta. Apud Germanos ac Belgas ſubinde reperitur.

De hac Sambuci ſpecie apud Veteres nihil memoriæ proditum: neque enim Opulus eſt, vt nonnullos temere ſuſpicari contigit: multò minus Platani ſpecies. Recentiores Sambucum paluſtrem, aut Sambucum aquaticam nominant. Valerius Cordus Lycoſtaphylon facit, & priorem fructiferam feminam: alteram ſterilem marem nuncupat. Saxones, inquit Geſnerus, Vuam lupinam vocant: vnde λυκοσταφύλου nomẽ, Cordus inuenit. Germanis Walholder/& Hirſchholder: Belgis Swelken/& Swelckenhout: Gallis quibuſdam *Obiere*.

De facultatibus autem huius & baccarum eius nihil compertum apud aliquem extat: neque nos quicquam adferre poſſumus.

De Loto. CAP. XXIIII.

LOTVS, de qua ſcribimus, arbor magnitudine Pyri, vel etiam maior altiorque: caudices ſubinde habet valde craſſos, cortice circumueſtitos leui, atque è cæruleo colore eleganter virente: ramos promit lõgos, in latitudinem expanſos: folia verò veluti Ilicis, ſerræ modo marginibus inciſis. baccæ rotundæ ſunt, ac e longioribus dependent pediculis inſtar Ceraſorum, initiò ex candido flaueſcentes, rubentes deinde, ſed vbi maturuerint nigricantes.

Peregrina & rara admodum hęc arbor Belgio ac Germaniæ: ex Italia olim illata fuit, vbi ſatis frequens, Matthiolo teſte, repetitur.

Naſcitur verò & Lotos arbor in Aphrica, ſed ab Italica in fructu aliqualiter differens, vt Plinius apertis verbis lib. XIII. cap. XVII oſtendit. Aphrica, inquit, qua vergit ad nos inſignem arborem Loton gignit, quam vocant Celtin, & ipſam Italiæ familiarem, ſed terra mutatam. Magnitudo quæ Pyro, quanquam Nepos Cornelius breuem tradat. Inciſuræ folio crebriores: alioquin Ilicis viderẽtur. Differentiæ plures, eęque maximè fructibus fiunt. Magnitudo huic Fabæ, color Croci, ſed ante maturitatem alius atq; alius, ſicut in vuis.

Naſcitur denſus in ramis Myrti modo, non vt in Italia, Ceraſi: tam dulci ibi cibo,

cibo, vt nomen etiam genti terræque dederit, nimis hospitali aduenarum obliuione patriæ.

Ferunt ventris non sentire morbos, qui eum mandant. Melior sine interiore nucleo, qui in altero genere osseus videtur. Vinum quoque exprimitur illi, simile mulso, quod vltra denos dies negat durare idem Nepos: baccasque contusas cum alica ad cibos doliis condi. Quin & exercitus pastos eo accepimus, vltro citroque commeantes per Africam. Ligno colos niger. Ad tibiarum cantus expetitur. E radice cultellis capulos, breuesque alios vsus excogitant. Hæc ibi natura arboris. Hactenus Plinius. Præcipuam autem hanc, eodem loco ait, circa Syrtes ac Nasamonas. lib. verò v. cap. vii. haud procul à Syrti minore, insulam esse tradit Menyngem, Lotophagitim dictam, à copia Lotorum.

Strabo autem lib. xvii. non modò Menyngem, sed & ipsam minorem Syrtim Lotophagitim dici affirmat. In principio, inquit, Syrtis insula quædam adiacet oblonga, nomine Cercinna: item altera minor Cercinnitis his continua est minor Syrtis, quam Lotophagitim Syrtim vocant. huius sinus ambitus est M. & DC. ferè stadiorum. oris latitudo DC. Iuxta vtrumque promontorium insulæ adhærescunt continenti, Cercinna scilicet & Menynx, magnitudine æquales. Menyngem Lotophagorum terram putant, cuius Homerus meminit, & signa quædam extant, & Vlyssis ara, & fructus ipse. Nam Lotos arbor multa in ea est fructu suauissimo. Hæc Strabo.

Describit & hanc Lotum Theophrastus lib. IIII. Genera eius complura esse refert, fructu discreta. qui magnitudine Fabę, maturescens vuarum more colorem immutat. apud Lotophagos editur dulcis, suauis, innocuus, & ventri salubris: suauior verò qui absque nucleo, ex quo & vinum exprimitur.

Natura autem hæc Lotos, eodem auctore, perpetua est. exemplo sunt Lori, de quibus Plinius lib. XVI. cap. XLIIII. Romæ, inquit, Lotos in Lucinæ area, anno qui fuit sine magistratibus CCCCLXIX. vrbis æde condita, incertum ipsa quanto vetustior. Esse quidem vetustiorem non est dubium, cùm ab eo luco Lucina nominetur. hæc nunc circiter annum CCCCL. habet. Antiquior illa est, sed incerta eius ætas, quæ capillata dicitur: quoniam Vestalium virginum capillus ad eam defertur. Verùm altera Lotus in Vulcanali, quod Romulus constituit ex victoria de decumis, æqueua vrbi intelligitur, vt auctor est Massurius.

Græcè hæc arbor λωτός: Latinè à Plinio Celtis vocatur: ab Italis *Perlaro*: à Tridentinis *Bagolaro*. Sunt verò & eiusdem nominis herbæ trifoliæ complures, de quibus Pempt. quartæ lib. IIII. latissime scriptum est.

In Ægypto etiam quædam Lotos, ex palustrium genere. huic, vt Theophrastus ait, caulis natura similis Fabæ (videlicet Ægyptiæ) & fructus eodem modo: nascitur enim fructus in capite modo quo in Faba: flos candidis liliis foliorum angustia proximus. radix huius Loti, κόρσιον dicta, rotunda & Mali Cotonei amplitudine, cortice nigro, quali nux Castanea tegitur. cuius internus candidum elixum aut assum gratum cibis. manditur verò & crudum, sed crudo gratius decoctum. *Lotus Ægyptia* *Κόρσιον.*

Lotus autem arbor (vt ad hanc redeat dictio) non multæ adstrictoriæ facultatis est particeps, auctore Galeno, sed & tenuium partium ac exiccatoria.

Ramentorum ligni decoctum siue potum siue infusum dysentericis & fluxione vteri laborantibus auxiliatur. citam aluum cohibet, & capillos rufat: & defluentes, addit Galenus, cohibet. Coquuntur autem, eodem auctore, ramenta, interim in aqua, interim in vino, nimirum prout vsus poposcerit.

De Azedarach. Cap. XXV.

ARBOR magna Azedarach est: cuius folia ex pluribus composita, Fraxini, Orni, aut Sorbi referunt, sed tamen minus densè cohærentia, & profundioribus incisuris per circumferentiam serrata, colore saturo virentia: flores quinque angustis foliolis stellæ instar radiati, è medio longiore tenuique eminente calyce: fructus forma Ziziphorum instar, sed luteo colore pallescentes, gustu viroso & amaricante, sapore ingrati, osseo intus nucleo, quem transmisso licio ad precatorias catenulas, aliarum sphærularum loco, nonnulli adhibent.

In Italiæ quorundam monasteriorum septis hanc arborem haberi Matthiolus refert: Lobelius Venetiis & Narbonæ frequentem esse ait. Solet verò & olim in elegantissimis Belgij viridariis seri ac coli.

Nomen autem huic ab Auicenna Azedarach, aut, vt nonnulli legunt, Azedaracth: & nominant eam, ait, in Rechi arborem Myrobalanorum: & in Tabrasten, & Kien, & Thabich. Recentiores autem non parum errarunt, hanc Sycomorum esse volentes; & non multò minus, qui Loton arborem affirmarunt. *Quorundam error.*

 At flos

Azedarach.



At flos huius, auctore Auicenna, calidus est ordine tertio, & siccus in fine primi: obstructiones aperit, ac præcipuè cerebri. fructus pectori valde nocet, ventriculo aduersatur, ac molestiam adfert, perniciosus est, & fortassis interficit. Aqua foliorum pedunculos enecat, & capillos longiores reddit.

Fertur & decoctum corticum, Fumoterræ & Myrobalanis additis, conferre aduersus febres ex pituita natas. Succus extremorum foliorum cum melle venenis resistit.

Similia & Rhasis habet: Azedarecht, ait, calida est & sicca: obstructionibus quæ in capite congrua existit: capillos prolongat. Fructus tamen eius valde stomacho nocitiuus, qui & quandoque perniciosus inuenitur. Matthiolus folia huius & lignum animalia etiam necare tradit: veneno verò ipsius, remedijs quibus Nerio occurrendum.

QVARTI LIBRI PEMPTADIS SEXTÆ
FINIS.

STIR-

STIRPIVM HISTORIÆ PEMPTADIS SEXTÆ
LIBER QVINTVS, ET VLTIMVS.

DE PERPETVA FRONDE VIRENTIBVS, ET CONIFERIS, ET RESINIFERIS.

PRÆFATIO.

IAM ad operis nostri κορωνίδα ac finem properamus, vltimumq́; non modò sextæ Pemptadis, sed & totius stirpium historiæ librum aggredimur, quo non paucæ comprehenduntur perpetua virentes fronde: inter quas Coniferæ ac Resiniferæ occurrunt. De quibus pro operis nostri instituto deinceps agendum.

Auspicamur autem à Lauro semper frondente ac virente frutice, atque eodem quoque coronario. Operi fine imposito, veluti & certamini feliciter peracto, corona debetur. Non quidem cuiuis absoluto eadem, sed pro eiusdem conditione differentes. Medico operi nulla aptior, quàm ex Lauro conferri potest. Apollini siquidem hæc sacra est, dedicata quoque & adamata. Apollo autem non vaticinationis tantummodo, sed & Medicinæ parens ac inuentor celebratur: atque vniuersarum herbarum ei subiecta potentia fertur. Oportunè idcircò ad operis huius finem Laurus aditum præbet.

De Lauro. CAPVT I.

Laurus.



1. LAVRVS non rarò mediocris arboris altitudinem assequitur: ramis pluribus luxuriat, cortice virentibus. folia ei oblonga, lata, dura, colore virentia, suauecolentia, sapore nonnihil amaricantia. flores herbacei coloris secundum ramulos ac folia exeunt. baccæ siue fructus rotundis longiores, cortice teguntur nigricante; interior harum nucleus in duas partes finditur, veluti Persici, & Amygdali, aliorumq́; colore è ruffo subnigricans, odoratus, sapore cum exigua acrimonia nonnihil amaricans.

2. Huius verò & altera species fruticosa magis existit, à radicibus germina plura emittens, quæ tamen in altitudinem tantam vt prior non assurgit, & corticibus ramulorum rubet: folia verò etiam teneriora ac minus dura habet: cæteris priori non absimilis.

Duas autem has Laurus Dioscorides haud ignorauit. Quandam enim tenuifoliam esse ait: alteram verò πλατυτέραν siue folio latiorem, aut potius τραχυτέραν, id est, duriorem, quod magis conuenit.

Nascitur Laurus in Hispania, Italia, aliisque calidioribus regionibus. Solo apud Belgas salsilagine infecto melius proficit, vt in Zelandiæ insulis. alibi cura eget, & hyeme à frigore arceri debet.

Vere noua germina, atque vnà flosculos profert: baccæ sub Autumnum perficiuntur. Viret arbos perpetuò.

Græcis hæc Δάφνη dicitur: Latinis Laurus: Italis *Lauro*: Germanis Lorbeerbaum: Belgis Laurus boom: Gallis *Laurier*. Hispanis *Laurel*, *Lorer*, & *Loureiro*: Anglis Laurel/vel Bay tree: Bohemis Bobeck.

Fructus Græcis δαφνίδες: Latinis Lauri baccæ: Germanis Lorbeeren: Belgis Bakeleer: Hispanis *Vayas*.

A δάφνη Ladonis filia quam Apollo adamauit nomen habere à Poëtis fertur.

At Lauri baccæ & folia, vt Galenus ait, resiccant & excalfaciunt vehementer: plus tamen fructus quàm folia.

Cortex minus acris & calidus est, sed magis amarus: habet verò & adstrictionis nonnihil.

Lauri baccæ cum melle aut passo in eclegmate prosunt, Diosc. ait, aductus phthisim, orthopnœam, & omnes circa thoracem desfluxiones siue rheumatismos: contra scorpionum ictus ex vino bibuntur: vitiligines siue ἀλφοὺς expurgant: expressum verò harum aurium doloribus & auditus grauitati auxiliatur, cum vino vetere & rosaceo oleo instillatum: miscetur verò & istud acopis, & calfacientibus ac discutientibus vnguentis.

Nostra ætas baccis non ad pulmonis aut pectoris morbos vtitur, sed ad ventriculi, iocinoris, lienis, ac vesicæ affectus has exhibet: refrigeratum ventriculum concalfaciunt: concoctionem crudorum humorum promouent: languentem appetentiam excitant: cibi fastidium pellunt: iocinoris ac lienis obstructiones aperiunt: vrinas ciunt: menses mouent, & ad secundarum expulsionem faciunt.

Oleum verò ex his expressum aut decoctione elicitum, scabiem atque similes cutis fœditates citò curat: cæsis atque ab alto delapsis quoque illitum prodest: suggillata tollit & sanguinem concretum, & humores circa dolentem locum digerit ac discutit.

Folia, Diosc. ait, in balneo aut insessu vteri ac vesicæ vitiis conuenire: virentia folia placidè adstringere: trita verò ac imposita vesparum ac apum ictibus mederi: cum polenta autem & pane inflammationem omnem mitigare, mitigare verò & stomachum cum potu assumpta, sed vomitum ciere.

Coquuntur verò Lauri folia à recentioribus non rarò cum nonnullis cibariis, præsertim piscibus: verùm inde nulla nausea accedit, sed cibus istis conditus sapidior, ac ventriculo gratior redditur. Radicis cortex, auctore Galeno, calculos confringit, & iocinori prodest, trium obolorum pondere ex vino odorato potus. quod & Dioscorides habet, qui & addit, fœtus in vtero necare.

De Tino, siue Lauro syluestri. CAP. II.

Tinus, Laurus syluestris.



TINVS Lauro minor ac humilior est: ramulis oblongis, articulatis, in alas diuisis: foliis latis, læuibus, relucentibus, Lauri æmulis, odore destitutis, non alternatim dispositis, sed e singulis articulis situ oppositis: flosculis in vmbellis paruulis ad ramulorum cacumina albidis, foris subinde nonnihil purpurascentibus: baccis veluti Myrti, sed longioribus, ac cærulei elegantissimi coloris.

Peregrina hæc stirps Belgio est: in paucissimorum hortis olim conspicua. Italiæ ac Hispaniæ agri, tum & aliarum regionum huius feraces existunt. pro quarum differente situ ac natura mutationem quoque nonnullam accipit.

Viret Tinus perpetuò, & frequenter vno eodemque tempore cum flore & maturis baccis conspici potest.


Tino huic nomen est, dicitur & Laurus syluestris, siue δάφνη ἀγρία: à Catone Laurus syluatica: Italis *Lauro saluatico*: ab Hispanis *Vua de perro*: ab aliis *Follado*: à nonnullis *Durillo*.

Occurrit huius apud Plinium mentio lib. XV. cap. XXX. his verbis: Tinus, hanc syluestrem Laurum aliqui intelligunt, nonnulli sui generis arborem. Differt colore: est enim ei cærulea bacca.

De viribus verò huius nihil vel Plinius, vel veterum alius quidquam habet.

De Rhododendro. CAP. III.

Rhododendrum.



ARBORESCENS stirps Rhododendrum est, Lauri effigie spectabilis. folia eius oblonga, maiora latioraq; quàm Amygdali, crassa item duraq; flores elegantissimi, rubentes Rosarum speciem exhibent; quibus pereuntibus siliquæ succedunt digitalis longitudinis, teretes, in quibus semen lanosis floccis albidis implicitum, qui & vento sicuti pappi abripiuntur. radix longa, polita, & lignosa.

Nascitur, inquit Dioscorides, in παραδείσοις, id est, amœnis viridariis, maritimis, & secus flumina. In Italiæ quibusdam huiuscemodi locis reperitur.

Iunio mense flores prodeunt: siliquæ serius perficiuntur.

Apud Græcos Νήριον à Nicandro Νηρὰς Latinis similiter Nerion. Item & ῥοδόδενδρον, Rhododendron, & ῥοδοδάφνη, Rhododaphne, id est, Rosea arbor, & Rosea Laurus: à nonnullis verò, vt inter spurias voces, αὐτόγγος, ἀιμοσταρὶς In Officinis Oleander. Italis *Oleandro* Hispanis *Adelfa*, *Eloendro*, ac *Alendro*. Gallis *Rosagine*.

Nerion autem siue Rhododendron foris impositum digerendi vim, vt Galenus ait, obtinet. at si intra corpus assumatur, perniciosus ac venenosus, non tantùm hominibus, sed plerisque etiam pecudibus.

Vim habent, Dioscorides scribit, flores & folia canibus, asinis, mulis, & plurimis aliis quadrupedibus animantibus exitialem ac lethalem: hominibus verò ex vino pota, sunt contra serpentium morsus præsidia, ac magis addita Ruta. Imbecillæ animantes, vt oues & capræ, si aquam bibant in qua folia maduerint, moriuntur.

De Iunipero. CAP. IIII.

INTER Iuniperos vna minor: altera maior peregrina. Est verò harum quædam florem edens, non tamen fructificans: alia fructum gignens florem haud adferens.

Minor Iuniperus lignosus est frutex, frequentibus alis ramosus: cortice membranaceo spontè disrumpente: materia ligni fulua, & cùm accenditur odorata. foliola habet angusta, acumine pungentia, spinas idcirco magis quàm folia referentia, non tamen admodum duras. baccæ eius, quæ fructum fert, initio virides, per maturitatem nigræ, legitimæ Fabæ, (in Græco perperam καρύου pro κυάμου legitur) ac Ochri, id est, Eruiliæ magnitudine. radices hinc inde sparguntur, quædam tamen alte descendunt. *Dioscoridis locus emendatus*

Iuniperus maior ad Cupressi altitudinem subinde excrescit: folio maiore ac duriore: fructu quoque grandiore, ad Auellanæ nucis quantitatem accedente, & ferè instar Gallæ, Bellonio auctore. Lachrymam hæc fundit liquidam æstiuis mensibus, quæ caloris officio in gummi coit.


Minor Iuniperus passim in vtraque Germania, Gallia, & alibi gignitur in incultis, desertis, apricis, montosis: rarò ad plana descendit, & frequenter humilis, sessilibus in terra ramulis latè sese diffundens, quandoque tamen exiguæ arboris instar se attollit, præsertim cultu accedente, aut in calidis regionibus.

In Tauro monte Bellonius maiorem gigni refert. Aloisius Anguillara iuxta littora maris Ligustici & Adriatici, & in Illyrico Iuniperum magnas baccas ferentem: alij in Galliæ quoq; Prouincia reperiri scribunt. Asperis maritimisque locis plerumque nascitur, vt inter notha Dioscorides.

Vtraque Iuniperus perpetua fronde viret, nec frigora horret: fructum tardè perficit, nec ante bimatum, singulis tamen annis nouos promit, quo fit vt nunquam absque fructu sit, &

recen-

Iuniperus.



recentes veteres occupent. Autumno autem demum ad maturitatem perueniunt.

Iuniperus Græcis ἄρκευθος. Officinæ Latinam vocem retinent. Arabibus *Arconas* & *Archencas*: Italis *Ginepro*: Germanis Wechholter: Hispanis *Enebro*, *Ginebre*, & *Zimbro*: Gallis & Belgis *Geneure*: Anglis Juniper tree: Bohemis Jalowec.

Appellatur verò & minor ἀρκευθίς, μνησίθεος, & ἀκατάλις, vocibus quidē inter nothas relatis.

Maior verò & similibus vocabulis Κυπάρισσος ἀγρία, ἢ ἀκατέρα, necnon & μνησίθεος.

Bacca Iuniperi Græcis ἀρκευθὶς dicitur, quanquam & ipsa Iuniperus ἀρκευθὶς quandoque appelletur. Germanis Krametbeer: Weckholterbeer: Belgis Geneuerbesien: Hispanis *Neurinas*: Bohemis Zeno Jalowcowe.

Lachryma Iuniperi, recepta Officinis voce, Vernix nuncupatur: Serapioni Sādarax & Sandaracha dicitur. Græcis verò alia Sandaracha Auripigmenti species, quæ in iisdem metallis quibus auripigmentum gignitur, longè à Vernice hæc differt. Plinius lib. XI cap. VII. & alterius quoque Sandarachæ meminit, quæ Erithace & Cerinthus vocatur: hæc est apum, dum operantur, cibus.

Calida autem & sicca est Iuniperus: vtrimq; vt Galenus ait, tertij ordinis. Baccę verò & calidæ sunt, sed nō perinde resiccātes. Vernix primo ordine excalfacit ac resiccat, vt Arabes referūt.

Iuniperi fructus iecur renesque, Galeno auctore, expurgat; crassos glutinosósque humores extenuat: salubribus medicamentis & antidotis admiscetur. affatim sumptus stomachum mordicat, caputque calefacit: alui excrementa nec retinet, nec propellit: vrinam cit. Potum hunc, Dioscorides ad vitia thoracis, tusses, inflationes, tormina, & venena prodesse: conuulsis, ruptis, & vuluæ strangulationibus conferre refert.

Aduersus autem veterem tussim, & difficilem illam, qua subinde pueri excruciantur, & per quam crudi, lenti, viscosi, sanguine vnà quandoque permixto eiiciuntur, decoctum horum plurimum valere certissimum est.

Nonnulli in Bohemia aquam, in qua fructus isti macerati, alterius potus loco assumunt, qui admodum salubriter viuunt. Vtiliter autem hæc aduersus febres pestilentes & venena bibitur, resipit autem haud ingratum. Superfunditur non semel tantū in aqua, sed priore ferè exhausta, iterum vasculum noua adimpletur.

Foliorum ac ligni accensorum suffitu serpentes fugantur: & si quæ est maligna aëris qualitas, hoc emendatur. Succum foliorum ex vino illini & bibi, aduersus viperarum morsus prodest.

Corticis cremati cinis cum aqua illitus, lepras eximit.

Ramenta ligni assumpta perniciosa esse, vulgaria Dioscoridis exemplaria habent: sed emendatiora nequaquam: nec quisquam veterum hoc asserit.

Vernix defluentes è capite pituitosos humores suffitu reprimit. assumpta potaque ventriculo ac intestinis crudos pituitosósque inhærentes humores concoquit: lumbricos & ventris tineas necat: mensium profluuia & hæmorrhoides sistit. commendatur & ad sanguinis sputationem, sinuosa vlcera inspersa resiccat ac carne replet: cum oleo rosato permixta manuum & pedum rimas sanat.

Fit ex hac cum oleo ex semine Lini temperata, liquida Vernix, cuius vsus ad tabulas depictas illustrandas, tum etiam ad ferri nitorem, & à rubigine defensionem, vtilis.

Li.

De Oxycedro, siue Cedro minore. CAP. V.

IVNIPERO similis Oxycedrus, quæ & minor Cedrus dicitur, ad differentiam videlicet magnæ, proceræ, & coniferæ arboris Cedrelates, de qua posterius. Huius verò & duo genera,

Oxycedrus Phœnicea.



Oxycedrus Lycia.



nera, Theophrasto ac Plinio auctoribus: Lycia videlicet & Phœnicea.

Phœnicia Cedrus, quæ & Oxycedrus, caudice ramisq; tortuosis ac nodosis, in alas com- 1.
plures diffusis, Iunipero persimilis apparet. ligni materies rubet, & vti Cupressi redolet: folia
angusta & acuminata, Iuniperinis duriora, acutiora, magisque pungentia, ac circa cauliculos
rariora: fructus Auellanæ subinde nucis magnitudine, aut, vt Theophrastus, Myrti bacca-
rum, per maturitatem fuluus aut rubescens, odoratus, gustatuque adeò suauis, vt & rustici
subinde addito pane hoc vescantur.

Exudat quoque ex huius caudice, in calidis regionibus, gummi durum & perspicuum,
Mastichi simile, quod tamen non vti hæc in mandendo lentum coalescit, sed friabile in te-
nuissimas facile resoluitur partes.

Altera humilis Cedrus Lycia, prioris altitudinem haud assequitur: caudice verò similiter 2.
tortuoso, brachij crassitudine, alis multis ramoso: cortice scabro, exterius fuluo, interius ru-
bente. folia frequentiora, initio Iuniperi æmula, sed tamen paulò breuiora; tertio verò aut
quarto anno crassiora, & tereti figura, ad Cupressi vel alterius Sabinæ accedunt, retusa vi-
delicet & minimè pungentia, quæ digitis trita odorem spirant pergratum. Ita vna eademque
stirps inferius acuta & pungentia, superius verò crassa & retusa promit folia: vt à doctiss. Clu-
sio diligentissimè obseruatum. fructus autem huius rotundus baccarum Iuniperi instar, co-
lore per maturitatem flauus, ad rubotem inclinans: gustu subamarus, cæterùm odoratus.

Vtraq; humilis Cedrus Germaniæ non modò inferiori, sed & superiori peregrina. Amant
tamen, vt Theophrastus ait, saxosis & frigidis nasci.

Phœnicia Oxycedrus in Italiæ, Hispaniæ, ac Asiæ quibusdam locis; & alicubi procerior 1.
& maior exit. Quæ etenim in Gargano Apuliæ monte multò alibi enatis altior, procerior, ac
amplior est, baccasq; profert maiores, nucem Ponticam magnitudine æquantes ac dulciores:
vt diligentissimus scriptor Bellonius refert. C. Clusius Oxycedrum & Iuniperum tantæ ma-
gnitudinis in nonnullis Hispaniæ locis se obseruasse tradit, vt ad hominis crassitudinem cau-
dex earum accesserit.

Lycia in Galliæ Prouincia haud procul Massilia reperitur, & in magna Græciæ parte in 2.
Illyrico ac Epiro gignitur.

Perpetuò vtraq; virens est, & hybernis quoque mensibus fructu ambæ grauidæ, vtpotè semper prægnantes, vetere nouum excipiente. Vere noua germina, rudimentaque fructuum promuntur. Autumno maturitatem altero anno, veluti Iuniperi baccæ, assequuntur.

Minores ac humiles Cedri appellantur, ad differentiam Coniferæ proceræ Cedrelates.

1. Prior Ὀξύκεδρος ac κέδρος φοινικὴ, Oxycedrus, siue acuta Cedrus, & Cedrus Punica. à Plinio verò Phœnicia cognominatur, à Phœnicei coloris fructu. Hanc Hispani *Enebro* quoq; Clusio teste, appellant, eodem videlicet quo Iuniperum nomine; in quo & veteres nonnullos imitari videntur, qui Iuniperum & Cedrum nominibus minimè diuiserunt, sed ambos, vt Theophrastus ait, Cedros vocarunt, Cedrũ tamen cum additione Ὀξύκεδρον nuncupãtes.

2. Altera retuso folio λυκία κέδρος Theophrasto. Plinio similiter Lycia Cedrus dicitur: in Galliæ Prouincia *Morueine*: hanc nonnulli Sabinam appellant, ac pro Sabina, qua carent, vtuntur, veluti Pharmacopœi Epidauri, & in plutibus Græciæ ciuitatibus, tum & in Illyrico ac Epiro: Bellonio teste. Sunt verò qui & θύαν siue Thyam esse existiment, sed Thya, auctore Theophrasto, non modò caudice, folijs, & ramis, sed & fructu Cupresso similis est: huius verò fructus cum Cupressi galbulis non conuenit.

Cedris. Cedri fructus κεδρὶς Theophrasto appellatur. Est tamen, & ipso teste, Cedrus (Gazæ Credula) ex genere θαμνωδῶν siue fruticantium, patuum quoddam, quod nunquam arborescit.

Gummi autem siue Lachryma, quæ ab Oxycedro profluit, Vernix quoque dicitur, ac eius loco diuenditur.

Cæterùm Cedrus minor, auctore Galeno, calidæ ac siccæ temperaturæ, & tertij quodammodo secundum vtrumque ordinis. Materies verò eius veluti Iuniperi odorata, & ad suffimenta vnà cum folijs vtilis.

Cedrides, id est, baccæ siue fructus humilis Cedri, moderatiores vires, eodem teste, habent, sic vt & comedi queant: Si liberalius tamen quis iis vtatur, capiti dolorem inferunt, & ardorem ac morsum in ventriculo sentiet. Est autem inter Cedrides discrimen, nam Phœniciæ Cedrides minus calent ac resiccant, vtpote dulciores, gustuque suauiores, ad edendum idcirco vtiliores, alimenti verò corpori & nonnihil cõferunt. Lyciæ verò fructus acres, calidiores & sicciores etiam quàm Iuniperi, à quibus acrimonia potissimùm differunt: alimenti omnino nihil adferunt; ac etiam si quis parcissimè ipsis vtatur; stomachum mordicant. & capiti dolorem inferunt.

Sabina.

1.

2.



De Sabina. CAP. VI.

SABINA duûm est generum. vna folio Tamarici similis: altera Cupressum refert.

Prior humilis est ac breuis arbuscula, in latitudinem frequenter sese diffundens ac explicans, immortali coma virens: folijs Myricæ [Græcum exemplar perperam κυπαρίσσῳ] sed durioribus, & aliquantulum spinosis, graui odore, acuto feruidoq; gustu: fructus, rotundæ sunt baccæ, nigricantes, Iuniperinis similes.

Dioscoridis locus emendatus.

Altera Sabina arbor est procera, vt Bellonius ait, Amygdali altitudinem petens, & ad Cupressi satiuæ similitudinem multùm accedens: caudice sinuoso, crasso, & tantæ quandoque amplitudinis, vt hominis vlna comprehendi nequeat. ligni materies vt Iuniperi & Oxycedri interius rubet. cortex haud valdè crassus, rufus. folia elegantissimo virore nitẽt, Cupressinis similia, frequentiora tamen, sapore amara, aroma olent, & resinaceum quiddam præ se ferunt. rami latiores multis adnatis appendicibus alarum instar expãsi, veluti Piceæ & Taxi, in quibus baccæ frequentes, admodum rotundę Cedridibus similes, quæ initiò virent, maturitatem verò consequutæ ex cyaneo siue cæruleo nigricant.

E radice

Sabina altera.



Sabinæ alterius altera icon.



E radice huius resina quandoque fluit, quæ concreta Vernici similis, & in mandendo quoque friabilis est.

In montibus ac syluis, aliisque perinde incultis vtraque gignitur, veluti in Creta, Mysia, & alibi. P. Bellonius vtramque in Tauri, Amani, & Olympi montium excelsis à se repertam memoriæ prodidit.

Prior in vtriusque Germaniæ, & Galliæ hortis frequenter culta repetitur: Seritur hæc semine & surculo. Defigendi surculi mediocriter humido ac vmbroso loco, donec radices egerint: frutices ab his enati in latus declinant, rami naturam retinentes. Quæ verò ex semine sata est Sabina rectius assurgit: temporis progressu hæc semina profert: illa vt plurimum sterilis permanet.

Viret perpetuò vtraque: fœtibus suis grauida altera frequenter hyeme reperitur. semper siquidem fructus arbori huic insidet, prius enim quàm veteres perficiuntur, noui subueniunt.

Græcis βράθυς aut βράθυ, vel, vt nonnulli legunt, βράθυξ dicitur: Latinis Sabina: βόρυθρον verò & σάβιον vocibus spuriis. Prior vulgò in officinis Pharmacopœorum cognita Sauinę nomine: à nonnullis Sauimera: Itali & Hispani Latinam appellationem seruant: Germanis Sevenbaum: Belgis Sauelboom: Gallis *Sauenier*: Bohemis Klasterka. 1.

Alteram Cupressum Creticam quidam, inquit Plinius, dixerunt. Idem lib. XII. cap. XVII. 2. Brutæ arboris meminit. hanc alteram Sabinam esse sunt qui opinentur, & transpositis voca- Bruta. bulis pro βράθυ, Bruta legi. Describitur siquidem à Plinio lib. XII. cap. XVII. Cupresso similis his quidem verbis: Petunt in Elimæos arborem Brutam, Cupresso fusæ similem, exalbidis ramis, iucundi odoris accensam, & cum miraculo historiis Claudij Cæsaris prædicatam. Folia eius inspergere potionibus Parthos traditur. Odorem esse proximum Cedro, fumumq́ue eius contra alia ligna remedio. Nascitur vltra Pasitigrin in finibus oppidi Sittacæ, monte Zagro: Hæc ille.

Elimæi autem in Assyriorum regione post Sagrum montem supra Babylonios Straboni describuntur, haud procul a Sinu Persico Ptolomæo. Difficile idcircò fuerit Brutam esse Sabinam alteram affirmare, cùm tanta loci distantia haud dubiò differentiam adferre queat;

 & non

& non nisi paucis ac breuiter descripta sit. Plus similitudinis cum Sabina Thya habere videtur à Theophrasto descripta: sed tamen cum Thya fructu Cupressum referat, non Cedrides, satis quoque manifestum Sabinam alteram non esse Thyam. Non esse quoque hanc Vitæ, à recentioribus appellatam, arborem, ex subsequentibus euidens fiet, ac indubitatum relinquetur.

Sabina autem tertij ordinis cùm excalfacientium, tum desiccantium, & ex numero eorum, quæ vel maxime tenuium sunt partium, vt Galenus ait.

Sabina cum vino decocta, aut epota, sanguinem per vrinas ducit, menses suppressos etiam potenter prouocat: secundas post partum relictas eiicit fœtum mortuum expellit. nocet & viuo. Eadem subtus apposita vel suffita posse existimatur.


Plinius cum melle & vino sumptam regio morbo mederi scriptum reliquit. Rarum sunt vitium verrucæ in pene extuberantes, has tollit Sabinæ ex aqua decoctum, si eo foueantur, insperso deinde puluere.

De Cupresso. CAP. VII.

Cupressus.



Cupressi ramus cum fructu.



PROCERA arbor Cupressus est, caudice longo surrecto, fastigio acuminato: ramis compluribus in orbem cingitur, qui non in amplitudinem diffunduntur, sed secundum caudicem assurgunt, cacumen tamen non attingentes, coni similitudinem effingunt. ligni materies dura, solida, compacta, odorata, & sublutea, ferè veluti Sandalorum luteorum, sed paulò dilutiore colore, nec cariem nec vetustatem sentit, nec fissuram spontè capit. Folia oblonga, teretia, veluti Tamaricis, sed carnosiora. Fructus ad ramulos dependent Larignis conis ferè assimiles, sed tamen crassiores & compactiores, qui per maturitatem spontè in rimas fatiscunt, semenque deinde delabitur, ac vento impellente excutitur, paruum, planum, prætenue, obsoleti coloris, quod formicis gratum, ciboque ab ipsis expetitum.

Huius genera duo nonnulli statuunt: feminam & marem. feminam quidem sterilem: marem verò fœcundam. Theophrastus ex femina marem prouenire, nonnullos affirmare refert. Fundit autem Cupressus liquidam quandam resinam, Larignæ consistentia similem, sed sapore acerrimam.

Loca

Loca feruida, inquit Theophrastus, Cupressum habent, vt Creta, Lycia, Rhodus: in Cyrenensi agro etiam prouenit. In Cretæ autem montibus Idæis, Leucisque, id est, albis vocatis, super summa quorum nix nunquam deest, etiam reperiri affirmatur. Bellonius negat in iugis horum montium inueniri, sed circa radices in ruderibus & superciliis montium. Aduena quondam Italiæ, nunc verò Galliæ ac Germaniæ inferiori. Nullo pacto nec fimum nec aquam concupiscit: emori dicitur si nouella copiose adaquetur. Cæteris in locis semine exit, in Creta verò etiam ἀπὸ τοῦ στελέχους, id est, ex ramulis.

Semper viret ipsa arbos: fructus ter vno anno colligi possunt: Ianuario, Maio, ac Septembri mensibus, idcirco & Trifera appellatur.

Κυπάρισσος, vel κυπάριττος Græcis. Latinis Cupressus. Officinis Cypressus: Italis *Cipresso*: Gallis ac Hispanis *Cipres*: Germanis Cypressenbaum: Belgis Cypresse boom.

Fructus σφαίρια τῆς κυπαρίσσου Latinis Pilulæ Cupressi, Nuces Cupressi ac Galbuli dicuntur: Officinæ Nuces Cypressi appellant. Diti olim hæc sacra habita fuit, & feralis dicta, ex quo creditur vmbra eius infausta.

Cupressi autem folia, germina, & recentes galbuli, resiccandi vim habent & vnà adstringendi, absque insigni tamen acrimonia aut caliditate: tanta autem & caliditas eis adest, quantum satis sit deducendæ in altum adstrictioni & acerbitati, vt Galenus auctor. Magna vlcera in duris corporibus conglutinant: in alto latentes in flaccidis affectibus humiditates innoxiè tutoque depascuntur atque absumunt. Ad enterocœlas hoc modo prosunt, partes siquidem præ humiditate laxas resiccant, deinde ipsis robur addunt. Quidam etiam ad carbunculos & herperas polentæ permiscentes his vtuntur.

Pilulæ tusæ ex vino, auctore Dioscoride, in dysenteria, alui fluore, & si reiiciatur, commodissimè bibuntur. Eosdem, decoctum harum & foliorum præbet effectus.

Folia suffitu culices abigere feruntur atque idem posse pilulas. Ligni ramenta vestimentis interposita à tineis ea tuentur. Resina tineas, vermiculos, & teredines quoque necat.

De Thya, siue Cupresso syluestri ex Theophrasto & aliis.

CAPVT VIII.

THYA, auctore Theophrasto, procera ac perpetuò virens est arbor, Cupresso adeò forma similis, vt & ramis, caudice, foliis, & fructu ipsam referat, ac potius syluestris quædam Cupressus. materies ligni solida, odorata veluti Cedri, quę non corrumpitur. radice huius nihil crispius, preciosa opera idcirco ex hac conficiuntur.

Præcipua autem hæc est iuxta Ammonis delubrum, & in reliqua Cyrenaicę regionis parte enascitur montium cacuminibus locisque algentibus. Cupressum verò quandam syluestrem in Creta quoque reperiri Bellonius refert, quæ non ad aliarum Cupressorum altitudinem excrescit, nec metæ modo fastigiata attollitur, sed humiliore statu contenta parulam comam in latitudinem diffundat. caudice verò & crasso eam esse affirmat. Sitne hæc Thya, de qua Theophrastus & Plinius, expendendum reliquimus. *Cupressus syluestris.*

Serotina autem Thya est, & tardissime germinat.

Græcis θύα siue θύϊον & θύον: Differt ab his θυεία non stirpis nomen, sed mortarij, in quo res aridæ teruntur. Nota (inquit Plinius lib. XIII. cap. XVI.) Homero Thya: Hanc igitur inter odores vri tradit in deliciis Circes, quam Deam volebat intelligi, magno errore eorum, qui odoramenta (videlicet omnia) in eo vocabulo accipiunt, cùm præsertim eodem versu Cedrum & Thyam (Laricem perperam exemplaria) vnà tradat: in quo manifestum de arboribus tantùm loquutum. *θυεία.* *Plinij locus restitutus.*

Extat versus Odysseas quinto, vbi Mercurium inducit Iouis mandato Calypsus antrum petiisse, & Thyæ Cedrique combustarum arborum odorem longè præsensisse: ait enim

—— τηλόσε δ' ὀδμὴ
κέδρου τ' εὐκεάτοιο θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει.
—— *Ex longinquo odorem*
Cedri & incensæ Thyæ iuxta insulam olebant.

Theophrastus magnum huic arbori honorem tribuit, memoratas ex ea referens templorum veterum contignationes, quandamque immortalitatem materiæ in tectis, contra vitia omnia incorruptæ.

De arbore Vitæ dicta. CAP. IX.

QVÆ arboris Vitæ nomen accepit, in altitudinem excrescere posse fertur: caudice assurgit lignoso, duro, & nodoso, cortice è rubro nigricante conuestito. ramuli ab hoc

 vtrimque

Arbor Vitæ



vtrimque complures alterni sparguntur, à quibus rursus alij frequentes alarum instar expansi, qui recti essent, si non ad foliorum exortus reflecterentur, & adeò applanati apparerēt, veluti si prælo compressi forent. Folia autem Cupressi quodammodò referunt, sed tamen planiora, & supra inuicem sessilia, veluti compactili nucamento cohęrent. Flosculi in extremis ramulis, exigui, ac sufflaui exoriuntur, subsequente cono perquàm exiguo, nuclei strobili nucis pineæ magnitudine, è tenellis squamulis compacto, quo dehiscente paleacea quædam semina excidunt exigua.

Odoratus totus frutex est, & cæteris huius generis odoratior: folia gustata amaricant, quorum odor contritorum ita digitis adhæret, vt difficulter ablui queat. Spirant autem hunc odorem non modò virentes ramuli ac folia, sed & recisa ac resiccata diutinè eundem retinent.

Ex peregrino orbe, Galliæ primùm aduena est facta, tempore Francisci primi Regis Franciæ, & in hortos Regiæ Fontanæblæi, ex Canadas Septentrionalis Americæ prouincia illata; vnde ad compluta Galliæ, & non pauca Belgij peruenit loca ramulo in terram depacto seritur: radices facilè loco haud insolato concipit.

Hyemis ac frigoris patiens est, amisso tamen hybernis mensibus eleganti virore, folia ramulique subnigricant, quæ Vere veluti rediuiua iterum virorem ac pristinum nitorem recipiunt, vt non temerè Arbor Vitæ dicta videatur.

Nominant siquidem hanc recentiores Arborem vitæ, neque aliud exploratum habemus eius vocabulum. Thyam Theophrasti aut Plinij Brutam esse asserere non fuerit facile. Noui orbis, noua stirps habenda est.

Calida autem ac sicca temperamento & folia & ramulos esse, non modò amaricans sapor, sed & odor abundè vehemens docent.

De Taxo. CAP. X.

TAXVS longa ac procera arbor est, caudice mediocris crassitudinis recto, & circa verticem ramoso, reliqua parte enode, qui exterius cortice contegitur ex albido sordente, scabro, ac rimoso, & interiore materia lignea nigricat. rami in latus effunduntur, in complures virgulas ac alas distributi; quæ foliis vtroq; latere frequentibus multisque densè circumseptæ sunt, instar ramulorum Piceæ, quæ Rosmarini coronarij haud dissimilia sunt, sed læuiora, & in virore nigriora, non odorata. Flosculi ab inferiore virgularum parte secundum folia, tum & circa cacumina frequentiores dependent, ex luteo herbacei. baccæ succedentes rotundæ ac rubentes sunt, concauo quodam exiguo superius apparente, veluti in nigris Vacciniis, quibus & forma & magnitudine proximè respondent.

Prouenit in pluribus regionibus Taxus: apud Græcos in Macedonia & Arcadia In Italiæ quibusdam conuallibus: in Narbonensi Gallia: in Arduenna Belgij sylua, tum & plerisque aliis, vbi rara est, locis gaudet autem vmbrosis.


Martio aut Aprili flosculi exeunt, nouis germinibus mox succedentibus: Autumno maturæ baccæ ex arbore decidunt.

Arbor hæc Græcè à Dioscoride σμίλαξ nominatur, à Theophrasto μίλος: sed à Nicandro in Alexipharmacis σμίλος: Galenus verò etiam κάκτον vocat: Latinis Taxus est: Germanis Eybenbaum: Belgis Ibenboom: Italis *Tasso*: Hispanis *Texo*, & *Taxo*: Gallis *If*: Bohemis Tis.


Error nonnullarum officinarum In Officinis indoctis, si quæ adhuc restant, Tamariscus, quæ olim huius corticem, pro Tamaricis cortice, medicamentis non absque graui errore admiscuerunt.

Venenosæ, inquit Galenus, facultatis arbor est. Dioscorides tam præsentis Narbonæ Taxum

Taxus.



Pinus.



Taxum esse veneni scribit, vt etiam sub vmbra eius requiescentes aut dormientes offendantur, & quandoque moriantur. In Belgio minus perniciosa est, & vmbra periculo caret. Theophrastus λόφουρα animalia, Iumenta vertit Gaza, mori ait si folia comederint: sed μηρυκάζοντα, id est, ruminantia non offendi: fructúsque verò & aliquibus hominibus mandi, suauesque esse ac innoxios. Nicander in Alexipharmacis Taxum inter venenatas stirpes quoque retulit, asscripto simul remedio: & quidem his verbis: Interprete Ioanne Gorræo:

Parce venenata Taxo, quæ surgit in Oeta
Abietibus similis, lethóque absumit acerbo,
Ni præter morem pleno cratere meraca
Fundere vina pares, cùm primùm sentiet æger
Arctari obstructas fauces, animæque canalem.

De Pinu. CAP. XI.

PInus duplex est Theophrasto auctore: vna ἥμερος, cultiua siue mansueta: altera ἀγρία, syluestris. Macedones verò & tertiam, ait, addere, ἄκαρπον siue sterilem, nobis incognitam.

Mansueta Pinus procero & crasso caudice in altum tollitur: inferiore quidem parte nudo, sed superiore admodum ramoso. Folia setæ equinæ ferè modo tenuia, oblonga, dura, cacumine pungentia ac aculeata, extremas ramulorum partes, comarum instar, plurima ambiunt; quorum bina ab vno ferè exeunt tuberculo. coni magni sunt ex multis solidis, duris, lignosis compacti squamis, sub quibus strobili lignosi putaminis, instar paruarum nucum, lacunatis includuntur toris, horum nucleus albidus, dulcis, oblongus, tenui membrana, facile attritu digitorum decidente, velatus, cuius vsus est.

In multis Italiæ locis, & præsertim in agro Rauennate, & circa Massiliam in Narbonensi Gallia, in Hispania, tum & alibi, veluti in Orientis prouinciis sponte sua nascitur: colitur verò in hortis ac viridariis.

Latinis Pinus & Pinus satiua, vrbana, aut potius mansueta dicitur: Macedonibus ac reliquis Græcis πεύκη ἥμερος: sed Arcadibus πίτυς: nam quam Macedones πεύκην ἥμερον, Arcadiæ incolę πίτυν vocant, vt Theophrastus ait. Atque sic ἥμερος Pinus in Arcadia ac circa ἠλείαν nomen permutat. Ex hac autem nominis permutatione accidit vt fructus Pini in conis reperti, à Dioscoride, Galeno, & Paulo, aliisque πιτυΐδες nominentur, quasi πίτυος fructus, quos Dioscorides fructus esse ait πιτύων καὶ πεύκης, qui tamen non alterius quàm ἡμέρου πεύκης sunt, ab Arcadibus πίτυς appellatæ. Est verò & alia πίτυς, Picea Latinis, à Pinu multùm differens: sed Pitys Arcadiæ nihil à Pinu differt. πίτυς

Fructus autem harum κῶνοι Græcis dicuntur, & Latinis similiter Coni. est tamen κῶνος commune nomen omnium fructuum huius

generis arborum. Nominantur verò & Latinè Nuces Pineæ: à Mnesitheo Græcè ὀστρακίδες: à Diocle verò Carystio πιτυίνα κάρυα, quæ tamen fructus esse arboris à Theophrasto πεύκης appellatæ Athenæus testatur. Videtur & idē fructus totus, στρόβιλος & κόκκαλος à Galeno vocari, Cōmentario quarto lib. Hipp. De victus ratione in morbis acutis. Libro tamē secūdo De alimentorū facultatibus non κῶνον, sed nuces in eo contentas στροβίλους nominat: & similiter lib. VII. De simplicium medicamentorum facultatibus: Coni, inquit, fructus, quem Coccalum & Strobilum vocant: hos autem πιτυΐδας etiam nominari paulò ante dictum est. Germani Conum Zyrbel: Brabanti Pijnappel nuncupant.

At fructus istius interior nucleus, vim habet concoctoriam & moderatè excalfacientem, in medio quasi frigidi ac calidi consistentem: exasperata lenit: tussi veteri & pectoris diuturnis vitiis auxiliatur, per se, aut cum melle, aliòve eclegmate sumptus: phthisicis ac tabescentibus vtilis est: vires reparat: corpus alit ac reficit: crassi ac boni est succi, multumque nutrit, non tamen omninò facile concoquitur; idcirco bellariis tritus admiscetur, aut sacharo incoquitur.

Prodest verò & idem nephriticis, ac aduersus vesicæ rosiones, vrinæque ardores, acrimoniam enim mitigat, dolores sedat, vrinam clementer prouocat: auget item & lac & semen genitale, Venerem idcirco etiam excitat.


Totus conus cum Marrubio recenti decoctus, inquit Galenus, si postea addito modico mellis iterum coquatur, donec ipsum decoctum mellis accipiat crassitudinem, medicamentum est ad thoracis pulmonisque excreationes conueniens.

Simile & Dioscorides habet: integri, ait, ac recenter ab arboribus decerpti, confracti, & in passo decocti, veteri tussi & tabitudini conferunt, si quotidie ex eo liquore terni cyathi bibantur.

De Pinu syluestri, siue Pinastro.

CAP. XII.

Pinus syluester, siue Pinaster




Pinus syluestris altera.




SYLVESTRIVM Pinorum complura sunt genera, quæ ad duo si referantur: vna erit syluestris montana Pinus: altera παράλια, siue Marina Pinus.

Inte

Pinus maritima maior.




Pini maritimæ maioris ramulus.



Inter montanas autem prima, vrbanæ siue ἡμέρῳ similis est, sed frequenter humilior, ac 1.
minus alta, crassitudine verò haud cedens. cortex eius glaber est: folia qualia Pini vrbanæ,
dura, gracilia, acuminata, sed breuiora, inter quæ subinde fructus futuri rudimentum latet.
coni verò multò minores, breues ac parui, resinosi ac odorati, qui quamprimum inaruerint,
dehiscunt, & ex arbore decidunt.
In syluis Bohemiæ, Silesiæ, Morauiæ, Lusatiæ, Poloniæ, aliisque Germaniæ, ac etiam Borussiæ,
largè prouenit, ac in omnibus Septentrionalibus regionibus. frigidos tractus amat, &
montosa: grandines, niues, & gelu non reformidat: In Pyrenæis montibus, ac Italicis Alpibus,
tum & Gallia Celtica etiam reperitur.
Altera species altitudine & proceritate minor est, alioqui arbor elegans ac speciosa. folia 2.
veluti alterius Pini frequentia, tenuia, & acuminata. Conus Piceo crassitudine ferè æqualis,
sed breuior, resinosus quoque & admodum fragilis. nuces vrbanis minores ac ferè triangulares.
ligni materies elegans est & odorata, idonea ad tabulas aliaque opera ex ea conficienda.
In Tridentino agro, vt Matthiolus scribit, ac in Rhetinorum montibus, in Comitatu
Tyrolensi, ac prope Oenipontem prouenit.
Tertiam verò præter hanc & Montanam idem refert; hæc autem caudice nullo assurgit, 3.
sed plurimis ramis effunditur humi serpentibus, duodecim aut quindecim cubitos longis,
flexibilibus ac obsequiosis, & ad circulos vasarios perquam idoneis. coni huius quales prioris
montani, sed odoratiores, & plus resinæ proferentes.
Marina Pinus duorum hominum staturam subinde non excedit: folio Pini breuiore: fru- 4.
ctu Coni forma oblongo & turbinato, multam resinam proferente. huius duæ sunt species,
fructus magnitudine tantummodo differentes.
Gignitur in maritimis Italiæ, ac etiam Hispaniæ, tum & in aliis prouinciis, haud procul
à mari locis.
Minorem verò & quandam huius generis Carolus Clusius exhibet, hominis staturam 5.
vix attingentem: foliis minutis, & veluti Laricis, sed perpetuis; Cono paruulo, ac nucleis
pusillis.

Fluit

Pinus maritima minor.



Teda

Plinij locus emaculatus

Fluit autem ex his omnibus resina alba & odorata. conuertuntur verò & in Tedam, & ex his nigra Pix vi ignis excoquitur. Transeunt verò & in Tedam quandoque Picea & Larix, sed rarò admodum: Pini enim syluestris proprius ac peculiaris morbus Teda est. In Tedam autem arbor conuersa dicitur, cùm non modò cor eius, sed & reliqua eius substantia in pinguetudinem mutata est.

Appellantur autem omnes hæ Græcis πεύκαι ἄγριαι, & Latine syluestres Pini à Plinio verò Pinastri. Pinaster, inquit lib. XVI. cap. X nihil aliud est quàm Pinus syluestris minore altitudine, & a medio ramosa, sicut Pinus in vertice. (exemplaria pleraque perperam habent: mira altitudine) Falluntur autem non parum, qui Pinum Græcis πίτυν appellari existimant, præter vrbanam: quæ tamen non ab omnibus, sed ab Arcadibus tantummodò (vt ante scriptum) πίτυς nominatur. Syluestris Pinus πεύκη omnibus est: Atque huius ideirco Teda, non Picea, sed Pinea Latinis dicitur: vt satis testatur Ouidius in epistolis Heroidum:

Vt vidi, vt perij, nec notis ignibus arsi,
Ardet vt ad magnos Pinea Teda Deos.

Item Fastorum quarto:

Illic accendit geminas pro lampade Pinus,
Hinc Cereris sacris nûc quoq; Teda datur.

Huc facit quoque quod apud Virgilium legitur Æneid. VII.

Ipsa inter medias, flagrantem feruida Pinum
Sustinet.

Vbi per flagrantem Pinum, Tedam Pineam intelligendam Seruius admonet. Accedit Catullus in Epithalamio Iuliæ & Mallij:

——manu
Pineam quate tedam.

Et Prudentius in Hymno cerei Paschalis:

Seu Pinus piceam fert alimoniam

Iam & Peucedanos à similitudine πεύκης nomen habens, Latinis a Pinu quoque appellationem Pinastelli inuenit. Quæ sanè omnia satis ostendunt πεύκην, Latinis non Piceam, sed Pinum dici.

1. Prior autem syluestrium harum species Idæa Theophrasti esse posset, si conus qui breuior est, oblongior foret. nam ex syluestribus vnam Idæam nominat, fructu longiore: alteram marinam fructu rotundiore. At nobis contrario hæc se habent modo. Nam syluestris montanę breuior est conus: maritimæ verò longior. Potest verò hæc verius Macedonum mas esse: hi etenim syluestrium vnam marem: alteram feminam statuunt: Et marem quidem contortiorem & opera difficiliorem: feminam verò faciliorem. Contortius autem huius lignum est, minusque operibus expetitum, quàm proximæ: Idcirco & mas esse posse videtur.

Germanis hæc arbor Hartzbaum/ & wilder Hartzbaum: Gallis in Celtica *Elue, Aleue*: Hispanis *Pino, Carax*.

2. Altera species Italis, Tridentinis, & Ananiensibus vulgo *Cembro* & *Cirmolo* dicitur. A Macedonum femina syluestri nihil differre apparet, nam tractabilem & ad multa opera materiam habet idoneam.

3. Tertia ab iisdem Mugo nuncupatur. hæc non abs re χαμαιπεύκη dici potest, hoc est, humilis Pinus: alia tamen ac differens à χαμαιπεύκη herba.

4. Quarta παραλία πεύκη Græcis: Latinis Maritima ac marina Pinus nominatur.

Teda autem Latinis dicta, Græcis δᾴς & δᾳδίον nominatur: Germanis Kynholtz.

Plinij error. Plinius non absque errore Tedam sui generis arborem esse existimauit, ac sextum Coniferarum genus statuit: sicuti & non rectè pro πεύκη, Laticem Latine vertit

Veluti

Veluti autem Dioſcorides inter πεύκην & πίτυν tam exiguum, vt vix vllum, diſcrimen ſtatuit ac eiuſdem generis vtramque facit: ſic & facultates vtrique communes tradit.


Vtriuſque, inquit, cortex adſtringit prodeſt aduerſus intertrigines tritus ac impoſitus: ad ſuperficiaria item vlcera & ambuſta cum argenti ſpuma & mannia thuris: Cerato verò myrtino exceptus teneriorum vlcera claudit: cum atramento ſutorio tritus ſerpentia cohibet: ſuffitu partus & ſecundas extrahit: potus aluum ſiſtit, & vrinas mouet.

Galenus ferè eadem: ſed Peuces corticem, Pityos moderatiorem eſſe ait. Folia trita inflammationes ſoluunt, & vulnera ab ipſis arcent. Trita & in aceto decocta dentium dolores mitigant, ſi hoc calido decocto colluantur: hepaticis verò & eadem vtilia ſunt, cum aqua vel melicrato pota. Idem verò poteſt & ſtrobilôn cortex, quod folia pota: ſed Galenus in cono, quanquam his ſimilis videatur, minus tamen validam facultatem eſſe affirmat, ſic vt nihil dictorum probè efficere queat, ſed moleſtam quandam habeat mordacitatem.

Teda particulatim ſecta, & in aceto decocta, dolores dentium etiam ſopit; ex decocto dente colluto. Ex hac etiam fit Spatha ad acoporum & peſſorum compoſitiones vtilis. Ex hac verò combuſta fuligo ad atramenti librarij confectionem excipitur, & ad καλλιβλέφαρα, & ad eroſionem angulorum oculi, & ad palpebrarum caluitiem, & lachrymantes & lippientes oculos: Dioſcoride auctore.

De Picea. CAP. XIII.

Picea.



PROCERA arbor Picea eſt, multis ramis luxurians, non ſolùm quidem circa verticem, ſed multò inferius, ac etiam infra caudicis medium, qui reflexi terram verſus nutantes non rarò dependent. folia anguſta ſunt, non qualia Pini, ſed breuiora latioraque, Abietis ſimiliora, quibus tamen nigriora, latiora, molliora, teneroraque, quæ etiam non orbiculariter, vt Abietis, teneriores virgulas conueſtiunt, ſed e duobus tantummodò ſibi oppoſitis lateribus, frequentia admodum denſeque exeunt, veluti Taxo, cuius folia ſatis æmulantur. Conus huius oblongus eſt, & Abiegno fere ſimilis. cortex arboris nigricat, lentus ac flexibilis eſt, non vt Abietis fragilis, ſub quo proxime ligno, reſina colligitur, quæ quandoque effluens Larignæ ſimilis apparet.

In ſyluis Bohemiæ ac Germaniæ iuxta Pinaſtros & Abietes ſæpè hæc reperitur. naſcitur & in aliis regionibus.

Coniferam autem hanc arborem Græci πίτυν nominant: Latini Piceam, nō autem Pinum: Nam Pinum Græcorum πεύκην eſſe ſuperiore capite oſtenſum. πίτυν autem Latinis Piceam dici teſtatur Scribonius Largus compoſitione CCI. Reſinæ, inquit, Pituinæ, id eſt, ex Picea arbore. Accedit Plinius lib. XVI. cap. X. vbi verba Theophraſti de Peuce & Pityi transferens, Pityn Piceam interpretatur, tametſi pro Peuce Laricem ſcripſerit, vt iam ante indicatum eſt.

Verba autem Theophraſti ſic habent: πεύκην μὲν γὰρ ἐπικαυθεισῶν τῶν ῥιζῶν οὐκ ἀναβλαστάνειν. τὴν πίτυν δὲ, φασί τινες ἀναβλαστάνειν, ὥσπερ καὶ ἐν λέσβῳ ἐμπρησθέντος τοῦ πυῤῥαίων ὄρεος τοῦ πιτυώδους. Plinij verò hoc modo: Larix vſtis radicibus non repullulat: Picea repullulat: vt in Leſbo accidit incenſo nemore Pyrrhæo.

Iam & πιτυοκάμπαι vix in alia vlla arbore, quàm in ſola Picea reperiuntur, teſte Bellonio: πιτυοκάμπαι ſic vt non temere Pityocampæ ac Picearum Erucæ vocentur, tametſi plerique interpretes, Pinorum erucas nominent. Atque idcirco etiam πίτυς à Theophraſto φθειρόποιος cognominatur, quòd videlicet vermes ac pediculi in ea gignantur.

Quandoquidem autem πίτυος nomen commune ad Pinum vrbanam & Piceam eſt, vt anteà

antea ostensum, recentiorum nonnulli hac de causa Piceam πίτυν ἀγρίαν à Theophrasto nuncupari existimant. Theophrastus siquidem historiæ lib. III Montibus, inquit, iuxta Macedoniam propriæ ἐλάτη, πεύκη, πίτυς ἀγρία, &c. paulò verò inferius, Inter syluestria ἀείφυλλα siue semper foliosa, πεύκη, πίτυς ἀγρία. Sed lib. primo inter πίτυν & ἀγρίαν medias alias numerat, ita πίτυν ab ἀγρίᾳ separans. Interpres etiam ἀγρίαν Aquifoliam interpreratus est. Appellatur autem Picea hæc à Germanis Schwartz Tannebaum/& Rot Tannebaum: quandoq; verò & Forenholtz/ quod tamen & aliis nomen quadrat.

De facultatibus verò vel corticis vel fruticis huius arboris, superiore capite scriptum est. Nam veteres Peuces & Piryos facultates, veluti consimiles, simul descripserunt. Restat de Resinis, de quibus mox sequente capite agendum.

De Resinis. CAP. XIIII.

1. EX Pinorum, præsertim syluestrium generibus, liquida, subalbida, & odorata Resina profluit, & non rarò quidem sponte, sed ex ramis aut caudice vulneratis copiosior, arbore
2. in Tedam conuersa. Exit verò & arida quædam è corticis rimis, vel circa abscissos ramusos,
3. & quidem Piceæ vel Abietis. Iam & circa conos siue strobilos & concreta quædam reperitur Resina.

Resina autem omnis Græcè ῥητίνη dicitur: Germanis Hartz: Belgis Hers: Italis *Ragia*: Hispanis *Resina*.

1. Liquida Resina Græcis ῥητίνη ὑγρὰ nominatur, & à nonnullis αὐτόῤῥυτος, id est, sponte fluēs: à Lacedæmoniis πρωτόῤῥυτος, siue Primiflua: In Cilicia verò Καππαίλιον: vt Galenus III. De medicamentis secundum genera scribit: In Officinis Resina Pini. Contingit autem quandoque dum negligentius hæc collecta fuerit, vt quædam lignosa aut lapidosa ei admixta sint. huiuscemodi autem Galenus συγκομιστὴν quasi confusaneam vocat, quæ liquefacta ac à fordibus repurgata, dura redditur ac friabilis.

Simile accidit & Resinæ aliæ liquidæ, quæ vbi colliquefacta fuerit & cocta, refrigerata dura ac friabilis est, & tundi, teri, cribrarique potest. Talis autem Græce φρυκτὴ, Latinis Fricta dicitur, & non rarò Colophonia siue κολοφωνία. Galenus siquidem in lib. De medic. secundum genera III. frictam ab aliis Colophoniam appellari affirmat: Resinarum, inquit, omnium siccissima, quam nonnulli frictam, alij Colophoniam nominant. Colophonia autem vocatur, quòd olim à Colophone, vt Dioscorides, petebatur. hæc præ cæteris fulua, si teratur alba fit: Plinius lib. XIIII. cap. XX.

Colophonia.

2. Altera arida ῥητίνη ξηρὰ nuncupatur, præsertim ex Picea arbore, pinguedinis expers, & celeriter arescens, quæ, vt Galenus VI. De medic. secundum genera, propriè φύσημα πιτύϊνον: In Asia quæ fit e Picea admodum candida Spagas vocatur, Plinio auctore.

3. Tertia ῥητίνης στροβιλίνης nomen accepit: eadem verò & φύσημα στροβίλινον dicitur: Officinis hæc incognita est. Prostat tamen in his venalis quædam arida quidem resina, sed ex Pityina, strobilina, abietinaque confusis permixta, quam *Garipot* nominant: Thuris loco hæc non rarò suffitur, à quo tamen multùm differens est.

Resina autem omnis desiccat & excalfacit, sed non æqualiter omnes: est siquidem inter eas differentia. Quæ acriores, excalfaciunt magis, vt strobilina, omnium resinarum calidissima, quia & acrior. Pityinum physema minus acre, minus excalfacit: In huius & strobilinæ medio, Abietina est. Liquida Pinea humidior est ad Laricis qualitatem & facultatē accedit.

Vtiles sunt resinæ, Dioscoride auctore, vstæ siue frictæ ad malagmata & acopa: præter enim emollientem quam retinent facultatem, etiam tenuitate partium suarum ac siccitate digerunt. tumores idcirco & emolliunt ac discutiunt: eadem quoque facultate acopis permisti lassitudinibus medentur.

Liquidæ resinæ vnguentis ad recentia vulnera solidanda commendatis, commodissimè admiscentur, nam & ad suppurationem, tum & facilem vnitionem faciunt.

Excipitur verò & Fuligo, λίγνυς Græcis dicta, ex resinis perinde ac ex thure, quæ ad καλλιβλέφαρα, hoc est, palpebras ornantia conducit, & angulorum oculi erosiones, & collachrymationes: citra morsum siquidem resiccat.

Conficitur ex hac, inquit Dioscorides, atramentum scriptorium. verùm hac ætate non quo scribitur, sed quod à Typographis in excudendis libris vsurpatur, ex hac fuligine, aliis nonnullis permistis, paratur.

De Pice. CAP. XV.

EX pinguissimis Pini lignis in Tedam conuersis, vi ignis Pix elicitur. Locum oportet esse lapidibus, aut duriore aliqua materia stratum, medioque paulò elatiorem, quem scrobes, ambiant,

ambiant, in quos humor defluat, à quibus deinde & alij canales diducuntur, per quos delatus excipiatur: exceptus in vasa ac dolia reconditur. Loco parato, Tedæ fissa ligna erecta congeruntur, deinde ramis Abietum & Picearum plurimis circumpositis, luto ac terra multa circumquaque conteguntur, ac diligenter ne vlla rima pateat cauetur, solo in vertice foramine relicto, per quod, & ignis emitti queat, & hoc immisso flammæ ac fumo exitus pateat. Accenso igne Pix defluit, primum quidem liquidior, postea verò spissior.

Liquor hic Græcis πίσσα· Latinis verò Pix dicitur· & humidior quidem ac primò defluēs à Plinio lib. XVI. cap. XI. Cedria· Pix, inquit, liquida in Europa e Teda coquitur, naualibus muniendis multosque alios ad vsus. Lignum eius concisum, furnis vndique igni extra circumdato, feruet: primus sudor aquæ modo fluit canali: hoc in Syria Cedrium vocatur, cuius tanta vis est, vt in Ægypto corpora hominum defunctorum eo perfusa seruentur. Sequens liquor, crassior iam, Picem fundit. Sed Dioscorides Cedriam ex Cedro magna arbore colligi scribit, & ex Teda Pinea liquorem vi ignis extractum πίσσαν ὑγρὰν nominat. Latinis hæc est Pix liquida: Italis *Pece liquida*: Germanis Weich bach: Belgis Terr: Gallis *Poix fondue*: Hispanis *Pez liquida*: in Officinis quibusdam Kitran. *Cedria.*

Ex hac verò cum coquitur, durior efficitur Pix: hæc Græcis ξηρὰ πίσσα: Latinis Arida aut sicca Pix: nonnullis παλιμπίσσα, quasi iterata Pix, quia secundò decocta est: huius autem quædam viscosa facta Βοτικὰς nominatur· In Officinis Pix naualis: Germanis Bach: Belgis Steenpeck: Italis *Pece secca*· Gallis *Poix seche*· Hispanis *Pez seca*. *Arida Pix.*

Pix autem excalfacit quoque ac resiccat: & humida siue liquida calidior est· durior verò plus desiccare potest, auctore Galeno. Conducit autem liquida ad tōsillarum & vuæ inflammationes, ac ad anginas foris illita· ad purulentas aures cum rosaceo: ad serpentum morsus cum sale trita & imposita· cum æquali portione ceræ scabros vngues aufert: phymata discutit, & vteri, ac ani duritias: addita hordei farina, & cum pueri vrina decocta, χοιράδας siue strumas dissoluit: cum sulphure verò ac Piceæ cortice vel furfuribus, serpentia vlcera illita cohibet: cum thuris manna & cerato permixta profundas sedis ac pedum rimas consolidat.

Dura siue sicca Pix, Malactice est, duritiem emollit· pus promouet: phymata ac phygethla discutit: vlcera caua replet: vulnerariis medicamentis commode permiscetur.

Intra corpus quid liquida Pix assumpta præstare queat, Dioscorides & Galenus scriptum quoque reliquerunt: Verum hæc asscribere curæ nobis non fuit: nemo siquidem hoc sæculo hanc sibi exhiberi facilè admissurus est.

Colligitur quoque ex Pice Fuligo, quæ, quod ex resinis, eadem potest.

De Abiete. CAP. XVI.

1. EXCELSA & admodum procera Abies similiter est, Pinum altitudine superat: caudex eius rectus, infernus enodis, crescendo in altitudinem progreditur, naturali contractura peræquata ad cacumen vsque, circa quod ramos promit, ex eadem caudicis parte simul quaternos, ex aduerso ita sitos, vt decussim imitentur; è quatuor caudicis lateribus erumpentes, tali ad fastigium vsque ordine obseruato: ab his verò ramis & alij exeunt, sed bini tantummodò laterales, sibi mutuò oppositi, qui subinde deorsum nutant, reliquis sursum magis reclinatis. Folia ramulos ac eorum propagines nullo ordine digesta circumdant, oblonga, teretia, & leuiter mucronata, angustiora albidioraq; multò quàm Piceæ, diluto videlicet & quasi albido colore virentia. coni oblongi sunt, & longiores quàm vllius Coniferæ, mollibus compacti squamis, ab extremis virgulis deorsum dependentes, qui nec facilè decidunt, sed diutissime in arbore hærent: coccali in his exigui, nucleo ossis Cerasi non maiores, adnata vna parte membrana, alis apum aut grandiorum muscarum ferè persimili. materies ligni albida est, & ex multiplici tunica contexta, veluti Cepæ bulbus.

2. Huius verò & alteram speciem Bellonius in lib. De arboribus coniferis ostendit, conis non dependentibus, sed sursum erectis, quam legitimam esse Abietem, & marem dici posse, existimat. Theophrastus siquidem lib. III. duas Abietes facit: vnam masculam· alteram fœminam. Maris folia acutiora, magisque pungentia, pinnata, & in angustius tendentia esse ait, ligni verò materiam duriorem, & forma decoram esse arborem. Feminæ verò materiam candidiorem molliorem que, & ad opera faciliorem.

Abies in montibus altis nascitur: In Germaniæ ac Bohemiæ syluis satis frequens, in quibus vnà cum Pinastris viret: gignitur verò & in Italiæ, Galliæ, & aliarum regionum montanis: descendit verò quandoque & ad plana.

Ex Abietis autem cortice liquida quædam colligitur resina, Laricea consistentia assimilis, sed magis transparens, amaricans & sapore Citrij mali corticem proximè referens, quæ in tuberculis nonnullis corticis, non quidem vetustiorum, sed nouellarum Abietum contine-

Abies



Abies altera.



tur; ex quibus non nisi vulneratis eximitur, sponte etenim non profluit.

Fert & aridam resinam Abies, quæ circa corticis rimas, vel abscissos ramos veterum arborum reperitur, vel etiam sub ipsis corticibus.

Abies autem Græcis ἐλάτη dicitur: apud Græcos nostri temporis vox integra ac incorrupta restat: Germanis weiß Thannen/ & weiß Thannenbaum: Belgis witte Dennenboom: Italis *Abete* Hispanis *Abeto*.

Gallis prior, cuius nempe coni oblongiores dependent, *Suffe*: altera verò conis sursum arrectis, *du Sap* aut *Sapin*: vt quidem Bellonius ait. qui & hanc marem, vt diximus, facit, & legittimam Abietem: illam verò feminam, & Latinis Sapinum dici affirmat.

Sapinus. Sed Sapinus non arboris species est, sed caudicis Abiegni inferior ac enodis pars, vt non modò Plinius lib. XVI. cap. XXXIX: sed & Vitruuius lib. II. cap. XI. testatur, qui & superiorem partem nodosam ac duriorem Fusternam nominant.
Fusterna.

Liquidam resinã, quæ ex nouellarũ Abietũ cortice eximitur, Græcè δάκρυον τῆς ἐλάτης vocant: Latinè Lachrymã Abietis, & Lachrymam abiegnã: Officinæ Germaniç perperàm Terebinthinam Venetam Italis Lagrimo est. Existimant nonnulli à Dioscoride ἐλαιώδη ῥητίνην, siue oleosam resinam appellari: verum oleosa resina, à Pinea liquida differens haud est.

Arida Abietum resina, ῥητίνη ἐλατίνη & Abiegna resina rectè nuncupatur, odorata est, thurisque loco non raro vnà cum aliis suffitur.

Cæterùm Abietis cortex, Peuces cortici facultatem assimilem obtinet; moderatiorem videlicet quàm Pityos.

Resinæ verò facultas qualis Pityinæ, mitior nempe quàm strobilina; acrior autem & calidior quàm Terebinthinæ.

Lachryma verò Abietis vti Terebinthina ac Laricea amarior est, ita quoque his calidior ac siccior: abstergit, aperit; vulnera recentia conglutinat: sordidiora emundat: capitis vulneribus præcipue conducit. Dimidiæ vnciæ pondere assumpta, aluum clementer mouet, & in intestinis contenta expurgat: tum & calculos & harenulas in viis vrinariis hærentes expellit: mediocriter verò & vrinam cit. Aduersus autem sordidorum ex pene humorum profluuium, Gonorrhæa Venerea quæ dicitur, huius vsus confert, si aliquot diebus continuis matutino

matutino tempore sumatur: præstat verò elotam esse cum stillatitio liquore Plantaginis, Lactucæ, aut alio consimili refrigerante, qui acrimoniam & calorem eius remittat.

De Cedro magna. CAP. XVII.

Cedri magnæ ramulus cum conis.



CEDRI duæ sunt: vna maior, Conifera: altera humilis, baccas ferens Iuniperinis similes: & de hac quidem cap. huius libri v. actum est: nunc maior describenda.

Est autem maior Cedrus magna admodum & procera arbor, non modò cæteras resiniferas ac coniferas excedens, sed & reliquas arbores omnes vasta amplitudine superans. caudex eius frequenter admodum crassus est, vt quatuor hominum vlnæ eum complecti, auctore Theophrasto, nequeant: cortex inferioris partis, quæ à terra ad primos porrigitur ramos, asperior est: reliquus verò læuis ac glaber inter ramos conspicuus. rami ab imo ferè, & haud altè à terra, ad fastigium vsque exeunt, paulatim altiusque scandendo minores breuioresque facti, arbore Pyramidis formam referente. orbiculariter autem hi caudicem ambiunt, taliq; alterno ordine dispositi sunt, vt per hos ad cacumen vsque, veluti per scalas, conscendi queat. Folia capillata veluti Pini, sed breuiora ac minime aculeata. coni multò breuiores sunt, & crassiores quàm Abietis, mollibus, nõ duris squamis compacti, qui non deorsum pendent, sed sursum arrecti, in ramis consistunt, quibus & adeò pertinaciter hærent, vt citra rami particulam auelli nequeant, vt Bellonius scribit. ligni materies durissima, nec cariem nec vetustatem sentit: cor odoratum ac subrubens. Dei Opt. Max. templum ex Cedrino ligno idcirco Salomon Iudæorum Rex Hierosolymis extrui voluit: & Gentiles Deorum suorum simulachra ex hoc finxerunt.

Fluit autem & ex Cedro resina abiegnæ similis, odorata, lentæ admodũ substantiæ, commansa siquidem dentibus adeò firmiter adhæret, vt ægrè auelli queat, quæ initio liquidior & albida, vi ardoreque Solis durescit & arida fit: vi verò ignis, & ex hac Pix excoquitur, cui Cedriæ nomen, & quidem propriè. Cedria.

In niuosis montibus Cedri nascuntur, veluti in Syriæ Libano, in quo adhuc nonnullas extare Bellonius refert, Salomonis, vt creditur, manu satas: iam & in Tauro ac Amano montibus reperiuntur. frigidis & saxosis gaudent. Cedrum, inquit Theophrastus, Syria gignit, eaq; ad triremes vtuntur, qui Syriam ac Phœnicen incolunt, quia Pino carent.

Perpetua coma, vt cæteræ coniferæ, viret. humido ac Austrino cæli statu Cedri materies, atque ex hac statuæ aliaque opera sudare & humorem emittere videntur: veluti & omnes quibus oleosus est succus: auctor Theophrastus.

Proceram autem ac vastæ magnitudinis arborem hanc Græci κέδρον. Latini similiter Cedrum: Plinius lib. XXIIII. cap v. Cedrelaten nominat, quasi Cedrum abietem aut Cedrinam abietem, tum ad differentiam minoris Cedri, tum quòd Abietem valde referat.

Resina proprium nomen non accepit, Cedrina autem cognominari potest.

Pix autem ex hac extracta, κέδρια propriè dicitur: Plinius tamen & priorem Tedæ liquorem Cedrium in Syria vocari scribit: vt iam antè diximus. Optima est, inquit Dioscorides, pinguis, pellucida, odore grauis, quæ guttatim effusa coit, non dissipata permanet.

At Cedria temperatura calida est & sicca, cum partium tam exquisita tenuitate, vt vtriusq; qualitatis ordinem quartum attingere videatur. Mollem itaque carnem citò ac promptè

citra dolorem putrefacit, veluti septica dicta medicamenta, ex quorum medicamentorum genere ipsa quoque est, sed infimo loco, vtpote debilissima: atque idcircò mortuorum corpora non corrumpit, sed resiccat, & à corruptione tuetur humiditates eorum depascens.

At in viuentibus calor ipse qui in corporibus est, Cedriæ vires adaugens, causa efficitur, vt teneræ carnes ab ea deurantur. Galeno teste.

Condiebantur autem olim mortuorum corpora magna ex parte Cedria apud Ægyptios, tametsi & alij conditturæ fuerint modi, quos Herodotus latius refert.

Mumia. Conditum vero corpus Officinæ Mumiam nominant, sed perperam. Mumia siquidem Arabum, nihil aliud est quam à Græcis Pissasphalton dictum, vt ex Auicennæ cap. 474. & Serapionis 293. satis manifestum.

Error Interpretis Serapionis. Erroris occasionem præbuit Serapionis interpres, qui ex sua, non autem ex Serapionis sententia Mumiam interpretatur, mixturam ex aloë & myrrha, & quod eis admiscetur ex humiditate corporis humani. Sed ad Cedriam redeamus.

Hæc ad ocularia quoque medicamenta commendatur: oculorum aciem intendit illita: albugines & cicatrices detergit: aurium vermes necat cum aceto infusa: & sonitus sibilosq; cum hyssopi decocto. dentium cauitatibus imposita eos frangit & dolorem sedat, idem facit cum aceto colluta: contra anginas & tonsillarum inflammationes illita prodest: lentes pediculosque enecat. Cerastæ morsibus cum sale imposita auxiliatur. contra venena leporis marini in passo sumpta conuenit. prodest & elephantiacis inuncta. vermes & tineas subtus iniecta enecat, & partus extrahit. vt quidem Dioscorides.

De Larice. CAP. XVIII.

Larix.



LARIX non exiguæ quoque proceritatis arbor est caudice rectè assurgente, cuius cortex inferiore parte, quæ ramis subest, crassus, asper, in frequentes rimas dehiscit, præcisus interius rubere conspicitur, reliqua parte læuis, glaber, nonnihil foris inalbicans. ramos Larix multos promit, in alios minores diuisos, qui lenti ac obsequiosi sunt: folia verò circa ramulos multa, ab vno tuberculo numerosa, simul cohærentia, breuiora, tenuiora, molliora que quàm

Pini,

Laricis ramulus.



Pini, haud aculeata sed retusa. flosculi seu potius conorum rudimenta e tenerrimis ramulis erumpunt rotunda, eleganti tandem purpura rubentia. Coni paruis Cupressinis magnitudine fere similes, sed tamen longiores, gracilibus foliosis squamulis compacti, sub quibus latent fructus exigui, adnata tenui membranula, apum aut vesparum alis persimili. ligni materies durissima, colore præsertim quæ media ac interior est rubescens, ad diuturna opera perquàm vtilis.

Flammis autem nó accendi Laricis lignum, aut ab igne non comburi, vt Vitruuius de Castro Larigno à Cæsare oppugnato refert, veritatem non habet. Nam & in fornacibus ardet, & in carbones vertitur, ferrariis Officinis vtilissimos: vt Matthiolus scribit.

Colligitur verò ex Larice & resina liquida, candicanti melli, veluti Attico aut Hispanico, colore & consistentia persimilis, quæ tamé non sponte effluit, sed ex arboris trunco manat, crasso oblongoque terebro ad cor vsque perforato. *Resina Laricea.*

Galenus hanc duplicem quodammodo esse tradit, lib. De medic. secundum genera IIII. Vnam similem Terebinthinæ: alteram hac acriorem, calidiorem, magis liquidam, odoratu grauiorem, gustu amariorem calidioremq́, Sed posterior non Larigna, sed Lachryma fuisse videtur Abietis, quam Galenus, quia consistentia quodammodo similis, pro Laricea habuisse potuit. Adnascitur & Larici fungus, non qualis aliis arboribus, sed albidus, medicinæque vtilis, qui Agarici nomen adeptus. de hoc autem vbi de Fungis agitur latius scriptum est. *Agaricus.*

Nascitur autem Larix non quidem in Græcia aut Macedonia, sed præcipuè in Italiæ Alpibus, haud longè à Tridento: iuxta Benacum ac Padum fluuios; tum & alia eorundem montium loca reperitur & in Morania, quæ olim Marcomannorum prouincia locis montosis. Fuchsius in Silesia quoque gigni refert: alij verò & in Lusatia, circa Poloniæ fines.

Inter coniferas sola Larix absque foliis hyeme reperitur. Vere noua ex iisdem, vnde priora deciderunt, tuberculis erumpunt. Coni legendi sunt ante hyêmem cùm folia deffluere incipiunt: postea etenim sese pandentibus ac dissoluentibus squamulis, semina effluunt. Resina æstiuis mensibus colligitur.

Larix Grçcè similiter λάριξ dicitur: Italis ac Hispanis *Larice*: Germanis Lerchenbaum: Belgis Lorkenboom: Gallis *Melese*.

Liquida Resina à Galeno quoque λάριξ nominatur: Latinis Resina Larigna, vel Resina Laricea: Italis *Larga*: in Officinis Terebinthina appellatur, atque eius loco diuenditur, & medicamentis admiscetur Nec nouum id est, nam & sua ætate Galenus Rhopopolas Laricem Terebinthinæ loco vendidisse refert: Et potest hoc citra errorem fieri: ipse siquidem Galenus vno loco pro Terebinthina Laricеam, alio loco pro Laricea Terebinthinam substituit: in lib. De medic. secundum genera.

At facultate Laricea reliquis omnibus resinis humidior est, ac vnà acrimoniæ ac morsus expers, Terebinthinæ assimilis: medicamentis quæ vlcera & recentia vulnera probè curatura sunt, vtiliter admiscetur Omnes, inquit Galenus, resinæ huiusce modi humiditatis gratia simul & viscositatis, quam coniunctam habent, sicca medicamenta veluti colligant: quia verò non euidentem obtinent acrimoniam, vlcera nequaquam irritant. Quapropter nonnulli mentò talibus medicamentorum compositionibus vel Terebinthinam vel Lariceam admiscuerunt: Hæc Galenus. Potest verò & Laricea omnia quæ Terebinthina, cui facultate, vt diximus, assimilis est. quod & ipse Galenus affirmat.

De Terebintho. CAP. XIX.

Terebinthus.



Terebinthi ramus cum corniculo.



EX syluestribus perpetuò virentibus Terebinthus quoque, Theophrasto teste, est: hæc quandoque fruticis instar, frequenter verò arboris modo attollitur. ramos spargit non paucos, oblongos: folia quoque oblongiora, ex pluribus ad vnam costam, siue, vt Theophrastus vocat *μίσχον*, cohærentia, veluti Fraxini, sed crassiora pinguioraque, singularia quorum Laurinis similia. flores racematim cohærent muscosi, vti Oleæ, purpurascentes: fructus per maturitatem ex cæruleo viret, baccarum Iuniperi magnitudine, durus, attactu pinguis ac resinosus, manusq; inficiens. ligni materies dura, & qualis Lentisco.

Fert præterea, Theophrastus ait, oblonga quædam veluti *κωρύκια*, siue cornicula, interius vacua, colore nonnihil rubentia, in quibus exigui vermiculi culicibus similes, & quandoque humor quidam reperitur.

Ex huius autem trunco ac lignosis ramis, resina profluit liquida, quæ Terebinthina dicitur:

In Iudæa, Syria, Cypro, Aphrica, & Cycladibus insulis, vt Dioscorides ait, prouenit. Testatur Bellonius in Syria ac Cilicia copiosam inueniri, atque illinc venalem Damascum adferri: Clusius in Narbonensi Gallia, ac in plurimis Lusitaniæ, Hispaniæque locis spontè gigni ait, sed maxima ex parte fruticosam, & resinam haud proferentem.

Theophrastus circa Idam & circa Macedoniam breuem, fruticosam, contortamque nasci refert: apud Damascum verò Syriæ magnam, copiosam, decoramque. Idem Terebinthum quandam masculam: alteram feminam facit. Masculam quidem sterilem: feminam autem fructiferam. Huius verò vnam fructu protinus rubente, magnitudine Lentis, qui concoqui nequit: alteram fructu initio viridi, postea russescente, postremò nigro, cum Vite maturescente, Fabæ magnitudine, resinoso.

Terebinthus Indica. Tradit verò & Indicam quandam esse Terebinthum: arborem videlicet ramis ac foliis Terebintho similem, sed fructu differentem, quem Amygdalis similem habet. videtur autem hæc eadem cum arbore Pistacia ferente: vt anteà scriptum.

Vere autem Terebinthi flosculi vnà cum nouis germinibus erumpunt: Septembri ac

Octobri

Octobri vindemiæ tempore baccæ maturitatem assequuntur. Cornicula circa idem tempus nascuntur.

Hæc arbor Græcis τέρμινθος: quandoque verò etiam τερέβινθος dicitur: Latinis Terebinthus. Italis *Terebintho*. Hispanis *Cornicabra*: Gallis *Terebinte*: Arabibus *Botin*, & cum articulo *Albotin*.

Græcis Resina τερμινθίνη cognominatur Latinis Terebinthina. Germanis Termentyn: Arabes gluten *Albotin* nominant, quibus fructus Granum viride est.

Cæterum Terebinthi cortex, folia, & fructus adstrictionis quippiam obtinent: secundo verò ordine excalfaciunt: resiccant quidem virentia modicè, arida verò ordine secundo. fructus verò etiam amplius, propinquus tertio ordine resiccantibus, & calidior quoque. Esui hic aptus est, vt Dioscorides ait, sed ventriculo aduersatur: vrinam prouocat. lienosis prodest: contra phalangiorum morsus ex vino bibitur.

Resina verò Terebinthina omnes alias, Dios. sententia, antecedit: Sed Galeno auctore primas omnium Lentiscina meruit post hanc verò Terebinthina.

Manifestam quoque hæc, non tamen similiter ac Lentiscina, adstrictionem possidet, cæterùm adiunctam habet amaritudinem quandam, per quam magis quàm Lentiscina digerit ob eandem qualitatem inest & abstersio tanta quidem, vt & psoras sanet lib. VIII. De simp. medic. facultatibus· In lib. verò De medic. secundum genera, Terebinthinam Laticeę assimilem facit, quam reliquis omnibus humidiorem, & acrimoniæ ac morsus expertem esse affirmat. vt superiore capite latius scriptum.

De Lentisco. CAP. XX.

Lentiscus.



LENTISCVS frequenter instat fruticis nullo grandiore caudice, sed compluribus stolonibus Coryli modo luxuriat: sæpius verò & ad mediocris arboris altitudinem assurgit & magnitudinem assequitur: lenti ac flexibiles rami eius sunt: cortex subruffus, similiter obsequiosus ac frangi contumax: folia ab vno pediculo octona fere cohærēt, Glycyrrhizæ foliis assimilia, sed duriora, colore saturato virentia, ambitu quandoque nonnihil rubētia, veluti & nonnullis discurrentibus venulis· odore nonnihil graueolentia. Flores muscosi racematim longis pediculis adhærent. baccæ succedunt Erui magnitudine, initiò virentes, inde purpureæ, postremò nigræ, pingues ac oleaginosæ, nucleo intus duro, nigro, cuius medulla candida est· ex quibus & oleum fit: Dioscoride teste.

Folliculos Lentiscus quoque profert, corniculi modo intortos, in quibus initiò liquor, deinde hoc veterascente animalcula exigua culicibus similia, veluti in Terebinthi corniculis, ac complicatis Vlmi foliis.

Effluit quoque ex Lentisco resina, sed arida, Mastiche dicta.

Lentiscus in pluribus regionibus prouenit: veluti in Syria, Creta, Italia, Narbonensi Gallia, plerisque Hispaniæ prouinciis, &c. Sed in Chio maris Ægæi insula præcipua: in qua vel sola diligenter, & Mastiches quidem causa colitur, quæ ex cultis Lentiscis illic ab indigenis vulnerato caule singulis annis diligenti adhibita cura colligitur: ac inde in omnes orbis partes mittitur.

Lentisci flosculi Vere: baccæ sub Autumnum perficiuntur. Mastiche verò circa Vindemiæ tempus colligenda.

Dicitur Græcis σχῖνος: Latinis Lentiscus: Italis *Lentisco*: Gallis *Lentisque*: Hispanis *Mata*, & *Arcoyra*.

Resina, ῥητίνη σχινίνη, & μαστίχη: Latinis Lentiscina Resina & similiter Mastiche nominatur:

tur: In Officinis Mastix· Italis *Mastice*: Germanis, Belgis, & Gallis *Mastic*: Hispanis *Almastiga, Mastech, & Almeciga*.

Oleum ex baccis expressum Hispanos *Azeyte de Mata* nominare Clusius scribit.

Lentiscus autem, vt Galenus ait, ex aquea essentia leuiter calida, & non pauca terrena frigida compositus est. desiccat ordine secundo completo: in caliditatis ac frigiditatis quodammodò medius. omnibus suis partibus similiter adstringit, extremis turionibus, germinibus, foliis, fructu, ramorum ac radicum corticibus, tum & succo ex foliis expresso. Bibitur aliquod horum per se, vel cum aliis eiusmodi medicamentis, ad dysenterias, alui fluores, sanguinis sputationes, & ex vtero eruptiones, eiusdem ac etiam sedis procidentiam: Idem siquidem possunt quod Acacia & Hypocistis.

Decoctum verò horum fotu caua vlcera carne implet: fracta ossa consolidat: fluxiones muliebres sistit· nomas reprimit: vrinas prouocat: mobilesque dentes collutione firmat ac stabilit. Ex ramulis aut ligno dentiscalpia quoque in eundem vsum conficiuntur.

Oleum ex baccis adstringendi vim similiter retinet.

Mastiche. Similem quoq; facultatem Mastiche obtinet, omnium resinarum optima, & primas partes meritò occupans: nam præter quòd modicè adstringat, inest illi quoque mordacitatis expers desiccatio: Galeno auctore.

Vtilis autem in primis debili ventriculo Mastiche est: dolores eius sedat, vel in exigua quantitate, trium videlicet granorum, assumpta, vel foris cum oleo illita, sed præcipue alutæ inducta & emplastri modo admota, quo modo nauseam cibique fastidium tollit, dolores sopit, retinendi potentiam intendit, & concoctionem promouet.

Auxiliatur verò & sanguinem expuentibus in eclegmate, & veteri tussi: additur ad dentifricia, quæ mobiles dentes confirmant, & sordidiores emundant: faciei illinitionibus quæ cutis nitorem conciliant permiscetur.

Commanducata verò Mastiche oris halitum emendat: pituitam è capite clementer citraque molestiam detrahit. dolores dentium mitigat, dentesq; ipsos firmiores reddit, ac gingiuas contrahit: replicare verò & in oculis pilos, Dioscorides addit.

LIBRI QVINTI PEMPTADIS SEXTÆ ET STIRPIVM HISTORIÆ FINIS.

DE EMENDATIONE AC CORRECTIONE

PAVCIS LOCIS ADHIBENDA.

CONTINGIT quandoque vt animo nonnullis distracto, subinde aliter manus scribat, aliter verò ingenium meditetur. Id quod tametsi haud decens est, tamen euenire posse quis negauerit? Siquidem vt in prouerbio est, quandoque bonus dormitat Homerus. Iam & falli possunt typorum etiam diligentissimi collectores: fugiunt etiam quædam non rarò ipsos correctores tametsi industrios. Vbi autem huiuscemodi aliquid contigerit, proximum est vt correctio ac emendatio adhibeatur. Itaque quæcunque animaduersione digna in his Pemptadibus obseruata, hæc ex subscripto elencho corrigenda.

Prior numerus folium: alter lineam ostendit: Sed vbi tres asscripti, alter caput: tertius capitis lineam notat.

fo 8. cap 6 lin. 25.			& aliis vehementibus
22.		49.	Abrotoni semen decoctum, aut crudum tritum cum aqua & potum.
26.	5.	7.	& sapore ipsum quoque
44.	25.	6.	alias
45.	27.	10.	diuisis: dilutè purpureis
46.	27.	2.	pinillo.
54.	34.	28.	& nonnihil maceris, qui
68.	16.	9.	similem Matthiolus refert
71.	20.	3.	plura
72.	20.	14.	& hoc quidem
86.	16.		calidum & siccum
111.	26.	36.	cum carnibus coctum
118.	4.		foliorum succum aliquot continuis diebus epotum, morbum ait Dioscor. sanare regium.
ibidem	33.	35.	propinatus idem potest. Sistit verò & radix.
128.	12.		Nam quæ
ibidem	13.		Hæc autem
ibidem	14.		translata
208.	11.	3.	tamen, qui primi
238.	19.		vbi lasciuis
251.	9.	9.	flores habet pauciores
276.	8.	5.	lignosa. Tenui
283.	54.		Quartum

286.	18.	22.	flosculis cauliculos ambientibus, in spicæ
320.	1.		[illegible]
328.	12.		respersis
359.	6.	5.	ex alis foliorum
393.	8.	22.	Americæ
415.	16.		Iamque præ
421.	6.		eam seuit
437.	11.	9.	videlicet. dissectis, fissis
452.	25.	11.	Germaniæ
461.	2.	19.	Empiricis
469.	14.		Muscus palustris
487.	10.	24.	diuersis vtens
569.	24.	34.	ad ramicem efficax
587.	12.		comparata
599.	53.		Italia tantum
600.	35.		Quod non modo hoc
640.	26.	4.	impositæ vniunt
736.	9.	5.	videbatur
742.	1.		Et hunc
771.	24.	24.	Anonymos
783.	5.	21.	gaudent
ibidem	26.		χρυσόμηλον
746.	20.	43.	Agrifolium
820.	10.	11.	de Haliphlœo scribitur
850.	47.		operi difficiliorem
851.	15.		[illegible]

Leontopodium Matthioli.



Agglutinanda est hac Pempt. primæ, lib 3. cap. 16. fol. 68. extincta Pilosella minoris alterius Icone, & linea 9. eiusdem capitis deleto Lobelij nomine, eiusque loco Matthioli restituto.

Hyssopus vtrimque florifera.



Addenda Pempt. 2. lib. 4. cap. 20. esse, alterius ac variæ Hyssopi imago.

Chamelæagnus.



Loco alterius florentis Chamelæagni icone, reponenda est hæc Pempt. 6. lib. 2. cap. 20.

INDEX NOMINVM GRÆCORVM,

OMNIVM STIRPIVM IN HIS LIBRIS

DESCRIPTORVM. CVIVS PRIOR NVMERVS Pemp. alter Librum · & tertius ac (si adsint) sequentes, cap. notant.

INDEX.

δορκίδιον

κώνειον

ὄλυνθος

I N D E X.

Τ Ε Λ Ο Σ.

LATINARVM VOCVM ET APPELLATIO-
NVM STIRPIVM INDEX. NVMERVS PRIOR
Pempt. ſecundus Librum: Cap. verò tertius ac ſequentes, oſtendunt.

Aſperu-

Cepæa

Dens

HALI-

Nicotiana

FINIS.

ARABICARVM, BARBARARVM,

ET OFFICINIS RECEPTARVM APPELLATIONVM

elenchus. Pempt.numerus prior: Librum subsequens: Cap. tertius & subsequentes denotant.

Turbith

FINIS.

RERVM ET SENTENTIARVM INDEX.

GAL-

FINIS.

SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

SACRÆ Cæsareę Maiestatis priuilegio cautum est, ne quis Typographus aut Librarius, *Remberti Dodonæi Stirpium historiæ Pemptades*, in sacro Romano Imperio, aut aliis quibuscunque suæ maiestatis regnis ac ditionibus, imprimat, alibíve impressas inferat aut distrahat, intra decem annorum terminum, præter eum cui à Dodonæo commissæ fuerint, hoc est, Christophorum Plantinum Architypographum: sub pœna in Diplomate Cæsareo expressa, Dato Pragæ, Anno M. D. LXXX. Augusti die XI.

Subsig.

Rudolphus.

Ad mandatum Sacræ Cæs. Maiestatis proprium.

S. Vieheuser.

A. Erstenberger.

SUMMA PRIVILEGII REGIS GALLIARUM.

HENRICI *Christianiss. Regis Galliarum priuilegio cautum est, nequis typographus aut bibliopola in tota Gallia ac in ceteris ipsi subiectis ditionibus imprimat aut distrahat librum vllum integrum, vel partem eius, quem Christophorus Plantinus Antuerpiæ primus excuderit, vel suis sumptibus excudi iusserit, ne ipse suis laboribus, & impensis quas in re litteraria iuuanda innumeras quotidiè sustinet, frustretur (modò ij libri nec* Catholicæ *Apostolicæ Romanæq; Religioni, neque Statui nostro aduersentur:) idq; ad sexennium, à tempore ipso quo prima editio in publicum prodierit, numerandum. Sub pœna confiscationis librorum; vt latiùs patet in Diplomate, Dato Fontanablei* V. *die Augusti, Anni* M. D. LXXXII.

Præmonenturq; hoc priuilegio typographi ac librarij, vt cùm tenor harum Regiarum Litterarum ijsdem libris præfixus, aut eorum calci annexus fuerit, legitimam sibi factam esse significationem certò statuant, nequis ignorantiæ causam prætendat.

Subsignat.

De Neufuille.

promehio l.
Ny cargo
sup a N. 2
Caga al $ b.
y acriado
P —
rabor de f

[illegible]
De Stirpibus.